UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

urn:nbn:de:hbz:466:1-94604

Visual Library

Th. 414a.

G. V 11
17.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EROTEMATA ECCLESIASTICA JOANNIS CLERICATI

PRÆPOSITI PATAVINI J.U.D.

Quibus ipse utebatur pro examinandis Confessariis, ac Clericis, dum Auditoris, ac Vicarii Generalis fungeretur officio.

Sub Illustrissimo, ac Reverendissimo D. D.

GEORGIO CORNELIO SENIORE

Nec non sub Eminentissimo, ac Reverendissimo D. D.

GREGORIO CARD. BARBADICO PRÆSULIBUS PATAVINIS.

Proficua, & utilissima Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, Clericis, Judicibus, & Advocatis Utriusque fori; ac cæteris Theologiæ, Sacrorumque Canonum Studiosis.

Ab Auctore revisa, & multis in locis locupletata: præcipue advertendo, quæ responsa veterum DD. nunc cadant sub opinionibus damnatis. Additis etiam in fine omnibus Propositionibus damnatis, & aliis Decretis, & Constitutionibus Apostolicis novissimis.

Tomi secundi Liber septimus.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.
Sumptibus MARTINI HAPPACH & FRANC. XAV. SCHLÜTER.
MDCCXXX.

Auctor benevolis Studiosis.

ABsque auxesi loquar, si longissimo tempore, Patavinorum Antistitum jussu, me gravissimam, inter alias, hanc sarcinam portasse dixero, onus scilicet examinandi tum Clericos ad Ordines, tum Confessarios ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem; quod munus me impulit, EROTEMATA hæc Ecclesiastica ex neotericis Theologis, ac Canonistis demere; ut viros etsi doctissimos, præcipuè Regulares, obedientiæ meritum, & laboris præmium in audiendis Confessionibus habituros, qua decebat comitate, & facilitate interrogando experirer, & experimentaliter examinando approbarem.

Has easdem interrogationes, quibus tanquam sarculis, & ligonibus diu in spirituali cultura hujus spiritualis Vineæ Patavinæ utebar, senio tandem arreptus, & multo jam fractus membra labore, reposueram; quas cum amicorum plures inspexissent, vehementi sunt orexi excitati, ut eas typis darem, fisi pergratas Parochis, Confessariis, Ordinandis, Examinandis, nec non Examinatoribus futuras, tum ob brevitatem in interrogando, & in respondendo; tum ob casus non metaphysicos, ut ajunt, sed quotidie occurrentes in praxi, qua egent, qui incessanter in animarum cura operantur; siquidem juxta Proverbium: Practica fit pluris, quàm tota Scientia juris.

Amicorum itaque inclinatus instantiis, ut hæc EROTEMATA benevoli studiosi amice velint apud se hospitari, amiciter insio; spondens iisdem, Decisiones De Sacrificio Missæ, quas eorum expectat humanitas, me brevi in lucem editurum.

Hæc studiosis benevolis dixeram, quatuor ab hinc annis, in prima hujus libri editione. Nunc, cujus editio secunda fit, ob prioris felicem exitum, addere cogor, in veræ, erga studentes, observantiæ meæ testimonium, me relegisse eadem Erotemata, & pluribus in locis, novis quæsitis, ac responsis locupletasse; & signasse opiniones illas, quæ nunc cadunt sub damnatis Propositionibus, quas omnes, scilicet Alexandri VII, Innocentii XI, ac Alexandri VIII. imprimi curavi in fine libri, cum aliis novissimis Decretis, & Constitutionibus Pontificiis ad majus Studentium commodum, & utilitatem.

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per fede di revisione, & approbatione dell P. F. Ambrosio Lisotti Inquisitore nel Libro intitolato: *Erotemata Ecclesiastica Joannis Clericati Præpositi Patavini*, non esservi cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, & buoni costumi, concediamo licenza, che possi essere stampato osservando gl'ordini in materia di Stampe, & præsentando le solite copie alle publiche Librarie di Venezia, & di Padova.

Dat. li 21. Febraro 1697.

Sebastian Foscarini Cav. Proc. Reform.
Girolamo Venier Cav. Reform.

Agostino Gadaldini Segret.

IN-

INDEX CAPITUM TOTIUS LIBRI.

Cap. I. De Peccatis. pag. 1
II. De Conscientia. 2
III. De Fide. 3
IV. De Hæresi. 5
V. De Libris Prohibitis. 6
VI. De Absolutione ab Hæresi. 7
VII. De Apostasia, & Schismate. 8
VIII. De Infidelibus & Paganis. 8
IX. De Judæis. 9
X. De Fidei professione emittenda. 12
XI. De Spe. 13
XII. De Charitate erga Deum. 14
XIII. De Primo Decalogi Præcepto. 15
XIV. De Adoratione. 15
XV. De Agnis DEI. 17
XVI. De Oratione. 18
XVII. De Horis Canonicis. 19
XVIII. De his, qui obligati sunt ad Horas Canonicas. 23
XIX. De Superstitione. 27
XX. De Idololatria. 28
XXI. De Magia. 29
XXII. De Alchimia. 30
XXIII. De Divinatione. 31
XXIV. De Vana observantia. 31
XXV. De Maleficio. 32
XXVI. De Sacrilegio in genere. 35
XXVII. De Sacrilegio in personas Sacras. 35
XXVIII. De Sacrilegio in loca Sacra. 39
XXIX. De Sacrilegio per effusionem sanguinis humani. 40
XXX. De Sacrilegio per effusionem seminis humani. 44
XXXI. De Sacrilegio per Sepulturam excommunicati, vel infidelis. 45
XXXII. De Sacrilegio ex violata Immunitate loci Sacri. 47
XXXIII. De Sacrilegio in bonis Clericorum. 51
XXXIV. De Blasphemia. 52
XXXV. De Simonia. 56
XXXVI. De secundo Decalogi Præcepto. 62
XXXVII. De Juramento. 62
XXXVIII. De Amphibologia, & æquivocatione in Juramentis. 68
XXXIX. De Pœnis Perjurii. 69
XL. De Obligatione à Juramento. 70
XLI. De Relaxatione Juramenti. 70
XLII. De Commutatione Juramenti. 71
XLIII. De Juramentis Judicialibus. 72
XLIV. De Adjuratione. 74
XLV. De Adjuratione Dæmonum. 75
XLVI. De Voto. 76
XLVII. De tertio Decalogi Præcepto. 82
XLVIII. De quarto Decalogi Præcepto. 86
XLIX. De Obligatione Filiorum erga Genitores, & Genitorum erga Filios. 86
L. De Obligatione Mariti erga Uxorem, & Uxoris erga Maritum. 87
LI. De Obligatione Fratrum, ac Sororum. 88
Cap. LII. De Obligatione famulorum erga Dominos; & Dominorum erga famulos. pag. 88
LIII. De Obligatione discipulorum erga Magistros; & Magistrorum erga discipulos. 89
LIV. De Obligatione Diœcesanorum erga Prælatos; & Prælatorum erga Diœcesanos suos. 90
LV. De Obligatione Parochorum erga suos Parochianos; & horum erga suos Parochos. 92
LVI. De Obligatione Subditorum erga Reges, & Principes, horumque erga suos subditos. 92
LVII. De quinto Decalogi Præcepto. 92
LVIII. De Homicidio. 93
LIX. De Abortu. 94
LX. De Homicidio casuali. 95
LXI. De Circumstantiis Homicidii. 96
LXII. De Restitutione ob Homicidium. 96
LXIII. De Irregularitate ex Homicidio. 97
LXIV. De Bello. 98
LXV. De Odio. 99
LXVI. De sexto Præcepto Decalogi. 100
LXVII. De Concubinatu. 101
LXVIII. De Stupro. 102
LXIX. De Raptu. 103
LXX. De Adulterio. 103
LXXI. De Incestu. 104
LXXII. De Sacrilegio, & filia spirituali. 105
LXXIII. De Luxuria contra naturam. 106
LXXIV. De septimo Præcepto Decalogi. 108
LXXV. De Restitutione. 109
LXXVI. De Causis excusantibus à restitutione. 113
LXXVII. De Contractibus in genere. 115
LXXVIII. De Mutuo. 115
LXXIX. De Usura. 115
LXXX. De Monte Pietatis. 119
LXXXI. De Commodato. 120
LXXXII. De Pignore. 121
LXXXIII. De Deposito. 122
LXXXIV. De Solutione Indebiti. 122
LXXXV. De Stipulatione. 123
LXXXVI. De Assecuratione. 124
LXXXVII. De Obligatione in forma Camerâ. 124
LXXXVIII. De Fidejussione. 125
LXXXIX. De Litterarum obligatione. 127
XC. De Emptione, & Venditione. 127
XCI. De Monopolio. 129
XCII. De Censibus. 129
XCIII. De Cambiis. 131
XCIV. De Locatione, & Conductione. 131
XCV. De Emphyteusi. 133
XCVI. De Livello. 134
XCVII. De Feudo. 135
XCVIII. De Societate. 136
XCIX. De Mandato, & Procuratoribus. 137
C. De Obligationibus, quæ ex quasi contractu nascuntur. 139
CI. De Ludo, & Aleatoribus. 139
CII. De Testamentis, & Legatis. 142

INDEX CAPITUM.

Cap. CIII. De *Octavo Præcepto Decalogi.* 144
CIV. De *Detractione.* 144
CV. De *Contumelia, Derisione, & Susurratione.* 146
CVI. De *Judicio temerario, & Suspicione.* 147
CVII. De *Libellis famosis, &* Lettere orbe. 148
CVIII. De *Nono, & Decimo Præcepto Decalogi.* 149
CIX. De *Præceptis Ecclesiæ.* 151
CX. De *Jejunio Ecclesiastico.* 152
CXI. De *Præcepto annuæ Confessionis, & Communionis.* 155
CXII. De *non celebrandis Nuptiis tempore vetito.* 158
CXIII. De *Decimis, Primitiis, & Oblationibus.* 159
CXIV. De *Sacramentis in genere.* 161
CXV. De *Baptismo.* 164
CXVI. De *Confirmatione.* 169
CXVII. De *Eucharistia.* 172
CXVIII. De *Sacrificio Missæ.* 181
CXIX. De *Sacramento Pœnitentiæ, & Contritione.* 186
CXX. De *Confessione Sacramentali.* 187
CXXI. De *Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.* 191
CXXII. De *Casibus Reservatis.* 193
CXXIII. De *Absolutione Sacramentali.* 197
CXXIV. De *Satisfactione Sacramentali.* 198
CXXV. De *Sigillo Confessionis.* 201
CXXVI. De *Confessario sollicitante ad turpia in Confessione.* 203
CXXVII. De *Extrema Unctione.* 205
CXXVIII. De *Sacramento Ordinis.* 208
CXXIX. De *Irregularitate.* 219
CXXX. De *Bigamia.* 220
CXXXI. De *Irregularitatibus ex delicto.* 222
Cap. CXXXII. De *Sacramento Matrimonii.* 231
CXXXIII. De *Impedimentis dirimentibus Matrimonium.* 232
CXXXIV. De *Impedimentis non dirimentibus Matrimonium.* 246
CXXXV. De *Dispensationibus super impedimentis Matrimonii.* 247
CXXXVI. De *Causis dispensandi in impedimentis Matrimonii.* 249
CXXXVII. De *dispensatione subreptitia, seu obreptitia, & invalida.* 250
CXXXVIII. De *Clausulis principalibus, quæ inseruntur in dispensationibus Matrimonialibus pro foro externo.* 252
CXXXIX. De *Clausulis in Litteris Sacræ Pœnitentiariæ pro foro interno.* 253
CXL. *Quibus modis cesset dispensatio Matrimonialis.* 255
CXLI. De *Sponsalibus.* 256
CXLII. De *his, quæ spectant ad Matrimonium tanquam Contractum.* 258
CXLIII. De *his, quæ pertinent ad Matrimonium tanquam Sacramentum.* 261
CXLIV. De *Solemnitatibus necessariis in contrahendo Matrimonio.* 263
CXLV. De *Obligationibus ex Matrimonio insurgentibus, & iisdem conjugatis imminentibus.* 265
CXLVI. De *Divortio.* 269
CXLVII. De *Censuris.* 273
CXLVIII. De *Excommunicatione.* 275
CXLIX. De *Excommunicatione ob duellum.* 279
CL. De *Suspensione.* 280
CLI. De *Interdicto.* 282
CLII. De *Irregularitate secundùm doctrinam Magistrii.* 283
CLIII. De *Degradatione.* 286

ERO-

EROTEMATA ECCLESIASTICA.

CAPUT PRIMUM.

De Peccatis.

1. *Quær.* Quid sit Peccatum? *Resp.* Quòd est dictum, factum, aut concupitum contra legem æternam, atque adeò contra rectam rationem. S. Augustin. *lib.* 22. *contra Faust. cap.* 27.

2. *Quær.* Quotuplex sit Peccatum? *Resp.* (omisso originali) esse duplex: Mortale, & Veniale; & utrumque committitur vel per commissionem, vel per omissionem. Mortale vel est tale ex genere suo ob materiam gravem, ut est Homicidium, Adulterium: vel est tale ex accidenti, ut si ex verbo otioso resultet occasio peccati mortalis. Pari modo. Veniale tale est ex suo genere, ut si agatur de re levi; at fit etiam tale per accidens, ut si quis ex imperfecta deliberatione aliquid faciat, quod ex genere suo esset mortale. Sanch. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 3. Tambur. *ibid. lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. *num.* 3. & Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 15. *num.* 36.

3. *Quær.* Quænam sint Regulæ ad discernendum Peccatum mortale à veniali? *Resp.* Regulam generalem esse, mortale peccatum fieri, ubi graviter lædatur charitas Dei, vel proximi, vel sui ipsius. At ad cognoscendam læsionem gravem charitatis dantur sequentes regulæ. Prima: Si Deus ob eam rem in sacris litteris comminetur exclusionem à regno cœlorum. Secunda: Si Ecclesia declaravit, esse peccatum mortale. Tertia: Si Viri docti sic communiter existiment. Quarta: Si lædatur Virtus aliqua Theologica, ut fides, justitia. Quinta: Si confringantur Præcepta Decalogi. Sexta: Si repugnet Præceptum Ecclesiæ, vel Superioris sub pœna peccati mortalis. Ex his regulis, seu signis cognosci poterit mortale à veniali. Tambur. *d. cap.* 1. §. 2. & Mastrius *d. disp.* 15. *num.* 48. & 49.

4. *Quær.* Quot in casibus mortale peccatum transeat in veniale? *Resp.* Tribus in casibus. Primo, ob parvitatem materiæ (excepto odio Dei, violatione virtutum Theologicarum, contemptu Dei, perjurio assertorio deliberatè, Magia, Simonia, Re venerea ob libidinosum finem, irritatione Sacramentorum, Sigilli sacramentalis violatione, naturalisque jejunii insumente Eucharistiam) nam in his omnibus parvitas materiæ non excusat à mortali. Secundo, mortale transit in veniale ob imperfectam deliberationem, ut in semidormiente, semiebrio, vel aliquid ob repentinum motum agente; nam DD. distinguunt tres motus; Primò primum, in quo nulla est advertentia, & in hoc nulla datur culpa, neque in re gravi. Secundò primum, in quo imperfectè, & confusè homo advertit, & in hoc culpa mortalis censetur transire in venialem. Ac motum deliberatum, & perfectum, per quem seriò res consideratur, & in re gravi semper est mortale peccatum. Et tertiò mortale fit culpa venialis vel ob ignorantiam non omninò crassam, vel ob aliquam urgentem necessitatem; ut latiùs declarat Tambur. *d. lib.* 1. *in Decal. cap.* 1. §. 3. ubi dat normam cognoscendi parvitatem materiæ, imperfectionem consensus, ignorantiam, ac necessitatem à mortali excusantem; & idem docet Mastrius *in Theol. Moral disp.* 15. *num.* 51. *& seqq.*

5. *Quær.* An sint casus, in quibus culpa venialis transeat in mortalem? *Resp.* Esse septem casus. Primus est respectu ultimi finis; ut si quis mendacium dicat, ut committat adulterium; vel si paratus sit patrare peccatum mortale, ut consequatur aliquid, quod in se sit tantùm veniale. Secundus est, respectu contemptus, quando contemnitur Superior, ut Superior; non autem si tanquam homo indiscretus, vel severus, id est, contemnendo obedire etiam in re levi. Tertius est respectu periculi, quando scilicet non abstinet à veniali, sed ex eo imminet periculum labendi in mortale. Quartus est respectu conscientiæ erroneæ, ut si quis sponte veniale committat, credens esse mortale. Quintus est respectu scandali, ut si quis verba jocosa dicat, sciens ex eis proximum audientem lapsurum in peccatum mortale. Sextus est, si ex unione plurium venialium formetur unum mortale,

tale, prout fit in eo, qui modica furta, sed pluries facit; vel sæpè comedit aliquid parum in die jejunii. Tambur. *d. cap.* 1. §. 4. Et Septimus, si ex re levi fiat damnum grave, ut furando acum sutori alium non habenti. Bonac. *de Rest. d.* 2. *q.* 8. *p.* 1. *num.* 1.

6. *Quær.* In quo casu peccatum ex suo genere sivè mortale, sivè veniale non sit peccatum? *Resp.* Si actio peccaminosa sit involuntaria, id est, commissa absque advertentia, vel sine voluntaria deliberatione, aut sine consensu; ita, ut procedat vel ex motibus primò primis, vel ex coactione externa, vel ex rebellione carnis; tunc enim, licèt tutius sit, positivè dissentire dictæ actioni, tamen satis erit, se negativè habere, id est, non consentire; ideoque si Virgo per vim stupretur, vel si quis libidinosas agitationes patiatur, non peccabit, si consensum non dederit, quamvis non eliciat actum dissensus. Jo. Sancius *disp.* 21. *per totam.* Et Tambur. *d. lib.* 1. *in Decal. cap.* 2. §. 3. *num.* 3. 4. *&* 5.

7. *Quær.* An passiones humanæ, ut Ira, Amor, Desiderium, &c. valeant excusare peccantem à peccato? *Resp.* Negativè regulariter, quia non tollunt facultatem advertendi; at si ita violentes fuerint, ut libertatem omninò deliberandi auferant, possunt reddere peccantem immunem à peccato, ut solet esse in blasphemantibus, vel percutientibus ex nimia ira, vel se interficientibus ex nimia tristitia. Castropal. *tom.* 1. *tractat.* 2. *part.* 1. *punct.* 5. Tambur. *ubi supra* §. 4. Farinac. *de Pœnis temperand. q.* 91. *num.* 16.

8. *Quær.* An metus excuset à peccato, ita, ut liceat transgredi Præcepta? *Resp.* Cum distinctione. Vel loquimur de Præceptis divinis, & hæc non licet transgredi per actiones intrinsecè malas, quamvis metus incussus sit gravis, ut infamiæ, amissionis bonorum, ac etiam mortis; & ideò ad evitandam mortem non licet fornicari, adorare idola, aliudvè intrinsecè malum committere, ex quo Præceptum violetur. Si verò actio non sit intrinsecè mala, tunc gravis metus excusat à peccato, nisi simus in casu *Propos.* 51. damnatæ ab Innocentio XI. de qua Cardenas *in Crisi Theol. Dissert.* 31. Si verò loquimur de Præceptis humanis, eorum transgressio non est culpa mortalis, stante incussione gravis metus, si transgressio in se non sit intrinsecè mala, & absit scandalum, vel contemptus. Tambur. alios allegans *d. lib.* 1. *Decalog. cap.* 2. §. 7. 8. *&* 9. in quibus agit de nullitate Matrimonii, Votorum, & Contractuum ratione metus initorum. Et concordat Farinac. *de Pœnit. temper. quæst.* 97. *à num* 5. *& seqq.*

9. *Quær.* Quotuplex sit Ignorantia? *Resp.* Quòd alia est ignorantia Juris, alia est Ignorantia facti. Item alia est invincibilis, seu inculpabilis; alia vincibilis, & culpabilis. Culpabilis verò subdividitur, quia alia est crassa, alia affectata, alia supina. Tambur. *d. lib.* 1. *in Dec. cap.* 2. §. 10. & Philippinus *de Privileg. Ignorantiæ tom.* 1. *num.* 7.

10. *Quær.* Quænam ignorantia excusat à peccato? *Resp.* Ignorantiam invincibilem excusare ab omni peccato, sivè sit juris, sivè sit facti. Ignorantiam verò vincibilem, crassam, affectatam, & supinam excusare à mortali in re non gravi, at in re gravi, & præcipuè in Præceptis divinis non excusare. Tambur. *d.* §. 10. *per totum.* Farinac. *de Pœn. temperand. quæst.* 90. *num.* 97. *&* *seqq.* & Philippinus *d. tom.* 1. *cap.* 3.

11. *Quær.* An ignorans pœnam à lege impositam, si delinquat, subjiciatur dictæ pœnæ? *Resp.* Si pœna imposita sit à lege divina, vel à Jure naturali, aut gentium, subjici; quia nemo præsumitur, eas pœnas ignorare. Si autem pœna imposita sit à Jure positivo, tunc ignorans invincibiliter, eam pœnam non incurrit, & ideò, qui nescit excommunicationem latam in percutientem clericum, vel surripientem bona naufragantium, non incurrit in excommunicationem percutiendo, vel surripiendo; prout neque in pœnam non petendi debitum ille conjux, qui consanguineam carnaliter cognovit, ignarus omninò de dicta pœna. Tamburin. *d.* §. 10. *à num.* 9. *& seqq.* Ubi non idem dicendum est, si culpa sit affectata, & supina, quod latiùs prosequitur Farinacius *ubi supra q.* 90. *à num.* 92. *& seqq.*

CAPUT II.

De Conscientia.

1. *Quær.* Quid sit Conscientia? *Resp.* Quòd conscientia largè sumpta est syndéresis interna, id est, habitus quidam naturaliter nobis insitus principiorum practicorum, quibus instruimur, juste esse vivendum, neminem lædendum. S. Thom. 1. *part. quæst.* 79. *an.* 12. *&* 13. Conscientia verò strictè sumpta est actus intellectus, quo applicamus cognitionem illam universalem practicam actioni alicui singulari, judicando hic, & nunc, hanc rem esse exequendam, vel non. Lud. Abelly *in Medull. Theolog. part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 1. *sect.* 5. §. 1. Tambur. *d. lib.* 1. *in Decal. cap.* 3. §. 1.

2. *Quær.* Quotuplex sit Conscientia? *Resp.* Est quadruplex; nempè *Recta. Erronea, Dubia, & Scrupulosa.* Conscientia *Recta* dicitur, quando judicium practicum Intellectus verum est, ac rectæ rationi consentaneum. *Erronea* est, quando falsum est. *Dubia*, quæ neutri parti scit assentire, sed fluctuat. *Scrupulosa*, quando ob frivolas rationes formidat peccatum esse, ubi re vera non adest. Abelly, & Tambur. *ubi supra.* Mastrius *in Theol. Morali disp.* 1. *art.* 2.

3. *Quær.* Quam obligationem pariat unaquæque ex dictis Conscientiæ speciebus? *Resp.* Conscientiam rectam obligare ad agendum secundùm illam, aliàs homo peccatum committit; quia ex ipsa resultat proxima regula Voluntatis operantis, S. Thom. 1. 2. *q.* 17. *art.* 3. *&* 9. Conscientiam erroneam esse sequendam, si ignorantia sit invincibilis; nam operando contra conscientiam erroneam invincibiliter, est peccatum. Si verò vincibilis sit ignorantia; puta, si quis credat, esse licitum mentiri in Judicio ad liberandum reum, sed ignorantia vincibili; quia potest informari, & non vult, in hoc casu peccatum est tam mentiri, quia est contra Veritatem, quàm non mentiri, quia est contra conscientiam credentem esse contra charitatem. Et ideò deponenda est quantocyùs hæc conscientia. Abelly *ubi supra*

ſupra §. 3. & Tambur. *d. c.* 3. §. 2. Maſtrius *d. diſp.* 1. *num.* 29. *& ſeqq.* Nec non Baldellus *in Theol. Moral. tom.* 1. *lib.* 4. *diſp.* 4. 5. *&* 6. Conſcientiam dubiam ſequi peccatum eſt, quando dubium poteſt deponi; quòd ſi deponi non poſſit, & neſciat homo, quænam ſit opinio recta, poteſt eligere unam partem: tunc enim, cùm neceſsitas urgeat, & non poſſit deponere dubium, non peccat, faciendo, quod minus malum credit. Conſcientiam ſcrupuloſam eſſe deponendam, remittendo ſe monitis, & conſilio prudentis Viri; aliàs qui operatur cum illa, peccabit. Abelly quo ſupra loco §. 4. & Tambur. *d. lib.* 1 *in Decal. cap.* 3. §. 8. Maſtrius *ubi ſupra*, & Baldell. *d. lib.* 4. *diſp.* 7. 8. *&* 9.

4. *Quær.* Quænam ſit opinio probabilis? *Reſp.* Eſſe illam, quæ fulcitur tum ratione, tum auctoritate Doctorum: Abelly *d. par.* 2. *tract.* 2. *cap.* 1. *ſect.* 6. & Tamburin. *d. cap.* 3. §. 3. Qui *num.* 4. *&* 5. docet, ſufficere autoritatem unius Doctoris, dummodò ſit vir doctus, rem ex profeſſo tractet, & habeat pro ſe firmam rationem. Bordon. *tom.* 6. *in propugnaculo Opinion. Probabil. cap.* 11. quamvis plurimi teneant contrarium, ut advertit Baldellus *d. lib.* 4. *diſp.* 11. *num.* 10.

5. *Quær.* An liceat ſequi opinionem probabilem, probabiliori relicta? *Reſp.* Hoc eſſe quæſitum valdè controverſum inter Doctores, quorum Anteſignanus pro negativa factus eſt Fagnanus *in cap. Ne innitaris. De Conſtitutionibus*; prout pro affirmativa præcellit Caramuel, quem poſtea impugnavit Vincentius Baronius *in ſua Theologia Morali.* Porrò comunis eſt opinio, quòd licitum ſit, in foro interiori ſequi opinionem probabilem, omiſſa probabiliori; ſecus autem in foro exteriori. Quapropter dicendum eſt, Regulam eſſe affirmativam; ſed ab ea excipi tria genera perſonarum, videlicet, Judices in judicando, Medicos in medendo, & Sacerdotes circa eſſentialia Sacramentorum; nam hi omnes tenentur ſub peccato mortali ſequi opinionem probabiliorem. Abelly *d. part.* 2. *tract* 2. *cap.* 1. §. 5. *verſ. dicendum tertiò, & ſect.* 6. *per totam.* Tamburin. *d. lib.* 1. *in Decal. cap.* 3. §. 3. ubi plurimos allegat. *Et* §. 4. *per totum* Diana coordinatus *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 1. *& ſeqq.* Noviſſimè P. Thyrſus Gonzalez *Generalis Societatis Jeſu, de Recto uſu Opin. Probab. Diſſert.* 4. Et Cardenas *in Criſi Diſſert.* 2. *&* 3. ubi Prop. damnatæ.

6. *Quær.* In rebus dubiis quæ ſit opinio ſequenda? *Reſp.* Illa, pro qua favet poſſeſſio, vel quæ eſt tutior. Quomodo autem cognoſci poſsit, videatur Tambur. *d. lib.* 1. *cap.* 7. § 7. *in Decalog.* Ubi alphabetico ordine ponit plurima exempla caſuum dubiorum. Bordonus *d. tom.* 6. *cap.* 4. & Thyrſus Gonzal. *eod. tract. Diſſert.* 7. *præcipuè* § 9. *&* §. 12. *& ſeqq.*

CAPUT III.

De Fide.

1. *Quær.* Quid ſit Fides? *Reſp.* Fides eſt Virtus Theologica, à Deo infuſa, per quam firmiter propter ipſius Dei authoritatem aſſentimur iis, quæ à Deo revelata ſunt, & ab Eccleſia propoſita. S. Thom. 2. 2. *q.* 4. *art.* 1. Tambur. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 1.

2. *Quær.* Quot ſunt Præcepta Fidei? *Reſp.* Eſſe quinque. Primum, credendi articulos Fidei. Secundum, eos ſciendi. Tertium, illos exteriùs confitendi. Quartum, fidem exteriùs non negandi. Quintum, eandem interiùs non perdendi. Prima tria ſunt affirmativa, quæ non obligant ſemper; ultima duo ſunt negativa, & ideò obligant ſemper, & ad ſemper. Tamburin. *d. lib.* 2. *cap.* 1. *in Decal.* §. 1. & Maſtrius *in Theol. Morali diſp.* 10. *art.* 1. *& art.* 2.

3. *Quær.* Quam obligationem pariat primum fidei præceptum de credendis articulis Fidei? *Reſp.* Theologos eſſe inter ſe diſſidentes circa obligationem prædictam, ut videre eſt apud Tambur. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. §. 1. & Salellem *de Offic. Sanctæ Inquiſit. lib.* 1. *cap.* 9. *Reg.* 78. Cæterùm communior ſententia eſt, quòd fideles tam de neceſſitate Præcepti, à quo Ignorantia inculpabilis excuſans, quàm de neceſſitate Medii, ſeu finis, à quo non datur ignorantia excuſans, teneantur explicitè credere myſterium Unitatis, & Trinitatis Divinæ, ac myſterium Incarnationis Domini Noſtri JEſu Chriſti. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 3. *num.* 23. Eſt enim cavendum à Propoſitione XXII. damnata ab Innocent. XI. quæ aſſerebat: quòd: *Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii; non autem explicita Remuneratoris.* De ea Cardenas *in Criſi Diſſert.* 15. *cap.* 1. tractat, demonſtrans, quæ myſteria Fidei ſint credenda.

4. *Quær.* Ad quid obliget ſecundùm Præceptum ſciendi articulos Fidei? *Reſp.* Obligare populum Chriſtianum ad ſciendos, ſaltem quoad ſubſtantiam Articulos Symboli Apoſtolici, Decalogum, & Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ; Sanchez *d. cap.* 3. *num.* 16. *&* 17. ad effugiendam aliam Propoſitionem damnatam *ab eod. Innoc. XI.* quæ dicebat, quòd: *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N.* J. C. Ita *Propoſ.* 64. de qua Cardenas *Diſſert.* 41. *cap.* 1. *& ſeqq.*

5. *Quær.* Quo tempore ſit obligatio fidelibus eliciendi actus fidei? *Reſp.* Quòd frequenter eos elicere tenentur, præcipuè tempore tentationis, vel dum Sacramenta ſumunt, vel feſta ſolemnia celebrant. Card. de Lauræa *de Fide, diſput.* 10. *art* 5. Et ſunt evitandæ duæ Propoſitiones damnatæ, Una ab Alex. VII. *la Prima*, quæ affirmabat, quòd *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei & Charitatis, ex vi Præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Altera damnata ab Innocentio XI. *la* 17. quæ ſic dicebat: *Satis eſt, actum Fidei ſemel in vita elicere.* Vide de eis Carden. *in Criſi Diſſert.* 11. *cap.* 2.

6. *Quær.* Quando obliget præceptum tertium Fidei, id eſt, illam exterius confitendi? *Reſp.* Obligare, quando exterior Fidei confeſſio neceſſaria eſt, vel ad Dei magnum honorem, vel ad propriæ, ſeu alterius proximi animæ ſalutem: & ideò, ubi non agitur de magno honore Dei, vel de ſalute animarum, non eſt obligatio exterioris confeſſionis Fidei. S. Thom. 2. 2. *q.* 3. *art.* 1. Suarez *de Fidei confeſs. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 3. Imò, qui

qui ſine dictis duabus cauſis fidem ſuam propalando magnam gigneret perturbationem, peccaret. Laym. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 11. *n.* 2. Baldell. *ubi ſupra diſput.* 11. & Eminent. Card. de Lauræa *diſp.* 11. *art.* 4. §. 6. *&* 7. *de Fide.*

7. *Quær.* An interrogatus de ſua fide fidelis, teneatur ſemper eam confiteri? *Reſp.* Si interrogans ſit Judex, aut Publica perſona Jus dicens, utique tenetur; ſecus autem ſi ſit privatus, ſcurra, aut alius ſimilis. Tabien. *Verb. Fides, q. ult.* Tamburin. *d. lib.* 2. *in Dec. cap.* 1. §. 2. *num.* 3. ubi laudantur fideles, qui exiſtentes in navi, interrogati ab hæretico, evaginato gladio, minante eos fidem fatentes occiſuro, nihil reſponderunt; nam tanquam ſcurra, & privatus erat eludendus. Baldellus *d. tom.* 2. *lib.* 1. *diſp.* 12. *num.* 9. Idcircò, & hic quoque cavendum eſt à Propoſitione damnata ab Innocentio XI. *la* 18. quæ ſic ajebat: *Si à Poteſtate Publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri ut Deo, & Fidei glorioſum conſulo: tacere ut peccaminoſum per ſe non damno.* Agit de hac Propoſitione idem Cardenas *Diſſert.* 12. *cap.* 1. *& ſeqq.* ubi demonſtrat, quando fidelis interrogatus de Fide, teneatur eam ingenuè confiteri, & uſque ad mortem ſuſtinere.

8. *Quær.* An poſſit tacere, vel negare, qui interrogaretur ab Hæretico Judice? An eſſet Sacerdos? an abſtineret ab eſu carnis in die Veneris? vel an eſſet Papiſta? *Reſp.* Quòd eſſe Papiſtam, non poſſet negare, vel tacere, quia idem eſt, ac ſi interrogetur, an ſit Catholicus? bene poſſet tacere, vel negare ſub æquivocatione in aliis interrogationibus, quia concernunt ſtatum, non Fidem. Tambur. *ubi ſupra num.* 4. Baldell. *ibid. num.* 15. *&* 16.

9. *Quær.* An Tyranno præcipiente, ut fideles certam veſtem portent, ut ab eis pecuniam exigat; an teneantur obedire? *Reſp.* Negative; niſi magnus Dei honor, aut proximorum profectus ſpiritualis indè reſultaret. Caſtropal. *tom.* 1. *tract.* 4. *de Fide, diſp.* 1. *punct.* 15. *n.* 4. Sed Eminent. Card. de Lauræa tenet, in prædicto caſu Fideles teneri, dictam certam Veſtem portare, quia aliàs negarent, ſe eſſe Fideles. *d. tom.* 3. *diſp.* 11. *art.* 8. §. 5. ubi plurima refert exempla Sanctorum.

10. *Quær.* An Chriſtianus poſſit fugere à Regno, in quod timetur ſuperventura perſecutio contra fidem? *Reſp.* Si ille talis eſt, ut ex ejus fuga non periclitetur Dei honor, vel ſalus animarum, poteſt fugere; ſecus verò fugere non poteſt. Si ſit tantùm utilis, ſed non neceſſarius, remanere poteſt, ſed non eſt obligatus. Imò ſi ex ejus permanentia potiùs turbatio creſceret, peccaret permanendo, niſi ex ignorantia, vel bona fide eſſet excuſandus. Tambur. *d. lib.* 2. *cap.* 1. §. 2. *num.* 6. Baldell. *d. tom.* 2. *lib.* 1. *diſp.* 13. & Eminent. Card. de Lauræa *d. tom.* 3. *diſp.* 11. *art.* 1. §. 4. ubi de hac materia plenè.

11. *Quær.* An Chriſtianus videns Turcam, vel hæreticum conculcantem ſacras Imagines, vel profanantem Templum, aut ſacras Virgines, teneatur eum cohibere cum propriæ vitæ diſcrimine? *Reſp.* Affirmativè, ſi proficere ſperat, nam ſic expoſcit Dei honor, & fidei indemnitas; ſecùs verò, ſi nihil poſſit proficere. Tambur. *ubi ſupra num.* 7. Emin. Card. de Lauræa *d. tom.* 3. *diſp.* 11. *art.* 4. §. 5. *de Fide.*

12. *Quær.* Ex quarto Præcepto Fidei quænam obligatio inſurgat? *Reſp.* Hanc obligationem inſurgere, ut nunquam liceat verbis, vel actibus externis fidem negare, quamvis ea retineatur in corde; ideòque nunquam licet fideli negare, ſe eſſe Catholicum, vel fidelem Chriſtianum. Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.* 11. *art.* 5. Tambur. *d. lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. *num.* 1. 2. *&* 3. ubi advertit, quòd negare, ſe eſſe Italum, Sacerdotem, Monachum, &c. non eſt negare Fidem, ſed ſtatum; & ſic mendacium ſimplex cenſeri, non autem peccatum contra Fidem, imò neque mendacium, ſi juſta æquivocatio intercedat, Baldell. *d. lib.* 1. *diſp.* 12. *num.* 15. *& num.* 17.

13. *Quær.* An liceat Chriſtiano uti veſtibus, aut aliis ſignis infidelium? *Reſp.* Cum diſtinctione: vel illa ſigna, & veſtes ordinatæ ſunt ad publicam fidei profeſſionem, & ſic non licet. Vel ex uſu nationis, ſeu ad finem politicum, aut ex joco, & comœdia, & licet. Tambur. *ubi ſupra num.* 4. *& ſeqq.* Ricciullus *de Jure perſonarum extra Eccleſiæ gremium exiſtentium lib.* 1. *cap.* 4. *&* 5 Eminentiſs. Card. de Lauræa *d. tom.* 3. *diſp.* 11. *art.* 8. ubi varias, ac elegantes eruditiones ponit circa diverſitatem veſtium antiquarum. Baldell. *d. lib.* 1. *diſp.* 15.

14. *Quær.* An poſſit Catholicus comedere carnes die vetito, ne cognoſcatur ab hæreticis? *Reſp.* Negativè, ſi dictus eſus carnium paretur ad confitendam, vel negandam Fidem. Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 7. ubi dat exemplum Eleazari ſenis Machabæi. At Affirmativè, ſi id fiat, ad effugiendam aliquam gravem vexationem, ex qua nullum bonum reſultet Religioni. Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.* 11. *art.* 10. §. 1. *&* 2. Baldell. *d. lib.* 1. *diſp.* 16. *per totam*, & Tamburin. *d.* §. 3. *num.* 8. ubi ſubdit, quandoque expedire Sacerdotibus inter hæreticos verſantibus, & officium omittere, ac à Miſſæ celebratione vacare; & ulteriùs non eſſe peccatum, comedere de cœna hæreticorum materialiter tantùm, ac etiam de Idolothytis, id eſt, de carnibus ſacrificatis Idolo, quando non in ſignum falſæ Religionis, ſed ad ſuſtentationem vitæ in neceſſitate, & abſque ſcandalo ſumitur.

15. *Quær.* An liceat ingredi templum hæreticorum, & eorum conciones audire? *Reſp.* Negativè, ſi ingreſſus ille ordinatus ſit cauſa Religionis falſæ profitendæ; ſecùs verò, ſi famulatus magnæ perſonæ, vel alterius temporalis reſpectus cauſa fiat. Eminent. Card. de Lauræa *d. diſp.* 11. *art.* 9. §. 4. Tamburin. *ubi ſupra num.* 11. *&* 12. Ricciullus ubi ante *lib.* 1. *cap.* 8. qui *num.* 3. ponit declarationem Pauli Quinti ad Anglos; *& num.* 6. notat, ſic conceſſum per Eliſæum Naamano, ut habetur 4. Reg. 5. *&* ibi Lyran. & Abulenſ. Et Ego *de Pœnit. Deciſ.* 26. *num.* 17.

16. *Quær.* An liceat Chriſtianis militare ſub Principe infideli? *Reſp.* Cum diſtinctione. Vel Chriſtiani ſunt ſubditi Principi infideli, vel non? Si non ſunt ſubditi, nullo pacto poſſunt

poſſunt ſub eo militare, quia evadunt fautores infidelium, ſeu hæreticorum, quod eſt prohibitum ſub excommunicatione. *Cap. Fraternitatis*, §. *Credentes*, *de Hæreticis.* Aut ſubditi ſunt, & tunc vel bellum geritur in odium Religionis, & militare non licet. *Cap. Julianus* 11. *q.* 3. Vel non eſt in odium Religionis, ſed ob cauſas profanas, & militare licet. Ricciullus *d. lib.* 1. *cap.* 11.

17. *Quær.* Quid importet quintum Fidei Præceptum? *Reſp.* Quòd interiùs fides non negetur, vel in totum, quod eſt Apoſtaſia, vel in partem, quod eſt Schiſma, vel Hæreſis. Tamburin. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. §. 4.

18. *Quær.* Quot ſint vitia oppoſita Fidei? *Reſp.* Eſſe quinque: Hæreſin, Apoſtaſiam, Schiſma, Paganiſmum, & Judaiſmum. S. Thom. 2. 2. *q.* 10. De Profeſſione Fidei juxta Bullam Pii IV. vide *infra cap.* 99. *num.* 24.

CAPUT IV.

De Hæreſi.

1. *Quær.* Quid ſit Hæreſis? *Reſp.* Eſt error hominis baptizati in intellectu voluntarius, contra aliquem fidei articulum, cum pertinacia. Tamburin. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 1. §. 4. *num.* 2. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 11. Farinac. *de Hæreſi, quæſt.* 178. §. 1. *à num.* 3. *& ſeqq.* Hinc Catechumenus non dicitur hæreticus, licèt renuat credere aliquem articulum, neque ille, qui non eſt pertinax, id eſt, qui paratus eſt, ſe ſubmittere judicio Eccleſiæ; Tamburin. *ubi ſupra d.* §. 4. *num.* 3. *&* 4. Baldellus *d. lib.* 1. *de Fide diſp.* 32.

2. *Quær.* Quotuplex ſit Hæreſis? *Reſp.* Eſt duplex, interna & externa. Prima eſt, quando quis errorem ſuum contra fidem pertinaciter retinet in corde. Secunda eſt, quando dictum errorem exteriùs pandit dictis, vel factis; & ideò ad hæreſin externam habendam duo ſunt neceſſaria; ut verbum, vel ſignum exteriùs ex affectu hæreſis proferatur; & quòd ex ſe aptum ſit exprimere ipſam hæreſin determinatè; idcircò, quotieſcunque actus externi poſſunt referri ad aliud, quam ad hæreſin, homo non dicitur hæreticus exterior; exempli gratia, ſi non genu flectat ad Euchariſtiam, nam referri poteſt ad irreverentiam; vel comedat carnem in die vetito, nam poteſt tribui gulæ; quod notandum eſt pro incurſu pœnarum; quæ ſolos hæreticos exteriores afficiunt. Tamburin. *d.* §. 4. *n.* 8. Verum tamen eſt, quòd contra prædictos poſſunt Inquiſitores procedere, & eos punire. Dian. Coordin. *tom.* 5. *tract.* 10. *reſol.* 83. quæ in veteri eſt *p.* 4. *tract.* 8. *reſ.* 38.

3. *Quær.* Quæ, & quot ſint Hæreticorum Pœnæ? *Reſp.* Eſſe quatuordecim. Prima eſt excommunicatio ipſo jure, tum per ſacros Canones. *Cap. Acacius* 24. *quæſt.* 1. *cap. Ad abolendam. Cap. Excommunicamus in primo. De Hæretic. Cap. Noverit. De Sent. Excomm.* tum per *Cap.* 1. *Bullæ in Cœna Domini.* Theſaur. *de Pœnis Eccleſ. part.* 2. *verb. Hæreſis externa cap.* 1.

Secunda eſt Irregularitas, quando hæreticus eſt notorius, ſecus verò ſi ſit occultus. Tambur. *d. lib.* 2. *cap.* 1. §. 5. *num.* 6. Garz. *de Beneſ. part.* 11. *cap.* 10. *num.* 83. At contrarium dicit eſſe probabilius, & communius Theſaur. *d. verb. Hæreſis externa cap.* 1. *ſub num.* 3.

Tertia eſt infamia. *Cap. Infames* 6. *q.* 1. Farinac. *d. qu.* 189. *de Hæreſi num.* 56. Quod in hæreſi notoria intelligendum ait Tamburin. *d.* §. 5. *num.* 7. *&* 16. Sanchez, & alii.

Quarta, eſt privatio officiorum & beneficiorum. *Cap. Ad abolendam* §. 1. *de Hæreticis*, quæ pariter procedit in hæreſi notoria, & poſt Judicis ſententiam. Garzias *d. cap.* 10. *num.* 81. Tambur. *d.* §. 5. *num.* 10. & 11. ubi *num.* 12. notat, privationem beneficiorum incurrere etiam eos, qui illa impetraverint ad preces hæreticorum.

Quinta eſt, quòd non poſſit eſſe Patrinus filii Catholici in Baptiſmo. Sanch. *lib.* 2. *in Dec. cap.* 9. *num.* 12.

Sexta eſt, ut Hæreticus non poſſit contrahere Matrimonium cum Catholico. *Cap. Non oportet* 28. *q.* 1. Sanch. *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 72. *num.* 2. Quod eſt intelligendum, eſſe illicitum, non autem invalidum. Tamburin. *d.* §. 5. *num.* 14. Et hoc non procedere in locis, in quibus Hæretici vivunt ſimul cum Catholicis, ut in Germania, Gallia, Polonia.

Septima, eſt confiſcatio omnium bonorum; de qua latè Farinac. *in d. tract. de Hæreſi. quæſt.* 190. & Tamburin. *d.* §. 5.

Octava, eſt incapacitas teſtandi, & ſuccedendi ex teſtamento. Farin. *d. q.* 190. *num.* 94. Tamburin. *d.* §. 5. *num.* 23.

Nona, eſt exemptio filiorum à Patria poteſtate, amiſſio ſervorum, & Jurium quorumcunque. Illi ipſo Jure; iſti verò poſt ſententiam. DD. apud Tambur. *d.* §. 5. *num.* 24. & non etiam in regionibus palam infectis. Theſaur. *de Pœnis d. part.* 2. *verb. Hæreſis externa num.* 4. *verſ. Limita.*

Decima eſt, quòd Hæreticus externus non gaudet immunitate Eccleſiaſtica loci Sacri ex Bulla Gregorii XIV. Theſaurus *ubi ſupra num.* 5. *& verb. Immunitas cap.* 1.

Undecima eſt, quòd qui ſemel publicè, vel ſecretè abjuravit de hæreſi formali, remanet ſemper inhabilis ad confeſſiones audiendas. Theſaur. *d. Verb. Hæreſis externa num.* 6.

Duodecima, quòd talis hæreticus caret Eccleſiaſtica ſepultura. Theſaur. *ibid. num.* 8. *& verb. Sepultura cap.* 4.

Decima tertia, quòd, qui fuit hæreticus, vel ſchiſmaticus, non poteſt eligi in Papam; & ſi eligatur, electio eſt ipſo jure nulla. Ex Bulla Pauli IV. 19. incipit: *Cum ex Apoſtolatus.* Theſaur. *d. verb. Hæreſis num.* 7.

Decima quarta, quòd Relapſus traditur Curiæ ſæculari, prout impœnitens hæreticus, & mortis pœna afficitur, vivuſque comburitur. Farinac. *de Hæreſi quæſt.* 189. *per totam.*

4. *Quær.* Quis dicatur Hæreticus Relapſus? *Reſp.* Non dici relapſum, qui pluries in foro pœnitentiæ relabitur in hæreſin; ſed illum, qui, cùm fuerit publicè correptus & emendatus, iterùm labitur in hæreſin. DD. apud Tambur. *d.* §. 5. *num.* 25. *lib.* 2. *cap.* 1. *in Decal.*

5. *Quær.* An pœnæ inflictæ contra hæreti-

cos se extendant ad alias personas? *Resp.* Eas se extendere ad eorum cooperatores, qui duatuor sunt, nempe Credentes, Receptatores, Defensores & Fautores. Illi dicuntur credentes hæreticorum, qui assentiuntur eorum erroribus, quamvis nesciant dictos errores in particulari. Receptatores sunt, qui hæreticum causa hæresis fugientem recipiunt, vel absondunt. Defensores sunt, qui hæreticum laudibus, auxiliis, ope (quamvis mortuum) defendunt. Fautores sunt, qui cum possint eum punire, vel capere, id facere nolunt, dummodò id eis ex officio incumbat, & hoc agant, non ut faveant hæretico, tanquàm amico, sed tanquàm hæretico. Tambur. *d. lib. 2. in Decal, cap. 1. §. 6. & ubi DD. à. n. 1. & seqq.*

6. *Quær.* Quænam sint pœnæ fulminatæ contra fautores hæreticorum? *Resp.* Excommunicationem Summo Pontifici reservatam; in quam si per annum post denunciationem inforduerint, afficiuntur etiam infamia, privatione beneficiorum, & aliis pœnis, de quibus in *Cap. Excommunicamus, §. Credentes. De Hæreticis.*

CAPUT. V.

De Libris prohibitis.

1. *Quær.* Quæ, & quot dentur prohibitiones librorum: *Resp.* Quatuor. Prima est in Bulla Cœnæ de libris Hæreticorum continentibus hæresin, vel de Religione tractantibus.

Secunda est Sixti Quinti prohibentis libros Astrologiæ Judiciariæ.

Tertia est Clementis Octavi, qui prohibet libros Hæresiarcharum, etiamsi non tractent de Religione, nec hæresin contineant, donec corrigantur: item libros de aliqua hæresi infectos, Talmud Hebræorum, & Alcoranum Basileæ impressum.

Quarta est Pauli Quinti, & Urbani Octavi, qui pro Regnis Hispaniæ prohibuerunt omnes libros damnatos à Sede Apostolica, vel ab ipsa Inquisitione Hispanica: Ex quibus formandæ sunt quatuor Regulæ ad cognoscendas pœnas inflictas in eos, qui legunt, retinent, vel imprimunt libros prohibitos, prout quatuor sunt classes librorum prohibitorum.

Prima Regula: Legentes, retinentes, vel imprimentes libros hæreticorum tractantium de Religione, aut hæresin continentes, incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, Papæ reservatam. Bonac. *de Censuris in Bulla Cœnæ disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 7.* Layman. *lib. 2. tract. 1. cap. 15. n. 8.* Thesaur. *de Pœnis part. 2. verb. Libros hæreticorum cap. 1.*

Secunda Regula est: Legentes &c. libros hæreticorum, qui non tractant de Religione, neque continent hæresin, incurrunt excommunicationem Judicis, quæ tamen non est reservata. Bonac. & Layman. *ubi supra*, advertentes, id procedere, si libri damnati sint ob suspicionem falsi dogmatis, vel hæresis; secùs autem, si sint Medici, Historici, vel Poëtici.

Tertia Regula est, Legentes &c. librum Auctoris Catholici, sed damnatum ob aliquam hæresin, vel falsum dogma in eo contentum, incurrere excommunicationem Judicis, quæ non est reservata. Layman *d. cap. 15. num. 8.* Thesaur. *d. Verb. Libros cap. 2.*

Quarta Regula est, Legentes libros prohibitos, eò, quia tractant de rebus venereis, & obscœnis, nullam incurrere excommunicationem, sed mortaliter peccare. Bonac. *d. punct. 4. num. 5.* Layman *d. cap. 15. num. 8.* & Thesaur. *d. cap. 2. in fine. 2.*

2. *Quær.* An libri Paganorum, vel Hebræorum tractantes de Religione sint comprehensi sub excommunicatione lata in Bulla Cœnæ? *Resp.* Negativè, quia præfati non sunt propriè Hæretici. Suarez *disp. 20. de fide sect. 2. n. 11.*

3. *Quær.* An idem sit dicendum de libris Græcorum, & Armenorum tractantibus de suis ritibus? *Resp.* Negativè, quia ipsi tanquàm Schismatici sunt etiam Hæretici. Tambur. *d. lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 7. num. 8.* Et ideò, qui eos legit, incurrit excommunicationem Bullæ.

4. *Quær.* An brevis Scriptura, Epistola, seu Oratio typis impressa Hæretici de Religione tractans, vel hæresin continens, comprehendatur sub prohibitione, & censura Bullæ reservata? *Resp.* Negativè secundùm Sanchez. Affirmativè secundùm Suarium, quos allegat Tamb. *d. §. 7. num. 10.* qui *num. 11.* notat, brevem scripturam dici, si in duobus foliis contineatur.

5. *Quær.* An retineri possit liber prohibitus propter hæresin in eo contentam, si hæresis deleatur? *Resp.* Non posse. Tambur. *ibid. num. 12.*

6. *Quær.* An manuscriptum prohibitum sit eodem modo, quo liber Hæreticorum in Bulla Cœnæ? *Resp.* Affirmativè ex Suario, & Sanchez citatis per Tamburin. *d. §. 7. num. 13.* qui tamen *num. 14.* contrariam opinionem tenet, ea ratione, quia appellatione libri impressi non venit manuscriptum; ideòque non est censendum, contineri sub censura Bullæ Cœnæ Domini, seu sub aliis censuris non reservatis, prohibentibus legere libros, ac scripturas erroneas contra Fidem.

7. *Quær.* Quis possit concedere licentiam legendi libros prohibitos? *Resp.* Solus Pontifex concedit licentiam pro libris hæreticorum de Religione, vel hæresi tractantibus. Pro aliis verò libris posse licentiam dare Episcopos, & Inquisitores, tenet Tamburin. *d. §. 7. num. 18. & 19.* exceptis locis, in quibus viget Hispanica Inquisitio: quamvis sub *num. 20.* se reddat ancipitem ob Constitutionem Urbani Octavi: *Apostolatus officium* die 2. Octobris 1631. in qua hæc sunt verba: *Neque de cætero similes licentiæ, nisi à Congregatione Sancti Officii, dum singulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis, concedantur.* Ex quibus Tamburinus videtur innuere, concessiones Episcoporum nunc licitas non esse; at non invalidas. Baldellus autem *d. lib. 1. de fide, disp. 47. num. 20.* tenet, neque Episcopos, neque Inquisitores posse dare tales licentias. Cæterum

rum hìc Patavii Epiſcopi nunquam eas concedunt; ſed eas ab Inquiſitore Venetiis commorante quilibet vir doctus, & probus abſque difficultate ſolet obtinere licentias prædictas ob ſpeciale indultum ejuſdem Inquiſitoris.

8. *Quær.* An ignorantia excuſet à culpa, & à pœna legentes libros prohibitos? *Reſp.* Ignorantiam invincibilem tam juris, quàm facti excuſare legentem à culpa, & à pœna. Ignorantiam notabilem pariter excuſare à culpa gravi, & à pœna. At ignorantiam craſſam, vel ſupinam non excuſare à culpa, ſed ſolùm à pœna; quia Cenſuræ cenſentur inflictæ in præſumentes legere; & non dicitur præſumere, qui eſt ignorans, licèt cum affectatione, vel pigritia. DD. quos allegat, & ſequitur Tamburin. *d. lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 7. à num 21. 22. & ſeqq.* Philippin. *de Privileg. Ignorantiæ tom. 1. num. 225.*

9. *Quær.* An, qui legit librum prohibitum, ſed eum non intelligit, incurrat in cenſuram? & quid de eo, qui non legit, ſed legentem audit, & intelligit? *Reſp.* Incurrere utrumque in Cenſuram, docere Bonacinam *de Cenſuris in Bulla Cœnæ d. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 4. num. 13.* Sed neutrum prædictorum incurrere, tenere DD. quos citat, & ſequitur Tambur. *d. §. 7. num. 31. & ſeqq. lib. 2. cap. 1. in Decalog.*

10. *Quær.* An parvitas materiæ excuſet legentem libros prohibitos à culpa, & à pœna? & quæ dicatur parvitas materiæ? *Reſp.* Excuſare à pœna, & à culpa, niſi voluntariè legeret locum hæreſis. Parvitas autem dicitur ſecundùm laxiorem opinionem lectio unius paginæ impreſſæ in folio. DD. citati per Tambur. *d. §. 7. num. 34.*

11. *Quær.* An incurrat culpam, & pœnam, qui legit libros prohibitos abſque ſcandalo, & abſque periculo ſubverſionis, ſed ſolùm ad bonum finem, & ad errores confutandos? *Reſp.* Poſſe negativam reſponſionem dari ex communi Doctorum ſententia, quæ firmat, ceſſante fine legis, ceſſare obligationem legis, de qua Diana *part. 1. tract. 10. reſ. 28.* & alii plurimi, quos congerit Tambur. *in d. §. 7. num. 36. & ſeqq.* Porrò Tamburinus trepidat in concluſione, & defenſione hujus caſus, quamvis ei favere magnopere videatur; addendo, finem prohibitionis legendi libros Hæreticorum non eſſe tantummodò periculum ſubverſionis, ſed ſpretum inimicorum Eccleſiæ, obedientiam Summo Pontifici, & alia motiva, ex quibus dicendum eſt, legentem incurrere tam in culpam, quàm in pœnam, & non excuſari ex ſola ſecuritate non ſe pervertendi.

12. *Quær.* An retinere librum prohibitum per aliquem diem tantùm excuſet à culpa, & à pœna? *Reſp.* Affirmativè, quia parvitas temporis excuſat. Tambur. *ubi ſupra §. 7. num. 43 & 44.* At extat Propoſitio damnata ab Alex. VII. *la 45.* quæ affirmabat, quòd *Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur.*

13. *Quær.* Cùm afficiantur cenſura in Bulla Cœnæ Impreſſores Librorum Hæreticorum, quinam cenſendi ſint impreſſores? *Reſp.* Omnes illi, qui immediatè laborant, & operam dant impreſſioni; quales ſunt non ſolùm domini officinæ impreſſoriæ, ſed etiam famuli omnes ejuſdem. Tamburin. *d. lib. 2. cap. 1. §. 7. num. 46.*

CAPUT VI.

De Abſolutione ab Hæreſi.

1. *Quær.* Quis poſſit abſolvere ab Hæreſi in foro poli? *Reſp.* Plures eſſe caſus diſtinguendos. Primus eſt, quando hæreſis fuit merè interna, & ab hac quilibet poteſt abſolvere. Azorius *part. 1. lib. 8. cap. 19. quæſt. 4.* Secundus eſt, quando fuit ſolùm externa, & non interna; ut ſi metu, vi, aut ſubita ira aliquid factum, vel dictum ſit contra fidem, ſed abſque errore intellectus; & probabile eſt, etiam in hoc caſu quemlibet Confeſſarium poſſe abſolvere, ex Dian. *part. 3. tract. 4. reſ. 143. & part. 4. tract. 4. reſ. 240.* Tertius eſt, quando quis certò ſcit, lingua hæreſin pronunciaſſe, ſed dubitat, An mente conſenſerit? & hunc à Confeſſario non privilegiato abſolvi non poſſe, tenet Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 10. num. 74.* ſed poſſe, defendit Tamburin. *in Decal. d. lib. 2. cap. 1. §. 8. num. 4.* Quartus eſt caſus, quando fuit hæreſis externa & interna, ſed pœnitens neſciebat, ei injunctam eſſe excommunicationem reſervatam, & poteſt à quocunque abſolvi, aſſerit Tamburinus *d. §. 8. num. 5.* Secùs autem, ſi edoctus erat de ipſa Cenſura. Quintus eſt caſus, ſi hæreticus externus & internus ſit in Articulo mortis, & à quocunque poteſt abſolvi, recepto juramento de parendo mandatis Eccleſiæ. Tamburin. *ubi ſupra num. 6. & 7.* ubi notat, idem eſſe articulum mortis, & probabile periculum mortis imminentis. Sextus, eſt caſus perpetui impedimenti, ut ægritudinis, carceris, triremis, paupertatis, &c. & in hoc pariter quilibet poteſt abſolvere. Tamburin. *ibid. num. 8. & 9.* Porrò excepto primo, & ſexto caſu dicendum omninò eſt, quòd nullus poteſt abſolvere, niſi Papa, ut probant meæ Deciſiones de Pœnitentia. *Deciſ. 44. & 45.*

2. *Quær.* An, qui indiget abſolutione à Cenſura reſervata, & non poteſt adire Superiorem, teneatur ad eum mittere Nuncium, vel Epiſtolas ad petendam facultatem, ut abſolvatur? *Reſp.* Negativè Caſtropalus, quem citat, & ſequitur Tamburin. *d. §. 8. num. 10.* ubi propterea admonet, Monialem lapſam in hæreſin poſſe à ſuo ordinario Confeſſario abſolvi. Porrò in praxi ego ſemper vidi Confeſſarios timoratæ conſcientiæ in caſibus reſervatis recurrere ad Superiorem, vel ad Sacram Pœnitentiariam, ſuppreſſo nomine pœnitentis, quia ſic ſecuriùs proceditur in negotio ſalutis.

3. *Quær.* An Inquiſitores poſſint abſolvere hæreticum? *Reſp.* Affirmativè, ſi Hæreticus ſit occultus; negativè, ſi ſit publicus, ſeu deductus ad forum contentioſum. Tamburin. *d. §. 8. num. 11. &* Diana Coord. *part. 5 tract 8. reſ. 19. & 20.* Et hoc ex ſpeciali facultate iiſdem à S. Sede conceſſa.

4. *Quær.*

4. *Quær.* An Episcopus possit absolvere Hæreticum occultum, vigore Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. *de Ref.* *Resp.* Hanc esse insignem quæstionem Theologorum & Juristarum; & pro utraque opinione plures militare Doctores, quos refert Diana Coordinatus. *d. part.* 5. *tract.* 8. *de hæresi resol.* 15. 16. & 17. Tamburin. *d.* §. 8. *num.* 12. Barbos. *allegat.* 50. *num.* 178. Pax Jordan. *lib* 3. *de Pœnit. tit.* 4. *num.* 82. Canonistæ insistunt in negativa; Theologi in affirmativa; Sed negativa est magis probabilis. Et hic quatenus amplectatur affirmativa, notanda sunt tria ex Diana supracitato. Primum, quòd Episcopus potest delegare absolutionem Confessario particulari juxta casuum occurrentiam; quia Concilium prohibuit delegationem generalem tantùm. Secundum, quòd potest Episcopus absolvere etiam extra Sacramentum confessionis, & sic absentem, quia Concilium ait in foro conscientiæ, quod differt à foro Pœnitentiæ. Tertium, quòd Episcopus potest absolvere, etiam si reperiatur extra Diœcesim, suum subditum, vel etiam peregrinum in sua Diœcesi. Vide de Pœnitentia meas *Decis.* 44. & 45. ubi opinio negativa in prædictis firmatur; unde Diana, & sequaces sunt rejiciendi.

5. *Quær.* An Capitulum, Sede Vacante, possit ab hæresi occulta absolvere? *Resp.* Id pendere ab opinione, quæ favet Episcopis; & sic illam sequendo, poterit etiam Capitulum. Tamburin. *d.* §. 8. *sub n.* 12. sed verè non potest *d. Decis.* 45.

CAPUT VII.

De Apostasia, & Schismate.

1. *Quær.* Quid sit Apostasia? *Resp.* Est totalis fidei negatio. Tamburin. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 3. §. 9. *num.* 1.

2. *Quær.* Quæ pœnæ sint inflictæ contra Apostatas? *Resp.* Eæ omnes, quæ inflictæ sunt contra Hæreticos. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 7. *à num.* 16. Menoch. *de Arbitr. casu* 557. *num.* 6. Et est tex. *in Cap. Contra. de Hæretic. in* 6. attenta Bulla Cœnæ Domini.

3. *Quær.* An qui apostatavit à Religione, possit confitendo se accusare, tantummodò contra articulos fidei peccasse? *Resp.* Negativè, sed tenetur exprimere, se apostatasse, ac ulteriùs falsam religionem, quam amplexus fuit. Thesaur. *de Pœnis part.* 2. *verb. Apostasia à fide cap.* 1.

4. *Quær.* An Apostata externus, sed non internus possit à quocunque Confessario absolvi? *Resp.* Affirmativè secundùm Dianam relatum à Thesaur. *ubi supra vers. nota.* At in praxi est recurrendum ad S. Pœnitentiariam, quæ præcipere solet, ut priùs abjuret apud S. Officium.

5. *Quær.* Quis sit Schismaticus? *Resp.* Illum esse Schismaticum, qui credens omnes articulos fidei, retrahit se ab obedientia Summi Pontificis, ut est Christi Vicarius. Sanchez. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 36.

6. *Quær.* An omnis Schismaticus sit Hæreticus? *Resp.* Negativè, sed est necesse, ut præter peccatum Schismatis habeat in intellectu errores contra fidem. Nihilominùs omnis Schismaticus afficitur excommunicatione lata in Bulla Cœnæ Domini. Tambur. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. §. 9. *num.* 3.

7. *Quær.* Quot in casibus committatur Schisma? *Resp.* In duobus casibus. Primò, si quis obediat, & adhæreat Antipapæ, id est, electo à minori parte Cardinalium. Secundò, deserendo obedientiam Papæ, & communicationem cum Ecclesia Catholica. S. Thomas 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. Thesaur. *part.* 2. *verb. Schisma c.* 1.

8. *Quær.* Quæ sint pœnæ contra Schismaticos statutæ? *Resp.* Esse sex. Prima est excommunicatio supradicta lata in Bulla Cœnæ Domini, quæ est Papæ reservata. Secunda, est excommunicatio contra Antipapam, ejus electores, & fautores ac sectatores, *ex cap. Licet. de Elect.* quæ non est reservata, & ex Bulla Gregorii XV. quæ est reservata. Tertia, est infamia, & irregularitas, si Schisma sit notorium. Quarta, sunt inhabiles ad beneficia obtinenda, & privandi sunt obtentis ex jure antiquo; at ex Bulla Pauli IV. ipso jure restant spoliati omnibus officiis, beneficiis, & jurisdictione, si fuerint convicti, vel deprehensi in crimine isto. Quinta, Schismaticus non potest eligi in Papam. Sexta, ordinationes Schismaticorum sunt irritæ, adeò ut ordinatus à Schismatico sit suspensus, & irregularis; & beneficii collatio per Schismaticum facta, sit invalida, prout alienatio bonorum; & qui in contrarium sustinere prætenderet, incurreret in excommunicationem latam *in cap.* 1. *de Schismat.* Ita Thesaur. *ubi supra verb. Schisma cap.* 1.

9. *Quær.* An liceat communicare cum Schismaticis toleratis? *Resp.* Affirmativè in negotiis, & commerciis civilibus, secùs autem in rebus spiritualibus, prout circa Græcos Insulæ Zacynthi respondisse Sac. Congregationem Anno 1626. testatur Nicolius *Lucubr. Canonic. lib.* 5. *tit.* 8. *pag.* 210.

10. *Quær.* An Episcopi Schismatici validè ordinent? *Resp.* Affirmativè, sed ordinati sunt suspensi. *Cap. fin. de Schismat.* Clemens VIII. *Constit.* 34. §. 4. At invalidè absolvunt etiam in articulo mortis. Ego *de Pœnit. Decis.* 45. *num.* 2.

CAPUT VIII.

De Infidelibus, & Paganis.

1. *Quær.* Quot sint species infidelium? *Resp.* Esse tres, videlicèt Paganorum, Saracenorum, & Judæorum. Primi adorant Idola, & vocantur Idololatræ, ac Gentiles. Secundi venerantur Maumethum, & dicuntur Maumethani, quales sunt *Turcæ*, *Mauri*, *Arabes*. Tertii credunt veteri testamento, sed non novo, & sic Christum respuunt, & sunt Judæi. Tamburin. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. §. 10. *num.* 1. ubi subdit, alios addere quartam speciem Atheistarum, qui nullum Deum, ac nullam Religionem admittunt; sed talium non est secta communis alicui populo, sed scelus alicujus particularis, quia nulla

nulla est natio, etsi barbara, quæ de Deo credulitatem, & opinionem non habeat. Torniell. *Annal. Testam. veteris in primord. Mund. num.* 1. & S. Thom. *part.* 1. *q.* 1. *per totam.*

2. *Quær.* An Pagani sint cogendi ad fidem? *Resp.* Negativè, sed tantummodo muneribus alliciendi, quia fides est voluntariè suscipienda; & hoc sivè sint subditi Principi Christiano, sivè non. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. Tamburin. *d.* §. 10. *num.* 2. Ubi quòd eis non potest bellum indici eo solo titulo, quod fidem respuant.

3. *Quær.* An Gentiles cogendi sint ad audiendam Christianæ fidei Prædicationem? *Resp.* Affirmativè, si subditi sint Principi Christiano, imò cogendi ad cavendum à peccatis contra jus naturale, & à blasphemiis in Religionem Catholicam. Azor. Suarez, & alii citati per Tamburin. *d.* §. 10. *num.* 3. ubi subdit, quòd si subditi non sint, & persequantur Christianos, & in Religionem Catholicam universali consensu invehant, possunt bello peti, & subjugari.

4. *Quær.* An Princeps Christianus possit tolerare ritus Paganorum sibi subditorum? *Resp.* Affirmativè, dummodo non sint contra jus naturale, & absit periculum subversionis Catholicorum. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 11.

5. *Quær.* An Pagani possint à Principe Christiano ejiciè suo Dominio? *Resp.* Affirmativè; proposita tamen electione, vel de fide amplectenda, vel de discedendo cum suis bonis. Tambur. *d.* §. 10. *num.* 5. Et ita Rex Hispaniarum ejicit Mauros, Anno 1611. Baptaglin. *in Annal. Sacerd. & Imper. d. Annal. num.* 14.

6. *Quær.* An liceat baptizare infantes Paganorum parentibus invitis? *Resp.* Negativè, antequam infans habeat usum rationis, & baptismum petat. Laym. *lib.* 1. *tract* 1. *cap.* 5. §. 4. *n.* 41. Tambur. *in Dec. lib.* 1. *cap.* 3. §. 7. *verb. Baptismus n.* 3. Quod tamen sic intelligit, nisi esset in articulo mortis, nam tunc liceret infantem baptizare; aut nisi sic instaret mater conversa ipsius filii infantis, vel ejus Patruus baptizatus; quia in eo casu, etiamsi Pater reclamaret, filius infans esset baptizandus. Gratian. *Discept. forens. cap.* 977. Paschal. *de Patria potestate par.* 1. *cap.* 7. *n.* 4. Tondut. *in quæst. canon. par.* 1. *cap.* 48. *n.* 6. & Carena, *de S. Officio par.* 2. *tit.* 15. §. 20.

CAPUT IX.

De Judæis.

1. *Quær.* In quibus interdicta sit communicatio Christianis cum Judæis? *Resp.* In undecim sequentibus actionibus; Videlicet, cum Judæis habitare; eorum azymis vesci, Judæis medicis uti; ab iisdem medicamenta accipere; secum in balneo se lavare; ad eorum convivia accedere, vel eos ad illa invitare; obstetrices, vel nutrices esse eorum in suis domibus, iisdem famulari; legata relinquere, ipsorum mancipium fieri; iisdem publica officia committere. *Toto titulo de Judæis. Et* 28. *q.* 1. *cap. Nullus, & cap. Omnes.* Tamburin. *in Dec. d. lib.* 2. *cap.* 1. §. 8. *n.* 6 Baldel. *tom.* 2. *lib.* 1. *de Fide disput.* 28. 29 & 30.

2. *Quær.* An supradictæ omnes actiones interdictæ sint Christianis etiam cum aliis infidelibus? *Resp.* Negativè; sed tres tantùm; videlicet, iisdem famulari; vel officia publica concedere, seu lignamina, victualia, vel arma tanquam hostibus deferre. *cap. Judæi. cap. Cum sit. cap. Specialis. de Judæis. Et text.* in Bulla Cœnæ Domini, §. 7. Tambur. *ubi supra num.* 7. ubi addit, ulteriùs interdictum esse cum illis matrimonium contrahere.

3. *Quær.* An communicare cum Judæis in quacunque prædictarum actionum sit mortale? *Resp.* Negativè, sed solummodò in duabus ultimis, nempè arma deferendo; aut matrimonia contrahendo; nisi esset scandalum, contemptus, vel periculum subversionis. Tambur. *qui DD.* pro utraque opinione allegat *d.* §. 8. *num.* 8. Baldell. *d. lib.* 1. *disp.* 30.

4. *Quær.* An hisce temporibus liceat Judæis Polygamia, & duas uxores tenere? *Resp.* Negativè. *l. Nemo Judæorum* 6. *ubi* Bart. *C. de Judæis.* Sanch. *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 80. *num.* 12. & 14.

5. *Quær.* An possint Judæi dare libellum repudii uxoribus suis, & alias ducere? *Resp.* Esse hinc inde Doctores contrarium sentientes. Negant Sanchez *de Matrim. lib.* 10. *disp.* 1. *num.* 9. Pontius *lib.* 7. *cap.* 50. & Guttier. *cap.* 106. *num.* 2. & 3. Affirmant Barbosa *in Rubrica, ff. Solut. matrim. & in d. l. Nemo C. de Judæis.* Farinac. 1. *par. fragmentorum Littera I. num.* 652. Rota *Avenion. decis.* 57. Menoch. *de Arbitr. Jud. casu* 420. *num.* 94. Hanc affirmativam opinionem esse receptiorem, & in praxi observatam testatur Tondut. *Can. quæst. d. part.* 1. *cap.* 48. *num.* 22. Sed negativam novissimè tuetur Carena *de S. Officio Inquis. part.* 2. *tit.* 14. §. 21.

6. *Quær.* Quomodo sint intelligenda illa verba Evangelii Matth. *cap.* 19. *num.* 9. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur? Resp.* Græcos ea ita intelligere, ut uxorem fornicantem liceat marito dimittere, & aliam ducere: quod tamen falsum est; quia nunquam licet aliam uxorem ducere, vivente prima. Cæterùm verba Christi sic sunt intelligenda; Quicunque dimiserit uxorem suam absque fornicationis causa, mœchatur, & quicunque aliam duxerit, pariter mœchatur; nam Judæi duo quæsita fecerant Christo, an liceret uxorem dimittere? & an liceret aliam ducere? Respondit igitur ad primum, licere ob causam fornicationis; sed nunquam licere aliam ducere. Ita ex Cornelio à Lapide declarat Carolus Magrius *in suo Hierolexico* in contradictionibus apparentibus, *ad Matth. cap.* 19.

7. *Quær.* An liceat Christianis exigere usuras à Judæis? *Resp.* Negativè. Marquar. *de Judæis. part.* 1. *cap.* 7. *in fine.*

8. *Quær.* An liceat Judæis exigere usuras à Christianis? *Resp.* Pariter negativè; non obstante *Deuteron. cap.* 23. in quo videtur esse prohibitum Judæis, exigere usuram à fratribus suis, secus ab alienis; nam procedit de Idololatris tunc temporis delendis jussu Dei;

non autem de populo Christiano. Marquard. *d. p. 1. cap. 11. à num. 3. & seqq.*

9. *Quær.* An Judæi sint cogendi ad domus tapetibus ornandas, sicut faciunt Christiani, quando Sanctissima Eucharistia defertur processionaliter in die Corporis Christi ante domos, ubi ipsi habitant? *Resp.* Affirmativè, ut eruditè pluribus ex rationibus demonstrat Tondut. *d. par. 1. quæst. Canonic. cap. 48. per totum.*

10. *Quær.* An Judæus, si rejecto totaliter Judaismo adhæreat alicui sectæ Paganismi, possit à S. Officio Inquisitionis puniri? *Resp.* Affirmativè, ut docet Diana *par. 4. tract. 4. resol. 2.* & Salelles *de S. Officio Inquisit. lib. 1. cap. 11. num. 131. & seqq.* ubi carpit Farinacium *de Hæresi quæst. 178. num. 132.* & Ant. Sousam *lib. 1. Aphorism. cap. 37. num. 27.* contrarium scribentes.

11. *Quær.* In quot, & quibus casibus Judæi possint puniri à Sacro Tribunali Inquisitionis? *Resp.* In decem, videlicet; Primo, si Deum unum, æternum, omnipotentem negarent. Secundo, si dæmones invocarent, aut cum eis commercium haberent. Tertio, si prædicta Christianos docerent. Quarto, si blasphemias hæreticales contra Christum Dominum, aut Deiparam semper Virginem proferrent. Quinto, si aliquem Christianum ad Apostasiam seducerent. Sexto, si Catechumenum, aut quem alium volentem fidem suscipere, vi, dolo, aut consilio impedirent. Septimo, si Hæreticos, vel Apostatas reciperent, defenderent, aut occultarent. Octavo, si libros Talmudicos, aut alios Hæreticales detinerent. Nono, si aliquid in derisum fidei Christianæ, aut Passionis Domini perpetrarent. Decimo, si nutrices christianas detineant, & qua die Sacram Eucharistiam sumunt, lac earum emungant, & in latrinas, vel cloacas effundant. Ita Salelles *d. lib. 1. cap. 11. num. 113.* attenta Constitutione Gregorii XIII. quam per extensum ibi ponit, & Carena *de S. Officio Inquisitionis par. 2. tit. 14. §. 6. & seqq.*

12. *Quær.* Qua pœna plectendus sit Judæus, cognoscens carnaliter mulierem Christianam? *Resp.* Si mulier sit honestæ conditionis, esse plectendum morte, aut alia pœna corporali; si verò sit inhonestæ, aut meretriciæ vitæ, pœna arbitraria esse puniendum. Farinac. *de Delictis carnis quæst. 139. per totam.*

13. *Quær.* Si Christianus cognoscat carnaliter Judæam, qua pœna debeat puniri? *Resp.* Gravissimos Doctores scribere, esse puniendum pœna mortis; sed Farinacium putare, quòd pœna sit arbitraria Judici juxta qualitates aggravantes delictum. Ita Farinac. *d. quæst. 139. num. 28. & 29.*

14. *Quær.* Ad quem Judicem, Ecclesiasticum, vel Laicum spectet, delicta Judæorum punire? *Resp.* In delictis merè temporalibus, ut homicidiis, furtis, spectare ad Judices Seculares. At in mixtis esse locum præventioni. Carena, qui plurimos allegat 4. *d. par. 2. tit. 14. §. 2. qui §. 3.* subdit, Judæum cognoscentem carnaliter Christianam, ex veriori sententia, esse puniendum à Judice Ecclesiastico.

15. *Quær.* In quot, & quibus sectis olim Judæi fuissent divisi? *Resp.* In sex præcipuè sectis. Prima erat *Scribarum*, qui nolebant teneri ad obediendum legi, nisi pro eorum arbitrio. Secunda *Pharisæorum*, qui hypocrisin ostentabant, quædam bona opera in publico facientes. Tertia *Essenorum*, qui monastico modo vivebant, sed errores habebant circa Messiam. Quarta *Saducæorum*, qui vitam æternam, ac resurrectionem à mortuis negabant, & more Epicureorum vivebant. Quinta *Samaritanorum*, qui diffidebant circa locum adorandi Deum, dicentes, non esse adorandum in Hierusalem, sed in suo Monte, & Templo Gazolitano. Sexta *Herodianorum*, qui docebant, Herodem esse Christum, & Messiam prædicabant. Ita ex SS. Patribus Salelles *lib. 3. cap. 4. n. 100. & seqq.* ubi alias sectas notat, & ego *in Decis. 24. de Sacrif. Missæ.*

16. *Quær.* An Judæus, qui ad Baptismum accessit, & amplexus est fidem, possit puniri de delictis patratis ante conversionem? *Resp.* Plurimorum sententia Doctorum non esse puniendum; at communi Criminalistarum calculo pendere ab arbitrio Judicis, qui debet inclinare ad absolutionem, cùm hoc tamen, ut si quid ex delicto est restituendum, fiat restitutio. Bajard. *ad Clarum § fin. q. 51. num. 47.* & alii, quos citat, & sequitur Salelles *d. tractatu lib. 6. cap. 1. reg. 446. à num. 478. & seqq.*

17. *Quær.* An Judæus veniens ad fidem, teneatur restituere usuras antea perceptas? *Resp.* Affirmativè, si reperiantur personæ, à quibus eas exegit, quòd si non reperiantur, indultum est ei, ut illas retineat titulo eleemosynæ per Bullam Pauli Tertii, de qua in *Bullar. par. 1. fol. 415.* Ita Salelles *d. cap. 1. reg. 446. n. 486.* & Nicolius *Lucubrat. civil. lib. 3. tit. 1. n. 9.* ubi quod ex Decreto *S. Congregationis P. F. 15. Junii 1646.* ei debetur legitima de bonis paternis.

18 *Quær.* An Judæi inter se contrahant cognationem spiritualem, vel legalem, vel publicam honestatem? *Resp.* Negativè, quia hæc impedimenta proveniunt à jure Ecclesiastico; & Judæi sunt extra Ecclesiam; ideò licèt Judæus baptizans conficiat Sacramentum, tamen non contrahit paternitatem. Ricciull. *de Personis extra gremium Ecclesiæ existen. lib. 2. cap. 3.* ubi quòd in gradibus à lege humana prohibitis contrahunt Matrimonia; & in eis perseverant etiam post susceptum Baptismum, & *in cap. 4.* ubi cognatione legali, spirituali, publicave honestate non affici probat.

19. *Quær.* An saltem Judæi contrahant inter se affinitatem? *Resp.* Esse hinc inde opiniones tam de illa, quæ provenit ex copula licita, quàm ex alia ex fornicatione; sed magis probabilem reputari affirmativam, quia affinitas fundatur, & resultat ex jure naturæ. Ricciull. *d. lib. 5. cap. 5.* ubi *num. 11.* notat ex *lib. 2. Reg. cap. 20.* David intactas reliquisse decem concubinas suas, quia eas Absalon filius suus carnaliter cognoverat.

20. *Quær.* An Judæus contrahat irregularitatem ex homicidio, & ex bigamia? *Resp.* Nega-

Negativè, quòd ad irregularitatem ex homicidio, quia per baptismum tollitur ille horror ex sanguine effuso, & constituta est solo jure Ecclesiastico, etsi ad mentem juris divini. Affirmativè verò quoad illam bigamiæ, quia resultat à jure naturæ. Ricciull. plurimos allegans *d. lib. 2. cap. 7.* per totum, & est *text. in cap. Si quis viduam dist. 50. & cap. Deinde dist. 26.* & Sanch. *de Matrim. lib. 7. disp. 83. num. 9.*

21. *Quær.* An Judæi gaudeant immunitate Ecclesiastica; ita ut, si fugiant ad Ecclesiam vel ob patratum delictum, vel ob æs alienum contractum, non possint in ea capi? *Resp.* Hanc esse insignem controversiam, in qua plurimi Doctores sequuti sunt utramque sententiam, ut videre est apud Ricciull. *de Jure personar. d. lib. 2. cap. 12.* Alii negant, quia non videtur juri consonum, ut Ecclesia prosit iis, qui sub ejus lege vivere recusant. *l. 1. cum Auth. seq. C. de Hæretic.* Qui affirmant, dicunt, immunitatem concedi non respectu personarum delinquentium, sed propter honorem, & reverentiam, quæ locis sacris, & Divino cultui debetur. *l. Præsenti. C. de his, qui ad Eccles. confug.* Affirmativa opinio, quòd scilicet Judæus gaudeat immunitate Ecclesiastica, censetur magis communis. Ricciull. *ubi supra num. 9.* Cevall. *comm. contra commun. qu. 269.* Farinac. *de Immun. num. 79.* & Diana Coordin. *tom. 9. tract. 1. resol. 44. & 45.*

22. *Quær.* An Judæi venientes ad fidem, & clericalem statum assumentes possint arceri à Canonicatibus, & beneficiis Ecclesiasticis? *Resp.* Quòd non possint arceri. *Cap. Eam te. 7. de Præscript.* Nicolius *Lucubrat. civil. d. lib. 3. tit. 1. sub num. 9.* Secùs de filiis hæreticorum. Loter. *lib. 3. cap. 28. num. 70.*

23. *Quær.* An Judæo pauperi litiganti cum Christiano decernenda sint alimenta? *Resp.* Si lis sit super credito particulari, negativè: si verò sit super omnibus bonis, aut eorum majori parte, affirmativè; ut latè probat Ricciull. *de Jure Person. d. lib. 2. cap. 21. à num. 1. & seqq.* ubi docet etiam, deberi alimenta Judæo pauperi detruso in carcerem ad instantiam Christiani ob debitum civile, ut decidit Rotà *ibid. sub num. 11.* allegata.

24. *Quær.* An Judæus possit esse Arbiter inter Christianos? *Resp.* Doctores plures plurima dicere de hac quæstione; quam examinat Ricciull. *d. lib. 2. cap. 23.* sed veriorem esse opinionem negativam, tam si agatur de Arbitro necessario, quàm de voluntario; & tam de arbitro solo, quàm conjuncto cum Christiano, ut comprobat *ibid.* Ricciull. ubi tamen limitat ex sententia Bartoli, quando Judæus ageret ut arbitrator, & compositor amicabilis, id est, potius de facto, quam de jure.

25. *Quær.* An Judæus possit promoveri ad lauream Doctoratus? *Resp.* De jure ordinario negativè; at ex gratia speciali Principis affirmativè pro Philosophia, & Medicina tantùm, ut servatur hic Patavii, ex benignitate Serenissimæ Reipublicæ nostræ; pro qua facit Staphil. *de Litteris gratiæ tit. De Prærog. Expect.* Mandos. *De Signat. litter. grat. sub rubric. Licentia Doctorandi; vers. Judæis concedi.* Et Ricciull. *d. lib. 2. cap. 25.*

26. *Quær.* An Judæus possit esse Procurator, aut Advocatus, aut Notarius? *Resp.* Negativè, non solùm pro negotiis Christianorum, sed neque pro causis Judæorum. Ricciull. *d. lib. 2. cap. 24. 26. & 27.*

27. *Quær.* An Judæi possint tenere Nutrices Christianas in domibus suis pro lactandis filiis? *Resp.* Negativè. *Cap. Et si Judæos. Cap. ad hæc. De Judæis*; neque ex dispensatione Episcopi. Ricciull. *d. lib. 2. cap. 28. num. 15. & 16.* Imò neque dispensare potest, ut lactent filios hebræorum in domibus earumdem Nutricum Christianarum; nisi in casu magnæ necessitatis, & hoc ad evitandam familiaritatem cum Judæis.

28. *Quær.* Cùm supra dictum sit *cap. 8. num. 6.* non licere infidelium infantes filios baptizare, quid esset agendum, si de facto baptizati fuissent? *Resp.* Esse educandos seorsim à parentibus Judæis, & sic apud Christianos, ac instruendos in Fide Catholica, quia verè receperunt characterem; ut ex pluribus probat Ricciull. *d. lib. 2. cap. 34.* ubi sic decisum esse testatur à Sacr. Congregatione; quæ propterea damnavit Calderin. *cons. 3. de Judæis*, & ejus sectatores contrarium docentes. Aliter autem est, si adultus Judæus per vim præcisam, ac omninò reclamans fuisset baptizatus, Ricciull. *ibid. cap. 35.*

29. *Quær.* An liceat Christianis relinquere aliquid Judæo vel ex testamento, vel ex legato, vel ab intestato? *Resp.* Veriorem esse opinionem Negativam, quam latè probat Ricciullus *d. lib. 2. de Jure personar. extra Eccl. grem. existen. cap. 44. per totum.* Nisi fortè testator esset ipse Pater antea baptizatus, quia ei liceret, cùm de Jure naturæ filius succedere possit, & habere bona Patris, Ricciull. *ibid. cap. 47.*

30. *Quær.* An liceat Christianis incitare Judæos ad faciendum aliquid contra Legem Mosaicam, quamvis ipsi Judæi putent, opus illud esse mortale, puta, edere carnem porcinam, vel in die Sabbati laborare? *Resp.* Non licere, nisi priùs monitos reddant eosdem Judæos de cessatione legis, & quòd ampliùs non obligat ad peccatum; & ratio est, quia si Judæus facit opus, quod putat mortale, licèt in se non sit, tàmen peccat mortaliter, quia agit cum conscientia erronea; ut probat de Turca incitato per Christianum ad potandum Vinum, Tambur. *in Decal. lib. 2. cap. 1. §. 10. num. 10.*

31. *Quær.* An liceat unicuique Christiano disputare de fide contra Judæos, aut alios infideles? *Resp.* Negativè tum ex Præcepto naturali, quo indocti non debent se exponere periculo errandi, vel cedendi fallaciis Judæorum; tum ex Præcepto Ecclesiastico *in cap. Quicunque. §. Inhibemus. de Hæreticis in 6.* ubi cavetur, ne Laici audeant publicè, aut privatim de fide disputare sub pœna excommunicationis. A quo textu exceptos esse Clericos, ac Laicos doctissimos censet Tamburin. *d. lib. 2. cap. 1. §. 11.* ubi etiam notat, dictam pœnam excommunicationis non esse latæ sententiæ, & non obligare sub mortali.

32. *Quær.* An Judæi ad fidem conversi gaudeant nobilitate? *Resp.* Negativè. Rot. *par.* 2. *rec. decis.* 249. Plura qui scire cupit de Judæis, legat novissimum opus doctissimi Abbatis Pascucii compilatoris consultationum D. Pignatelli *tom.* 1. *verb. Judæi*, ubi plurima scitu digna, ac curiosa; nec non Matth. de Afflictis *Decis.* 151.

CAPUT X.

De Fidei Professione emittenda.

1. *Quær.* Qui, & quot teneantur ad faciendam Fidei Professionem? *Resp.* Decem genera personarum, videlicet Primò, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi. Secundò, Provisi de Canonicatibus, vel dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus. Tertiò, Provisi de beneficiis curam animarum habentibus. Quartò, Prælati Regulares provisi de Monasteriis, Conventibus, aut aliis domibus in titulum. Quintò, Promovendi ad gradum Doctoratus. Sextò, Magistri Grammaticæ, Rhetoricæ, & aliarum artium liberalium. Septimò, Concionatores, & Lectores Sacræ Scripturæ, vel Theologiæ. Octavò, Lectores, Medici, aut Jurisconsulti. Nonò, Impressores librorum. Decimò, Omnes alii, à quibus periculum esse possit errorum disseminandorum. Nicolius *Lucubration. Canonicarum lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 11. Ricciull. *de Jure Personar. lib.* 1. *cap.* 13. Tambur. *in Decal. d. lib.* 2. *cap.* 1. §. 12. & Thesaur. *de Pœnis Eccles. part.* 2. *verb. Fidei professio*, ubi ponit textus tàm juris communis, quàm Concilii Tridentini, & Summorum Pontificum Pii IV. Gregorii XIII. & S. Pii V.

2. *Quær.* An obligatio fidei professionis faciendæ sit in usu quoad omnes supradictos? *Resp.* Negativè; sed tantummodo quoad Archiepiscopos, & Episcopos, Canonicos, Parochos, & Doctorandos. Thesaur. *ubi supra sub num.* 4. Nicol. *num.* 6. & Tambur. *d.* §. 12. *num.* 6. & 9.

3. *Quær.* Coram quo sit facienda fidei Professio à Lectoribus in studiis publicis? *Resp.* Coram Superioribus ipsius studii, vel omnibus Doctoribus congregatis unà cum Rectore Universitatis. Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 9. & *seqq.* ubi subdit, legentes in privatis ædibus, seu Monasteriis scientias, etsi de jure teneantur, tamen ex usu non facere fidei professionem.

4. *Quær.* An Vicarii deputati ad curam animarum in Ecclesiis de mensa teneantur ad fidei professionem? *Resp.* Affirmativè, si deputati sint perpetui; non autem amovibiles. Ricciull. *ibid. num.* 12. & *num.* 59. & 60.

5. *Quær.* An Canonici Cathedralium censeantur obligari ad hanc fidei professionem tàm Sæculares, quàm Regulares? *Resp.* Tam Sæculares, quàm Regulares. Garz. *de Benef. par.* 3. *cap.* 3. *num.* 16. Ricciull. *ubi supra d. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 13.

6. *Quær.* Coram quo profiteri fidem teneantur tam Parochi, quàm Canonici? *Resp.* Quòd Parochi tenentur eam profiteri coram Episcopo, vel Vicario generali; Canonici verò tam coram Episcopo, quàm coram Capitulo, sivè sint exempti, sivè subjecti Episcopo. *Sac. Congreg.* apud Garziam *ubi supra num.* 21. & Ricciull. *num.* 14.

7. *Quær.* Quomodo facienda sit fidei professio Sede Episcopali vacante per Canonicos Cathedralis? *Resp.* Et coram Capitulo, & coram Vicario capitulari, qui repræsentat Episcopum. Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 15. 16. 17.

8. *Quær.* Intra quod tempus est facienda fidei Professio? *Resp.* Intra bimestre à die adeptæ possessionis, dignitatis, vel beneficii. Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *de ref.* & DD. supradicti.

9. *Quær.* Sub qua pœna sit facienda fidei professio? *Resp.* Sub pœna amissionis fructuum. Concil. Trid. *d. sess.* 24. *cap.* 12. Thesaur. *de Pœnis d. part.* 2. *verb. Fidei professionem num.* 3.

10. *Quær.* An omissio professionis fidei in supradictis personis ad eam obligatis sit etiam peccatum mortale? *Resp.* Esse hinc inde opinionem; sed negativam videri probabilem, ex regula ordinaria, quòd lex pœnalis, ut est ista, non obligat ad culpam, sed tantummodò ad pœnam. Tambur. *in Decal. d. lib.* 2. *cap.* 1. §. 12. *num.* 4. & de expedita Confessione *lib.* 3. *cap.* 1. §. 8. Ricciul. *d. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 2.

11. *Quær.* An Parochus, qui transit ad aliam Parochiam, vel Canonicus alium obtinens Canonicatum, teneatur iteratò fidem profiteri, si antea professionem illius fecerat? *Resp.* Affirmativè. Garz. *d. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 17. & Ricciul. *d. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 19. & 20. ubi confutat contrarium sentientes. Idem docet Barbos. *alleg.* 61. *num.* 9. Et novissimè Pignatellus *tom.* 9. *consult.* 114. *num.* 45.

12. *Quær.* An hæc fidei professio facienda sit personaliter, vel sufficiat per Procuratorem? *Resp.* Esse discordes in opinione Doctores; sed magis communiter sentiunt, quòd possit fieri per Procuratorem. Ricciul. *d. cap.* 13. *num.* 21. & 22. Pignatell. *d. num.* 45. & Nicol. *d. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 2. ubi tamen notat, in praxi consultius esse, facultatem petere à Sac. Congregatione, quæ eam libenter impertitur absentibus.

13. *Quær.* An necessarium sit mandatum speciale in Procuratore facturo fidei Professionem? *Resp.* Affirmativè, quia non potest jurari in animam alterius sine speciali mandato. Est tamen verum, quòd sufficit mandatum factum ad capiendam possessionem beneficii, & sic explicita hæc qualitas fidei professionis faciendæ non est necessaria, quia implicitè censetur existere. Ricciul. *d. cap.* 13. *num.* 33. & 34.

14. *Quær.* An professio fidei non facta à beneficiatis intra duos menses, sit ampliùs per eos facienda? *Resp.* Affirmativè, quia terminus duorum mensium non est præfixus ad finiendam obligationem, sed ad differendam pœnam. Navar. *conf.* 4. *tit. de Summa Trinit. & Fide Cath.* & facit *tex. in cap. Cum dilecti.* §. *Præterea. De dolo, & contum.* Et debet fieri absolutè, non ad recuperandos fructus amissos,

amissos, sed tantùm ad quærendos futuros, Paris. *de Resignat. lib.* 10. *q.* 9. *num.* 12.

15. *Quær.* An beneficiatus possit cogi ab Episcopo ad docendum, & probandum, fecisse fidei professionem? *Resp.* Affirmativè, quandò procedit ex officio, juxta *tex. in cap. Ordinarii, ubi DD. de Off. Ord. in* 6. Paris. *de Resignat. lib.* 2. *qu.* 14. *num.* 33. & Garz. *de Benef. d. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 48. Ideòque secus esset, si Episcopus procederet ad instantiam partis. Ricciul. *d. cap.* 13. *num.* 42.

16. *Quær.* An fructuum omissio ob non factam fidei professionem incurratur ipso jure, vel opus sit sententia, & declaratione? *Resp.* Pro utraque opinione stare Doctores, quos refert Tambur. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. §. 12. ubi ait probabile, quòd requiratur sententia; sed contrarium tenet Garz. *d. cap.* 3. *num.* 35. Porrò Ricciul. *d. cap.* 13. *num.* 49. & Nicol. *d. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 2. in fine, monent, tutius esse, recurrere ad Sac. Congregationem Concilii, vel ad Sacram Pœnitentiariam, quæ benignè solet condonare fructus malè perceptos, potissimum, quandò absque culpa, & ex sola ignorantia fidei professio omissa fuit; cùm hoc tamen, ut statim eam faciant.

17. *Quær.* An tempus duorum mensium incipiat a reali possessione capta beneficii, etiamsi malitiosè fuerit dilata possessio? *Resp.* Affirmativè: quia ad istum effectum Concilium non intendit obligare, nisi postquam fuerit sequuta realis possessio. Garz. *d. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 32.

18. *Quær.* An omittens facere fidei professionem amittat non solùm fructus Præbendæ, sed etiam quotidianas distributiones? *Resp.* Amittere tantùm fructus Præbendæ, nisi Canonicatus alios fructus non haberet, quàm distributiones quotidianas; tunc enim ne pœna imposita per Concilium fiat elusoria, eas non lucraretur. Gonzal. *ad Reg.* 8. §. 7. *Pro oemiali num.* 157. Ricciull. *ubi supra num.* 55. Pignatellus *tom.* 6. *consult.* 77. nec non *d. tom.* 9. *consult.* 114. *num.* 47.

19. *Quær.* An obligatio fidei profitendæ afficiat Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ? *Resp.* Negativè, prout neque Mansionarios, Portionarios, aut Capellanos Ecclesiæ Cathedralis. Ricciull. *d. cap.* 13. *num.* 56. & 57. nisi sint Curati titulati, ac perpetui.

20. *Quær.* An Provisus de beneficio Curato habitu, sed non actu, teneatur emittere Professionem fidei? *Resp.* Cum distinctione, Vel est Curatum habitu, eo quia exercitium demandari solet Vicario: & adhuc Rector tenetur facere Professionem. Vel est Curatum habitu, quia Parochiani recesserunt: & non tenetur, quia in hoc casu beneficium dicitur simplex, & potest obtineri à Clerico 14. annorum, non causat incompatibilitatem, non obligat ad residentiam, neque ad Sacerdotium. Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 2.

21. *Quær.* An Regula de triennali suffragetur eos, qui non fecerunt fidei Professionem? *Resp.* Eos suffragari quoad titulum, & possessionem: secus autem quoad fructus. Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 12. Pignatell. *d. tom.* 9. *consult.* 114. *num.* 47.

22. *Quær.* An sint alii casus, in quibus facienda sit fidei Professio à beneficiatis? *Resp.* Eam esse faciendam in Concilio Provinciali, & Synodo Diœcesana. Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 2. *de ref.* quod est intelligendum de prima vice. Massobr. *de Synod. Diœces. cap.* 4. *dub.* 30, *num.* 12.

23. *Quær.* Sub qua forma sit facienda ipsa fidei Professio? *Resp.* Sub forma præscripta à Pio IV. in ejus Bulla de anno 1564. Idib. Nov. Quæ incipit *Injunctum*; Et quam ponit Quarant. *in Summ. Bullar. verb. Fidei professio*; Et est impressa in fine Concilii Tridentini.

24. *Quær.* An Græci debeant facere fidei professionem sub eadem forma? *Resp.* Negativè, quia pro Græcis statuta est alia forma à Gregor. XIII. quam subnectit *ibid. Quarant.* Et eam in melius reformatam esse ab Urbano VIII. testatur Nicol. *d. lib.* 1. *tit.* 1. *Lucubr. Canonic. num.* 2.

25. *Quær.* Si quis omiserit facere fidei professionem, & non impetraverit condonationem fructuum, quibus sint illi restituendi? *Resp.* Esse restituendos pauperibus, vel fabricæ Ecclesiæ; nisi iidem solvantur à mensa capitulari; nam tunc poterunt retineri, quia spectant ad alios Canonicos per jus non decrescendi. Thesaur. *de Pœnis d. part.* 2. *verb. Fidei professionem num.* 3. *in fin.* Sed contrarium esse decisum à S. Congr. ait Pignatellus *d. tom.* 9. *consult.* 114. *num.* 47. omninò videndus.

26. *Quær.* An Concionatores teneantur præcisè ad faciendam fidei professionem? *Resp.* Non teneri; nisi Episcopo exigente. Ita declarasse S. Congr. testatur Nicolius *Lucubr. Canon. d. lib.* 1. *tit.* 1. *sub num.* 11. *vers.* 6.

CAPUT XI.

De Spe.

1. *QUær.* Quid sit spes? *Resp.* Spes virtus Theologica est expectatio certa beatitudinis ex Dei gratia, & nostris meritis, ipsi gratiæ cooperantibus. S. Thom. 2. 2. *q.* 14. *art.* 2.

2. *Quær.* Quot sint peccata contra Spem? *Resp.* Esse duo: *Præsumptionem, & Desperationem.* Præsumptio est, cùm quis confidit consequi gratiam, & gloriam, vel ex se ipso tantùm, vel ex sola misericordia Dei sine sui ipsius cooperatione. Desperatio est, cùm quis tenet, Deum vel nolle, vel non posse ei gratiam, & gloriam concedere. Et utrumque peccatum, si sit cum errore intellectus, & pertinacia, unitum est hæresi, debetque in Confessione explicari. Tambur. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 2. §. 1.. & Abelly *in Medulla Theolog. part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 4. *sect.* 1. §. 2.

3. *Quær.* An sit peccatum, ponere spem in homine? Si ponatur principaliter, utique peccatum esse; secùs verò si secundariò, & solùm tanquàm in Instrumento gratiæ cœlestis. Abelly *ubi supra* & Tambur. §. 2. *num.* 4.

4. *Quær.* Quandò obliget Præceptum Spei? *Resp.* Quatenus consideratur, ut Præ-

ceptum negativum non desperandi, obligare semper, & ad semper. Quatenùs verò est affirmativum sperandi obligare in tribus casibus. Primò, quandò primùm adultus intelligit, se creatum esse à Deo pro æterna salute consequenda. Secundò, quanoo debet aliquem actum facere, in quo Spes est necessaria, ut confiteri, & contritionem agere. Tertiò, quando gravis tentatio desperationis urget, à qua liberari aliter non potest, nisi actum spei eliciendo. Abelly *d.* §. 2. ubi notat, sufficere actum spei implicitæ, & virtualis. Attende Propositionem damnatam, quam retuli supra *cap.* 3. *sub Quæs.* 5.

5. *Quær.* An in peccatis contra Spem detur parvitas materiæ? *Resp.* Negativè, quia ubi deliberatè quis peccat vel præsumendo, vel desperando, committit semper gravem Dei offensam. Tambur. *d. lib.* 2. *cap.* 2. §. 1. *num.* 5.

6. *Quær.* Quid sit tentatio Dei? *Resp.* Est quædam Præsumptio, qua quis vult, experiri de Deo per media incongrua, & aliena ab ejus providentia; & duplex est: Explicita, cùm quis vult aliquid agere, vel expectare per miraculum; & Implicita, cùm non vult adhibere media ordinaria, absque peculiari Sancti Spiritus instinctu, ad aliquem obtinendum effectum, ut si quis nollet in infirmitate adhibere medicinas; vel monita salubria audire; dicens, se in Deo sperare. Explicita reputatur semper culpa gravis contra spem, seu contra Religionem; & si insit error intellectus, potest etiam esse hæresis. Implicita solet esse tantùm culpa venialis. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 29. *num.* 7.

7. *Quær.* An peccet mortaliter infirmus, qui non vult audire Medicos, neque sumere medicinas? *Resp.* Quòd multi dicunt; & probabilius est, non peccare. DD. apud Gobatum *in Quinario tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 36. ob incertitudinem medicinæ, & ignorantiam Medicorum; de quibus Caramuel *in Theolog. Fundament. num.* 1564.

CAPUT XII.

De Charitate erga Deum.

1. *Quer.* Quid sit Charitas in Deum? *Resp.* Esse virtutem supernaturalem, qua Deum super omnia appretiativè diligimus. Tambur. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 3. §. 1. Et dicitur appretiativè, ita ut Deus ex corde magis æstimetur, quàm cætera; etsi aliquando dari possit, ut res aliqua magis intensivè æstimetur; nam esse potest, ut aliquando genitores intensiùs ament pecuniam, quàm filium; sed si agatur vel de perdendo filio, vel de perdenda pecunia, volunt hanc potius perdere, quia magis appretiativè filium diligunt.

2. *Quær.* Quibus modis exerceatur hæc virtus Charitatis in Deum? *Resp.* Ex S. Bernar. *lib.* de dilig. Deo, *modum diligendi Deum esse, illum diligere sine modo.* Porrò Sanctus Franciscus Salesius in suo eximio Tractatu Amoris Dei docet plures modos Amoris Dei. Primus est *Complacentiæ*, quo delectamur Celsitudine Dei, & Excellentia eius; & aspiramus ad ipsum cum summa animi jucunditate per orationem, meditationem, & contemplationem, ex qua provenit oratio Mystica, & subindè liquefactiones, languores, & vulnera spiritualia, raptus, exstasis &c. Secundus est *Benevolentiæ*, quo desideramus, Deum ab omnibus honorari, & amari, quia in se est infinitè bonus, & perfectus, ac infinitè diligibilis. Tertius est *Obedientiæ*, quo studiosi reddimur in obediendis ejus mandatis, ac exequendis ejus consiliis, & sanctis inspirationibus. Quartus est *Submissionis*, seu *Conformitatis*, quo homo christianus submittit suam voluntatem voluntati Divinæ; se conformando ejus dispositioni cum omnimoda indifferentia in infirmitatibus, in tribulationibus, in derelictionibus; ut fecit Job, dicendo in omnibus: *Sic Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Job. 1. 21.

3. *Quær.* An hi omnes modi diligendi Deum cadant sub Præcepto? *Resp.* Rigoroiè loquendo cadere sub Præcepto solummodò Tertium modum, scilicet *Obedientiæ*; quia qui obedit mandatis Dei, adimplet legem charitatis, juxta illud: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Jo. 14. 15. Et *Qui habet præcepta mea, & servat ea, qui diligit me.* Jo. 14. 21. Et *Plenitudo legis est dilectio.* *Rom.* 13. 10. Tambur. *ubi sup.* §. 2. *n.* 3.

4. *Quær.* Quo tempore obliget Præceptum Charitatis in Deum? *Resp.* DD. laborare multum in assignandis temporibus, quibus Christianus tenetur elicere actum charitatis in Deum; & solent esse sequentia. Primò, in initio usus orationis. Secundò, in fine vitæ. Tertiò, unica saltem vice in tota vita. Quartò, omnibus festivis diebus. Quintò, in Baptismo, quando adulti baptizantur. Sextò, in sumptione Eucharistiæ. Septimò, in Martyrio. Octavò, ubi magnum à Deo recipitur beneficium. Nonò, quandò auditur impius blasphemare Deum. Decimò, ubi gravis urget tentatio. Eminent. Card. de Lauræa, *in* 3. *lib. Sent. tom.* 4. *de Charitate disp.* 11. *art.* 1. ubi supradicta omnia tempora examinat, & approbat. Porrò Cardenas *in Crisi Theologica Dissert.* 6. *cap.* 1. *num.* 18. dicit, Præceptum Charitatis obligare ad actus dilectionis Dei frequentes: & quia difficile est determinare tempus præcisum hujus obligationis, subdit, quod saltem singulis mensibus eliciendus est actus dilectionis Dei. Sed Tambur. *d. libr.* 2. *in Decal. cap.* 3. §. 2. docet, probabilem, & tutissimam esse opinionem, fideles non esse præcisè pbligatos ad se convertendum in Deum per specificos actus amoris; sed satis esse, si per observantiam Divinorum Præceptorum se exerceant in Præcepto Charitatis, quia, ut dictum est, *Plenitudo legis est dilectio.* Apostolus *ad Rom.* 13. 10. Cæterùm Alexander Papa VII. *die* 24. *Septembr.* 1665. damnavit hanc Propositionem, quæ est *la prima, Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis.* Et Innocentius XI. *anno* 1679. damnavit has tres sequentes 5. 6. 7. Videlicet: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis*

Dei

Dei semel tantum in vita eliceret: condemnare non audemus. Item *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare Præceptum Charitatis erga Deum.* Item *Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.* De iisdem damnatis Propositionibus latè agit Cardenas *in Crisi Dissert. 6.*

5. *Quær.* Quot sint peccata contra charitatem Dei? *Resp.* Esse duo. Unum omnium maximum, id est, *Odium Dei*; ad quod aliquando impii descendunt, cogitantes Dei Justitiam punitivam culparum. Alterum est *Acedia*, videlicet quoddam tædium, & tristitia de bono spirituali, puta per susceptionem Sacramentorum, & alia bona opera; quod opponitur charitati, cujus proprius effectus est gaudium in operibus spiritualibus. Abelly *in Medulla Theol. part. 2. tract. 2. cap. 4. sect. 1. §. 3 ad finem.*

6. *Quær.* An peccet mortaliter contra charitatem, qui cuperet semper vivere in hoc mundo, & remanere in hac vita? *Resp.* Affirmativè, si præferret delicias hujus sæculi visioni, & fruitioni divinæ. Bonacin. *in prim. Decal. Præcept. disp. 3. q. 4. punct. 1. in fine.* At negativè, si cuperet in hac vita semper remanere ob timorem Judicii, & incertitudinem æternæ salutis. Castropal. & Sanch. quos citat, & sequitur Tambur, *in Decal. d. lib. 2. cap. 3. §. 1. num. 3.*

7. *Quær.* An in hac vita homo possit esse certus certitudine fidei, vel Theologica, se habere charitatem Dei, & esse in gratia? *Resp.* Negativè, nisi ex peculiari revelatione; quia ut habetur *Eccl. 9. Nescit homo, utrùm amore, vel odio dignus sit.* Et Apostolus 1. *Cor.* 4. de se dicit: *Neque meipsum judico; nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est*, quæ verba explicat S. Bernar. *Serm. 23. in Cant.* dicens, quod Apostolus intelligebat de puritate suæ conscientiæ, seu de incertitudine suæ charitatis; & hoc decisum est à Concil. Trid. *sess. 6. cap. 9.* Deus enim id suæ divinæ providentiæ reservat; ne homo, si sciret, se habere charitatem, negligens evadat in bonis operibus; ideòque in hac vita haberi non potest alia certitudo, quàm moralis, ut eruditè disputat, & probat novissimè Gonet. *in Clypeo Theologiæ tom. 4. de Gratia disp. 5. art. 1. & 2. pag. 126. & seqq.* & Collegium Salmanticen. *in Cursu Theolog. tom. 6. tract. 14. de Gratia disp. 9. per totam.*

8. *Quær.* Quæ sint signa moralis certitudinis, quòd homo sit in gratia, & habeat Dei charitatem? *Resp.* S. Bernardum *Ser. 1. & 2.* in festo Paschæ super verbis 1. *Jo. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis*, ponere tria signa, dicendo: *Testimonia gratiæ sunt hæc tria; In operibus spiritualibus exerceri; lacrymarum fonte sordes peccatorum abluere; & sanguinolento pœnitentiæ martyrio pravas affectiones perimere.* S. Thom. 1. 2. *quæst. 112. art. 5.* ponit tria signa, nempè delectationem rerum spiritualium; contemptum rerum mundanarum; & conscientiam absque notitia peccati mortalis. Sotus addit aliud signum, nempè, affectum, & aviditatem audiendi verbum Dei, juxta illud *Jo. 8. Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ita Gonet *ubi supra pag. 129.* Tandem S. Franciscus Salesius in suo Tractatu Amoris Dei *part. 2. lib. 2. cap. 5.* ponit pro signo, si homo talem resolutionem in corde teneat, potiùs amittendi omnia, quàm Deum scienter offendere; exemplo S. Michaëlis, qui exclamavit contra Angelos prævaricantes: *Quis ut Deus?* Et Josephi Patriarchæ, qui ab Hera provocatus ad libidinem intulit: *Quomodo Deum meum offendam?*

CAPUT XIII.

De Primo Decalogi Præcepto. Unum cole Deum.

1. *Quær.* Quid in hoc Præcepto præcipiatur? *Resp.* Præcipi actus Religionis, quibus Deum optimum maximum colimus, & veneramur; & ad duas præcipuas Virtutes eos reduci, nempè ad *Adorationem, & Orationem.* Ulteriùs præcipi, ut abstineamus à peccatis Religioni oppositis; quæ sunt *Superstitio, Idololatria, Magia, Divinatio, vana Observantia, Maleficium, Sacrilegium, Blasphemia, & Simonia.*

CAPUT XIV.

De Adoratione.

1. *Quær.* Quid sit *Adoratio*? *Resp.* Esse *Actum creaturæ rationalis, quo significat submissionem, & reverentiam ob excellentiam alicujus*; unde Lot adoravit Angelos *Gen. 29.* & Bersabea Salomonem 3. *Reg. 11.* id est, submissionem, & reverentiam iisdem exhibuerunt. Porrò strictè sumpta adoratio est *Actus, quo quis profitetur cognoscere, & colere excellentiam Dei*; in quo sensu *Deut. 6.* dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, & Matth. 14. Magi procidentes adoraverunt puerum Jesum.* Et *Jo. 19.* Cœcus illuminatus *procidens adoravit Christum.*

2. *Quær.* Quotuplex sit Adoratio? *Resp.* Est Triplex. *Latriæ, Hiperduliæ, & Duliæ.* Per primam adoratur Deus. Per secundam Deipara Virgo. Per tertiam Sancti. Est tamen sciendum, quòd per Latriam dupliciter adoramus Deum; primò per se, & ratione sui; & sic adoratur Sancta Trinitas, Christus Dominus, & Eucharistia. Secundò per conjunctionem ad Deum; & hoc modo per Latriam adoratur Humanitas Christi, ejus Crux, & alia Instrumenta Dominicæ Passionis; quia licèt ex se non mereantur talem adorationem; tamen ut quid unum cum Christo, & relata ad ipsum, eadem adoratione Latriæ adorantur. Similiter Reliquiæ B. Virginis Mariæ adorantur *Hiperdulia*; & Reliquiæ Sanctorum *Dulia* tantùm ob relationem respectivè ad Deiparam, & ad ipsos Sanctos. S. Thom. 3. *p. q. 25.* & Tamburin. *in Decal. lib. 2. cap. 4. §. 1.* Mastrius *in Theolog. Morali disp. 11. num. 18. & seqq.*

3. *Quær.*

3. *Quær.* Imagines, & Icones, qua sint adoratione colendæ? *Resp.* Eadem adoratione, qua adorantur Prototypa eorum; ideò Imagines Christi *Latriæ*, Deiparæ *Hiperdulia*, & Sanctorum *Dulia*; non quidem per se, sed per relationem ad ea, quæ repræsentant. S. Thom. 3. *p. q.* 25. *art.* 4. Et Concil. Trid. *sess.* 25. in Decreto *de Ven. Sanct.* Notandum tamen est, quòd Crux Domini semper Latria adoratur, quia semper repræsentat Christum, qui in ea pependit; at cætera Instrumenta Pasionis non sunt, adoranda Latria, nisi quando considerantur, non ut de per se, sed tanquam repræsentantia Christum passum. S. Thom. *d. art.* 4. & Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 22.

4. *Quær.* An Deipara ratione maternitatis, qua conjungitur Christo, possit adorari Latria? *Resp.* Posse, sed non solere, nec fidelibus id suadendum, propter periculum ipsam adorandi Latria propter se, quod periculum non subest in Cruce, quæ est res inanimata. Tambur. *d. cap.* 4. §. 1. *num.* 7.

5. *Quær.* Quinam sint Sancti, quos *Dulia* licet adorare? *Resp.* Esse illos Sanctos, quos Ecclesia Dei per Canonizationem, seu beatificationem tales esse publicè declaravit. Porrò si agatur de adoratione *Dulia* non publica, sed secreta, non est prohibitum, ea adorare Virum defunctum, quem quis Sanctum putat, & Paradisi gloriam possidere, ejusque res tanquam Reliquias venerari, & se per orationes illi commendare, secluso que scandalo illum Beatum, ac Sanctum nominare in privatis colloquiis, & orationibus. Tambur. *ubi supra à num.* 8. *& seq.* ubi advertit, Virum adhuc viventem non esse adorandum, quamvis sanctum, & pium; sed tantummodo ejus orationibus, & auxilio posse quemlibet devotum se commendare, quod docet etiam Barbos. *in Collect. DD.* ad Concil. Trid. *d. sess.* 25. *De Invocat. Sanctor.*

6. *Quær.* An liceat tenere super Altaribus imagines servorum Dei nondum Canonizatorum, seu beatificatorum? *Resp.* Negativè, non solùm in locis publicis, sed neque in domibus privatis, quia quodcunque Venerationis signum iis apponi prohibuit Urbanus Papa Octavus in suo Decreto 2. *Octobris* 1625. ut refert Barbos. *in Collect.* ad Concil. Trid. *d. sess* 25. *De Invocat. SS. num.* 4. Et docet Contelor. *de Canonizat. Sanctor. cap.* 22. Imò si quæ appositæ forent tabellæ votivæ, seu Imagines in signum gratiæ receptæ, Lampadesve accensæ, aut alia lumina, sunt omninò amovendæ. Est tamen licitum, ac permissum, tabellas votivas, ac alias oblationes de licentia Ordinarii recipere, & aliquo sortùm loco custodire. Barbos. *in cap. ult. De Reliq. & Veneratione Sanctor.*

7. *Quær.* An Episcopus possit recognoscere, & approbare miracula alicujus Servi Dei, qui Martyrii fama, vel Sanctitatis opinione celebris è vita migravit? *Resp.* Affirmativè; sed tenetur negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittere, ejusque responsum expectare: nihil interim innovando ob rem nimis gravem, & periculosam, ut ex Decreto ejusdem Urbani Octavi *diei* 13. *Martii* 1625. advertit Fagnan. *in cap. Cum ex eo num.* 10. *De Reliq. & Venerat. Sanctor. tom.* 3. *pag.* 339. Jord. *lib.* 7. *tit.* 1. *num.* 158. *&* 159.

8. *Quær.* Quæ, & quot requirantur ad probandum sufficienter miraculum ad effectum Canonizationis? *Resp.* Quatuor requiri. Primum, ut sit ex Deo, non ex arte, vel ex diabolo, nam quandoque etiam per malos miracula fiunt. *cap. Teneamus.* 1. *q.* 1. *cap. Prophetavit. & cap. Item Balaam.* 2. *q.* 7. Secundum, ut sit supra naturam, ut patet de Virga Moysis, & de Asina loquente ad Balaam. *cap. Cum ex injuncto.* §. 1. *& 2. De Hæretis.* Tertium, ut non fiat ex virtute verborum, sicut contingit in Sacramento Eucharistiæ; vel ex vi parentelæ, ut in Rege Franciæ (sanante scrophulas suo contactu) sed ex merito hominis. Et Quartum, ut sit ad corroborationem fidei; herba enim transit in Vitrum ministerio hominis, sed non ad corroborandam fidem. Fagnan. *in cap. Venerabili num.* 2. 3. *&* 4. *de Testib. tom.* 3. *pag.* 197. Jordan. *ubi supra num.* 163. & Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 54. *&* 56. nec non 67. & plenius *tom.* 10. *consult.* 166.

4. *Quær.* Quot sint ordines, seu genera miraculorum? *Resp.* Esse tres secundum doctrinam S. Thomæ 1. *par. q.* 105. *art.* 8. Videlicet contra naturam, supra naturam, & præter naturam. Miracula contra naturam, quæ primi, seu summi gradus dicuntur, illa sunt, quæ nullo modo natura facere potest, sicut, quod duo corpora sint simul, vel quod Sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur. Miracula secundi gradus, quæ dicuntur supra naturam, illa sunt, quæ excedunt facultatem naturæ, ut resurrectio mortuorum, & illuminatio cœcorum. Miracula tertii, seu infimi ordinis, quæ præter naturam vocantur, sunt improvisa curatio infirmitatis, seu cum statim aër Divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis. Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 54. *num.* 1. *& seqq.* Pax Jordan. *d. lib.* 7. *tit.* 1. *num.* 166. & Zachias *in quæst. Medicoleg. tom.* 2. *lib.* 10. *consil.* 4. *per totum.*

10. *Quær.* An sufficiant Miracula cujuscunque ordinis, seu generis ad Canonizationem Servorum Dei? *Resp.* Negativè, quia ex antiqua consuetudine Ecclesiæ Romanæ non sufficiunt miracula tertii ordinis, seu generis; sed requiruntur duo, vel tria rite probata saltem secundi generis, vel ordinis: qualia sunt resurrectiones mortuorum, illuminationes cœcorum, restitutiones visus, seu auditus. Castellin. *de Dilatione Canonizat. Sanctor. punct.* 2. *sub tit. Reg. De fine Miracul. Corollario* 4. *pag.* 57. Pignatellus *tom.* 5. *consult.* 18. *& consult.* 21. Et ita vidi servari in Processibus mihi exhibitis Romæ, tanquam Auditori Eminentissimi D. mei Cardinalis Barbadici pro Canonizatione S. Francisci Borgiæ, & S. Cajetani Thienæi; circa quos Eminentia sua commisit mihi extendere ejus Votum exhibendum in S. Rituum Congregatione, in quam ipse Eminent. Cardinalis ingrediebatur.

11. *Quær.* An satis sit ad Canonizationem Servorum Dei obtinendam, probare miracula? *Resp.* Negativè, quia ultra miracula

opus

opus eſt probare excellentiam vitæ, una cum exercitio Virtutum non tam Theologicarum, quàm Cardinalium in gradu heroico. Scacchus *De Notis, & ſignis Sanctitatis ſect. 2. cap. 4. pag.* 141. Lezana *Conſult. 1. de Canoniz. Sanctor.* Et noviſſimè Pignatell. *Conſultationum Canonicarum tom. 2. à conſultatione ſeptima uſque ad conſult.* 20.

12. *Quær.* Quomodo debeant deponere teſtes, qui examinantur ſuper miraculis? *Reſp.* Quod debent deponere de certa ſcientia, non autem de auditu, & omnes circumſtantias exprimere. Jordan. *ubi ſupra num.* 164. & Genuen. *in Praxi cap.* 60. An autem ſufficiant teſtes ſingulares in unoquoque miraculo? non concordant Doctores, ut oſtendit Barboſ. *de Off. & poteſtate Epiſcopi allegat.* 97. *num.* 5. Jord. *ubi ſupra num.* 165. & Pignatell. *d. tom.* 5. *conſult.* 31. *& conſult.* 34.

13. *Quær.* Quæ ſint præcipuè adhibenda ad formandum Proceſſum pro Canonizatione Servorum Dei? *Reſp.* Eſſe ſervanda ea, quæ in Decretis Urbani Octavi ſuper hac materia in Sacra Generali Inquiſitione ſtatuta ſunt; quorum præcipuum eſt, quod conſtet de non cultu illius, de cujus Canonizatione tractatur, niſi fortè cultus ille eſſet immemorabilis, vel per Patrum, Virorumq; Sanctorum ſcripta; vel per communem Eccleſiæ conſenſum; aut per longiſſimum tempus cum ſcientia, & tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii. Pignatell. *tom. 1. conſult.* 236. *& conſult.* 242. & Salelles *de S. Inquiſit. tom. 3. lib. 5. cap. 5. reg.* 407. *num.* 816. ubi ponit Decretum per extenſum. Ulteriùs ſervanda ſunt Decreta Noviſſima Sacræ Rituum Congregationis Juſſu Innocentii Papæ XI. facta die 15. Octobris 1678. ad quorum normam duos Proceſſus ego compilavi anno 1691. ſuper cultu immemorabili tum Beatæ Helenæ Henſelminæ de Padua; tum Beati Emiliani Ordinis Beati Petri de Piſis; qui Proceſſus poſt rigoroſam diſcuſſionem fuerunt ab eadem S. Congregatione laudati.

14. *Quær.* Quomodo probetur cultus immemorabilis? *Reſp.* Ipſum probari, per tempus excedens metam centum annorum, numerandum ſupra datam Decreti Urbani Octavi, nempè diem 13. Martii 1625. ut docet Scacchus *de Canoniz. Sanctorum ſect.* 20. *cap. 1. Lit. C.* & declaraſſe Sac. Congr. Rituum die 23. Martii 1652. teſtatur Pignatellus *tom. 1. Conſult.* 243. *&* 246. ubi carpit Bonacinam non bene docentem, ſufficere tempus 30. vel 40. annorum *tom. 2. ad primum Præcept. Decal. diſp. 3. quæſt. 1. punct. 2. num. 2.*

15. *Quær.* An mulieres admitti poſſint pro teſtibus in cauſis Canonizationis? *Reſp.* Affirmativè, ut reſolvendo objecta concludit Pignatell. *d. tom. 1. Conſult.* 252.

16. *Quær.* Ad quem ſpectet recognoſcere, & approbare Reliquias Sanctorum? *Reſp.* Ad Epiſcopum privativè ad quoscunque alios inferiores, etiam in Eccleſiis Regularium. Barboſa *in Collect. DD.* ad Concil. Trident. *d. ſeſſ.* 25. in Decreto *de Invoc. Vener. ac Reliq. Sanct. num.* 9. ubi advertit, talem facultatem Epiſcopi verſari circa Reliquias Sanctorum jam Canonizatorum vel ab immemorabili cultum habentium: ſecus autem circa Reliquias novas alicujus nondum Canonizati. Idcircò eodem anno 1691. ego tanquam Vicarius Generalis recognovi Reliquias SS. Felicitatis, Juliani, Arnaldi, & Urii in Eccleſia Sanctæ Juſtinæ de Padua Congregationis Caſinen. ſic inſtante Reverendiſſimo Abbate, à cujus pietate Altaria eorumdem Sanctorum in nobiliorem formam fuerunt reædificata.

17. *Quær.* Quid agendum, quando miracula fieri dicuntur virtute Sacrarum Imaginum? *Reſp.* Epiſcopi munus eſſe mandare, ut imagines operiantur, januæ Eccleſiæ claudantur, & impediatur concurſus hominum, donec ſuper facto capiatur diligens informatio, & veritas habeatur cum conſilio Theologorum, & Juriſtarum. Genuenſ. *in Praxi d. cap.* 60. Piaſec. *in Praxi Epiſc. par. 2. cap. 3. n.* 18. Rubeus *in Aphoriſ. Epiſc. Verb. Miraculum num* 3.

18. *Quær.* An in Lege Naturæ, & in Lege ſcripta fuerit uſus Sanctarum Reliquiarum? *Reſp.* Affirmativè, ut eruditè demonſtrat Ricciullus *Lucubrat. Eccleſiaſticar. lib. 1. cap.* 20. ubi ex probatis Auctoribus docet, Adam ſervaſſe Veſtem Abelis tanquam Reliquiam innocentis, quæ prodigioſè, dum fiebant homicidia, ſanguinem effundebat. Oſſa Adæ pro Reliquiis ſervata à deſcendentibus filiis fuiſſe uſque ad tempora Noë, qui ea ſecum detulit in Arca; & deinde poſt Diluvium illa filiis ſuis dedit, ac Sem magis dilecto Calvariam conſignavit, qui Judæam poſtea habitavit, unde contigiſſe potuit, ut ſepeliretur in Monte Calvario, ubi Crux Domini infixa fuit: ac de aliis Patriarchis plurima exempla docet, potiſſimum in Lege ſcripta; ut videre eſt *d. lib. 1. cap.* 20. *&* 21. *per totum.*

CAPUT XV.

De Agnis Dei.

1. *Quær.* An inter Sacras Reliquias reputandi ſint Agni Dei Cerei à Papa benedicti? *Reſp.* Affirmare Sanchez *ad Præcepta Decal. lib. 2. cap. 43. num.* 27. Sed negare Ricciull. *dict. lib. 1. cap. 9. num. 2.* ubi verius putat, eſſe reputandos inter Sacras Imagines, quia myſticè repræſentant Chriſtum Dominum; ſubdens eos tangi non poſſe à Laicis, ob unctionem Sacram, neque vendi poſſe, quamvis reſpectu materiæ tantùm, & multò minus pingi vel minio, aut auro ſub pœna excommunicationis *ex Conſt. 2. Gregorii XIII.*

2. *Quær.* Quas virtutes habeant, vel ad quid proficiant ipſi Agni Dei? *Reſp.* Eos ex vi Sacræ Unctionis, & Benedictionis Papalis habere plurimum virtutis, prout teſtantur infraſcripta Carmina ſcripta per Urbanum Quintum Imperatori Græcorum, quæ referuntur à Magrio *in ſuo Hierolexico, ſeu Sacro Dictionar. Verb. Agnus Dei*; Videlicet:

Balſamus, & munda cera cum Chriſmatis unda,
Conficiunt Agnum; quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum, per Myſtica ſanctificatum.
Fulgura deſurſum depellit, & omne malignum.

Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit,
Prægnans servatur simul, & partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem destruit ignis.
Portatus mundè, de fluctibus eripit undæ.

Plura de Agnis Dei in libello Onuphrii Panvinii Veronen. cum Corollar. Josephi Mariæ Suaresii Episcop. Vasionen. impresso Romæ 1656. Similiter in alio novissimo Libello P. Antonii Baldassarri Soc. Jesu Venetiis impresso apud Andream Poleti 1714. & in meis Decis. *de Sacrific. Missæ, Decis.* 42. *à num.* 65.

3. *Quær.* An committat Sacrilegium, qui rem Veneream agit, habens Agnum benedictum ad collum, vel alias Reliquias? *Resp.* Negativè. Summa Diana *Verb. Circumstantia num.* 104.

CAPUT XVI.

De Oratione.

1. *Quær.* Quid sit Oratio? *Resp.* Quòd Oratio largè sumpta significat quamcunque elevationem mentis in Deum per Laudem, Invocationem, Confessionem peccatorum, Gratiarum actionem &c. Propriè verò: *Oratio est petitio, quæ ad Deum, vel ad alium propter ipsum dirigitur, qua flagitamus bona nobis decentia.* S. Thom. 2. 2. *q.* 83. & Tambur. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 4. §. 2. *num.* 1.

2. *Quær.* Quotuplex sit Oratio? *Resp.* Quòd ex parte ipsius orantis alia est Oratio *Publica*, ut Horæ Canonicæ, Missa, & Divina Officia. Alia est *Privata*; quales sunt preces à quolibet fideli privatim recitatæ. Ex parte verò ipsius orationis alia est *Vocalis*, quam ore exprimunt orantes: Alia est *Mentalis*, quæ sola mente fit per meditationem: & subdividitur in ordinariam, & extraordinariam. Ordinaria est, quæ per considerationem mysteriorum Passionis Dominicæ, seu quatuor extremorum, sivè pulchritudinis Virtutum, deformitatis Vitiorum, relevantiæ æternæ salutis exercetur. Extraordinaria verò, quæ dici solet oratio mystica, vel oratio fidei, aut quietis, illa est, per quam anima à Deo elevatur vel plenè, vel semiplenè extra sensus, ita ut miro quodam modo in divinis eruditur per internam Sancti Spiritus elocutionem, ut piè, ac doctè explicat P. Ludovic. de Ponte Soc. Jesu *in suis Meditationibus par.* 1. in Introductione *à §.* 1. *usque ad §.* 13. & Rodriquez *in Exercitio Perfect. par.* 1. *tr.* 5. *de Oratione cap.* 4.

3. *Quær.* Quænam sit differentia inter Orationem mentalem ordinariam, & extraordinariam? *Resp.* Plures posse assignari differentias; sed illam esse præcipuam, quòd Oratio mentalis ordinaria pendet à nostra industria, & studio; extraordinaria verò nequaquam, sed est merum donum Dei, ut in suis operibus non semel declarat S. Franciscus Salesius, & novissimè *in Opusculo Sacrarum Reliquiar. part.* 2. *cap.* 11. Hinc fit, ut sint reprehensione digni Confessarii illi, seu directores spirituales, qui hortantur quamcumque personam ad Orationem mentalem extraordinariam exercendam, tum quia plures personæ immortificatæ debent priùs procurare moderationem passionum, quam appetere orationem mysticam; tum, quia hæc à Deo expectanda est, non viribus humanis acquirenda, ut eruditè probant Eminentiss. Card. de Lauræa in suo aureo libello de Oratione Christiana *Opuscul.* 3. *cap.* 17.

4. *Quær.* An sit Præceptum Orationis faciendæ? *Resp.* Affirmativè, & hoc est duplex. Unum naturale Divinum, quo obligamur ad procuranda bona nobis convenientia, & mala removenda, juxta illud *Deut.* 6. *Dominum Deum tuum adorabis.* Et *Luc.* 18. *Oportet semper orare.* Alterum Ecclesiasticum, quo Religiosi obligantur ad Horas Canonicas, & alii omnes fideles ad audiendum Sacrum diebus festivis, per quod unà cum Sacerdote Deum adorant, & orant. Tamburin. *d. cap.* 4. §. 2. *num.* 3. & Mastrius *in Theolog. Moral. disp.* 14. *art.* 1.

5. *Quær.* Quandonam obligent Præcepta prædicta de orando? *Resp.* Præceptum Ecclesiasticum obligare omnes fideles singulis diebus festivis; & Religiosos ad horas Canonicas singulis diebus, ut infra explicabitur. At Præceptum naturale Divinum videtur tantummodo obligare, quando urget necessitas vel alicujus boni acquirendi, vel mali, seu tentationis avertendæ. Tamburin. *d. lib.* 2. *cap.* 4. §. 2. *num.* 4. Quamvis non esset à veritate alienum dicere, quòd ex legitima consuetudine factum est, ut quotidie teneatur quilibet orare, quia ferè nullus reperiri potest, etsi impius, vel perditus, qui saltem unum Pater, & Ave recitet quotidie. Tamburin. *ubi supra d. num.* 4. Et Emin. Cardin. de Lauræa de Oratione Christiana *Opuscul.* 1. *cap.* 7.

6. *Quær.* An Beati in Cœlo, ac etiam Christus Dominus orent pro nobis? *Resp.* Affirmativè, ut probat S. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 11. & habetur Hebr. 7, 25. *Semper vivus ad interpellandum pro nobis.*

7. *Quær.* An Animæ in Purgatorio existentes orent pro nobis Viatoribus? *Resp.* Quamvis negativam sententiam videatur tenere S. Thom. *ubi supra d. q.* 83. *art.* 11. *ad tertium*, nihilominùs affirmativa est magis communis, quam docet Eminent. Card. Bellarm. *lib.* 2. *de Purgator. cap.* 15. & P. Roa *de Animabus Purgator. cap.* 21.

8. *Quær.* Quinam sint effectus Orationis? *Resp.* Tres, videlicet Satisfacere, Mereri, & Impetrare. Valent. *tom.* 3. *d.* 6. *q.* 2. *p.* 10. §. 4. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 13. Ceccoper. *de Canonicis lib.* 2. *num.* 136. Mæ Decis. *de Pœnitent. Decis. IX.*

9. *Quær.* Quas debeat habere qualitates Oratio, ut valeat ad satisfaciendum, ad merendum, & ad impetrandum? *Resp.* Debere duas qualitates habere; Unam, quòd sit cum devotione exteriori; Alteram, quòd sit cum attentione interna. Fagnan *in cap. Dolentes à num.* 38. *& seqq. de Celebrat. Missarum.*

10. *Quær.* In quo consistat externa devotio in oratione? *Resp.* Consistere in eo, ut orans abstineat à confabulationibus, & aliis operibus exterioribus, quæ implicant cum devotione, ut est ludere, comedere, & similia

milia agere. Fagnan. *ubi supra n.* 39. & Ceccoperius *d. libr.* 2. *num.* 34. ubi notat, quòd Deus non præmiet bonum quod agitur, nisi bene, ac ritè fiat; paria sunt enim, non facere, & non ritè facere. Abb. *in cap.* 1. *num.* 27. *de Re jud.*

11. *Quær.* In quo consistat attentio interna? *Resp.* Quòd consistit in tribus, videlicet, ut orans attendat primò ad verba, ne unum verbum pro alio dicatur, nevè quid omittatur. Secundò; ut attendat ad significatum, & sensum verborum; & Tertiò, ut elevatam habeat mentem in Deum vel eliciendo actus fidei, aut spei, aut charitatis; aut considerando mysterium aliquod Passionis Dominicæ, vel Divinæ essentiæ. Ceccoper. *d. lib.* 2. *num.* 136. & Fagnanus *in d. cap. Dolentes num.* 39. *de Celebrat. Missar.* ubi subdunt, satis esse unam harum trium circumstantiarum in oratione servare. Nicol. *in Flosc. verb. Officium num.* 5. ubi habet hos versus:

Cum Domino psalles, psallendo tu tria serves.
Dirige cor sursum, bene profer, respice sensum.

12. *Quær.* Quotuplex sit Attentio? *Resp.* Esse duplex; actualis, & virtualis. Attentio actualis est, cùm quis orando actualiter attendit ad unam trium prædictarum qualitatum. Virtualis verò attentio dicitur, dum quis incipit orare cum actuali attentione, & devoto proposito Deum laudandi; at in prosecutione orationis mens involuntariè distrahitur ad profana. Ceccoper. *aliis citatis d. lib.* 2. *num.* 139. & Fagnan. *in d. cap. Dolentes num.* 46. Quibus in locis omnes docent, solam attentionem virtualem sufficere ad orandum, & ad fructus orationis obtinendos, videlicet ad satisfaciendum, merendum, & impetrandum; eo quia evagatio mentis non est culpa, sed pœna, qua etiam homines Sancti afficiebantur, juxta illud *Psal.* 39. *Cor meum dereliquit me.* Et est Doctrina S. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. juxta quam devotos consolari studet P. Franc. Stadiera Soc. Jesu in suo eximio tractatu *De gl' Inganni della Via Spirituale tract.* 14. *c.* 8. & Alphons. Rodriq. in Magistrali suo libro *Esercizio di Perfezione par.* 1. *tract.* 5. *cap.* 21.

13. *Quær.* Quæ, & quot sint causæ distractionum, & mentis evagationis in oratione? *Resp.* Esse tres. Primam, ob miseriam nostræ naturæ, quia post peccatum originale *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. Sap.* 9, 15. Secundam, ob astutias Dæmonum, qui satagunt impedire orationem, undè fit, ut Ecclesia sæpe repetat in Divino Officio versum illum, *Deus in adjutorium meum intende.* Tertiam, ob ignaviam, & desidiam hominum, qui minùs diligentes sunt in reprimendis pravis cogitationibus, dum orant. Rodriq. *d. p.* 1. *tract.* 5. *cap.* 21. & Stadiera *d. tract.* 14. *cap.* 8. Emin. Card. de Lauræa *in d. Opuscul.* 2. *cap.* 13.

14. *Quær.* Quodnam peccatum committat, qui orando voluntariè est distractus; & non adhibet attentionem neque actualem, neque virtualem? *Resp.* Quòd in oratione facta ex mera devotione committit culpam tantùm venialem. Sotus *de Just. & Jure lib.* 10. *quæst.* 5. *art.* 5. Ceccoper. *d. lib.* 2. *num.* 135. Tambur. *lib.* 2. *in Dec. cap.* 4. §. 2. *num.* 9. Et de Sacrificio Missæ *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. In oratione verò ex Præcepto, ut in persolvendis horis Canonicis, vel in Sacro audiendo diebus festivis, duplex est Doctorum opinio; Una, quòd deficiente attentione actuali, & virtuali interna, sed existente attentione, & devotione externa, licèt orans advertat se esse internè distractum, & velit permanere in distractione, satisfaciat quidem Præcepto, at peccet tantùm venialiter. Ita Tambur. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 2. §. 1. *num.* 19. Et de Sacrificio Missæ *d. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 5. Diana Coordinat. *tom.* 3. *tract.* 6. *de Hor. Canon. resolut.* 47. & 48. ubi plurimi & Coton. *Controvers. celebr. lib.* 3. *controvers.* 3. *num.* 108. & 109. Altera opinio est, quòd orans cum voluntaria mentis evagatione, & advertendo se esse interiùs distractum, quamvis externam devotionem servet, mortaliter peccet, & non adimpleat Præceptum. Fagnan. *in d. cap. Dolentes num.* 50. & 51. *De Celebrat. Missar.* Ceccoperius *de Canonicis d. lib.* 2. *num.* 133. dummodo tamen distractio voluntaria tanta sit, ut Officii, vel Missæ notabilem partem absumat; vel nisi plenè non adverterent ad distractionem, sed tantummodò negligentes forent in mente colligenda. Ceccoper. *ibid. num.* 139. *Vers. Verum est.*

15. *Quær.* An sint quædam humana auxilia pro mentis evagatione, saltem prolixa, evitanda? *Resp.* Tria præcipuè haberi ex studio piarum personarum. Unum est, recogitare efficaciter in principio orationis, quòd homo orando loquitur cum Deo, & stat ad præsentiam Dei. Alterum in fine cujuscunque Psalmi, dum dicit: *Gloria Patri, &c.* elevare actualiter mentem in Deum, & versum illum dicere unà cum omnibus beatis. Tertium, habere in Breviario Imaginem aliquam devotam Deiparæ, vel alicujus Sancti, & frequenter renovare propositum psallendi, ea devotione, & attentione, qua Deipara, vel Sanctus ille orabat. Hoc tertio auxilio uti solitam fuisse mihi retulit Abbatissa Monialium Capuccinarum Paduæ, quæ summæ virtutis Sanctimonialis erat, & obiit in Domino, me adstante, Anno 1678.

CAPUT XVII.

De Horis Canonicis.

1. *Quær.* Quinam obligati sint ad Horas Canonicas recitandas? *Resp.* Tres, videlicet Clerici constituti in Sacris. Regulares deputati ad Chorum. Et Clerici etiam in minoribus, habentes Ecclesiasticum beneficium. Tambur. *in Decal. d. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 1. Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 14. *q.* 2.

2. *Quær.* Unde proveniat obligatio recitandi Divinum Officium Clericis beneficiatis? *Resp.* Ex Concil. Lateranens. sub Leone X. *sess.* 29. *cap.* 9. Et ex Bulla S. Pii V. Incipit. *Ex proximo.* Pyrr. Corrad. *de dispens. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 53. & 65.

3. *Quær.* Quo jure Clerici constituti in Sacris teneantur ad Horas Canonicas? *Resp.*

Sacerdotes teneri ex *cap. Sacerdotes. De Celebrat. Missar.* Diaconos ex *cap. ult. dist.* 92. Subdiaconos verò ex generali Ecclesiæ consuetudine. Navarr. *De Oratione cap.* 7. *n.* 2. Mastrius *d. disp.* 14. *quæst.* 2. *num.* 50.

4. *Quær.* An dentur Clerici in Sacris, qui non teneantur recitare ampliùs Horas Canonicas? *Resp.* Omnes sequentes non teneri juxta communem DD. opinionem. Primò, ordinatos de facto in Sacris, qui antea Uxorem habebant; vel postea duxerunt ex dispensatione Pontificis. Secundò, damnatos ad Triremes, vel captivos infidelium. Tertiò, detentos in publicis carceribus: item damnatos ad mortem. Quartò, affectos aliquo repentino, at maximo mœrore; ut jactura magni patrimonii, morte alicujus parentis. Ita Tambur. alios DD. allegans *d. cap.* 5. §. 1. *à num.* 3. *& seqq.* Mastrius *d. disp.* 14. *num.* 56. *in Theol. Morali.*

5. *Quær.* An Clerici in Sacris Excommunicati, vel suspensi, vel interdicti, vel degradati teneantur ad Horas Canonicas persolvendas, *Resp.* Teneri, quia non debent reportare commodum ex suo delicto. Mastrius *ead. disp.* 14. *num.* 50. quamvis non desint, qui dicant, degradatum non teneri. Tambur. *ibid. num.* 5.

6. *Quær.* Quinam Regulares teneantur ad Horas Canonicas in Choro persolvendas? *Resp.* Omnes Regulares professos, Choro addictos teneri; & ideò tales non sunt Regulares Societatis Jesu; neque Militares Religiosi; qui propterea, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, vel ordinem Sacrum, non tenentur ad officium. Tambur. *ubi supra num.* 6. Subindè Novitii, & Conversi non tenentur. Mastrius *eadem disp.* 14. *num.* 51.

7. *Quær.* An Professi Regulares non recitantes Officium in Choro, peccent mortaliter? *Resp.* Negativè, quando alii sunt, qui supplent in Choro; nec in eis est contemptus Chori, vel expressi Præcepti Superioris, quem decet in hoc procedere potiùs monitionibus, & salutaribus pœnitentiis, quàm Præceptis. Tambur. *d. lib.* 2. *in Dec. cap.* 5. §. 1. *num.* 7.

8. *Quær.* Qualis numerus Regularium requiratur in Choro ad Horas Canonibas ritè persolvendas? *Resp.* Quatuor Regulares saltem requiri; ideò, si tanti non sint in aliquo Conventu, non peccant, si non recitent Officium in Choro; quod locum habere etiam in Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum docet Macign. *c.* 16. *n.* 24. *&* 28. sed ei non assentitur Tambur. *ubi supra num.* 12. quia hi lucrantur distributiones, & fructus Præbendarum, quæ rigorosius obligant ad recitandum in Choro.

9. *Quær.* An Regulares professi, sed non in Sacris constituti, in Religione Choro addicta, prout etiam omnes Moniales, teneantur recitare privatim Officium, quando absunt à Choro? *Resp.* Hanc esse insignem quæstionem à DD. agitatam; in qua multi dixerunt, eos & eas non teneri, ut videri potest apud Philippinum *de Privil. Ignorat. tom.* 2. *n.* 192. 193. *& seqq.* Sed contrarium videtur verius, quia ex approbata consuetudine Ecclesiæ tenentur, ut concludit Diana Coordinat. *tom.* 3. *tract.* 6. *De Horis Canon. resolut.* 15. *&* 16. Tambur. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. §. 1. *num.* 13. & Mastrius *dict. disp.* 14. *num.* 51. Quamvis mordicus dissentiat novissimè P. Cotonius *d. lib.* 3. *controvers.* 3. *num.* 22. *&* 26. Cui tamen non adhærent Pellizar. *de Monialib. cap.* 6. *num.* 14. Neque Donatus *de Regularib. tom.* 4. *tract.* 18. *q.* 9. ubi firmant, Moniales etiam extra Chorum obligatas esse Officium recitare; & ita tenet etiam Ascanius Tambur. *de Jure Abbatissar. disp.* 15. *quæs.* 1.

10. *Quær.* An Moniales conversæ teneantur sub peccato ad recitandum Officium, in tot Pater & Ave iisdem assignatum? *Resp.* Negativè, ut probat Pellizar. *d. cap.* 6. *num.* 14. *& seqq.* Imò nec tenebitur Monialis prius ad Chorum admissa, & postea de licentia Superioris, & Conventus ad statum conversarum reducta, vel ut magis humilitati vacaret, vel quia litteras sufficienter scire non potest; quod esse concedendum, illa sic instante, docet Tambur. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. §. 1. *num.* 15. & tenet etiam Ascan. Tambur. *de Jure Abbatum tom.* 2. *disp.* 10. *q.* 13. *num.* 4.

11. *Quær.* Quinam beneficiarii teneantur ad recitandum Divinum Officium? *Resp.* Omnes, & singuli illi, qui beneficium Ecclesiasticum possident, quales sunt Episcopi, Abbates, Canonici, Parochi, & alii beneficia simplicia obtinentes; dummodo sint beneficia Ecclesiastica, quæ scilicet sint instituta cum Decreto Prælati, & in provisione requirant Canonicam Institutionem. Hinc fit, ut obtinentes Capellanias, vel Mansionarias Laicas, id est, relictas à personis Laicis cum onere Missarum, quarum plurimæ habentur in hac Diœcesi Patavina, quamvis hæ conferantur à personis Ecclesiasticis, ut à Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, vel à Monialibus, tamen non obligant ad Divinum Officium, quia beneficia Ecclesiastica non sunt. Tambur. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. §. 1. *num.* 19. Pyrrh. Corrad. *de Dispens. lib.* 4. *cap.* 2.

12. *Quær.* An Coadjutor in Canonicatu, vel Dignitate cum spe futuræ successionis teneatur ad recitandum Divinum Officium? *Resp.* Negativè, donec vivit Coadjutus, quia eo tempore Coadjutor non possidet beneficium. Tambur. *ubi supra num.* 20.

13. *Quær.* An teneatur ad recitationem Officii, qui tenet beneficium manuale amovibile, vel præbendam aliquam in commendam? *Resp.* Affirmativè. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 3. *q.* 2. 3. *&* 4.

14. *Quær.* An intrusus in beneficio adstringatur dicta obligatione? *Resp.* Negativè, quando intrusio est talis, ut non faciat fructus suos, puta si ex Violentia, vel Simonia. Sanchez *in Opuscul. moral. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 73. *num.* 5. Tamb. *d.* §. 1. *num.* 21.

15. *Quær.* Quid dicendum de Clericis habentibus Pensiones Ecclesiasticas? *Resp.* Eos teneri recitare Officium B. Mariæ Virginis ex dicta Bulla S. Pii Quinti 138. *Ex Proximo.* Nisi fortè recitarent Officium Divinum

vinum ob aliud beneficium, vel ob ordines Sacros, quia in hoc casu non tenentur ad illud parvum B. Mariæ Virginis Garz. *de Benefic. part.* 3. *cap.* 1. *num.* 116. Tambur. *d.* §. 1. *num.* 22.

16. *Quær.* Quid de Resignatario, nullos fructus beneficii percipiente, donec vivit Resignans? *Resp.* Non teneri ad Officium Divinum, si verè nullos fructus percipiat; ideò secus est, si aliquam portionem habeat, vel quotidianas distributiones, Navar. *de Orat. cap.* 7. *n.* 28. Tambur. *d.* §. 1. *num.* 23. Pyrrh. Corrad. *d. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 52.

17. *Quær.* Quid de habente beneficium tenue? *Resp.* Probabilem esse utramque opinionem affirmativam, & negativam, quòd teneatur scilicet, & non teneatur. Porrò tenue dicitur beneficium, si non excedat reditus sexdecim, vel viginti aureorum ad summum, secundùm Doctores, quos allegat, & sequitur Tambur. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. §. 1. *num.* 25. At mihi videtur nimis larga hæc opinio, quia cùm idem Tamburinus firmet, tenue dici beneficium, quod tertiam partem non excedit quantitatis requisitæ ad honestam sustentationem, & honesta sustentatio hìc Patavii reputetur sufficiens in Ducatis quadraginta; in qua summa constituuntur Patrimonia pro Ordinibus sacris conferendis; ideò, si beneficium excedat Ducatos tresdecim in reditibus, non est dicendum tenue ad hoc, ut deobliget ab Officii recitatione, ut tutiùs videtur sentire Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 31. *num.* 169. Porrò tuenda est opinio Pyrrh. Corrad. *d. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 53. quòd omne beneficium, quamvis tenue, obliget ad Divinum Officium.

18. *Quær.* Quid sentiendum, si aliquo anno beneficium pingue fiat sterile, puta ob tempestates, vel alluviones? *Resp.* Alios DD. sentire, quòd Officium sit recitandum, nam compensandi sunt anni pingues cum annis sterilibus; alios verò deobligare ab officio in anno sterili. Tambur. ubi utramque opinionem probabilem reputat *d. lib.* 2. *in Dec. cap.* 5. §. 1. *num.* 26.

19. *Quær.* Quid de Clerico habente plura beneficia exigua? *Resp.* Teneri ad Officium, si tertiam sustentationis partem saltem attingant. Tamburin. *ubi supra num.* 27. ubi advertit; eum, qui plura beneficia, etsi pinguia, possidet, teneri ad unicam Officii in die recitationem, quia, etsi plures festivitates de Præcepto cadant in eodem die, satisfacit audiendo unum Sacrum.

20. *Quær.* Quid; si in Ecclesia, ubi quis recipit beneficium, consuetudo sit, non percipiendi fructus per sex menses? *Resp.* Per dictos sex menses non teneri. Tambur. *ubi ante num.* 28. qui tamen advertit, talem consuetudinem esse damnatam, tum à Concilio Trident. *sess.* 24. *de refor. cap.* 14. tum ex Constit. S. Pii V. 106. *Incipit Dilectum.*

21. *Quær.* Quid respondendum, si quis habeat titulum beneficii, non autem possessionem? *Resp.* Si per eum stet, teneri ad Officium. Si verò impediatur ob litem, vel aliam legitimam causam, non teneri, nisi spes moralis sit consequendi fructus etiam pro tempore litis, vel impedimenti. Tambur. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. §. 1. *num.* 29. 30. & 31. Pyrrh. Corrad. *d. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 51.

22. *Quær.* An sit mortale, si semel, aut bis in anno officium Divinum omittatur? *Resp.* Affirmativè, prout mortale est, semel, aut bis anno omittere audire Sacrum in die festo, vel non jejunare in Quadragesima. Tambur. *ibid. num.* 32.

23. *Quær.* An, qui Sacerdos est, & beneficium possidet; vel est religiosus deputatus ad Chorum, omittendo officium, peccet unico peccato, vel duplici peccato; scilicet tam contra justitiam, quàm contra Religionem? *Resp.* Probabilius esse, peccare duplici peccato; at probabile etiam esse, quòd uno peccato peccet, id est, contra Religionem. Tambur. *qui DD. refert d.* §. 1. *num.* 33.

24. *Quær.* Sub qua forma recitandum sit officium Divinum? *Resp.* Sub forma Breviarii Romani à S. Pio Quinto editi, & Clemente, ac Urbano Octavo recogniti; nisi Ecclesiæ sint solitæ per annos 200. supra, alio Breviario uti; prout faciunt Ecclesiæ Mediolanensis, Samburgensis, Leodicensis, & Ducalis Sancti Marci Venetiarum; nec non Monachi Benedictini, Regulares Carmelitæ, ac Dominicani. Tamburin. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. §. 2. *n.* 1. Mastrius *d. disp.* 14. *num.* 52.

25. *Quær.* An prædictæ Ecclesiæ, & Religiones possint assumere Breviarium Romanum? *Resp.* Affirmativè, de consensu tamen Prælati, & majoris partis Capituli; & semel facta assumptione, non erit licitum deserere ampliùs Breviarium Romanum. Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 12. *num.* 74.

26. *Quær.* An, qui habet Breviarium editum sub S. Pio V. vel Clemente VIII. possit cum eo officium recitare? *Resp.* Affirmativè, quia sunt permissa dicta Breviaria, donec consummentur; & tantummodò vetitum est, ea de novo typis mandari. Tambur. *d.* §. 2. *num.* 2. & 3. & est Bulla in Brev. Urbani Octavi *Incipiens, Divinam Psalmodiam.*

27. *Quær.* An Regulares, vel aliæ personæ exemptæ teneantur recitare officium de aliquo Sancto præscriptum ab Episcopo pro sua Diœcesi? *Resp.* Affirmativè, si officium illud sit Universale toti Diœcesi, puta de Patrono; secus si sit particulare, ut pro Reliquia insigni. Tambur. *ubi supra num.* 5.

28. *Quær* An Episcopi possint addere suis Calendariis aliqua officia, vel ritus mutare? *Resp.* Negativè, ut prohibet Decretum Sac. Congregationis in principio Breviarii nuper appositio. Tambur. *ibid. d. num.* 5.

29. *Quær.* An sit culpa gravis aliquid addere in officio? *Resp.* Negativè, si animo non mutandi ritum fiat; hinc licita sunt Motteta, & Cantus inter unum, & alium Psalmum. Tambur. *d.* §. 2. *num.* 8.

30. *Quær.* Quale peccatum sit omittere aliquam partem officii? *Resp.* In hac re duas esse Sententias, Unam, quòd officium

unius diei mandetur unico Præcepto, & si totum omittatur, unicum peccatum (etsi gravius) committi. Alteram, tot esse præcepta, quot sunt horæ, nempe septem; & totidem esse peccata, ea omittere. His perpensis, ad quæsitum respondendum est, varias esse opiniones Doctorum quærentium, quæ pars officii omissa faciat culpam gravem? Magis communis sententia est, quòd omissio unius horæ parvæ faciat culpam gravem; & è contra, qui minorem partem horæ parvæ omittit, graviter non peccet. Ita Mastrius *in Theolog. Moral. d. disp.* 14. *n.* 54. Lesius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 9. *n.* 52. & Bonacina, cum aliis, quos allegat, & sequitur Tambur. *d.* §. 2. *num.* 10. ubi tamen notat, qui parum recitaret unius parvæ horæ, & eam postea omitteret, totam omisisse diceretur, & sic graviter peccaret, quia parum pro nihilo reputatur.

31. *Quær.* An sit de Præcepto, recitare Officium B. M. V. vel Defunctorum, aut Litanias Sanctorum diebus, quibus in Breviario indicuntur? *Resp.* Omnes Doctores in hoc esse concordes, extra Chorum nullam esse obligationem recitandi prædicta officia, ut patet ex Bulla S. Pii Quinti. Porrò circa officium Defunctorum die secunda Novembris, & Litanias in die S. Marci, & Rogationum, extant hinc inde opiniones contrariæ, nam alii asserunt, alii negant, recitandas esse de Præcepto, ut videre est apud Pellizar. *tom.* 1. Man. Regul. *tract.* 5. *cap.* 8. *n.* 48. & Coton. *lib.* 3. *controv.* 3. *à. n.* 67. *& seqq.* Est tamen verum, quòd ferè omnes DD. tenent opinionem affirmativam, & inclinant in eam tanquam probabiliorem; & sic dicendum est, Officium Defunctorum die 2. Novembris, & Litanias in die S. Marci, & Rogationum esse de præcepto. Lezana *in Sum. part.* 2. *cap.* 12. *n.* 23. & Ceccoper. *de Canonicis lib.* 2. *num.* 192.

32. *Quær.* An liceat recitare Psalmos officii Divini in lingua Græca, vel Hebraica, vel vulgari? *Resp.* Ex aliquo honesto fine absque peccato gravi posse Psalmodiam divinam recitari privatè, non autem in Choro, lingua Græca, vel Hebraica; at non absque gravi culpa in lingua vulgari. Tamburin. *d. lib.* 2. *in Decal cap.* 5. §. 2. *à num.* 15. *& seqq.* ubi Pœnitentiam datam in tot Pater, & Ave recitari posse lingua vulgari concedit, quia hæ deprecationes passim docentur, & cantantur in Scholis Doctrinæ Christianæ materna lingua.

33. *Quær.* An grave, vel leve peccatum sit, recitare officium pro officio; aut sub ritu duplici pro semiduplici? *Resp.* Qui sic recitat ex aliqua justa causa, vel non culpabili inadvertentia, nihil peccat. Qui verò sic recitaret ex contemptu, vel assumeret officium octavæ Resurrectionis Domini ob ejus brevitatem pluribus vicibus, utique graviter peccaret. Tambur. *d.* §. 2. *num.* 20. ubi DD. allegat, & subdit, posse aliquem crastina die discessurum à sua Civitate, incipere in primis Vesperis officium duplex de aliquo Sancto, quod celebratur in loco, ad quem est ipse profecturus dicta sequenti die. Porrò notandæ sunt duæ Propositiones damnatæ ab Alex. VII. anno 1666. nempe *la* 34. *&* 35. quæ sic asserebant: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit Præcepto.* Item alia: *Unico officio potest quis satisfacere duplici Præcepto pro die præsenti, & crastino.*

34. *Quær.* Dum quis ex itinere reperitur in loco, in quo recitatur officium aliud ab illo, quod in sua Civitate dicitur, an possit, quod sibi magis libet, recitare? *Resp.* Affirmativè. Tambur. *ibid. num.* 26.

35. *Quær.* An liceat cuilibet ritum Socii, cum quo officium recitat, rationemque sequi? Affirmativè, secundùm Tamburinum *ubi supra num.* 27. nisi ritus ille sit specialiter alteri socio prohibitus, ut Ambrosianus; Dominicanus, &c. At ego non ita absolutè hanc responsionem admitterem, sed eam restringerem, dummodò socius cum alio socio recitante aliquam dependentiam haberet. Quid enim, si exempli gratia ego Venetiis revertar, & in Cymba sit Presbyter Venetus, qui recitet officium de Sancto duplici juxta Calendarium Venetum, & invitet me Patavinum ad recitandum secum, qui cum eo nullam dependentiam habeo? Quid, inquam, debeo omittere ritum Ecclesiæ meæ Paduanæ, quæ forsan ea die facit de feria, ut sociem Venetum recitantem de duplici? Igitur in tali casu, crederem tutius esse, ut quilibet de per se proprium ritum recitando servaret, ut tradit Quintanadven. *tract.* 8. *singul.* 8. *num.* 8.

36. *Quær.* Quid agendum, si quis ex errore omitteret officium alicujus Sancti, & recitaret de feria? *Resp.* Probabile esse, ut prima sequenti die non impedita faciat officium illius Sancti, & sic compenset, quod omisit; at probabilius etiam esse, quòd non teneatur supplere, sed recitare juxta præscriptum Calendarii; ne, si una die erravit, altera quoque die recedat à Calendario. Tamburin. *d. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *num.* 29. *&* 30. ubi idem statuit, si quis anticipatè recitasset de aliquo Sancto, quamvis post unam partem Officii tantùm recitatam errorem cognosceret, nam melius est, quod remanet, juxta Calendarium illius diei recitare; nulla tamen inest obligatio repetendi id, quod jam recitavit.

37. *Quær.* An Capellanus Monialium possit recitare Officium de Sancto, de quo ipsæ Moniales ex indulto faciunt? *Resp.* Affirmativè, dummodò utatur Breviario Romano in recitando, prout potest Missam de eodem Sancto cum Missali Romano recitare. Tamburin. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. §. 2. *num.* 32. & Quintanadven. *tract.* 8. *Singular.* 7. Qui tamen loquitur tantummodò de Capellano Majori, seu de Parocho deputato in Ecclesia Monialium. Ego tamen id concederem omnibus Capellanis, dummodo haberent Capellanias in titulum in Ecclesiis Monialium, & sint beneficiati in eis; secus si celebrent ob manuales tantùm eleemosynas; ut sunt in hac Ecclesia RR. Monalium S. Petri Paduæ Capellani S. Pauli, & S. Bellini, & nonnulli alii, qui Capellanias perpe-

tuas

tuas obtinent in hac insigni Ecclesia, & institutionem ac provisionem habent ab hoc nobilissimo Monasterio, juxta tradita per d. Quintanadv. *d. tr. 8. Singul.* 8. qui concedit his Capellanis beneficiatis, ut possint etiam recitare officium de Sanctiss. Sacramento, de Immaculata Conceptione Deiparæ, & de aliis officiis ex privilegio S. Sedis concessis prædictis Monialibus.

38. *Quær.* An Clericus Romanus possit recitare Officium Ambrosianum aliqua vice? & subinde an Clericus Ambrosianus possit recitare Officium Romanum? *Resp.* Clericum Romanum neque una vice absque gravi culpa posse recitare Officium Ambrosianum, seu alterius ritus à Romano, resistente Bulla S. Pii Quinti. At Clericum Ambrosianum, vel alterius ritus posse recitare Romanum privatim; nisi expressè prohibeatur à suo Superiore. Tamburin. qui alios DD. citat, *d. lib. 2. cap. 5. §. 2. num. 33. in Decalogum.*

39. *Quær.* Quem ritum servare debeat Clericus advena in officio recitando? *Resp.* Si Regularis est, non potest deserere ritum suæ Religionis. Si verò est Clericus sæcularis, potest recitare officium vel juxta ritum Patriæ suæ, vel Ecclesiæ, in qua habet beneficium, vel loci, in quo moram trahit. Tamburin. *d. §. 2. num. 36. & seqq.*

40. *Quær.* Quot conditiones sint servandæ in recitatione officii Divini? *Resp.* Sex, videlicet, ut recitetur cum Attentione, Intentione, sine verborum omissione, seu mutilatione, seu interruptione; & sine ordinis inversione. Attentio saltem virtualis esse debet, quia actualis ex humana infirmitate difficillimè custoditur. Intentio consistit in interno proposito Deum orandi, & laudandi: & licèt quis Horas persolveret animo non satisfaciendi Præcepto, sed eas iterum recitandi, non tenetur tamen ampliùs recitare, quia servatur Præceptum, exhibita re præcepta, etiam sine animo servandi Præceptum. Omissio Verborum est cavenda, quod fit ea integra recitando. Mutilatio est vitanda, maximè si lingua præcipiti quis recitet, vel socii finitum versiculum non expectet. Interruptio non est in usu habenda, nisi ad finem alicujus horæ, cessante tamen aliqua honesta causa; nam causa interveniente interrumpi potest officium in quacunque parte, & deinde satis est illud reassumere ibi, ubi interruptum fuit. Ordinis inversio tandem est cavenda, quia dicere primò Vesperas, postea Horas absque aliqua honesta causa, culpa saltem venialis est, cum causa verò nulla est culpa: & ideò, qui habet solum Diurnum, potest recitare Horas; recitaturus postea domi Matutinum, ubi Breviarium tenet. Tambur. *latè d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 3. per tot.* & Mastrius *in Theol. Moral. d. disput. 14. num. 52. & 53.*

CAPUT XVIII.

De illis, qui obligati sunt recitare Horas Canonicas in Choro.

1. *Quær.* An Canonici, & alii Præbendati in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, qui ad Chori interessentiam tenentur, possint per aliquod tempus à Choro vacare? *Resp.* Eos posse vacare à Choro per tres menses sivè continuos, sive interpolatos, ex Concil. Trid. *sess. 24. de ref. cap 12.* Sed pro dictis tribus mensibus non lucrantur quotidianas distributiones, quæ interessentibus tantùm dantur. Surdus *Decis. 75.* Ceccoper. *de Canonicis lib. 2. n. 175.* Quæ doctrina limitanda est, si ex consuetudine dentur distributiones absentibus per tres menses, prout dantur in hac Cathedrali Patavina; & hæc consuetudo servanda est. Moneta *de Distribut. quotid. par. 2. q. 12 num. 54.*

2. *Quær.* An Canonicus, qui abest à Choro ultra tres menses, nihil curans de distributionibus, sed contentus fructibus suæ præbendæ, peccet mortaliter? *Resp.* Pro utraque sententia esse diversos Doctores, quos referunt Tamburin. *d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 4. num. 5.* Et Ceccoper. *de Canon. d. lib. 2. num. 179.* qui inclinat in partem negativam, tanquam benigniorem, tribus tamen concurrentibus conditionibus; videlicet primò, quòd non absit ex contemptu; secundò, quòd non fuerit ei præceptum à Superiore ad interessendum; tertiò, quòd alii Canonici sint, qui frequentent Chorum, ita ut Divinum servitium nullum patiatur detrimentum.

3. *Quær.* Quænam sint legitimæ causæ, ob quas etiam in absentia obligatus ad Chorum percipit quotidianas distributiones? *Resp.* Eas esse plurimas in specie, sed in genere reduci ad duas, videlicet, vel ad infirmitatem, seu inhabilitatem personæ, vel ad utilitatem Ecclesiæ; ideò hi, qui sequuntur, lucrantur distributiones quotidianas etiam in absentia, & sunt Canonici, qui privilegium obtinent à Sede Apostolica, quales sunt Auditores Rotæ, Commorantes in Curia, Collectores Cameræ Apostolicæ, Pœnitentiarii, dum audiunt Confessiones, Theologus Canonicus, quo die legit publicè casus conscientiæ, Canonici interessentes nomine Capituli Concilio generali, Provinciali, vel Diœcesano, incumbentes animarum Curæ, quæ imminet suæ Præbendæ, qui accedunt ad S. Limina visitanda, vel Episcopum ad ea accedentem comitantur; absens pro aliquo negotio, vel lite Ecclesiæ Collegiatæ, vel suæ Præbendæ, qui est infirmus, vel cœcus, vel laborat podagra, vel medicinam sumit, vel sanguine minuitur, qui senio nimio confecti sunt, aut qui aliquo justo metu non possunt ad Ecclesiam accedere; qui injusta carceratione prohibentur, vel injusta censura vexantur, quas omnes causas examinat, & ad singulas Doctores allegat Barbosa ad Concil. Trident. *d. sess. 24. cap. 12. à n. 75. & seqq.*

4. *Quær.* An Canonici infirmi debeant habere distributiones, si contraxerint illam infirmitatem ex propria culpa, & peccato? *Resp.* Affirmativè, ex sententia Sacræ Congregationis, quam allegat Fagnan. *in cap. Nisi cum pridem. num. 54. de Renunciat. tom. 2. pag. 157.*

5. *Quær.*

5. *Quær.* Dum quis in absentia habet justam causam lucrandi distributiones, an lucretur non solùm distributiones, quas de sua præbenda contribuit, sed etiam illas, quæ proveniunt ex aliorum inexcusabili absentia? *Resp.* Quòd suas tantùm lucretur distributiones, tenere Garziam *de Benef. par.* 3. *cap.* 2. *num.* 465. & alios, quos allegat Ceccoper. *de Can. d. libr.* 2. *num.* 168. à quibus tamen recedit ob decretum contrarium Sac. Congregationis apud Barbosam *in Collect. Apostolicar. Decis. verb. Canonici*, quod ego non potui reperire; sed ejus loco valet consuetudo, quæ talis est hìc Patavii.

6. *Quær.* An absentes causa Studii, vel in servitio Episcopi lucrentur distributiones? *Resp.* Negativè, nisi consisterent in distributionibus omnes fructus Præbendæ, quo casu duæ partes accrescunt occupatis in Studio, vel in servitio Episcopi, & tertia pars cedit interessentibus Divino Officio. Ceccoper. *d. lib.* 2. *sub num.* 170.

7. *Quær.* An causa Studii possint abesse à Choro tam Canonici, quàm Mansionarii, seu Capellani Choro addicti? *Resp.* Negativè, quia Indultum hoc concessum est à Jure solis Canonicis, ut hi litteris imbuti meliùs Ecclesiæ deserviant. Vulp. *in Praxi Judic. cap.* 13. *num.* 6. Ceccoper. *d. lib.* 2. *num.* 170.

8. *Quær.* An absens absque causa legitima à Choro ultra trimestre, amittat ipso Jure tam distributiones quotidianas, quàm fructus præbendæ suæ? *Resp.* Affirmativè quoad distributiones, sed negativè quoad Præbendæ fructus; quia hos non tenetur restituere in conscientia, nisi post condemnationem, dummodo tamen privatim officium recitaverit. Abbas *in cap.* 1. *de Celebrat. Missar.* & Ceccoper. *d. lib.* 2. *num.* 178.

9. *Quær.* Quænam Pœna de Jure inflicta sit contra beneficiatos non recitantes officium Divinum neque in Choro, neque extra Chorum? *Resp.* Ultra pœnam peccati mortalis in primis sex mensibus beneficiatos ad aliud non teneri. At semestre primo transacto, si omiserint recitationem officii, teneri ad restituendos fructus fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus. Ceccoper. *d. lib.* 2. *num.* 182.

10. *Quær.* Si beneficiatus sit pauper & omiserit recitare officium, ita, ut teneatur restituere fructus pauperibus. An possit ei à Confessario concedi, ut sibi tanquam pauperi ipsos fructus restituendos retineat? *Resp.* Affirmativè ex Leoncill. *de Privil. pauper. par.* 2. *privil.* 37. *num.* 6. Dummodò promittat certe in posterum non omittere officium. Graff. *de Cas. reser. lib.* 2. *cap.* 28. *in fin.* vel cum tali intentione non omiserit officium. Vulpes *in Praxi cap.* 51. *num.* 57. Ceccoper. *d. lib.* 2. *num.* 182.

11. *Quær.* An qui semel, aut bis in anno prætermittit negligenter aliquas horas, eximatur ab onere restituendi fructus? *Resp.* Affirmare nonnullos ex benignitate, sed negativam opinionem esse omninò sequendam ob præcisa verba Bullæ S. Pii Quinti obligantis ad restitutionem, etiamsi una sola hora omittatur. Garz. *de Benef. par.* 3. *cap.* 1. *num.* 27. Ceccoper. *d. num.* 182. ubi tamen concedit, quòd si fructus restituendi sint exigui, restitutio erit facienda sub culpa veniali ob parvitatem materiæ, secùs si summa non sit parva, puta duorum Juliorum, quia tunc prout in furto tenebitur sub mortali. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 14. *quæs.* 8.

12. *Quær.* An quotidianæ distributiones sint distribuendæ interessentibus semel tantùm in anno, vel pluries in anno? *Resp.* Posse distribui vel semel, vel pluries juxta consuetudinem, vel placitum Capitulorum. Patavii in Ecclesia Cathedrali, & in Congregatione Parochorum distributio fit bis in anno. Ego in Visitatione Collegiatæ Estensis, pro majori commoditate Capituli, decretum feci, ut singulis trimestribus distributiones dividerentur juxta doctrinam Monetæ *de Quotid. distribut. par.* 1. *q.* 4. *num.* 11. *in fine, & q.* 7. *num.* 4.

13. *Quær.* An recitans in Choro, vel cum socio teneatur attendere ad aliam partem Psalmi, quam recitat alter Chorus? *Resp.* Esse hinc inde opiniones Doctorum, qui magis inclinant in affirmativam, adeòut difficiliùs sit satisfacere recitationi officii in Choro, & cum socio, quàm recitando privatim, & absque socio. Nihilominùs, absque scrupulo satis est attendere moraliter, ita ut expectetur finis versus alterius partis Chori, quamvis vel non intelligantur verba, vel attentio interna non habeatur ex aliqua causa ad dictam aliam partem Chori. Tambur. *d. lib.* 2. §. 4. *num.* 9. *& seqq.* ubi plurimos DD. cumulat.

14. *Quær.* Quando pulsatur Organum in Canticis, Hymnis. & Antiphonis, an interessentes in Choro debeant submissa voce recitare illam partem? *Resp.* Affirmativè, nisi deputentur duo, qui clara voce recitent dictam portionem; tunc enim satis est eos audire. Tambur. *d. lib. cap.* 5. §. 4. *n.* 14. Ceccoper. *d. lib* 2. *num.* 115. Et ego *de Sacrif. Miss. Decis.* 37. *num.* 33. At quando cum Organo Musici cantant, satis est pro satisfactione Chori eos audire absque alia obligatione recitandi.

15. *Quær.* An lucretur distributiones ille, qui in Choro recitat quidem cum Choro, sed adeò submissa voce, ut ab alia parte Chori audiri non possit? *Resp.* Non lucrari, quia Choro non satisfacit, verum tamen est, quòd lucratur fructus Præbendæ sic recitando. Tambur. *d.* §. 4. *num.* 15. *&* 16.

16. *Quær.* An satis sit Canonicis, suam solam præsentiam in Choro exhibere, sed nihil dicere, neque submissa voce recitare ad lucrandas quotidianas distributiones? *Resp.* Non deesse Doctores, qui affirmant satis esse, ubi talis sit consuetudo, ut videre est apud Tambur. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. §. 4. *n.* 18. Cæterùm cùm fuisset Romæ Illustris. & Reverendis. Petrus Leonius, Canonicus Paduan. & pro suæ conscientiæ securitate interpellasset de hoc Illustris. & Reverendis. Archiepiscopum de Vecchiis, Secretarium Sac. Congregationis Concilii, habuit responsum, consuetudinem licèt immemorabilem non suffragari ad lucrandas distributiones, & ad effugiendum peccatum juxta

plures

plures declarationes ejusdem Sac. Congregationis, quarum copiam exhibuit præfato D. Canonico tenoris sequentis. Videlicet

1. *Urbis die* 15. *Novembris* 1592. Sac. Congregatio censuit, Canonicos Basilicæ Sancti Petri teneri ad psallendum in Choro.

2. *Gnesnen.* 22. *Februarii* 1614. Sac. Congregatio respondit, Horas Canonicas non posse per Vicarios, sed per ipsosmet Canonicos decantari debere, non obstante quacunque consuetudine immemorabili.

3. *Buscoducen.* 20. *Julii* 1620. Sacr. Congregatio respondit, Canonicos Cathedralium, non solùm teneri horis Canonicis interesse, sed etiam per se ipsos psallere, neque aliàs suæ obligationi satisfacere.

4. *Patavina* 17. *Septembris* 1667. Quo ad Canonicos ejus Cathedralis Sac. Congregatio declarationibus sæpè aliàs editis inhærendo censuit, illos non solùm Canonicis horis interesse, sed etiam per seipsos psallere, quacunque etiam immemorabili, contraria non suffragante, consuetudine teneri, neque aliàs suæ obligationi satisfacere.

Præterea præfatus Illustriss. & Reverendiss. Secretarius subjunxit, Sac. Congregationem ad sic declarandum præcipuè moveri ex verbis apertis S. Concilii Tridentini, innuentibus, Canonicos debere personaliter in Choro psallere, & Deum laudare; nam *in d. cap.* 12. *sess.* 24. *de Refor. vers. præterea*, cùm dictum sit, quòd distributiones *illi tantùm percipiant. qui statis horis interfuerint*; deindè, quasi explicans, quid sit statis horis interesse, subdit Concilium hæc verba: *Omnes verò per se, & non per substitutos compellantur inservire, atque in Choro ad psallendum instituto Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, ac distinctè laudare.* Quare non est attendenda ampliùs opinio Doctorum contrarium scribentium, stantibus præfatis declarationibus Sac. Congregationis; & ratione aperta resultante ex verbis S. Concilii Tridentini, contra quæ nemo timoratæ conscientiæ debet esse ausus operari. Vide Ceccoperium *d. lib.* 2. *num.* 117.

17. *Quær.* An liceat recitare officium tertiatim, id est, à tribus unitim dicendo non alternatim, sed singulis ad tertium versiculum? *Resp.* Negativè, quia hic mos recitandi non est receptus in Ecclesia. Tambur. *d. lib.* 2. *cap.* 5. §. 4. *num.* 23.

18. *Quær.* An Vicarius Capitularis, qui est Canonicus; lucretur distributiones, si absit à Choro causa sui officii? *Resp.* Plures DD. negare, quos citat, & sequitur Barbos. *alleg.* 54. *num.* 165. sed contrarium tenere Antonell. *de Regim. Ecclesiæ lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 21. quod *num.* 22. ampliat etiam ad examinatores Synodales, si talis sit Ecclesiæ consuetudo.

19. *Quær.* An sit obligatio recitandi officium Divinum certis horis? *Resp.* Affirmativè, quo ad publicam recitationem in Choro, quo verò ad privatos Clericos nullam esse obligationem, ita ut quacunque hora officium recitent, non peccent. Tamburin. *d. lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. §. 5. *num.* 1. Nisi sint celebraturi Missam, quia tunc debent recitasse saltem Matutin. & Laudes. Ego *de Sacrif. Missæ Decis. L.*

20. *Quær.* Qua hora licitum sit, recitare Matutinum, & Laudes pro sequenti die? *Resp.* Plura plures dicere: sed magis tuta opinio videtur, ut computentur horæ à meridie usque ad occasum, & transacta medietate dictarum horarum, possit Matutinum sequentis diei recitari. Exempli gratia in æstate meridies est hora 16. & sic remanent horæ octo ad occasum Solis; transactis horis quatuor, & sic hora vigesima, licitum erit recitare Matutinum. In hyeme meridies est hora decima nona, post quam remanent horæ quinque ad noctem; medietas harum cùm sint duæ cum dimidia, poterit Matutinum recitari hora vigesima prima, & dimidia, & sic ante horam 22. vide Tamburin. plurima ratiocinantem de hoc *in d.* §. 5. *à num.* 2. *& seqq.*

21. *Quær.* An die antecedenti, hora Vespertina possint recitari Litaniæ dicendæ in festo S. Marci, & in Rogationibus? *Resp.* Negare Tamburin. *d.* §. 5. *num.* 7. qui concedit, posse tantùm anticipari Matutinum Defunctorum pro secunda die Novembris. Affirmare tamen Gavantum *de Horis Canonicis sect.* 6. *cap.* 16. *num.* 5. Gobatum *in Theol. exper. tract.* 5. *num.* 615. & Bissum *in sua Hierurgia tom.* 1. *verb. Litaniæ num.* 114. & cum ratione, nam ex Breviario dici debent simul cum Laudibus.

22. *Quær.* An Religiosus, vel Religiosa eo die, quo professionem faciunt, teneantur totum officium recitare? *Resp.* Negativè, sed illam partem officii, quæ post factam Professionem est in Choro recitanda. Tambur. *ibid. num.* 8. subdens, quòd, qui recitavit paulò ante professionem, vel Ordinis Sacri sumptionem, officium illius diei, minimè tenetur illud repetere.

23. *Quær.* An liceat recitare officium Divinum ex obligatione, dum auditur Missa de Præcepto? *Resp.* Affirmativè, quia utraque est attentio ad divina, neutra alteram impediens. Tambur. *ibid. num.* 9. *in fine.*

24. *Quær.* An recitandum sit matutinum cum Laudibus ante celebrationem Missæ? *Resp.* Affirmare DD. ex consilio, negare ex præcepto, adeò ut quævis causa honesta non recitandi excuset etiam à culpa veniali, ut contra antiquiores defendit Tamburin. *de Sacrific. Missæ lib.* 1. *cap.* 7. §. 2. & Gobat. *d. tract.* 5. *num.* 667. ubi tamen non excusat à veniali cuspa litantem absque causa, & ex solo malo usu, non recitato Matutino. Porrò esse culpam mortalem celebrare non recitato Matutinum, & laudibus illius diei, (legitima causa cessante) probavi *de Sacrif. Missæ d. Decis.* 50. quam lectorem non pigeat observare.

25. *Quær.* An sit aliqua obligatio circa locum recitandi Officium? *Resp.* Quoad publicam recitationem esse recitandum in Choro, & certis temporibus, vel in Sacristia, vel in aliqua parte Ecclesiæ ad evitandum vel nimium frigus, vel nimium calorem juxta laudabiles consuetudines Ecclesiarum

rum. Porrò in privata recitatione quilibet locus aptus est, nisi distractiones inde, vel irreverentia desumerentur; ideòque si ex necessitate, (utique urgentissima) quis recitaret etiam in immundo loco, vel super latrina, probabile est neque venialiter peccare. Tambur. *d. libr. 2. in Decal. cap. 5. §. 6.* ubi & de immodesto situ corporis loquitur, & Gobat. *d. tract. 5. num. 687.*

26. *Quær.* An stare, vel genu flectere juxta Rubricarum tenorem in officio sit de præcepto? *Resp.* Negativè in recitatione privata; adeò, ut, cessante contemptu, neque venialis culpa sit. Tambur. *d. §. 6. num. 4.* Gobat. *ibid. n. 695.*

27 *Quær.* Quænam sint causæ excusantes à recitatione officii Divini? *Resp.* Plurimas, sed omnes reduci ad tres tantùm, videlicet, Impotentiam, gravem Occupationem, Dispensationem. Tambur. *d. lib. 2. cap. 5. §. 8.* Gobat. *d. tract. 5. num. 708. & seqq.*

28. *Quær.* Qualis sit impotentia? *Resp.* Impotentia præcisa, nempè ex privatione Breviarii, ex infirmitate, non tam quæ advenit, sed etiam quæ timetur probabiliter adventura. Tambur. *d. §. 8. num. 2.* Gobat. *d. tract. 5. num. 709.*

29. *Quær.* An, qui non potest recitare totum officium, teneatur saltem unam partem recitare? *Resp.* Hanc dari regulam à DD. quòd, qui non potest recitare majorem partem officii, potest autem minorem, ad neutram obligatur. E contra, qui potest majorem recitare, non autem minorem, teneri recitare majorem ipsam partem. Qui verò mediam æqualem tantùm partem dicere potest, tenetur eam dicere. Tambur. *d. §. 8. n. 3. & 4.* Jo. Sancius *disp. 15.*

30. *Quær.* Quænam sit major pars officii, & quæ minor? *Resp.* Plures opiniones Doctorum reperiri. Præcipuæ sunt, Matutinum cum Laudibus esse majorem officii partem, unde, qui non potest illud recitare, neque ad alias horas recitandas tenetur. Vel majorem partem officii consistere in Matutino, Laudibus, & horis usque ad Nonam; undè, qui usque ad illam recitare non valet, neque Vesperas, & Completorium recitare tenetur. Ita Tambur. *alios allegans d. lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 8. n. 5. & seqq.* ubi *num. 10.* aliam opinionem Joannis Sancii refert, videlicet, non esse obligationem recitandi illam horam, cujus notabilem partem quis necesse habet omittere, ut si careat Breviario, sciat memoriter psalmos, sed non possit dicere lectiones, vel capitula & orationem. Ego autem dico, Matutinum cum Laudibus continere solam medietatem officii, idque desumo ex Bulla S. Pii V. quæ condemnat ad restitutionem dimidiæ partis fructuum illius diei omittentem recitare Matutinum & Laudes. Et ideò, qui non potest recitare totum Officium, sed tantùm unam partem, eam recitare debet relictis opinionibus supracitatis, etenim cavendum est ab eis, stante Propositione damnata ab Innocentio XI. *La 54.* quæ dicebat: *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

31. *Quær.* An qui cœcus est, & de per se non potest officium recitare, nisi cum socio, teneatur socium asciscere? *Resp.* Negativè. Tambur. *ubi supra num. 11.* qui tamen *num. 12.* contrarium sentit in cœco habente pingue beneficium; sed ego non recederem à negativa, quia infirmitas oculorum liberat ab onere recitandi officium; & quo ad fructus beneficii, si pingues sint, restat obligatio faciendi eleemosynas, non autem vocandi socium pro officio dicendo. Eminentiss. Cardin. Toletus *lib. 2. cap. 14.*

32. *Quær.* Quænam infirmitas requiratur ad omittendam recitationem Divini officii? *Resp.* Talis infirmitas, quæ aliquod detrimentum, ad arbitrium Viri timorati, & bonæ conscientiæ causare valeat. Hinc solam quartanam excusare ait Tambur. ex DD. per eum allegatis *d. §. 8. num. 13.* & quidem eam ego expertus per annum, quamvis numquam omiserim recitare officium ex Dei auxilio, quia sollicitus eram in hoc, tamen laborem nimium sentiebam, sed imitari volebam exemplum exemplarissimi Navatri idem de se scribentis *in Manuali cap. 25. num. 100.* & Gobati *d. tract. 5. num. 715.*

33. *Quær.* An peccet ille, qui officium non recitat ob infirmitatem oculorum, sed subinde per notabile tempus legit fabulas, vel libros profanos? *Resp.* Peccare, sed non ob omissionem officii, à quo infirmitas oculorum eum excusat, sed contra charitatem, legendo cum jactura oculorum, prout facit ille, qui comedit cibos nocivos sanitati. Tambur. *ibid. num. 14.* Gobat. *ibid. num. 718.*

34. *Quær.* Quid agendum in dubio, an recitatio nocitura sit sanitati, nec ne? *Resp.* Non esse recitandum, quia periculum nocumenti certum est, licèt sit incertum nocumentum ipsum. Tambur. *lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 7. verb. Hora Canonica num. 2.* Gobat. *d. tract. 5. num. 715.*

35. *Quær.* An occupatio excuset à recitatione officii? *Resp.* Affirmativè, si sit gravis, & necessaria vel ad salutem animarum, ut in administrantibus Sacramenta, vel ad aliquod grave punctum honoris, vitæ, vel fortunarum. Tambur. *d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 8. num. 16. 17. & seq.* ubi DD. cumulat.

36. *Quær.* Quid dicendum, si quis propè mediam noctem recitaturus sit officium, ac cœnaturus, & vocetur ad audiendam confessionem, ita, ut non remaneat tempus pro cœna, & pro officio, sed pro uno horum tantùm, & ex necessitate debeat sequenti die celebrare? *Resp.* Tamburinum proponere hunc casum *dict. §. 8. num. 19.* sed illum non resolvere. Ego dicerem, quòd nisi penitùs indigeret cibo, deberet recitare officium; quòd si omninò egeret, omittere officium, & manducare. Et ita etiam respondet huic casui Gobat. *in d. tract. 5. num. 722.*

37. *Quær.* An qui prævidet magnam occupationem in die habiturum, debeat recitare totum officium de mane? *Resp.* Tamburinus affirmativè, respuitque negativam aliorum Doctorum, & idem dicit de eo, qui te-

netur audire Sacrum summo mane, quando scit, non posse audire sequentibus horis. Tambur. *dicto* §. 8. *num.* 20. & Gobat. *d. tract.* 5. *num.* 711. ubi DD. dissentientes refert.

38. *Quær.* Quis possit dispensare à recitatione officii? *Resp.* DD. docere, quòd Papa erga omnes, Episcopi erga suos Diœcesanos, & Prælati Regulares erga suos subditos dispensare possunt. Papa absque causa. Cæteri non sine justa causa: At Episcopi, & Prælati inferiores verè, & propriè dispensare non possunt, sed declarare, legitimam esse causam non recitandi. Vide Tambur. *d.* §. 8. *num.* 23. usque in finem. Et Gobat. *eod. tract.* 5. *num.* 729. & 730.

39. *Quær.* An qui ob infirmitatem perpetuam non valet Divinum Officium recitare, teneatur dispensationem impetrare à Sede Apostolica, vel commutationem in alias preces? *Resp.* Negativè, quia Pyrrh. Corrad. *lib.* 4. *cap.* 2. *à num* 57. & *seqq.* docet, pluries per Romanos Pontifices hujusmodi supplicationibus responsum fuisse, si non potest recitari Divinum officium, non est opus commutatione. Cæterùm quia importunè solent insistere aliquando personæ scrupulosæ, praxis inolevit, dandi commutationem, ut loco Matutini, & Laudum recitetur Corona Deiparæ, pro horis septem Pater, & Ave, pro vespere duodecim Pater, & Ave; ac alios septem pro Completorio, ac sic ait dispensare Pœnitentiariam; sed Datariam commutare in officio Deiparæ; Sacram quoque Congregationem remittere commutationem arbitrio Ordinarii, vel Confessarii; ac etiam commutari per Breve sub annulo Piscatoris sub eadem formula, aliquibus paucis Orationibus mutatis.

40. *Quær.* Quam portionem fructuum amittant beneficiati, qui non recitant Divinum officium? *Resp.* Ex Bulla S. Pii Quinti, quæ incipit *Ex proximo &c.* omittentem recitare totum officium uno, vel pluribus diebus, amittere fructus correspondentes illi, vel illis diebus. Eum verò, qui omittit tantùm Matutinum, amittere dimidiam partem fructuum illius diei; qui omittit cæteras omnes horas, aliam dimidiam, qui verò harum aliquam, sextam partem fructuum illius diei amittere. Pyrrh. Corrad *d. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 65. ubi Bullam ponit per extensum. Novissimè Pignatellus *tom.* 9. *consult.* 69. ubi plenè examinat hoc Quæsitum.

41. *Quær.* Quid agendum cum beneficiato, qui pluries omisit recitare Divinum Officium, & non potest fructus restituere vel ob paupertatem, vel aliud grave incommodum? *Resp.* Praxin esse, ut recurrat ad Sacram Pœnitentiariam, quæ rescribit Confessario, ut eum absolvat, injuncta salutari Pœnitentia, & imposita aliqua eleemosyna facienda pauperibus ad arbitrium Confessarii juxta vires pœnitentis. Pyrrh. Corrad. *ubi supra num.* 67. & 68. & Pignatell. *d. Cons.* 69.

42. *Quær.* An Papa teneatur sub mortali recitare quotidiè Horas Canonicas? *Resp.* Negare Jo. Præpositum *in p.* 2. *D. Thomæ q.* 95. *disp.* 4. *dub.* 1. *num.* 4. & idem sentire, si non jejunet, sepositio tamen scandalo; at omninò affirmare Malderum, *in p.* 2. *q* 96. *art.* 5. §. *ut vero*, ita, ut omittendo recitationem Divini Officii absque causa peccet mortaliter. Diana Coordin. *par.* 1. *tract.* 3. *res.* 48. *in fine*.

43. *Quær.* Quid sentiendum est de Cardinalibus, nullum beneficium Ecclesiasticum habentibus? an scilicet ob solam dignitatem Cardinalitiam teneantur ad horas Canonicas? *Resp.* Hanc quæstionem examinari à Diana Coord. *p.* 3. *tract.* 6. *res.* 2. & pro utraque opinione Doctores, & rationes per eum adduci, & ipse adhæret opinioni affirmativæ, videlicet quòd teneantur, & quidem non à die recepti rubei galeri in Sacro Consistorio, quia illa est mera cæremonia; sed à die recepti biretti rubei, nam statim incipit esse Cardinalis, & fruitur illa sublimi dignitate, etiam accedendo ad conclave ad eligendum Summum Pontificem, ut vidi observatum in Eminentissimo Cardinali Delphino Patriarcha Aquilejensi, qui fuit creatus Cardinalis ab Alexandro VII. & cùm Papa obiisset, antequam ei galerum rubeum impertitus esset, nihilominùs dictus Cardinalis ivit ad Conclave, & ad electionem Papæ Clementis Noni, à quo postea galerum rubeum solenniter recepit *Anno* 1667. *Mense Junio*, quo tempore ego præsens eram in Alma Urbe cum meo Emin. Card. Barbadico.

44. *Quær.* An Clerici eo die, quo recipiunt ordines sivè Sacros, sivè Minores, teneantur sub mortali recitare Psalmos, quos ei Episcopus injungit? *Resp.* Eos, qui minores ordines recipiunt, non teneri sub mortali, sed ex sola honestate, DD. quos allegat, & sequitur Diana *d. p.* 3. *tract.* 6. *resol.* 3. *in coord. & res.* 23 §. *ult.* ubi videtur tenere, quòd etiam, qui Sacros ordines accipiunt, non nisi sub veniali obligatos esse ad injunctam recitationem Nocturni, vel Litaniarum ea die; sed ego contrarium teneo.

45. *Quær.* An sint aliæ Propositiones damnatæ circa beneficiatos, qui non recitant Officium? *Resp.* Esse duas sequentes. Una: *Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante Sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna.* Altera: *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.* Ita Alex. VII. *Prop.* 20. & 33. Idcircò tales Propositiones, ac assertiones sunt odio habendæ tanquàm scandalosæ, & damnatæ.

CAPUT XIX.

De Peccatis contra Primum Decalogi Præceptum, & primò de Superstitione.

Eginus de Adoratione, & Oratione, quæ spectant ad primum Præceptum Decalogi: Interrogemus nunc de peccatis contra ipsum primum Præceptum; & primò de Superstitione. Ideò

1. *Quær.* Quid sit *Superstitio*? *Resp.* Superstitio propriè sumpta, *est offensa facta*

Deo per cultum falsum, seu indebitum. Tamburin. *lib. 2. in Decal. cap. 6. § 1. num. 1. & 2.* Mastrius *in Theol. Moral. disp. 11. num. 25.*

2. *Quær.* Quomodo intelligatur cultus falsus, & quomodo indebitus? *Resp.* Cultum falsum esse, colere Deum per cæremonias Judaicas, vel Mahumetanas, vel per Cantica turpia, & inhonesta. At addere in Missa, vel Officio aliquam orationem ab Ecclesia non appositam esse cultum indebitum. Tambur. *d. §. 1. num. 2. & 3.* Salelles *de S. Inquisit. lib. 1. cap. 14. reg. 11.*

3. *Quær.* Quale peccatum sit Superstitio? *Resp.* Eam, quæ committitur cum falso cultu, esse peccatum mortale. Sed illam, quæ ex cultu indebito patratur, esse veniale, nisi fortè intermisceatur aliquod pactum cum Dæmone, vel aliqua gravis irreverentia, vel tacitus, sivè expressus contemptus Rubricarum; nam in his tribus casibus etiam cultus indebitus est peccatum mortale. Tamburin. *d. § 1. num. 2. & de Sacrificio Missa lib. 2. cap. 5. §. 1.*

4. *Quær.* Quale peccatum sit, exponere adorandas falsas Reliquias, vel fingere miracula non vera? *Resp.* Esse semper mortale peccatum ob gravem injuriam, quæ infertur Religioni; etiamsi ex bona intentione quis hæc faceret. Tambnrin. *d. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. num. 4.*

5. *Quær.* An sit aliqua culpa jejunare die Dominico? *Resp.* Si fieret ad negandam Resurrectionem Domini, ut faciebant Manichæi, esset culpa mortalis; si ex aliqua vanitate, aut studio singularitatis, esset venialis; nulla verò esset culpa, si nullus horum defectuum interveniret. Tambur. *d. §. 1. num. 5.*

6. *Quær.* An sit superstitio, adhibere medicamenta sympathetica, illa scilicet, applicando vel gladio, vel panno intincto sanguine vulnerati, vel infirmi, eodem absente? *Resp.* De hac re disputare Dianam Coordin. *tom. 5. tract. 10. resol. 109.* ubi tam pro opinione affirmativa, quàm negativa rationes, & Doctores allegat, & amplectitur ipse affirmativam, & tenet, rem esse superstitiosam, quia naturaliter non potest medicamentum illud operari in absentem, ideò ope Dæmonis præsumenda est illa operatio: & sic tenent Busembaum, Bonacina, & alii ibidem relati; imò Diana addit, sic medentes esse denunciandos S. Inquisitionis Officio. Vide Delrium *Disquisit. Magicarum, lib. 1. cap. 3. q. 4.* ubi disputat hanc quæstionem. Et Emin. Card. de Lauræa *in 3. Sent. tom. 4. disp. 20. de Miraculis, art. 19. num. 836. & seqq.* ubi ponit duodecim genera superstitionum.

7. *Quær.* An liceat sanare icteritiam, vulgò *giallezza*, mingendo in herbam vocatam Macrobium? *Resp.* Dianam illicitum, & superstitiosum hoc putare *d. tom. 5. tract. 10. res. 109. num. 16.* & Tambur. *in Decal. lib. 2. cap. 6. §. 1. num. 33.*

8. *Quær.* An superstitiosa sit illa praxis, quæ viget in Flandria, ut nati in die Paraseves suo contactu sanent febricitantes? vel septimus masculus natus ex legitimo Matrimonio, nullo fœmineo fœtu intercedente? vel illa, quæ viget in Gallia, ut Reges sanent strumosos per simplicem contactum? *Resp.* Non esse superstitiosam; quia illa Flandriæ est in honorem diei sacri, & matrimonii; illa verò Galliæ ex virtute Divina, & sic à Deo. Dian. *d. tom. 5. tract. 10. resol. 109. num. 17.*

9. *Quær.* An sit licitus quidam Ensalmus, qui circumfertur ad evitandam pestem, incipiens *Crux Christi salva me &c.* quem formatum dicunt à quodam Archiepiscopo Græco, sanctæ vitæ, & traditum Cardinalibus interessentibus Concilio Tridentino Anno 1546. tempore pestis? *Resp.* Non esse licitum, sed superstitiosum censeri à Mousa, & Marchino, quos citat, & sequitur Diana *tom. 8. Coordin. tract. 2. resol. 7.* addens, ita declarasse Sac. Congregationem *die 18. Septembr. 1630.* Et ideò non sunt adhibendi hujusmodi Ensalmi, neque cum protestatione, si Dæmon non subsit. Lessius *de Just. & Jur. lib. 2. cap. 44. dub. 6. num. 46.*

10. *Quær.* An peccent mortaliter Æthiopes, & alii populi Christiani, qui seipsos circumcidunt ad imitandum Christum Dominum? *Resp.* Non peccare mortaliter, si eos ignorantia invincibilis detineat, prout detineri videntur, cùm absint à veris Catholicis, & eos sic licere doceant illorum Presbyteri. Salelles *d. reg. 11. num. 15.*

CAPUT XX.

De Idololatria.

1. *Quær.* Quid sit *Idololatria*? *Resp.* Est *actus adorationis, quo quis aliquid creatum colit loco Dei.* Et dicitur Idololatria, id est, idolorum Latria. Salelles *de S. Officio Inquis. d. lib. 1. cap. 14. reg. 112. num. 21. & 22.* Mastrius *in Theol. Mor. d. disp. 11. num. 26.*

2. *Quær.* Quotuplex sit Idololatria? *Resp.* Duplex; Una strictè, & propriè sumpta, quæ, ut dictum est, adorat creaturas, & Idola. Altera large sumta, quæ metaphoricè sic dicitur, quando quis sic adhæret animo alicui vitio, vel peccato, ut quasi videatur adorare illud; & ita de Avaris dixit Apostolus *Ephes. 5.* quòd Avaritia est idolorum servitus; *& Philipp. 3.* de Gulosis, quòd eorum Deus Venter est. Salelles *d. reg. 112. num. 21.*

3. *Quær.* Quale peccatum sit Idololatria? *Resp.* Esse peccatum gravissimum, & læsæ Majestatis Divinæ, continens aliquando hæresin, aliquando odium Dei, & blasphemiam. S. Thom. *2. 2. qu. 94. art. 3.* Selelles *d. Reg. 112. num. 29.* Mastrius *d. num. 26.*

4. *Quær.* Quæ fuerunt causæ Idololatriæ introducendæ? *Resp.* Eas plures fuisse; videlicet *Curiositatem*, & sic Ægyptii ex aspectu siderum, ea adorare cœperunt ob pulchritudinem; *Affectum*, & sic Ninus Statuam erexit Belo Patri suo, Alexander Magnus deificavit Ephestionem amicum suum; *Adulationem*, & sic Populus Romanus deificabat Imperatores; *Gratitudinem*, & sic Dii sunt proclamati Triptolemus ob bladas, Bacchus ob Vinum, Pan ob lyram, Sterculius, quia docuit agros stercorari; atque *Timorem*, & sic ne læderentur populi, Deos falsos colebant,

lebant, alios ad pellendam febrim, vel ficitatem, vel grandinem, alios ad habendam abundantiam, nempè Cererem, Pomonam, Floram, Liberum; & tot numina fabulosa; ut eruditè enarrat P. D. Clemens Abbas Tosius in suo tractatu Indiæ Orientalis *tom.* 1. *discursu sexto*; & Salelles *d. lib.* 1. *cap.* 14. *reg.* 113. ubi plures Theologos adducit, & præcipuè. S. Thom. 2. 2 *quæst.* 94. *art.* 3. *&* 4.

5. *Quær.* An aliqui Idololatræ excusari possint à peccato mortali ob ignorantiam adorando plures Deos? *Resp.* Lactantium *lib.* 2. *Instit. cap.* 11. nulli excusationem dare; at Valentiam *tom.* 2. *disp.* 6. *punct.* 1. §. *reliqua verò*, tenere, quòd plurimi Idololatræ non peccent, quia in eis dari potest invincibilis ignorantia, circà cognitionem Unius Dei, stante tot Philosophorum varietate opinionum, & suorum parentum erronea institutione, ut refert idem Abb. Tosius *d. disc.* 6. *pag.* 217. *&* 218. & nos *in Decis.* 21. *de Sacrificio Missæ*; ubi plenè hanc quæstionem de Idololatris ignorantibus disputavimus.

6. *Quær.* Quot Deorum genera coluerint Gentiles Idololatræ? *Resp.* Quatuor; videlicet Hominum defunctorum, Idolorum, seu Statuarum, Elementorum, seu Syderum; ac rerum generi humano commodarum, seu noxiarum, quarum infinitus propè erat numerus. Salelles *d. reg.* 113. *lib.* 1. *cap.* 14. & nos *d. Decis.* 21.

7. *Quær.* Quomodo Gentiles credere potuerint tot Statuas, & Idola esse Deos veros? *Resp.* Quia Dæmones stabant in eis loquentes, juxta illud: *Omnes Dii Gentium Dæmonia. Psal.* 95. 5.

8. *Quær.* Quando originem habuerit Idololatria? *Resp.* Plures plura dicere, ut refert d. Abbas Tosius *discursu septimo pag.* 221. & videre est apud Sallian. *Anno Mundi* 250. & Torniell. *Anno Mundi* 236. Siquidem alii volunt, eam originem habuisse ante Diluvium, alii vero post, dum in Babylone erecta fuit Statua Beli à Nino, qui fuit temporibus Abrahami. Delrius *d. Disquisit. Magic. lib.* 1. *cap.* 3. & nos *de Sacrific. d. Decis.* 21. *n.* 5. ubi studiosus Lector reperiet plurima quæsita circa Idololatriam.

CAPUT XXI.

De Magia.

1. *Quær.* Quid sit Magia? *Resp.* Esse potestatem inordinatam faciendi, quod supra Naturam est. Ita Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 27. Vel quòd est ars, seu facultas, vi creata, & non supernaturali, quædam mira, & insolita efficiens, quorum ratio sensum, & communem hominum captum superat. Martin. Delrius *Disquisit. Magic. lib.* 1. *cap.* 2. ubi singula verba definitionis explicat. Salelles *de S. Inquis. lib.* 1. *Reg.* 119.

2. *Quær.* Quotuplex sit Magia? *Resp.* Est triplex, *Naturalis*, *Artificiosa*, *& Diabolica.* Prima, & secunda bona est, & licita; quia innitur secretis naturalibus, herbarum, vel lapidum virtutibus. Tertia prohibita est, & mala; quia innititur pacto vel tacito, vel expresso cum Dæmone. Mastrius *d. num.* 27. Delrius *d. cap.* 2. & Emin. Card. de Lauræa *in d. lib.* 3. *Sent. tom.* 4. *disp.* 20. *art.* 17.

3. *Quær.* Quomodo subdividatur Magia Diabolica? *Resp.* Quòd subdividitur in quatuor species, videlicet in *Magiam Specificam*, quæ studet facere mira. In *Divinationem*, quæ satagit scire res occultas. In *Maleficium*, quod artem nocendi quærit; & in *vanam Observantiam*, quæ spectat res nugaces, & inutiles ex levitate, vel voluptate animi. Delrius *d. lib.* 1. *cap.* 2.

4. *Quær.* Quid sit Magia naturalis? *Resp.* Quòd est exactior quædam arcanorum naturæ cognitio, qua cœlorum, ac syderum cursu, & influxu, nec non rerum singularum siympathiis, ac antipathiis observatis, suo tempore, loco, ac modo res rebus applicantur, & mirifica quædam perficiuntur, quæ causarum ignaris præstigiosa, vel miraculosa videntur. Delrius *d. lib.* 1. *cap.* 3. ubi plura exempla hujus naturalis Magiæ summatim recitat, ibidem videnda.

5. *Quær.* Qui fuerint bene instructi in naturali Magia, de quibus Sacræ Litteræ mentionem agunt? *Resp.* Benè fuisse de ea instructos Adam, Salomonem, & Tres Magos, qui ad adorandum Dominum accesserе. Delrius *d. cap.* 3.

6. *Quær.* Quotuplex sit *Magia naturalis*? *Resp.* Est duplex, *Operatrix*, quæ effectus miros facit, & *Divinatrix*, quæ pandit abscondita, & occulta. Delrius *ibid. cap.* 3.

7. *Quær.* Quænam sint exempla Naturalis Magiæ operatricis? *Resp.* Talia esse, Sphæram vitream Archimedis, Combustiones Navium per specula in obsidione Syracusarum, Archytæ Columbam ligneam volantem, aviculas aureas cantillantes Leonis Imperatoris, & alias volantes Boëtii, de quibus latiùs idem Martin. Delrius *d. lib.* 1. *cap.* 4.

8. *Quær.* Quomodo cognoscatur, an Magia operatrix sit licita? *Resp.* Si effectus rei non superet efficaciam causæ naturalis; ideò caput æneum, quod dicunt ab Alberto Magno sic compositum, ut humanam vocem proferret, est reponendum inter Magiam præstigiatricem, & illicitam, quia naturæ vires superat, ut æneum caput loquatur. Delrius *d. cap.* 4.

9. *Quær.* An licita sint prodigia illa, quæ fiunt à circulatoribus, agyrtis, & funambulis? *Resp.* Plurima esse licita, quia fiunt ex agilitate manus, vel corporis. Porrò non est toleranda, quando scandalum gerunt in populo fideli, monet idem Delrius *d. cap.* 4. subdens, quòd cautè agant Judices cum his circulatoribus, quia sæpè sub figmento dexteritatis ope dæmonis mirabilia faciunt, prout refert de nonnullis, qui à S. Inquisitione convicti & puniti fuerunt.

10. *Quær.* An sit aliqua virtus Naturalis in numeris Arithmeticis? *Resp.* Negativè, si ut numeri accipiantur. Gobat. *in Opusculo de Superstitione num.* 930. ubi irridendos ait Medicos, vel Pharmacopolas, qui asserent, pillulas non profecturas, nisi in dispari numero sumantur. Sic non est curan-

dum de diebus criticis, vel annis clymactericis, quia numerus dierum, vel annorum nullam habet virtutem, vel poteſtatem in hominum vitam; licèt verum ſit, quòd natura in numero ſeptenario, vel alio ſtrictiori, vel laxiori ſoleat movere, ſeu conſumere humores peccaminoſos juxta complexionem individui calidiorem, vel frigidiorem; & ſic Medici ſolent prædicere in tali, vel tali die bonum, vel malum exitum infirmitatis. Delrius *d. lib.* 1. *cap.* 4. *q.* 2. & nos oſtendimus *De Sacriſ. Miſſ. Deciſ.* 39. *num.* 29. ubi de diebus criticis.

11. *Quær.* An verbis, & Incantationibus inſit vis aliqua morbos ſanandi, aut mirifica perficiendi? *Reſp.* Negativè, & contrarium docentes, ſunt vel cabbaliſtæ, vel ſeductores, ut latè demonſtrat Delrius *d. lib.* 1. *cap.* 4. *qu.* 3. ubi tamen excipit Orationes, & Exorciſmos Eccleſiæ, in quibus Dei Omnipotentis virtus operatur.

12. *Quær.* Quid ſit *Magia Dæmoniaca*? *Reſp.* Eſſe artem, per quam mediis inutilibus, & non à Divina providentia, ſed à dæmone inſtitutis, uti primo, & præcipuo ejus auctore, aliqui effectus expectantur, & re ipſa fiunt. Salelles *d. lib.* 1. *de Materiis Tribun. fide reg.* 119. *num.* 169.

13. *Quær.* Quot modis Dæmon operetur magicis ſuis actibus? *Reſp.* Modis quatuor. Primò, objiciendo ſenſibus corpora vera aliunde aſportata. Secundò, repræſentando tantùm phantaſticas corporum ſimilitudines. Tertiò, illudendo ſenſibus externis, ita ut homo credat videre, quod non videt. Quartò, illudendo ſenſibus internis, & alterando imaginativam. Salelles *d. reg.* 119. *num.* 170.

14. *Quær.* In quo Tribunali ſint puniendi illi, qui hanc Magiam Dæmoniacam exercent? *Reſp.* In Tribunali Sanctæ inquiſitionis ex Bulla Sixti V. Incipit *Cœli, & Terra, &c.* & tales Magi dicuntur committere peccatum Idololatriæ, quia honorem, & fidem Deo debitam præſtant ipſi Dæmoni. Salelles *d. cap.* 14. *reg.* 119. *num.* 185. & Maſtrius *d. diſp.* 11. *num.* 27.

15. *Quær.* Quis fuerit Auctor Magiæ Dæmoniacæ? *Reſp.* Auctores reputari Gigantes illos, qui extabant ante Diluvium, à quibus edoctus Cham filius Noë, ipſe poſtea hanc peſtiferam artem transmiſit in poſteros; & nunquam defecerunt Magiſtelli peſſimi eam docentes, quales fuerunt Magi illi Pharaonis facientes prodigia, ſicut Moyſes cum Virga faciebat; & Simon Magus, de quo *Act.* 8. & ſemper aliqui erunt uſque in finem mundi, quando ſurgent Pſeudochriſti; & Pſeudoprophetæ, & facient ſigna; & prodigia. *Matth.* 23. Ita Salelles *d. reg.* 119 *num.* 186. *&* 187.

16. *Quær.* An Magiam Dæmoniacam exercentes poſſint abſolvi à quocunque Confeſſario? *Reſp.* Si Magia ſit cum errore intellectus, & ſic cum hæreſi, non poteſt abſolvi; nam Magus iſte eſt etiam hæreticus, & excommunicatus Bulla Cœnæ Domini. Si non ſit cum errore intellectus, poteſt abſolvi, quia non eſt excommunicatus, ſed excommunicandus. *Cap. Si quis* 26. *qu.* 5. Idem dic de conſulentibus Magos. Maſtrius *d. diſp.* 11. *num.* 27.

CAPUT XXII.

De Alchimia.

1. *Quær.* An Alchimia ſpectet ad Magiam naturalem? *Reſp.* Affirmativè. Delrius *d. lib.* 1. *Diſquiſ. Mag. cap.* 5.

2. *Quær.* Quid ſit Alchimia? *Reſp.* Quòd eſt ars fundens, ſeu liquans metalla ad aurum conficiendum; & dicitur Alchimia à Verbo Hebraico *Alchim*, quod fluxum ſignificat. Delrius *d. cap.* 5. *quæſt.* 1. *ſect.* 1.

3. *Quær.* An verè Alchimia poſſit metalla in aurum transformare? *Reſp.* Tres eſſe Doctorum ſententias. Prima eſt, non poſſe per Alchimiam verum aurum produci. Toſtat. *in Exod. cap.* 7. *qu.* 10. Secunda eſt, poſſe quidem gigni aurum quaſi verum, quod tamen vendi non liceat, aut adhiberi pro vero. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 2. *ad* 1. Tertia eſt, per Alchimiam poſſe fieri aurum perfectius, & purius, quàm quod gignitur in viſceribus terræ; & hanc tenent omnes Chymici, quos refert Delrius *d. lib.* 1. *cap.* 5. *qu.* 1. *ſect.* 2. ubi quartam addit ſententiam, dicens; dubium omninò eſſe, an per Alchimiam aurum fieri poſſit.

4. *Quær.* An Alchimia ſit licita? *Reſp.* Aut loquimur in foro fori? & in hoc de Jure civili non reperitur prohibita; ſed de Jure Canonico prohibita reperitur in *Extravagan. Jo.* 22. *Spondent. De Crimine falſi in comm.* quamvis Delrius *d. lib.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 4. dicat, canonem illum non eſſe in obſervantia. Aut loquimur in foro conſcientiæ, & in hoc dicendum eſt, licitam eſſe ſervatis quatuor conditionibus, videlicet: *Finis, Modi, Temporis, & Perſonæ.* Conditio *Finis* eſt, ut Alchimia exerceatur non ex lucro, aut avaritia, vel ut in medicamentis utatur, quia aurum illud non habet veras proprietates auri; ſed ex animi recreatione, vel ut illud adhibeat in ſua ſuppellectili, vel in annulis aut catenis. Conditio *Modi* eſt, ut abſit omninò pactum, ſeu auxilium diaboli expreſſum, vel tacitum. *Temporis*, ut non nimium tempus in hanc artem exercendam inſumatur, ſed tantùm, quantum honeſto otio licet dare. *Perſonæ* conditio eſt, ut hæc non ſit egena, & pauper; ſed ditiſſima, & locuples, quales ſunt Principes; ut diſertè ſcribit Delrius *d. quæſt.* 4. ubi notat, Angliæ extare legem vetantem ſub pœna capitis, ne quis exerceat Alchimiam absque licentia Regis, quam legem expediret ubique promulgari. Supradictas conditiones videtur approbare etiam Theſaur. *de Pœn. Eccleſ. par.* 2. *Verb. falſum cap.* 2. Vide Chaſſanæum *in Catalog. glor. Mundi par.* 11. *Conſid.* 40. ubi de Alchimia, & Alchimiſtis tractat.

CAPUT

CAPUT XXIII.

De Divinatione.

1. *Quær.* Quid sit *Divinatio? Resp.* Est inordinata prædictio earum rerum, quæ naturaliter sciri nequeunt, per media non constituta à Divina providentia. Tambur. *in Decal. lib. 2. cap. 6. §. 1. num. 9.* Mastrius *disp. 11. num. 28.*

2. *Quær.* Quæ, & quot sint media illicita divinandi occulta, seu futura? *Resp.* Ea esse plura, sed recipere nomen à modo, quo divinans utitur; & ideò vel est *Astrologia*, cùm recurrit ad motus Stellarum: vel *Aruspicium* ad volatus avium: vel *Sortilegium*, cùm ad jactum sortium: vel *Necromantia*; cùm ad ossa, vel cadavera mortuorum: vel *Hydromantia*, cùm utitur aqua: vel *Geomantia*, cùm adhibet Terram: vel *Aeromantia*, si aerem: aut *Pyromantiam*, si ignem. Tambur. *d. §. 1. num. 9.* & Mastrius *eadem disp. 11. num. 28.*

3. *Quær.* Quæ circumstantiæ sint perquirendæ à Confessario, dum audit antedictas species divinationum? *Resp.* Duæ, videlicet, an divinans fecerit pactum expressum cum Dæmone? & ad quem finem ulus sit divinatione? quia si, exempli gratia, ad malum finem egerit, puta ad puellam subornandam, reus erit etiam incontinentiæ. Tambur. *d. §. 1. n. 10. & 11.* Mastrius *ibid. num. 28.*

4. *Quær.* Quale peccatum sit *Divinatio? Resp.* Esse peccatum mortale gravissimum, si fiat cum expresso pacto Dæmonis. At si ex tacito tantùm, potest esse veniale, quando fit ex ignorantia, vel joci causa, & animo non credendi. Tambur. *d. §. 1. num. 12.*

5. *Quær.* An licitum Astrologis ex observatione syderum, & planetarum, prædicere futura? *Resp.* Licitum esse in generali prædicere ea, quæ pertinent ad sanitatem, mutationem temporum, ubertatem, sterilitatem, & inclinationes hominum. At in particulari non licet asserere, id, vel id esse venturum; quia hoc soli Deo cognitum est, & cui voluerit Deus revelare; & ideò vetitum est Astrologis, prædictiones de rebus particularibus futuris facere per Constitutionem Sixti Quinti. Tambur. *d. lib. 2. in Dec. cap. 6. §. 1. num. 13. & 14. & seq.* Mastrius *ead. disp. 11. num. 28. & 29.* & novissime Gobat *in libello De Superstitione num. 912.*

6. *Quær.* An peccet ille, qui habuit sui natalis figuram ab Astrologo, vel prædictionem aliquam, & secundùm illam se regit, vel ad effugienda pericula suppositia, vel consequenda lucra, aut dignitates? *Resp.* Si id agat cum infallibili credulitate, peccabit mortaliter; at si cum incertitudine, & tali quali spe, vel timore, erit culpa venialis. Tambur. *d. §. 1. num. 20.* Et ad cognoscendum, quàm vana sit ars Astrologorum, ridiculum, sed efficax est, quod legitur in Vita F. Pauli Veneti, suo scilicet tempore in Palatio Ducis Mantuæ, cùm quadam nocte equa peperisset mulum, Princeps ille, recreationis causa, fecit signare constellationem Stellarum, & deinde pluribus ab Astrologis quæsivit horoscopum, & nativitatem unius bastardi, in Palatio Principis sub ea constellatione nati; & ferè omnes impropria responsa dederunt, quia alii prædicebant, natum illum futurum esse Cardinalem, alii magnum Ducem exercituum, alii felicem in nuptiis; & sic apparet, vanissimam esse artem Astrologorum, ut ex professo scribit P. Joannes Baptista Nocetus Soc. Jesu in suo libello *de Astronomia Optima, Indifferenti, & Pessima*; impresso Parisiis anno 1663.

CAPUT XXIV.

De Vana observantia.

1. *Quær.* Quid sit *Vana observantia? Resp.* Esse illam superstitionem, qua mediis inutilibus, & à Divina Providentia nequaquam institutis procurantur sanitates, divitiæ, & similia. Valen. 2. 2. *lib 6. quæst. 13.* Tolet. *lib. 4. cap. 15.* & Mastrius *in Theol. Mor. disp. 11. num. 30.*

2. *Quær.* Quænam sit differentia inter Vanam observantiam, & Divinationem? *Resp.* Quòd Divinatio refertur ad aliquid cognoscendum; sed Vana observantia ad aliquid obtinendum. Tambur. *lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. num. 23.* Mastrius *ibid. num. 30.*

3. *Quær.* Quale Peccatum sit Vana observantia? *Resp.* Esse mortale gravissimum, quando fit cum expressa Dæmonis invocatione. Est pariter mortale, quando fuerit cum invocatione tacita, nisi excuset vel ignorantia, vel jocus, vel animus non credendi, vel raritas, & parvitas materiæ. Tambur. *d §. 1. num. 24. 25. 26.* & melius *num. 49.* Idem Mastrius *num. 30. & 31.*

4. *Quær.* Quando censenda sit tacita Dæmonis invocatio? *Resp.* Quando adsunt verba non significantia, vel figuræ inutiles, vel conditiones vanæ, aut certæ promissiones. Tambur. *ibid.* & Carena *de S. Inquisit. par. 2. tit. 12. num. 302.*

5. *Quær.* Quænam esse soleant Vanæ observantiæ apud vulgum frequentiores? *Resp.* Nolle opus incipere uno die potius, quam alio. Die Veneris nolle ungues præscindere. In Sabbato non nere. Servare ova exclusa die Parasceves. In nocte Sancti Joannis Baptistæ herbas colligere, vel primam vocem, vel primum hominem advenientem attendere, ut maritus cognoscatur. Ictericiam sanare adhibito filo textoris. Morbos ex repentina Verborum Sacrorum prolatione fugare. Nolle inter tresdecim convitatos ad mensam sedere. Gladium percussoris medicamentis fovere, & absentem vulneratum sanare, ac filium, à quo pendeat lapillus, vel annulus inter pollicem, & indicem intra Vas aliquod suspensum tenere; & illum ictus horarum sonantem audire; de quibus & aliis Tambur. *d. §. 1. à num. 33. & seqq. & num. 79. libr. 2. in Decal. cap. 6.*

6. *Quær.* Quomodo, & quando Vana observantia in præfatis, & consimilibus operibus censenda sit prohibita, & mortalis? *Resp.* Tres casus esse distinguendos; Primò, si sola Sacra adhibeantur. Secundò, si sola non Sacra. Tertiò, si Sacra, & non Sacra simul. In primo casu, si sola Sacra adhibeantur ex

mera

mera devotione, & fiducia in Deum, non est peccatum, imò est opus pium, quia in Deo debemus sperare. Si verò certus, & infallibilis eventus expectetur, est Vana observantia, & superstitio; & quidem mortalis, quia præter Sacramenta, & Sacramentalia nihil est ex Sacra Scriptura, quod infallibilem habeat eventum. Suarez *tom. 1. De Relig. lib. 2. cap. 15. num. 27.* Tambur. *d. lib. 2. in Decal. cap. 2. §. 1. num. 46.* ubi tenet, mortale, & superstitiosum esse jejunium cum Communione factum in festo S. Stephani, ad hoc ut nunquam gladio possint interfici, quia talis eventus infallibiliter non est expectandus; secùs verò, si jejunium fiat ad obtinendam protectionem S. Stephani. Sic adhibere versus Psalmorum vel ad mutos reddendos canes, vel ad morbos sanandos infallibiliter, superstitiosum est; non ita, si ex spe auxilii Divini. Prout etiam mortale erit, adhibere res sacras, etiam sine credulitate certi eventus, at ad res vanas, leves, & inutiles, quia magna est irreverentia, & offensa Dei. Idem ex Astesano depromit Mastrius *d. disp. 11. num. 30. & 31.*

In secundo casu, si res prophana tantùm adhibeatur, quæ non habet vires ad effectum quæsitum obtinendum, censetur mortale, quia operatio procederet ex operatione Dæmonis, & ex ejus invocatione vel expressa, vel tacita; erit tamen veniale tantùm, si parvitas materiæ, vel ignorantia excuset. Porrò si in re vis naturalis insit ad effectum illum producendum, nulla erit culpa, dummodo verba, vel circumstantiæ vanæ tanquam necessariæ non apponantur. Tambur. *d. §. 1. à num. 51. & seqq.*

In tertio casu, Quando Res Sacræ, & non Sacræ simul adhibentur (non quidem Eucharistia, vel Oleum Sacrum, quia esset maximum Sacrilegium) sed vel sal benedictum, aut aqua, aut incensum; in hoc casu, si res habeat vim naturalem producendi effectum quæsitum, & verba, seu benedictiones adjungantur ad Dei opem magis implorandam, nullum est peccatum; secùs autem si tales vires res adhibita naturaliter non habeat, & verba quis proferat non ex devotione, sed ex præsumptione certi eventus. Tambur. *ubi ante à num. 57. & seqq.* & Mastrius *num. 31.*

7. *Quær.* Quando dubium nascitur, an actio sit superstitiosa, vel ne; quomodo cognosci potest ipsa veritas? *Resp.* Sequentes Regulas observandas esse. Prima est, quando in re nulla miscetur superstitio verborum, aut circumstantiarum, & fortitur effectus, tenendum est, illum procedere occulta virtute naturæ. Secunda est, si effectus superat omnem vim naturæ, ut est revelatio secretorum cordis, resuscitatio mortui, repentina sanitas in morbis radicatis, dicendum est, esse operationem superstitiosam, nisi petita sit à Deo, vel à Sanctis suis. Tertia, si Viri docti, & pii laudent opus, potest fieri, secùs si detestentur. Et Quarta est, si rei virtutem naturalem habenti addatur verbum, vel circumstantia superstitiosa, est ab ea abstinendum. Sanchez *in Decal. lib. 2. cap. 40. num. 44.* Tamburin. *d. §. 1. à num. 63. & seqq.* & Gobat. *in Opuscul. de Superstitione num. 926.*

8. *Quær.* An eveniente aliquo effectu miraculoso ex re, vel verbis devotis, sit tribuendus Deo, vel Dæmoni? *Resp.* Si ex oratione, & prece tantùm ob fiduciam in Deum proveniat, erit Deo tribuendus, at si aliqua superstitio quomodolibet juncta sit, certusque effectus, & infallibilis expectetur, referendus est ad pactum vel tacitum, vel expressum cum Dæmone. Tamburin. *d. lib. 2. in Dec. cap. 6. §. 1. num. 68. & seqq.* Mastrius *d. disp. 11. num. 30. & 31.*

9. *Quær.* An licitum sit uti re dubia ob magnam necessitatem, quando pensatis omnibus sciri non potest, utrùm effectus sit à Deo vel à Dæmone? *Resp.* Licitum esse, sed cum protestatione non utendi, quatenus sit à Dæmone. Lessius *lib. 2. cap. 44. num. 46.*

CAPUT XXV.

De Maleficio.

1. *Quer.* Quid sit *Maleficium*? *Resp.* Est vis, ac potestas nocendi aliis ex pacto expresso, vel tacito cum Dæmone. Tamburin *lib. 2. in Dec. cap. 6. §. 2. num. 1.* Mastrius *d. disp. 11. num. 32.*

2. *Quær.* Quotuplex sit *Maleficium*? *Resp.* Quamvis DD. plures divisiones assignent, illa tamen communior, & principalior est, quòd sit Duplex, *Amatorium* scilicet, & *Veneficum*, seu *Hostile*. Primum est, quod ad captandas delectationes carnales intentatur. Alterum, quod ad proximum damnificandum. Tambur. *ubi supra.* Martin. Delrius *Disquis. Magicar. lib. 3. quæst. 1.* & Mastrius *d. num. 32.*

3. *Quær.* Quot, & quibus modis fiat maleficium amatorium? *Resp.* Duobus modis, videlicet vel in corpore per cibum, aut potum; aut extra corpus per unctiones membrorum, vel appositione rerum in cubiculis, lectis, vel vestibus. Delrius *d. lib. 3. quæst. 3.* ubi advertit, quòd sæpè sæpius adhibent Lamiæ, Sagæ, & Malefici res Sacras, & etiam (quod horrendum est) Sacrosanctam Eucharistiam.

4. *Quær.* An Maleficia amatoria vim habeant ad cogendos homines, ut personas ament etiam inviti? *Resp.* Negativè, si de omnimoda voluntatis coactione loquamur. Tantummodò possunt perturbare imaginationem, concitare humores, & corpus œstro quodam libidinis vexare, ut accedente persona, ob quam factum est maleficium, possit feliciùs ipse maleficiatus ad carnalem copulam devenire. Delrius *d. lib. 3. quæst. 3. sect. 2.* & facit Tex. *in l. Eorum. C. de Malefic.* Mastrius *d. disp. 11. num. 32.*

5. *Quær.* Quot, & quibus modis fiat Maleficium *Veneficum*, seu *Hostile*? *Resp.* Fieri pluribus modis, & ex eis varia nomina accipere. Ideò Primum dicitur Maleficium *Somnificum*; & est illud, quo utuntur Malefici ad incutiendum talem somnum in illis de domo, ut commodè possint vel furari, vel filiolos

oppri-

opprimere, prout pluribus exemplis probat Delrius *d. lib. 3. qu. 2.*

Secundum dicitur *Fascinatio*; quæ est triplex, Vulgaris, seu Poëtica, Philosophica, & Magica. Prima provenit ex fixa quadam opinione alicujus, qui non videtur ex ea posse recedere; Secunda est, quam alicui causant intuitu oculorum reciproco. Tertia, quæ ex operatione Dæmonis proficiscitur. Delrius. *d. lib. 3. q. 4. sect. 1.*

Tertium dicitur *Veneficium*, quod à Sagis, & Strigis ope Dæmonis variis modis fit in damnum proximorum; videlicet, vel per unguenta, ad quorum tactum homines intereunt, vel per aëreas tempestates provocatas; vel per pulverem in potu, vel cibo immixtum; vel inhalationem, vel sufflationem in ore, undè venenum ad cor statim descendit; vel per chirothecas, aut globulos odorem spirantes, de quibus omnibus exempla plura refert Martin. Delrius *d. lib 3. cap. 4. sect. 2.* ubi in fine notat, in prædictis Veneficiis opem Dæmonis semper instare, quia sola naturali virtute esse non potest, ut venena ipsa sic potenter agant in corpora humana.

Quartum est Maleficium *Devovendi*, per quod Dæmones ingrediuntur corpora hominum, ad illos vexandos; circa quod, & de modo habitandi Dæmonem in corporibus, & operandi in eis, & de mediis, quibus malefici utuntur, ad intrudendos Dæmones in ipsis corporibus, disertè agit idem Delrius *d. cap. 4. sect. 7.* per totam; subdens, quòd sæpè Dæmones ingrediuntur corpora humana vel ob aliquod grave peccatum obsessi, vel ob parentum imprecationes.

Quintum est Maleficium *Ligaminis*, quo sponsi fiunt inhabiles ad copulam carnalem, & ad consummandum Matrimonium, de quo extat integer titulus *de Frigid. & Maleficiatis*, & fit pluribus modis, videlicet, *Primò*, quando ex maleficio conjuges inter se reddunter odiosi. *Secundò*, quando inter corpora conjugum ponitur impedimentum, ita, ut nequeant ad se appropinquare. *Tertiò*, quando spiritus vitales prohibentur transire ad membra generationis. *Quartò*, quando semen prolificum exsiccatur, & subtrahitur. *Quintò*, quando Virga virilis fit flaccida, adeò, ut nunquam sponsus eam possit erigere. *Sextò*, quando Viri genitale vel retractatur, vel absconditur, vel adimitur. *Septimò*, quando vas muliebre vel coarctatur, vel penitùs obseratur. De quibus omnibus plenè agit Delrius *d. lib. 8. c. 4. sect. 8.* Theologi de Matrimonio quoad Impotentiam. Et ex Medicis Zacchias *in DD. Medicolegal. lib. 9. tit. 3. q. 2.* ubi *à num. 22.* docet signa, ad cognoscendum, an Conjux sit frigidus, vel potiùs sit maleficiatus.

Sextum est Maleficium *Odii*, cùm maleficæ suis præstigiis faciunt, ut conjuges se odio habeant, & simul non possint ampliùs habitare; quod quidem per potiones, vel cibos, aut alia signa patrant malefici, sed Dæmone operante præviis imaginibus in phantasia aptis odium movere, cum causis amaritudinis, ex quibus homo irritatur, & excandescit.

Septimum dicitur Maleficium *Oblivionis*, quo conjux obliviscitur proprium conjugem, & filios, & ad veneficam, vel aliam adulteram accedit; ut exemplis demonstrat Delrius *ubi suprà sect. 9.*

Octavum denique appellatur Maleficium *Incendiarium*, quo malefici domos, fruges, ac humana corpora igne consumunt, ut videre est apud eundem Delrium *ibid. sect. 10.*

6. *Quær.* Quibus personis præcipuè Malefici valeant nocere? *Resp.* Illis valent nocere, quibus Dei permissione non impediuntur, nam, ut diabolus in porcos intraret, veniam à Christo Domino petiit; & Jobum non potuit affligere, nisi ex Dei permissione. Cæterum præcipuè malefici videntur sævire in infantulos, maximè non baptizatos, vel ex eorum odio in parentes, vel ex nimia impietate, ut eorum sanguinem sugant, vel corda comedant; ad patientiam in tormentis consequendam, adeò, ut nunquàm crimina confiteantur. Martin. Delrius *d. lib. 3. qu. 5. num. 1. & 2.*

7. *Quær.* Quare Deus permittat, infantulos à maleficis vexari, & occidi, præcipuè ante baptismum cum perpetua privatione æternæ felicitatis? *Resp.* Si sunt baptizati, hoc à Deo permitti vel in pœnam parentum, vel ad eorum probationem, vel ut à peccatis præservati cœlum conscendant. S. Augustin. *lib. 21. de Civit. Dei cap. 14.* vel si baptizati non sunt, ne propter actualia peccata, quæ viventes commisissent, graviorem sibi acquirerent damnationem. Delrius *d. lib. 3. quæst. 5. num. 2.*

8. *Quær.* An malefici valeant etiam Judicibus, & justitiæ ministris nocere? *Resp.* Experientiam docere, quòd vel rarò, vel nunquam maleficia contra Judices, & Justitiæ ministros virtutem habeant: hoc autem præcipuè procedit ex Dei permissione, ut tandem sceleratissimi homines pœnas luant. Et licèt aliquando Malefici potuerint Judices offendere, id evenerit in pœnam vel avaritiæ, vel injustitiæ eorum Judicum; nam qui cum pietate, zelo, & justitia judicant, non sunt expositi, ex Dei defensione, his maleficiis. Delrius *d. q. 5. num. 3.*

9. *Quær.* Cur Deus permittat, maleficos rebus sacris abuti? *Resp.* Præcipuam causam esse irreverentiam ipsorum Sacerdotum, vasa Domini, non eo in honore, quo oportet, habentium; nec seipsos castos, & puros à labe peccatorum exhibentium, ut *Isai. 1. num. 13.* dolet Dominus, & demonstrat Delrius *d. lib. 3. quæst. 6.*

10. *Quær.* Cur per maleficia sic Deus permittat Dæmonem grassari? *Resp.* Ob duas præcipuas causas, scilicet ob gloriam Dei, & ob hominum utilitatem. Gloria Dei resultat ex multiplici ejus Clementia, Sapientia, & Suavitate, dum sæpè recipit ad pœnitentiam eos, qui se pactis conventis, & data syngrapha Dæmoni manciparunt; dumque sæpè Dæmonem superbiæ patrem facit, ut imbecilles homulli superent, & effugere obligent; & dum suam Justitiam

etiam in hoc mundo exercet delicta hominum puniendo. Utilitas verò hominum resultat, quia ipsi exercentur in patientia, recurrunt ad Sacramenta; omnes virtutes amplectuntur, fides nostra roboratur, Athei, & Infideles confunduntur; dum tot, & tantis modis videntur Dæmones, & eorum artes per Catholicos destrui, & fugari, quod facere non valent Hæretici, & Sectarii Novatores. Delrius *d. lib. 3. quæst. 7. sect. 1.*

11. *Quær.* An sint aliæ causæ, ob quas Deus permittat, homines à Diabolo offendi per maleficia? *Resp.* In causa esse peccata, & pessimos mores, præcipuè blasphemias, luxurias, contemptus rerum Sacrarum, immisericordiam in pauperes, & imprecationes, de quibus, & aliis exempla plurima refert Delrius *d. q. 7. sect. 2.* Et ego *de Sacrif. Missæ Decis. 42. num. 81.*

12. *Quær.* Cùm possit Diabolus de per se nocere hominibus, cur malit uti opera maleficiorum? *Resp.* Ob duas causas. Una est, quia putat majorem injuriam inferre Deo, cùm pervertit creaturas suas baptismate ablutas. Altera, quia plura potest mediantibus hominibus, quæ non posset à semetipso; ut rebus Sacris abuti, hæreses disseminare, errores docere, & similia facere, ut probat Martin. Delrius *d. lib. 3. q. 8.*

13. *Quær.* Quæ, & quot observare debeat Confessarius, quando audit Confessionem *Malefici? Resp.* Duo potissimum. Unum, an fecerit pactum expressum cum Dæmone, & habuerit commercium actuale cum illo? quia hoc est peccatum exprimendum manifestè. Tambur. *de Confess. lib. 2. cap. 2. §. 5. & lib. 2. in Decalog. cap. 6. §. 1. num. 10.* Et multò magis, si maleficus commisisset cum Dæmone Idololatriam, fornicationem, vel in hæresin incidisset. Tambur. *d. cap. 6. §. 2. num. 2.* Alterum, an Maleficus alicui intulerit damnum, nam tenebitur ad restitutionem. Tambur. *ibid. num. 2.* & Mastrius *disp. 11. num. 32.* & ego de Pœnitentia *Decis. 27. num. 4.*

14. *Quær.* An liceat uti opera Malefici ad Maleficium dissolvendum? *Resp.* Si Maleficus id agere debeat faciendo novum Maleficium, non licere. Si verò tollendo tantùm signum maleficii, vel illud destruendo, in hoc casu licere; quia hoc non est peccatum. Tambur. *d. §. 2. num. 4. & 5.* & Gobat. *d. Opusc. de Superstitione à. num. 941. & seqq.* ubi curiosos casus recenset.

15. *Quær.* An quando aliquis scit, posse Maleficum dissolvere maleficium tam sine novo maleficio, quàm faciendo novum maleficium, sed dubitat, quonam modo sit maleficus usurus; possit absolutè petere, ut solvat? *Resp.* Esse probabile, quòd possit petere; quia Maleficus valet satisfacere petitioni absque peccato. Quòd, si cum peccato velit satisfacere, est imputandum illi, non autem petenti. Sanchez *in Decal. cap. 41. n. 13. lib. 2. de Matrim. lib. 7. disp. 95. num. 12.* Tambur *d. §. 2. num. 7.* Sed his non consentit Gobat. *de Superstit. num. 944.* quia nulli est danda occasio peccandi.

16. *Quær.* An, quando Maleficus expressè protestatur, velle dissolvere maleficium, sed cum superstitionibus, vel novo maleficio, possit, qui eget dissolutione, id permittere? *Resp.* Negativè, quia aliud est nescire, quid Maleficus faciat; & aliud videre, & gratam habere operationem malam. Tambur. *d. §. 2. num. 9.* Gobat. *ubi supra num. 943.*

17. *Quær.* An, qui dubitat, utrùm Maleficus possit absque novo maleficio maleficium dissolvere, possit ab eo petere dissolutionem? *Resp.* Affirmativè, quando habet aliquam rationem probabilem credendi, quòd possit dissolvere absque novo maleficio. Lessius *lib. 2. cap. 44. num. 46.* & Tambur. *d. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 2. num. 10.*

18. *Quær.* Quomodo dicatur licitum esse petere dissolutionem maleficii à Malefico, cùm à Scriptura Sacra prohibitum sit adire, & consulere hoc genus personarum? *Resp.* Ideò esse licitum, quia petens non consulit eos tanquam maleficos, sed tanquam doctos, & scientes tollere maleficia licitis modis. Hinc licet quis à Dæmone didicisset artem bonam, vel medicinam naturalem, non peccaret, illam alios docendo, vel adhibendo. Tamburin. *d. lib. 2. cap. 6. §. 2. num. 11. in Decal.* ubi narrat fabellam de rustico, qui cùm audisset, promissum factum per Dæmonem cuidam avaro, quòd thesaurus ibi infossus à nemine auferretur, nisi comedisset pultem, & hilariter bibisset; abiit rusticus, pultem portavit, manducavit, & bibit, ac thesaurum reperit, & abstulit; quod, ait Tamburinus, absque peccato fecit, quia edere, & bibere non est res mala. Utrùm autem posset retinere? pendet à quæstione illa, utrùm Thesaurus, cujus dominus cognoscitur, possit esse inventoris? de qua Diana *tom. 6. tract. 6. resol. 17.* ubi videtur tenere opinionem negativam.

19. *Quær.* Ad quem effectum soleant Judices radere pilos maleficis torquendis, & eos lavare? *Resp.* Ut auferantur signa, & pacta, si quæ habent cum Dæmone, abscondita in pilis, vel in corpore; quorum vigore non sentiant vim tormentorum. Tambur. *d. cap. 6. §. 2. num. 13.*

20. *Quær.* An licitum sit signum illud adhibere, quo adhibito promiserat Diabolus dissolutionem maleficii? *Resp.* Esse licitum, quando signum adhibendum sit res bona, vel indifferens, & cum expressa intentione non obediendi Dæmoni, sed procurandi sanitatem, & dissolutionem maleficii. Tambur. *d. §. 2. num. 13.*

21. *Quær.* Quæ pœnæ sint de Jure inflictæ contra Maleficos? *Resp.* In foro exteriori esse inflictam pœnam mortis, vel alias pœnas corporales juxta qualitatem maleficiorum, de quibus Farinac. *in tract. de Hæresi, per totum.* Laurentius Prior *in Praxi Criminali Veneta, Verb. Sortilegio pag. 124.* & Gobat *in Opusc. de Superstitione num. 1039. & seqq.* In foro autem interiori, si malefici inciderint in hæresin, ligati sunt excommunicatione reservata Papæ per Bullam in Cœna Domini. Quòd si hæresin non contraxerint, possunt à quolibet Confessario

ſario abſolvi, quamvis Dæmonem adoraverint, & cum eo commercium habuerint; dummodo Epiſcopus ſibi hæc peccata ſpecialiter non reſervaverit, ut aliis citatis probat Tambur. *d. lib. 2. in Decalog. cap. 6. §. 2. num. 14. & 15.* & Theſaur. *de Pœnis Eccleſiaſticis par. 2. Verb. Superſtitio cap. 1. à num. 1. uſque ad num. 4.*

22. *Quær.* An ſit aliqua Cenſura lata in eos, qui vacant ſtudiis Magiæ, & Maleficiorum? *Reſp.* Eſſe excommunicationem latam à Sixto Quinto in Bulla 17. *Cœli, & Terræ.* De qua *Quaranta Verbo Libri*, contra eos, qui ſcienter legunt, vel retinent libros, ſcripta, vel tractatus de Divinationibus, aut Magicis artibus: ſed hæc Cenſura nulli eſt reſervata: niſi legens, aut retinens crederet, eſſe vera, quæ docentur circa coactionem arbitrii humani, vel ſecreta cordium, quia in hoc caſu eſt error hæreticalis, & ſic intrat excommunicatio Bullæ Cœnæ Domini, Papæ reſervata. Theſaur. *d. par. 2. Verb. Superſtitio cap. 1. num. 4. Verſ. Secundus eſt.*

23. *Quær.* An ſit aliqua pœna contra inquirentes de Vita, & Morte viventis Pontificis per Aruſpices, Ariolos, vel Vaticinatores? *Reſp.* Eſſe latam excommunicationem per Bullam Urbani Papæ Octavi *Inſcrutabilis* editam 1631. *Kal. Aprilis*, quæ extenditur etiam circa inquirentes de vita, & morte Conſanguineorum Papæ uſque ad tertium gradum. Et comprehendit etiam habentes, ſeu retinentes præfata judicia, & Vaticinia. Porrò contra inquirentes eſt reſervata Pontifici abſolutio, contra verò legentes, vel tenentes non eſt reſervata. Theſaur. *d. Verb. Superſtitio cap. 1. num. 4. Verſ. Tertius caſus eſt.* Et nos de Pœnitentia *Deciſ. 48. num. 11. Verſ. quarto.*

24. *Quær.* An Malefici, Vaticinatores, Superſtitioſi, & ſimiles ſint irregulares? *Reſp.* Affirmativè poſt ſententiam condemnatoriam, quia fiunt infames, & ſic irregulares. Borgaſ. *de Irregular. par. 6. tit. De Sortileg. num. 7. & 8.* Theſaur. *ubi ſupra num. 5.* Secus autem ante ſententiam condemnatoriam. Sanch. *lib. 2. in Decal. cap. 38. num. 9.* Niſi crimen eſſet omninò notorium, quo caſu multi cenſent, quòd inducat irregularitatem. Sayr. *lib. 7. cap. 12. num. 2.* quamvis diſſentiant Garzias *par. 7. cap. 8. num. 66. & par. 11. cap. 3. num. 113. & 117.* Laymann. *de Irregular. cap. 4. §. Dico 3.*

CAPUT XXVI.

De Sacrilegio in genere.

1. *Quær.* Quid ſit Sacrilegium? *Reſp.* Sacrilegium eſt Rei Sacræ violatio. S. Thom. *2. 2. qu. 99. art. 1.*

2. *Quær.* Quotuplex ſit Sacrilegium? *Reſp.* Eſt Triplex, quia Res Sacræ ſunt in triplici differentia, videlicet, Perſonæ, Locus, & Bona, & ideò, qui confitetur commiſiſſe Sacrilegium, debet exprimere, an commiſerit illud in perſonam, vel in locum, vel in bona Deo dedicata. Tambur. *in Methodo exped. Confeſſ. lib. 2. cap. 1. §. 9. num. 59. & in Decal. lib. 2. cap. 6. §. 3. num. 1.*

CAPUT XXVII.

De Sacrilegio in perſonas Sacras.

1. *Quær.* Quot modis committatur Sacrilegium in perſonas Sacras? *Reſp.* Tribus modis. Primò, per violentam manuum injectionem. Secundò, per uſurpatam Jurisdictionem, trahendo perſonas Eccleſiaſticas ad forum Sæculare, & iisdem vectigalia imponendo. Tertiò, per actiones Venereas; ut paſſim apud DD. & docet Tambur. *d. lib. 2. cap. 6. §. 3. num. 2.*

2. *Quær.* Quænam ſit pœna in eos, qui manus violentas injiciunt in perſonas Sacras? *Reſp.* Latam eſſe excommunicationem per *cap. Si quis ſuadente diabolo 17. qu. 4.* quæ eſt Summo Pontifici reſervata. Barboſ. *in d. cap. Si quis*, & Theſaurus *de Pœnis Eccleſ. par. 2. Verb. Injuria cap. 2. num. 1.*

3. *Quær.* Appellatione Clerici, quæ perſonæ intelligantur circa dictam cenſuram? *Reſp.* Intelligi omnes perſonas Deo dicatas ſivè per votum ſolemne, ut ſunt Regulares utriusque ſexus, ſive per ordines majores, & minores, imò per ſolam primam Tonſuram. Barboſ. *ubi ſupra num. 9.* & Sayr. *lib. 3. cap. 26. num. 4.*

4. *Quær.* An Clerici conjugati gaudeant Canonis Privilegio? *Reſp.* Affirmative, ſi cum Unica, & Virgine contraxerint, *cap. unico. De Cleric. conjug. in 6.* Antonell. *de Regimine Eccleſ. lib. 4. cap. 1. num. 3.*

5. *Quær.* An eodem privilegio gaudeant Clerici excommunicati, vel irregulares? *Reſp.* Affirmativè, ac etiam degradati verbaliter, ſecus autem, ſi realiter, quia tunc privantur omni privilegio. *cap. Degradatio; de Pœnis in 6.* Antonell. *d. cap. 1. num. 4.*

6. *Quær.* An incurrat excommunicationem, qui percutit Clericum, vel Monachum defunctum? *Reſp.* Affirmativè, Theſaurus *d. Verb. Injuria, cap. 2. Verſ. Amplia ſecundò.* ubi DD. allegat, à quibus diſſentit Henriquez *lib. 14. cap. 3. num. 8.*

7. *Quær.* An incurrat Cenſuram Clericus, qui percutit ſeipſum? *Reſp.* Affirmativè, ſi hoc faciat ex ira, & indignatione, ſecùs ſi ſpiritu mortificationis, & pœnitentiæ. Clarus *§. fin. quæſt. 77. num. 3.* Theſaur. *ibid. Ampliat. 3* ubi tamen citat plures DD. contrarium tenentes.

8. *Quær.* An dicta Cenſura comprehendat alios, præter percuſſores? *Reſp.* Eam extendi ad mandantem, conſulentem, incitantem, conſentientem, non impedientem, & etiam contra ratam habentes percuſſionem eorum nomine factam. *cap. Quanta, cap. Mulieres. §. ult. de Sent. excommunicat. cap. Cùm quis. eod. in 6.* Theſaur. *ubi ſupra Ampliat. 4.*

9. *Quær.* Quænam ſint aliæ perſonæ gaudentes dicto Privilegio Canonis? *Reſp.* Monachi quamvis bigami, vel Clerici in Sacris ordinibus, Equites tria Vota emittentes in Religione à Sede Apoſtolica approbata. Item Novitii non ſolùm Religionum, ſed etiam Militiarum, Tertiarii, qui collegialiter vivunt; famuli ſervientes vel Monialibus,

vel alicui Congregationi Presbyterorum canonicè institutæ, si habitum Clericalem, vel Religiosum portent. Oblati, qui se, & bona sua tradiderunt Religioni; Et Etemitæ, qui de licentia Episcopi in Eremitorio, vel loco sacro vivunt, & serviunt; de quibus omnibus Antonellus *d. lib. 4. cap. 1. per totum.*

10. *Quær.* An Clericus in minoribus, si sine Veste Clericali, & tonsura incedit, gaudeat Canonis privilegio? *Resp.* Eum non gaudere, quando monitus ad reassumendas Vestes, non reassumit, vel enormitatibus se immiscet. Antonellus *d. libr. 4. cap. 2. numer. 1. & 2.* ubi notat, tunc se immiscere enormitatibus, quando talia delicta committit, ex quibus efficietur infamis.

11. *Quær.* An Percussor Clerici sit vitandus antequam declaretur excommunicatus? *Resp.* Affirmativè, quando est notorius percussor, juxta Extravag. Martini Quinti. Thesaur. *de Pœnis verb. Censura cap. 4.* Quòd si dubium sit, an incurrerit? est expectanda sententia declaratoria. Antonell. *d. Regim. milit. Eccl. lib. 8. cap. 6. num. 14*

12. *Quær.* Quis possit absolvere percussorem Clerici ab excommunicatione? *Resp.* Solus Papa, si percussio est gravis. Si verò percussio sit levis, etiam Episcopus. *cap. Pervenit.* ubi DD. *de Sent. excomm.* Antonell. *de Regimine milit. Eccles. lib. 8. cap. 1. num. 1.*

13. *Quær.* Quæ percussio dicatur levis, & quæ dicatur gravis? *Resp.* Id esse arbitrarium Judici; nam levitas, vel gravitas judicatur ex circumstantiis personarum, locorum, temporum, modi percussionis, & ipsius læsionis. Bellet. *de Favor. Cleric. Canon. §. 3. num. 34.* Antonell. *dict. lib. 8. cap. 5. num. 3.*

14. *Quær.* An in dubio percussio judicanda sit levis, vel gravis? *Resp.* Quòd est judicanda gravis juxta Extravag. Pii Secundi, quam refert Navar. *in Manual. cap. 27. num. 91.* Antonell. *d. cap. 5. num. 6.*

15. *Quær.* A quo sit absolvendus Regularis, vel Novitius percussor? *Resp.* A suo Superiore etiam ob percussionem factam, antequam in Religionem ingrederetur, ac etiam ob percussionem gravem, quia Regularium Superiores censentur habere Privilegium absolvendi. Antonellus *d. lib. 8. cap. 5. num. 7. in fine.* Nisi Regularis percussisset Clericum Sæcularem, quia tunc est absolvendus ab Episcopo, *cap. Religioso, de Sent. excommunic. in 6.*

16. *Quær.* An aliquando Clericus percutiatur sine incursu in excommunicationem? *Resp.* Affirmativè; quando percussio fuit cum moderamine inculpatæ tutelæ; vel quis incontinenti percuteret Clericum inventum turpia agere cum Matre, Uxore, Sorore, aut Filia; secùs si cum mulieribus in remotiori gradu. Antonell. *d. cap. 5. num. 10,* ubi multò magis ait non incurrere, si percussor erat tentatus à Clerico de crimine pessimo.

17. *Quær.* An Episcopus possit absolvere ab hac censura, quando delictum est occultum, quamvis percussio sit gravis? *Resp.* Affirmativè ex Conc. Trid. *sess. 24. de ref. cap. 6.* Antonell. *d. cap. 5. num. 12.* Et ego de Pœnitentia *Decis. 45. num. 4. & 5.*

18. *Quær.* An sint alii casus, in quibus Episcopus possit absolvere ab hac censura, etiam in percussione gravi? *Resp.* Hos esse casus, videlicet, si percussores sint Clerici collegialiter viventes; Si officialis Principis percusserit in exercendo suum officium; si fuerint Moniales; si percussor habeat impedimentum, ita, ut non possit ad Sedem Apostolicam recurrere; quòd si impedimentum non sit perpetuum, eo sublato, tenetur ad Sedem Apostolicam ire. Thesaur. *de Pœnis Verb. Injuria d. cap. 2.* Et ego *de Pœnit.* ubi supra.

19. *Quær.* An Vicarius Episcopi absque speciali mandato possit ab hac censura absolvere, si percussio sit levis? *Resp.* Negativè, secundùm Sbrozium *de Vic. lib. 2. q. 180.* Affirmativè secundùm Bonacin. & alios apud Thesaur. *d. capit. 2,*

20. *Quær.* An detur appellatio à sententia declaratoria incursus in hanc excommunicationem? *Resp.* Affirmativè, quia potuit Judex injustè declarare; & de Jure non appellatur à sententia excommunicationis quoad effectum suspensivum, sed utique à sententia declaratoria incursus in excommunicationem. Genuens. *in Praxi cap. 22. num. 1, & 2.* Antonell. *d. lib. 8. cap. 5. num. 15.*

21. *Quær.* Quænam pœnæ sint de jure inflictæ contra percussores, vel offensores Summi Pontificis? *Resp.* Nullam esse specificam pœnam, quasi videatur impossibile, ut quis audeat Vicarium Dei, & Sanctissimum Pontificem percutere. Thesaur. *de Pœnis par. 2. Verb. Majestatis læsæ crimen cap. 2,* Porrò si quis tantum facinus auderet perpetrare, incurreret omnes pœnas latas contra percussores Clericorum, Episcoporum, ac præcipuè Cardinalium. Thesaur. *ibid.*

22. *Quær.* Quænam sint pœnæ latæ contra offendentes, vel percutientes Cardinales? *Resp.* In cap. *Felicis. de Pœnis num. 6.* Latas esse sequentes pœnas contra eos, qui Cardinalem, & à fortiori ipsum Papam fuerit hostiliter insecutus, percusserit, vel cœperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandantis, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit, vel favorem, aut postea receptaverit, vel defensaverit scienter. Prima, est excommmunicatio Papæ reservata; singulis Dominicis diebus pulsatis campanis, & accensis candelis publicanda. Secunda, est infamia juris, & sic irregularitas. Tertia, perpetuum bannum. Quarta, amissio facultatis testandi. Quinta, ut domus Rei diruatur. Sexta, ut nemo ei respondeat in Judicio. Septima, Confiscatio bonorum. Octava, privatio beneficiorum, & feudorum. Nona, ut non absolvantur, nisi prævia publica Pœnitentia, quæ duret saltem per tres annos. Decima, filii, & eorum descendentes sunt infames, irregulares, & incapaces beneficiorum, & omnium legitimorum Actuum. Undecima, si Civitas hoc facinus commiserit, vel consenserit, est interdicta, & privata dignitate Episcopali,

Re-

Roma excepta. Duodecima, si Principes, vel eorum officiales supradictas pœnas non fecerint observare, incurrunt excommunicationem, quæ tamen non est reservata. Thesaur. *d. Verb. Majestatis Læsæ cap. 2. num. 4. & num. 5.* ubi notat ulteriùs per Bullam S. Pii V. *Incipit Infelicis* (*la 93.*) supradictas pœnas omnes extendi ad illos, qui scientes facinus perpetrandum vel contra Papam, vel contra Cardinales, statim non revelaverint. Farinac. *quæst. Crimin. 112. à num. 75.*

23. *Quær.* An omnes prædictæ pœnæ *cap. Felicis* extendantur etiam contra offendentes familiares Papæ, vel Cardinalium? *Resp.* Esse hinc inde opiniones Doctorum, quos refert Thesaur. *d. Verb. Majestatis Læsæ crimen cap. 5.* ubi tamen ipse adhæret opinioni negativæ, concludens in illo textu *in §. præmissis* solummodò decerni, tales puniendos esse arbitrio Judicis gravius quidem, quàm si aliquem alium Clericum, vel Religiosum offendissent; & tenet Menoch. *de Arbitr. Casu 552. num. 1.*

24. *Quær.* Quænam sint pœnæ latæ contra offendentes Episcopum? *Resp.* In *Clem. 1. de Pœnis* offendentes, consilium dantes, vel ratam habentes offensionem Episcopi: Primò, excommunicati sunt, & absolutio est Papæ reservata. Secundò, privati sunt beneficiis, & feudis. Tertiò, filii, & descendentes sunt inhabiles ad beneficia. Quartò, Civitas, quæ in hoc facinore consenserit, est interdicta. Thesaur. *de Pœnis part. 2. Verb. Injuria cap. 4.*

25. *Quær.* An aliquando liceat percutere Clericos, vel Moniales ad correctionem? *Resp.* Patrem posse percutere filium Clericum etiam in Sacris constitutum, causa correctionis, multò magis Prælatum, ac Magistrum ejusdem Clerici. Seniores autem Clericos posse verberare eos, qui sunt in minoribus, quando perturbant divina officia. Bellet. *part. 1. de Favore Cleric. Can. §. 2. num. 4. 5. 6. & 7.* Moniales verò, si sint Superiores, posse corrigendo verberare inobedientes sivè Novitias, sivè Professas; at Moniales Seniores, quæ Superiores non sunt, non posse corrigere, & percutere Moniales professas, sed Novitias tantùm docet Pellizarius *de Monial. cap. 10. num. 303. Vers. 24.* Et percussio debet esse levis, aliàs incurrerent excommunicationem. Tandem hìc notandi sunt Versus, in quibus comprehenduntur illi percussores Clericorum, qui possunt absolvi ab Episcopo, quos ponit, & explicat Bellet. *d. part. 1. §. 3.* & sunt:

Regula, Mors, Sexus, Hostis, Puer, Officialis,
Delicioſus, Inops, Æger, Senexque Sodalis,
Janitor, Astrictus, Dubius, Causa levis ictus
Debilis, absolvi sine Summa Sede merentur.

26. *Quær.* Quo Jure Clerici sint exempti à Judicibus Laicis? *Resp.* De jure divino, ut habetur *Genes. 47. Esdr 8. Exod. 21. 3. Reg. 9. Zachar. 2. Psal. 71. Matt. 12. 17. & 27.* Ita Belletus, qui innumeros DD. numerat *d. §. 1. num. 18.*

27. *Quær.* A quo pendeat Potestas Ecclesiastica? *Resp.* Pendere immediatè à Deo, qui Sacerdotium, & Potestatem immediatam dederat Aaroni, à quo translata est in Christum, & à Christo in Petrum, ejusque Successores, qui propterea eam habent immediatè à Deo. Porrò Episcopi eam habent immediatè à Summo Pontifice, & mediatè à Deo. D. Thom. *lib. 4. contra Gent. cap. 76. circa fin.* Bellet. *d. §. 1. num. 26. 27.* qui subindè agit de origine Laicæ Potestatis.

28. *Quær.* An omnes Clerici gaudeant Privilegio fori? *Resp.* Omnes gaudere, tam constitutos in majoribus ordinibus, quam in minoribus, & in prima tonsura; idemque est de Clericis conjugatis cum Virgine, habitum ferentibus, de Religiosis, Monialibus, Novitiis, Equitibus, Professis in Religione approbata. Bellet. *d. §. 2. num. 3. & seqq.*

29. *Quær.* An Clerici possint renunciare Privilegio fori, & in Judicem Laicum consentire? *Resp.* Negativè, neque de licentia Episcopi. Bellet. *d. §. 2. num. 20.*

30. *Quær.* Quo Jure Respublica Veneta procedat contra Clericos, & Regulares etiam in Sacris ordinibus constitutos? *Resp.* Ex Privilegiis Summorum Pontificum, ut testatur Jo. Baptista Ferret. *Cons. 297. num. 8.* & Sperell. *decis. 133. num. 47.* de quibus Privilegiis agit Pignatell. *in suis Consultationibus Canonicis consult. 103. tom. 1.* nec non Petrus Zambonus *in Isagoge in Pract. Criminal. ad leges Venetas. cap. 14. num. 4.* ubi allegat Bullas Sixti IV. 11. *Junii* 1474. Innocentii VIII. 31. *Octobr.* 1487. Alexandri VI. 29. *Julii* 1502. & Pauli III. 28. *Octobris* 1542.

31. *Quær.* An Magistratus Laici ex sola consuetudine possint Clericos judicare? *Resp.* Negativè, ut pluribus rationibus, juribus, & auctoritatibus probat Bellet. *d. part. 1. De Favore Cleric. person. §. 3. per totum.*

32. *Quær.* An omnes Clerici etiam in minoribus tantùm constituti gaudeant Privilegio fori? *Resp.* Negativè, quia illi solùm gaudent fori Privilegio, qui vel habent beneficium, vel habitum, & tonsuram deferentes inserviunt alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi ex Concil. Trident. *sess. 23. de Ref. cap. 6.* Antonell. *de Regim. Ecclesiæ lib. 4. cap. 1. num. 5.* Ideò si Clericus in minoribus dimittat habitum, & tonsuram, amittit etiam hoc Privilegium. Antonell. *ibid. cap. 2. num. 1.*

33. *Quær.* An præter Clericos sint alii, qui gaudeant Privilegio fori? *Resp.* Omnes famulos, & familiares Episcopi, & Vicarii, nec non ejus Curiæ officiales, ac Ministros gaudere hoc privilegio. Antonell. *d. lib. 4. cap. 3. per totum.*

34. *Quær.* Quid Juris si quis Laicus conveniatur coram Judice Laico, & antequam lis finiatur, ipse Reus Laicus fiat Sacerdos? *Resp.* Judicium esse terminandum à Judice Laico. *Cap. Proposuisti. De Foro competen.* Fagnan. *in cap. Magnus. num. 24. de Obligat. ad ratiocin. tom. 2. pag. 344.*

35. *Quær.* An detur casus, in quo Clerici teneàntur concurrere cum Laicis in publicis gravedinibus? *Resp.* Dari, quando concurrunt sex circumstantiæ infrascriptæ. Prima, ut Episcopus, & Clerus consentiat. Secun-

da, ut evidens utilitas, vel necessitas subsit. Tertia, ut sit communis tam Laicis, quàm Clericis. Quarta, ut non sufficiant bona Laicorum. Quinta, ut Clerici non cogantur, sed rogentur, & exactio fiat per ministros Ecclesiasticos. Sexta, ut Summus Pontifex consulatur. Ita Fagnan. *in cap. Non minus à num. 22. De Immunit. Eccleſiar. tom. 5. pag.* 368 & Antonell. *d. lib. 4. cap. 5. num. 24. &* 25. Quæ omnia videntur adaptari gravedinibus, quas solvit Clerus Patavinus pro ripis Athesis, & aliis publicis muneribus; vulgò Dadias, sivè alias impositiones occasione belli contra Turcas.

36. *Quær.* An Clericus negotiator teneatur ad gabellas? *Resp.* Affirmativè. *cap. Quamquam de Censib. in 6. Clem. Præsenti ubi gloss. eod.* Antonell. *d. lib. 4. cap. 6. num. 1.* Dicitur autem negotiator, qui emit, ut vendat absque mutatione. Sed excipiuntur plures casus. Primò in his, quæ sunt pro usu Clericorum, & eorum familiæ. Secundò, si bona sint Ecclesiæ. Tertiò, si Clericus non habens victum sufficiens faciat aliquid ex industria, ut olim faciebat hic Patavii Parochus S. Agnetis, fabricans mira horologia ferrea quem Castaldiones Artis fabrorum volebant, ut gabellas solveret; sed eum Judex à tali petitione liberavit. Quartò, si vendat ea, quæ collegit ex propriis fundis. Antonell. *ubi supra d. cap. 6.*

37. *Quær.* Quomodo fiat Sacrilegium cum personis Sacris per Res Venereas? *Resp.* Quando aliquid turpe patratur contra castitatem. Tamburin. *in Meth. exped. Confess. lib. 2. cap. 7. §. 5. num. 29.*

38. *Quær.* An necesse sit in Confessione declarare, quòd semel, vel pluries castitatem quis voverit? *Resp.* Negativè, sed sufficit dicere speciem peccati carnalis, & votum habere castitatis. Tambur. *d. Expedit. Confess. lib. 2. cap. 7. §. 5. num. 29.*

39. *Quær.* An qui Sacrilegium per copulam carnalem commisit, teneatur explicare, an habeat Votum solemne, vel votum simplex castitatis? *Resp.* Sufficere, si dicat habere Votum Castitatis, quia tam solemne, quàm simplex respicit æque eamdem Virtutem Religionis; & non differt specie solemnitas Voti. Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 27. num. 27. & in Decal. lib. 5. cap. 6. num. 14.* Hinc sufficit, quòd Sacerdos, vel Episcopus, vel Generalis Religionis accuset, se peccasse carnaliter, & violasse votum Castitatis absque eo, quòd debeat exprimere suum characterem, vel suam Dignitatem, nisi dedisset scandalum, tunc enim ratione scandali deberet se accusare cum manifestatione Dignitatis. Vide Decisiones de Pœnitentia. *Decis. 26. num. 3.* Item mulier, quæ peccavit cum Sacerdote, vel Regulari professo, sufficit quòd dicat, copulam carnalem habuisse cum habente Votum Castitatis. Sanchez *d. disp. 27. num. 33.* & Tambnrin. *d. §. 5. num.* 31. de Pœnit. *d. Decis. 26. num. 7.*

40. *Quær.* An Presbyter copulam habens carnalem cum muliere soluta, dicatur, committere Sacrilegium? *Resp.* Secundùm Juristas negativè, ut demonstrat Clarus *in §. Fornicatio num. 18. ubi DD.* Affirmativè secundùm Theologos *d.* mea *Decis. 26. num. 7.* de Pœnit.

41. *Quær.* An qui habet Votum Castitatis, & inducit alios ad res venereas committendas, teneatur, confitendo suum peccatum, manifestare suum Votum Castitatis? *Resp.* Negativè, quia illud Votum obligat volentem ad non committendas res venereas in se, non autem in aliis. Sanch. *in Decal. lib. 5. cap. 6. num. 10.* Tambur. *d. §. 5. num. 32.* Sed contrarium est tenendum, ut dixi in *d. Decis. 26. n. 7.* quam studiosus prorsus legat.

42. *Quær.* Quænam pœnæ inflictæ sint contra rem carnalem habentes cum Monialibus? *Resp.* De Jure civili esse inflictam pœnam mortis. Menoch. *de Arbitr. Judic. cas. 348. num. 24.* Bellet. *de Pœnis Clericor. §. 5. num. 5.* de Jure verò Canonico talis Sacrilegus erit excommunicandus, perpetuo carceri mancipandus, & ejus bona Monasterio applicanda. Farinac. *de Delict. carnis quæst. 45. num. 26.* Bellet. *d. §. 5. num. 5. & 6.* Ubi notat, quòd in tali Sacrilegio punitur affectus etiamsi non sit secutus effectus; & quòd ei non conceditur Immunitas Ecclesiæ. Moniales verò, quæ se violari passæ fuerint, perpetuo carceri sunt mancipandæ. Bellet. *ibid. num. 7.* Ulteriùs ingrediens in Clausuram Monialium ob rem veneream est excommunicatus, & absolutio est reservata Papæ. Barbos. *allegat. 50. num. 186.* Thesaur. *de Pœnis Verb. Clausuram. cap. 7. num. 1.* ubi advertit, quòd qui ingreditur Monasterium cum legitima licentia ad honestum finem, & stans intùs caderet in Sacrilegium cum Moniali, absolutio non esset reservata Papæ. Cæterùm ex Constitutionibus Synodalibus esset reservata Episcopo.

43. *Quær.* An Episcopus possit absolvere eum, qui ob malum finem violavit clausuram, si delictum sit occultum? *Resp.* Negare Barbos. *de Jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 11. num. 145.* & Genuen. *cap 67. num. 11.* Affirmare Bonacinam *de Censuris in Communi disp. 1. q. 3. n. 1. punct. 3. tom. 1. p. 422. idem* Barbos. ad Concil. Trident. *sess. 24. de Reform. num. 23.* hinc inde allegat DD. & videtur cum affirmantibus tranſire. Sed tenendum est, quòd non possit, ut ostendi de Pœnitentia *Decis. 45. num. 6.* omninò videnda.

44. *Quær.* Quid sit statutum de Jure contra Moniales, vel Clericos in Sacris constitutos contrahentes Matrimonium? *Resp.* Esse excommunicatos per *Clement. Unicam de Consanguinit. & Affinit.* & sufficit Matrimonium contractum, non consummatum; & ligat quoscunque Regulares professos etiam S. Joannis Milites, qui nulliter contrahunt, irritante contractum Voto solemni. Thesaur. *de Pœnis Verb. Matrimonium cap. 4. Vers. ex hac Clementina.* Ubi notat, quòd si Milites aliarum Religionum, qui non possunt contrahere matrimonium, nisi cum una, vel cum Virgine, vel absque licentia Magni Magistri, si de facto contrafacientes Matrimonium contrahant, illud est validum. Dian. *par. 2. tract. 2. res. 30.*

45. *Quær.*

45. *Quær.* An Papa valeat concedere Moniali, vel Religioso professo, ut Matrimonium contrahat? *Resp.* Affirmativè, sed ob magnam causam respicientem bonum publicum. Menoch. *lib.* 2. *Præsumpt.* 10. *num.* 35. ubi DD. & exempla adducit.

46. *Quær.* An Monialis clam à Viro corrupta possit petere, & recipere Velum Consecrationis? *Resp.* Communem esse Doctorum opinionem negativam, ut scribit Thesaur. *verb. Monialis cap.* 3. qui tamen propè finem Doctores allegat docentes, quòd ad evitandum scandalum potest, & debet hæc Monialis Velum accipere.

47. *Quær.* An Monialis, quæ patitur voluntarias pollutiones sine Valis aperitione dicatur amittere Virginitatem? *Resp.* Eam amittetere secundum Virtutem, & statum; non autem secundùm integritatem carnis; ideò hæc poterit absque scrupulo Velum consecrationis recipere. Thesaur. *d. Verb. Monialis cap.* 3. *Vers. limita* 3.

48. *Quær.* An concupiscere mulierem, dum quis Sacrum facit, vel Sacramenta administrat, sit Sacrilegium expressum in confessione fatendum? *Resp.* Affirmativè, quia est maxima irreverentia in Deum. Tamburin. *Exped. Confess. d. lib* 2. *cap.* 7. §. 5. *num.* 38. ubi citat Dianam *par.* 6. *tract.* 7. *res.* 36. & id limitat, si concupisceret, officium recitando. Vide nostras Decisiones de Pœnitentia *Decis.* 27. *num.* 15.

49. *Quær.* An sit Sacrilegium, si personæ solutæ copulam carnalem habeant in die Veneris Sancti, aut Paschatis? *Resp.* Negativè, & hæc circumstantia non est necessariò aperienda, nisi esset cum scandalo. Tambur. *d.* §. 5. *num.* 40. Contrarium tanquam magis probabile tenui de Pœnitentia *Decis.* 28. *num.* 16.

50. *Quær.* An sit Sacrilegium, rem carnalem habere cum filia Spirituali? *Resp.* Negative; dummodo non intret sollicitatio; vel qualitas Confessarii non assumatur ut medium ad peccatum. Tamburin. *d. cap.* 7. § 4. *lib* 2. *exped. Confess. num.* 18. Et ideò non tenetur Confessarius explicare hanc circumstantiam. Contrarium docent DD. à me relati, & approbati de Pœnitentia *Decis.* 27. *num.* 11. Et eò magis, si Mœchus eam baptizaverit. Antonellus *de Regim. Mil. Eccl. lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 17. 18.

51. *Quær.* An Sacerdotes Græci Uxorati committant Sacrilegium, si rem habeant cum aliis mulieribus? *Resp.* Negativè, secundùm Tamburin. *in Decalogum lib.* 2. *cap.* 6. §. 3. ea ratione, quia Græci non vovent castitatem; & ideò, ait, licèt illa sit circumstantia gravis, tamen speciem non mutat: at venit in confessione explicanda, ut dixi de Pœnitentia *Decis.* 25. *num.* 17.

CAPUT XXVIII.

De Sacrilegio in loca sacra.

1. *Quær.* Quot modis committatur Sacrilegium in loco Sacro? *Resp.* Quinque modis. Primò, si cum fractura auferatur res de loco Sacro. Secundò, si in eo exerceatur Judicium Sæculare. Tertiò, si Ecclesia, aut locus Sacer polluatur sanguine, vel semine humano. Quartò, si in loco Sacro sepeliatur excommunicatus, vel infidelis; & Quintò, si loci Sacri Immunitas violetur, extrahendo personas, quæ ibi refugerunt. Tambur. *d. lib.* 2. *cap.* 6. §. 3. *num.* 6. *in Decalog.*

De Sacrilegio, ob fracturam loci Sacri.

2. *Quær.* Quænam pœna sit inflicta contra infringentes Ecclesias? *Resp.* Inflictam esse pœnam excommunicationis latæ sententiæ, quæ ante denunciationem non est reservata, sed postquam Episcopi denunciaverint effractores excommunicatos, non possunt eos ampliùs absolvere, quia absolutio est Papæ reservata. Thesaur. *de Pœnis part.* 2. *Verb. Sacrilegium cap.* 3. ubi DD. & est Tex. *in cap. Conquest.* 22. *de Sent. Excomm.*

3. *Quær.* Qualis effractio requiratur ad hanc pœnam incurrendam? *Resp.* Sufficere quamcunque effractionem vel in portis, vel in seris, vel in muris, vel in vectibus, vel in fenestris etiam vitreis, si eas impingens faciat cadere, vel cedere, aut vi aperiri. Thesaur. *ibid. cap.* 3.

4. *Quær.* Quale furtum requiratur ad præfatam pœnam incurrendam? *Resp.* Quòd furtum sit grave, attingens ad peccatum mortale. Thesaur. *d. cap.* 3. & ibi Suarez, & Filliuce.

5. *Quær.* An dicta excommunicatio contrahatur, si fractura fiat in Oratorio privato? *Resp.* Negativè, & neque si in Cœmeterio non unito Ecclesiæ. Thesaur. *ubi supra.*

6. *Quær.* An dicta pœna procedat, si quæcunque res inde auferantur? *Resp.* Negativè, quia habet locum solummodò, si auferantur res Ecclesiæ, vel ad ejus usum deputatæ. Thesaur. *d. cap.* 3.

7. *Quær.* An rem auferre de loco Sacro sine fractura, sit Sacrilegium? *Resp.* Affirmativè, & potest fieri tribus modis, scilicet, furando rem Sacram de loco Sacro, vel rem Sacram de loco non Sacro: vel non Sacram de loco Sacro; dummodo tamen ibi esset vel tanquam in custodia, vel in servitio loci Sacri. Coton. *in Summa Diana Verb. Sacrilegium. num.* 2. *& in Verb. Circumstantia. Ubi num.* 39. & ideò, qui furaretur crumenam à latere divitis orantis in Ecclesia, non committeret Sacrilegium, quia fur non facit Ecclesiæ specialem injuriam, & non tenetur manifestare in Confessione hanc circumstantiam. Coton. *d. num.* 39. Porrò, contrarium esse tenendum, demonstrant meæ decisiones de Pœnitentia. *Decis.* 27. *num.* 23. ubi DD. Salmanticenses.

8. *Quær.* An furari Decimas debitas Clericis, vel obventiones, aut eleemosynas eis datas ob functionem Sacram, sit Sacrilegium? *Resp.* Negativè, Coton. *d. Verb circumstantia Ubi num.* 40.

9. *Quær.*

9. *Quær.* An furatus rem Sacram de loco Sacro teneatur utramque circumstantiam in confessione aperire? *Resp.* Negativè, quia utrumque est ejusdem speciei contra virtutem Religionis. Coton. *ibid. num.* 41. At utraque circumstantia tanquam valdè aggravans esset exponenda. *d. decis.* 25. *num.* 17. *de Panit.*

10. *Quær.* Quomodo committatur Sacrilegium per exercitium Judicii Sæcularis? *Resp.* Committitur Sacrilegium, si Laici Judices in Ecclesiis, seu locis Sacris Tribunalia erigant, quod de Jure Canonico est prohibitum. *cap.* 1. *de Immunitate Eccles.* & est peccatum mortale ex genere suo; & acta sunt ipso Jure nulla, exceptis actibus voluntariæ Jurisdictionis. Thesaur. *de Pœnis d. Verb. Sacrilegium c.* 2. ubi DD.

11. *Quær.* An testes possint citari in Ecclesia, vel in ea examinari à Judice Laico? *Resp.* Negativè, ut contra Legistas contrarium scribentes probat Sperell. *decis.* 140. per totam, & præcipuè *à num* 51. *& seqq.*

CAPUT XXIX.

De Sacrilegio per effusionem Sanguinis humani in loco Sacro.

1. *Quær.* Quomodo Sacrilegium committatur, per sanguinis humani effusionem in loco Sacro? *Resp.* Committi Sacrilegium, quando per violentiam, & injuriam homo in loco Sacro offenditur, ita, ut sequatur vel homicidium, vel humani Sanguinis effusio. Petrus Franc. Passerinus *in tract. de Pollut. Eccles. disp.* 5. *&* 6. Sed quia Passerini opiniones in hac materia sunt nimis largæ, Lector in casu practico videat Barbos. *de Episc. Alleg.* 28. Lezanam *tom.* 3. *V. Ecclesia num.* 12. Et meas Decisiones *De Sacrif. Missæ Decis.* 40. per totam.

2. *Quær.* Quodnam homicidium requiratur ad Ecclesiæ Pollutionem? *Resp.* Homicidium proprium, & corporale, per quod anima à corpore hominis violenter separatur; non autem improprium, vel figuratum, ut sunt furta, detractiones. Passerin. *d. disp.* 5. *cap.* 1.

3. *Quær.* An per nocumentum lethale illatum homini in Ecclesia, sed sine sanguinis effusione, Ecclesia polluatur? *Resp.* Negativè, quia homicidium debet esse verum, & consummatum in Ecclesia, ut pluribus DD. probat Passerin. *disp.* 5. *cap.* 2. Quod tamen procedit, si ex eo nocumento mors non sequatur. Cæterùm, si mors ex eo eveniret, proùt in illo, de quo ait Diana *par.* 6. *tract.* 6. *res.* 26. qui in Ecclesia Regularium fuit arenæ sacculis ita acriter contusus, ut post tres dies extra illam mortuus sit; in hoc casu, quamvis aliqui negent, Ecclesiam pollui, verior sententia est, eam pollutam censeri, quia causa, & malitia homicidii fuit completa in ea; ut defendit Passerinus *d. disp.* 5. *cap.* 4. ubi aliud dat exemplum de eo, qui in Ecclesia fuit restì, seu laqueo strangulatus, sed antequam expiraret, raptus fuit extra Ecclesiam, ibique paulò post mortuus fuit; nam certè, & in hoc casu Ecclesia est polluta. Pax Jordan. *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 330. & Antonell. *de Regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 6.

4. *Quær.* An è contra, si extra Ecclesiam quis percutiatur mortaliter, & ingressus Ecclesiam in ea moriatur, sit Ecclesia polluta? *Resp.* Negativè. Gloss. *in cap. Unico. De Consecrat. Eccles. in* 6. *Verb. Sanguinis.* Passerin. *d. disp.* 5. *cap.* 5. *num.* 4. ubi *num.* 5. id ampliat, quamvis Percussor esset in Ecclesia, puta si feriret saxo, sclopeto, aut lancea, vel gladio aliquem existentem extra Ecclesiam; quod docet etiam Jord. *lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 15. *&* 16. At è contra Ecclesia esset polluta, si percussus lethaliter esset percussus in Ecclesia, quamvis percussor percutiendo staret extra Ecclesiam. Passerin. *d. cap.* 5. *num.* 5.

5. *Quær.* An Ecclesia polluatur ex homicidio intra illam causato, si mors non evenerit, nisi post multum tempus? *Resp.* Pollui, quando sufficiens causa homicidii data fuit in Ecclesia, & ex ea causa vere mors sequatur, & ea sit notoria, & cum scandalo. Passerin. *d. disp.* 5. *cap.* 6. Antonell. *de Regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 6. Jordan. *lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 70.

6. *Quær.* An Ecclesia polluatur per homicidium inculpabile? *Resp.* Cum distinctione. Vel culpa est Theologica, id est, cum malitia voluntaria; vel culpa est Juridica cum solo errore intellectus. Si est homicidium inculpabile, quia defecit culpa Theologica, non est Ecclesia polluta; multo minùs, si est absque culpa Juridica. At si fieret cum culpa Theologica, semper polluetur. Si cum culpa Juridica non polluetur. Passerin. *dict. disp.* 5. *cap.* 8. *num.* 4. *&* 5. ubi firmat homicidium mero casu in Ecclesia commissum illam non polluere. Quod si dubium esset, an quis homicidium commisisset ex culpa gravi, vel ex culpa levi, Ecclesia erit polluta. Si verò dubitaretur, an fuisset commissum sine ulla culpa, vel cum aliqua culpa, & hinc indè essent probationes æquales, in hoc casu non esset polluta. Passerin. *d. disp.* 5. *cap.* 9.

7. *Quær.* An polluatur Ecclesia per homicidium commissum non contra Justitiam, sed contra charitatem, puta, si quis dives permitteret pauperem mori ob famem in Ecclesia, vel medicus infirmum ob negatam medicinam? *Resp.* Negativè, quia homicidium debet esse violentum, & contra justitiam. Passerin. *d. disp.* 5. *cap.* 10. Quod procedit, si ex sola omissione charitatis procedit, secus si ex aliqua positiva operatione ad hunc effectum. Passerin. *d. disp.* 5. *cap.* 26. *num.* 5.

8. *Quær.* An polluatur Ecclesia, si in ea ex errore Petrus occidatur à volente occidere Paulum? *Resp.* Cum distinctione, quia dupliciter iste casus potest accidere. Primò, quia aberravit inculpabiliter à scopo, & sic volens occidere Paulum, occidat Petrum ibi vicinum. Vel quia occidit Petrum, credens eum esse Paulum; quem Petrum si cognovisset, non occidisset. In utroque casu mens Doctorum est, quòd si omninò inadvertenter, & adhibita diligentia ad non errandum, erravit, Ecclesia non est polluta; quia

quia homicidium est omninò involuntarium. Passerin. *d. disp. 5. cap. 13.* Porrò non ita facile erit probare, quòd erraverit inculpabiliter, quia qui talia sunt acturi, non solent satagere, & ab errore cavere, ut in praxi videmus quotidie. Hìc Patavii accidit nonnullis abhinc annis, ut Regularis quidam volens se vindicare de injuria recepta à Scholare, convocavit nonnullos amicos, & sclopo armatus incessit cum illis ad obviandum Scholarem; quem repertum sclopo voluit interimere, sed ita incautè, ut ictus, & pila sclopi feriret unum ex amicis, qui dictum Regularem comitabatur. En? Quomodo dici potest, quod ista Regularis faciendo, adhibuerit omnem diligentiam, ne erraret.

9. *Quær.* Quidam decreverat occidere Petrum, & Paulum; & repertum Paulum in Ecclesia occidit, credens esse Petrum, eritne Ecclesia polluta? *Resp.* Negativè secundum Passerinum *d. cap. 13. num. 6.* Sed ego contrarium dico; quia cùm decrevisset occidere etiam Petrum, homicidium fuit voluntarium.

10. *Quær.* An per homicidium ex joco, vel ludo secutum Ecclesia polluatur? *Resp.* Negativè, quando in jocando, vel ludendo non poterat prævideri periculum homicidii. DD. quos allegat, & sequitur Passerin. *d. disp. 5. cap. 14. num. 4.* & Jordan. *lib. 5. tit. 12. num. 41. & seqq.*

11. *Quær.* An remaneat polluta Ecclesia, si homicidium in ea fiat à puero ante usum rationis, ab amente, ebrio, vel furioso, vel dormiente? *Resp.* Non remanere pollutam, quando occidens talis est, ut à peccato mortali valeat excusari. Passerin. *d. disp. 5. cap. 15.* Ideò, si occisor coactè occidisset, id est, sub gravi metu sic ab alio excitatus, Ecclesia esset polluta, quia in hoc casu non potest à peccato excusari. Passerin. *ibid. cap. 16.* & Caramuel *in Theol. Moral. lib. 4. de quinto Decal. præcepto num. 1597.*

12. *Quær.* An pollutio fiat Ecclesiæ, si quis voluerit leviter tantùm percutere, & nullatenus occidere, & tamen ex ea percussione sequutum est homicidium? *Resp.* Negativè, si non potuit prævidere, quòd ex ea percussione sequeretur mors, & fuit mortalis percussio tantùm ex accidenti improviso. E. G. si quis daret pugnum in humeris, vel in lumbis, & in eo instanti alius extolleret ei brachium, ita, ut percuteret penes oculum, vel alter se curvaret quàm citissimè; tunc enim, quia prævidere non poterat, percussionem mortalem futuram, Ecclesia non censetur polluta. Passerin. *d. disp. 5. cap. 20.*

13. *Quær.* An sit Ecclesia polluta ob percussionem levem, ex qua sequitur mors ex deficientia medicorum, vel medicaminum? *Resp.* Si percussor prævidit, deficere medicos, vel medicamina, & sic levem percussionem posse causare mortem, & in hoc casu, Ecclesia remanet polluta. Aut non prævidit, & tunc non subjacet pollutioni. Passerin. alios citans *disp. 5. cap. 22. & cap. 23.* ubi id ampliat, etiamsi percussus obiisset ex incuria medicorum,

14. *Quær.* An polluatur Ecclesia, si quis in ea dederit alicui venenum, quo sumpto, abiit, & domi obiit? *Resp.* Affirmativè, quando scienter, & animo occidendi datum est venenum. Passerin. *disp. 5. cap. 24. qui num. 7.* id extendit etiam, quando quis peste infectus tangeret alium in Ecclesia animo eum inficiendi, & vita privandi.

15. *Quær.* An per homicidium ex abortu factum in Ecclesia, ipsa polluatur? *Resp.* Affirmativè, si fœtus erat animatus, & abortus procuratus fuit mediis directè tendentibus ad occidendum fœtum; secùs autem, si principaliter tenderet ad salutem matris procurandam, vel propinatum esset poculum ad amorem. Passerin. *d. disp. 5. cap. 25.* ubi *num. 5.* addit, quòd si ex poculo abortionis mater ipsa moreretur in Ecclesia, multò magis esset polluta. Et in his omnibus casibus supponendum semper est, delicta, & operationes ad hæc delicta contrahenda, esse debere publica, vel publicitate juris, vel facti, vel ex publica voce, & fama. Idem Passerin. *de Pollut. Eccles. disp. 3. cap. 12. & disp. 4. cap. 1. & 2.* ubi DD.

16. *Quær.* An sit polluta Ecclesia, si quis puta cœcus in ea occumbat ex præcipitio, aut alio offendiculo ei præparato tantùm ad risum movendum? *Resp.* Si præcipitium tale fuit, ut de per se aptum foret ad necem inferendam, utique Ecclesia remaneret polluta, secùs autem, si dè per se non habebat aptitudinem necis, sed ex accidenti occubuit. Passerin. *d. disp. 5. cap. 27.* per totum.

17. *Quær.* An remaneat Ecclesia polluta, si quis in ea occidatur à bruto, puta à Cane rabido, vel Urso ad talem effectum concitatum, vel conductum? *Resp.* Quòd in tali casu Passerinus *d. disp. 5. cap. 28.* tenet opinionem negativam, ea ratione, quia Ursus, vel Canis occidens non sunt instrumentum, quo utitur homo ad occidendum; sed sunt causæ efficientes ipsius occisionis; & quia in eis non potest esse animus injuriandi Ecclesiam, ideò ea non polluitur. Cæterùm hæc opinio mihi non placet; quia, etsi in se bruta sint causæ efficientes homicidii, tamen quoad hominem inimicum volentem occidere, & qui ea ibi conduxit, & excitavit ad occisionem, habent vim Instrumenti; & sicut polluitur Ecclesia ex occisione facta cum percussione saxi, vel sclopi, cur ni etiam pollui debeat per excitatum Ursum, vel rabidum Canem, quando malitiosè, & culpabiliter ad homicidium faciendum excitati sunt? Imò ego dicerem, quòd pollueretur Ecclesia, si ex accidenti animal brutum aufugiens de manu custodis, occideret in Ecclesia aliquem, quando custos animalis poterat fugam prævidere, & non erat moraliter certus de bona custodia ejusdem animalis; ut hic Patavii aliquando accidit de Ursis penes Viros nobiles ad pompam custoditis, qui ex abrupto ob incuriam, & sic ob culpam custodum, pueros occiderunt.

18. *Quær.* An polluatur Ecclesia, si quis in ea occidat aggressorem ad suæ vitæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ?

telæ? *Resp.* Non pollui, quia licita est occisio, & defensio; imò non pollueretur, si occideret quis aggressorem cum dicto moderamine etiam ad tuendam vitam sui proximi; ac etiam ad tuenda bona sua, & bona proximi innocentis, pariterque in defendendo honore suo, & honore proximi injustè invasi in Ecclesia, dummodo semper occisio injusti aggressoris fieret cum moderamine inculpatæ tutelæ. Passerin. qui plenè disputat de his omnibus, & DD. cumulat *d. disput. 5. cap. 29. 30. 31. 32. & 33.* & respondet illi objectioni, quòd simus obligati magis diligere vitam proximi, quam bona nostra; nam objectio, seu hæc ratio procedit, quando proximus est in necessitate, & potest juvari re nostra, secus quando vult violenter bona nostra arripere.

19. *Quær.* An, si quis cum moderamine inculpatæ tutelæ suscipiat duellum in Ecclesia, & in eo occidat inimicum, censenda sit Ecclesia polluta? *Resp.* Passerinum sentire, quòd non sit polluta, supposito, quòd duellum suscipiatur ex præcisa necessitate, quo casu verè, & propriè non potest dici duellum, sed justa defensio; quia ut duellum dicatur, debet ex condicto determinari tempus, & locus ad pugnàndum. Ideò, qui acceptaret pro loco Ecclesiam ad duellum, illam pollueret feriendo. Passerin. *d. disp. 5. cap. 34.* ubi DD. *& cap. 36.* ubi firmat, Ecclesiam remanere pollutam, si foret in occisione excessus moderaminis inculpatæ tutelæ, quamvis ex defensione fieret occisio.

20. *Quær.* Quid dicendum, si quis occidat in Ecclesia invasorem, quando fugere poterat? *Resp.* Cum distinctione, vel fuga erat ignominiosa, ut in nobili viro, vel milite; vel non erat ignominiosa, ut in Religioso, vel in plebejo. Primo casu certum est, Ecclesiam non pollui. In Secundo sunt hinc inde opiniones, sed Passerin. *disp. 5. cap. 37.* tenet adhuc, Ecclesiam non pollui, quia non fugere in Religioso, & plebejo non est peccatum contra Justitiam, sed tantùm contra charitatem. Lessius *de Just. & Jure lib. 2. cap. 9. dub. 21. num. 136.* Diana *par. 5. tract. 4. resol. 48. & 49.* Porrò, extra controversiam est, Ecclesiam non pollui ex homicidio commisso ex solo defectu charitatis.

21. *Quær.* An proveniat Ecclesiæ pollutio, quando in Ecclesia occiditur invasor, antequam invadere incipiat; vel postquam complevit invasionem, & exinde discedebat? *Resp.* Non provenire pollutionem, quando in utroque casu occisio sic proxima est invasioni, ut vel ante, vel post habeat naturam necessariæ defensionis. Quòd si necessitas defensionis cessaret, Ecclesia pollueretur; quia homicidium remaneret injustum. Passerin. ex pluribus rationibus & DD. *d. disp. 5. cap. 38. & 39.*

22. *Quær.* An polluatur Ecclesia, si in ea occidatur mulier à marito comprehensa in adulterio, ac simul ipse adulter? *Resp.* Eam pollui, quia, licèt leges civiles concedant talia homicidia, Jus Canonicum tanquam peccaminosa ea damnat, sicque sunt illicita. Farinac. *quæst. 121. num. 55.* Sanchez *de Matrim. lib. 10. num. 39.* & sic tenet Passerin. *d. disp. 5. cap. 40.* ubi *num. 5.* è contra advertit, quòd si adulter, seu mulier se defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ contra invasionem mariti, occiderent ibi in Ecclesia ipsum maritum, Ecclesia non esset polluta; quia licèt causam dederint invasioni, tamen non amiserunt jus se defendendi, quod est valdè notabile. Item eo loci notat, quòd etsi non liceat marito occidere adulterum deprehensum in adulterio cum sua uxore, tamen si id faciat, & adulter esset Clericus, non incurreret in excommunicationem *ex text. in cap. Si verò, il primo de Sent. excommun.*

23. *Quær.* An Ecclesia sit censenda polluta, si reus occidatur in Ecclesia ipsa decreto publicæ auctoritatis? *Resp.* Pollutam censeri, quia injustum esset tale decretum, & sic homicidium; cùm publica auctoritas sæcularis non habeat jus in loco Sacro. Quòd si esset auctoritas publica Ecclesiastica, nisi proveniret à Summo Pontifice, adhuc esset illicita, & injusta, & sic causativa pollutionis. Passerin. *d. disp. 5. cap. 41. & 42.*

24. *Quær.* An cauletur Ecclesiæ Pollutio, si in ea occidatur reus, qui ex Bulla Greg. XIV. non est dignus Ecclesiæ immunitate? *Resp.* Pollutionem cautari, quia etsi licita sit extractio Rei ab Ecclesia, servatis servandis, non est licita occisio. Passerin. *d. disp. 5. cap. 43. & cap. 44.* ubi id ipsum firmat de excommunicatis, & interdictis, & capitaliter bannitis, etiam ob crimen exceptum ab immunitate Ecclesiæ.

25. *Quær.* An si quis seipsum occidat in Ecclesia, remaneat polluta? *Resp.* Affirmativè, DD. quos allegat Passerin. *d. disp. 5. cap. 45.*

26. *Quær.* An si occidatur in Ecclesia seditiosus, aut perturbator Reipublicæ, qui alibi capi, aut occidi non possit, Ecclesia polluatur? *Resp.* Si concurrat consensus Ecclesiæ, & ea occisio tanquam necessaria justè decernatur, Ecclesiam non pollui; aliàs pollutam remanere. Passerin. *d. disp. 5. cap. 46.*

27. *Quær.* Si mulier gravida moriatur, & deferatur ad Ecclesiam cum fœtu adhuc vivo in viscéribus, qui subindè in Ecclesia moriatur, an in hoc casu Ecclesia sit polluta? *Resp.* Negativè, quando vel ex inadvertentia, vel ex incuria parentum sic moriatur. At affirmativè, si quis positivè, & physicè cooperaretur ad fœtus necem consequendam. Passerin. *d. disp. 5. cap. 47.*

28. *Quær.* An polluatur Ecclesia, si in ea mors hominis sequatur per Magicum maleficium illi immissum? *Resp.* Non pollui, quia non est homicidium violentum patratum ab alio homine, sed ope Dæmonis, & à Dæmone, sic Deo permittente. Passerin. *d. disp. 5. cap. 48.* ubi *num. 5.* id extendit, etiam si quis à Dæmone violenter occideretur, assumpta forma, & figura hominis.

29. *Quær.* Quid dicendum de homicidio commisso in Ecclesia ab Energumenis, seu Lunaticis? *Resp.* Si tales non erant compotes mentis, Ecclesia non polluitur, secus autem, si mentis rationem tunc habebant. Passerin. *d. disp. 5. cap. 49.*

30. *Quær.*

30. *Quær.* Quid juris, si Martyrum occisio in Ecclesia fiat? *Resp.* Ecclesiam pollui, non quidem ob sanguinem Martyrum, qui sanctus, & innocens est, sed ob injustam, & sacrilegam occisionem. Passerin. pluribus citatis *d. disp.* 5. *cap.* 50. *num.* 4. ubi *num.* 5. notat, quòd licèt in tali casu Ecclesia sit reconcilianda, tamen locus sanguinis effusi non est lavandus, ut in aliis homicidiis, sed potiùs sanguis ipse tanquam sacer colligendus, & asservandus.

31. *Quær.* An Ecclesia ex vulnere ibi inflicto sine sanguinis effusione polluatur? *Resp.* Affirmativè, quando vulnus fuit grave, & injuriosum; quia non est necessaria effusio sanguinis ad pollutionem. Passerin. *disp.* 6. *cap.* 1.

32. *Quær.* An ex quocunque vulnere sivè gravi, sive levi inflicto in Ecclesia, ipsa polluatur? *Resp.* Negativè; quia tantùm grave vulnus eam polluit. Porrò, gravitas vulneris non est desumenda ex magna quantitate sanguinis effusi; & è contra vulneris parvitas non est æstimanda ex sanguinis effusi parvitate; quia pollutio pendet ex vulnere causante læsionem gravem in vulnerato. Passerin. *d. disp.* 6. *cap.* 2.

33. *Quær.* An si quis alteri in Ecclesia os, brachium, vel crus frangat, sine tamen scissura carnis, vel cutis, inducatur pollutio? *Resp.* Negativè, quia necesse est, fieri scissuram carnis, & sic eam rumpi, & aperiri. Ideò, si tantùm tumefiat, non erit Ecclesia polluta, quòd si statim tumefactio scindatur, & aperiatur, in hoc casu pollutio erit. Passerin. *d. disp.* 6. *cap.* 3. *& cap.* 4.

34. *Quær.* Quale debeat esse vulnus, ut causet pollutionem? *Resp.* Debet esse grave in se, non quòd sit causativum mortis in vulnerato, sed quòd habeat in se grave damnum, & factum sit cum culpa gravi: ideò, vulnus levi respectu damni, quamvis gravissimum respectu injuriæ non causat pollutionem. Passerin. *d. disp.* 6. *cap.* 5. *& cap.* 6.

35. *Quær.* An Ecclesia polluatur ex vulneribus inflictis ibi homini mortuo? *Resp.* Esse hinc inde contrarias Doctorum opiniones. Sed magis probabilem esse negativam, quia cadaver non est homo, & tale dicitur, quasi *caro data vermibus*, & ideò non causat pollutionem, quamvis ex vulneribus sanguis prorumpat; prout non polluitur ex quocunque alio sanguine non humano, puta brutorum, vel avium. Barbos. *allegat.* 28. *num.* 32. Passerin. *d. disp.* 6. *cap.* 7.

36. *Quær.* An magna sanguinis effusio è naribus, ob percussionem in Ecclesia, operetur pollutionem? *Resp.* Quòd ipsa sanguinis effusio, de per se, quamvis magna, non operatur pollutionem Ecclesiæ; quia ulteriùs requiritur, quòd percussio sit gravis in se, & peccaminosa. Ideò, si sanguis è naribus fluxerit ob gravem percussionem, Ecclesia polluetur, secus autem, si è levi percussione, vel ex joco. Passerin. *d. disp.* 6. *cap* 9.

37. *Quær.* An, si quis injuriosè sibi causet magnum Ulcus in corpore, vel cum veneno, vel cum mineralibus, argento vivo, calce, & similibus, polluatur Ecclesia? *Resp.* Negativè, licèt ex ulcere illatæ profluat pus sanguinolentum, vel ipse sanguis; quia Sacri Canones loquuntur de vulneribus, non de ulceribus, *Cap. Proposuisti. De Consecr. Eccles. vel Alt. in* 6. Ideò, ubi non est percussio, inde non venit pollutio, & sic, si venam quis sibi rumperet in pectore, vel cum veneno, vel inflatione, & conatu, dummodo se non percutiat, Ecclesia non polluitur. Passerin. *d. disp.* 6. *cap.* 10. *& cap.* 11. ubi magis firmat, requiri gravem, & injuriosam percussionem.

38. *Quær.* An ex vulneribus Sacræ Eucharistiæ inflictis per impium hominem, & ex sanguine miraculoso inde erumpente, ut sæpè accidit, Ecclesia polluatur? *Resp.* Negativè, quia impia illa percussio non est in corpore passibili, prout Sacri Canones requirunt; & licèt in Hostia Sacra verè sit Corpus Christi vivum, & humanum, tamen non est per modum corporis humani, sed per modum cibi; ideò non causaretur Ecclesiæ pollutio. Passerin. *d. disp.* 6. *cap.* 11.

39. *Quær.* An omnis locus Sacer sit capax Pollutione? *Resp.* Negativè, quia tantummodo Ecclesiæ, & Cæmeteria sunt subjectum pollutionis, nam de his duobus tantummodo Sacri Canones loquuntur. Passerin. *disp.* 2. *cap.* 2. *num.* 4.

40. *Quær.* Quæ veniant nomine Ecclesiæ, & sint capacia Pollutionis? *Resp.* Hæc omnia nomine Ecclesiæ venire; videlicet Ecclesias ipsas consecratas, vel benedictas. Oratoria publica benedicta; nec non Capellas Eremitarum. Item Ecclesias ab infidelibus in Meschitas conversas. Ecclesias quamvis non completæ fabricæ, si una pars fuerit benedicta. Ecclesias plenè, vel semidirutas, si spes est reædificationis. Ecclesias licèt interdictas, vel antea pollutas, & non reconciliatas; nam qui novam pollutionem in eis committit, novum Sacrilegium patrat. Capellas omnes interiores Ecclesiæ. Baptisteria quæcunque. Tectum Ecclesiæ interius, Scalas interiores, Mesaulos, & Andrones, vulgò *Anditi.* Coronas, vulgò *Cornicioni*, & Podia, vulgò *Poggiuoli.* Confessionalia interiora, Organorum loca, & Musicorum Odea. Pulpita, & Suggesta ad prædicandum. Chorum unitum Ecclesiæ. Rotas pro Monialibus in ipsa Ecclesia; & Armaria. Item locum Sacrarum Reliquiarum, quæ ibi tanquam perpetuæ Sepulturæ traditæ reperiuntur. Hæc omnia loca sunt capacia Pollutionis, ut abundè disputat, & demonstrat Passerin. *disp.* 2. per plura capita; DD. cumulans.

41. *Quær.* Quæ non sint capacia Pollutionis, & non veniant nomine Ecclesiæ? Quòd infra scripta, videlicet: Ecclesiæ nondum benedictæ. Oratoria privata. Oratoria in Palatiis Cardinalium, Episcoporum, Potestatum, seu Civitatum Rectorum, Hospitalium, & Conventuum Regularium. Ecclesiæ ab hæreticis benedictæ. Synagogæ hebræorum. Ecclesia ampliata, vel reædificata nondum benedicta. Inter tectum Ecclesiæ, quod non videtur à stan-

tibus in Ecclesia. Loca subter Pavimentum Ecclesiæ, in quo non sepeliuntur fideles, vel Altaria non sunt; ut subtus Ecclesiam Monasterii S. Mariæ de Pratalea Diœcesis Paduanæ. Sacristia, nisi Missa in ea dicatur, vel detur sepultura fidelibus, ut est illa S. Augustini de Padua. Campanile. Cellæ, aut Cameræ propè Ecclesiam. Vestibula, & Ostia ipsa Ecclesiarum. Fenestræ & Scaphæ, id est, Nichii exteriores. Tribunæ, seu cellulæ ad audiendam Missam. Locus, in quo sunt Armaria cum Sacris Reliquiis, in Vasculis, Thecis, & Capsulis. Altaria portatilia, Calices, & Patinæ. Hæc omnia sunt incapacia Pollutionis, & si in eis effusio Sanguinis, vel Seminis humani sequatur, non est opus, ut Ecclesia reconcilietur. Passerin. per plura capita sigillatim de omnibus disputans *d. disp.* 2.

42. *Quær.* An Cæmeteria sint capacia Pollutionis? *Resp.* Affirmativè, Et nomine Cæmeterii intelligitur omnis Locus Sacer ab Episopo benedictus, & deputatus sepulturæ fidelium, Ricciull. *de Jure Pers. lib.* 4. *cap.* 60. *num.* 20. Passerin. *dict. disp.* 2. *cap.* 46. ubi *num.* 4. notat, nihil interesse, sivè Cæmeteria sint Ecclesiæ contigua, sivè sint ab Ecclesia separata. Et *num.* 5. advertit, Cæmeteria, atque Ecclesias quoad Consecrationem, vel benedictionem, Sacrilegium, Immunitatem, Interdictum, Pollutionem, & Reconciliationem pari passu ambulare; Eo excepto, quòd polluta Ecclesia censetur pollutum etiam Cæmeterium, sed non è contra.

43. *Quær.* An pollutio Ecclesiæ afficiat etiam Cæmeterium? *Resp.* Affirmativè, quando Cæmeterium est continuum, vel contiguum Ecclesiæ. Quòd si sit alterum Cæmeterium contiguum primo Cæmeterio; primum remanet pollutum, tanquàm Ecclesiæ contiguum, non autem hoc secundum. Passerin. *d. disp.* 2. *cap.* 47. *&* *cap.* 48.

44. *Quær.* Si quis vulneraretur stans in fenestra exteriori Ecclesiæ supra Cæmeterium contiguum, an polluatur Ecclesia, vel Cæmeterium? *Resp.* Pollui Cæmeterium. Barbos. *in Votis decisivis lib.* 3. *Vot.* 117. *num.* 43. *&* 44. Passerin. *d. disp.* 2. *cap.* 50. *num.* 10.

CAPUT XXX.

De Sacrilegio in loco Sacro per Seminis humani effusionem.

1. *Quær.* Quomodo Ecclesia polluatur per effusionem Seminis? *Resp.* Eam pollui per effusionem peccaminosam seminis humani, sivè maris tantùm, sivè fœminæ tantùm, sivè utriusque, & sivè homo sit fidelis, sivè sit infidelis. Hinc per semen brutorum, quamvis homine cooperante, non pollui, docet Passerin. *de Pollut. Eccles. disp.* 7. *cap.* 1. Hoc tamen semper suppositò, quòd talis effusio publica sit, & non solùm occulta. Sanchez. *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 15. *n.* 11. Passerin. *disp.* 3. *cap.* 12.

2. *Quær.* An Ecclesia polluatur per Menstruorum fœminæ effusionem? *Resp.* Negativè, quia purgamenta mulierum, & alii humores ab eis effluentes non sunt verum semen. Barbos. *alleg.* 28. *num* 43. Passerin. *disp.* 7. *cap.* 2.

3. *Quær.* An polluatur Ecclesia per effusionem seminis factam in somno, vel ab ebrio? *Resp.* Negativè, quia semper debet esse voluntaria, & peccaminosa cum mortali peccato. DD. apud Passerin. *d. disp.* 7. *cap.* 3. *&* *cap.* 4. ubi subdit, quòd si effusio ipsa seminis non sit peccaminosa, sed postea talis fiat ob complacentiam, & delectationem, nihil. ominùs Ecclesiam non esse pollutam.

4. *Quær.* Quid Juris, si seminis effusio non sit peccaminosa in effundente, puta quia dormiat, vel sit amens, vel coactus; sed sit peccaminosa in altero, eam tactibus, & confricatione procurante? *Resp.* In hoc casu Ecclesiam non pollui, quia effusio seminis debet esse peccaminosa in ipso effundente, & sic in eo omninò voluntaria. Passerin. *d. disput.* 7. *cap.* 5. *&* *cap.* 6. ubi id extendit, etiamsi ipse effundens dedisset causam peccaminosam effusioni seminis, quam postea retractasset per pœnitentiam, ita, ut effusio ipsa non esset peccaminosa, nam neque in hoc casu Ecclesia pollueretur.

5. *Quær.* Cùm pollutio hominis extra copulam carnalem soleat esse peccaminosa in tribus casibus. Primò, si deliberatè desideretur ob delectationem veneream. Secundò, si deliberatè procuretur tactibus, vel aspectibus turpibus; & Tertiò, si non removeatur causa operativa pollutionis, ut est potatio, saltatio, &c. An in his tribus casibus semine effluente in Ecclesia, ipsa Ecclesia polluatur? *Resp.* Quoad primum casum non pollui, quia pollutio Ecclesiæ non resultat ex effusione seminis proveniente à sola causa interna. In secundo & tertio casu pollui; quia causa efficiens effusionis seminis est externa, physica, & positiva. Quòd si causa esset tantùm negativa, & consisteret in omissione remediorum pro impedienda seminis effusione, non pollueretur Ecclesia, ut subtiliter disputat Passerin. *d. disput.* 7. *cap.* 8. 9. *&* 10.

6. *Quær.* An sit necesse ad Ecclesiæ pollutionem, ut semen humanum cadat in terram, & solum Ecclesiæ attingat? *Resp.* Negativè, quia pollutio Ecclesiæ provenit non ex contactu humani seminis, sed ex turpi, & injuriosa effusione, ideòque, licèt semen recipiatur vel in vase fœmineo, vel in veste, vel in sudariolo, semper Ecclesia polluitur; suppositâ publicitate turpis hujus effusionis, vel ex reorum confessione, vel ex testimonio eorum, qui aderant. Jordan. *lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 110. & Passerin. *d. disp.* 7. *cap.* 11. ubi confutat Graffium *Decis. Aur. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 26. contrarium scribentem.

7. *Quær.* Quanta seminis humani copia requiratur ad polluendam Ecclesiam? *Resp.* Quæcunque quantitas seminis sufficit ad eam polluendam, dummodò sit effusio seminis, non autem simplex distillatio, vel alius humor, aut fluxus, & gonorrhæa; &. in eo solet discerni, quòd semen effunditur cum carnis voluptate, & genitalis membri

ere-

erectione, ac pruritu; distillatio verò, sivè alius humor fluere solet sine commotione membri, & tanta delectatione venerea. Igitur ex distillatione Ecclesia non polluitur, ex seminis effusione polluitur. Passerin. *dict. disp.* 7. *cap.* 12. *&* 13. *Item* 14. *&* 15. ubi eam non pollui censet, neque ex effusione sanguinis per genitale loco seminis; neque ex effusione seminis corrupti, nisi concomitanter flueret etiam semen verum: quod, ut dictum est, cognosceretur, si flueret cum erectione membri, & nimia delectatione venerea.

8. *Quær.* An ex effusione seminis per Spadones facta polluatur Ecclesia? *Resp.* Negativè, quia hi non valent verum semen effundere, sed tantummodò talem qualem humorem, seu distillationem; & idem esse in pueris, & puellis non viripotentibus. Passerin. *d. disp.* 7. *cap.* 16. ubi *num.* 5. *&* 6. docet, non ita esse de senibus, quando adhuc apti sunt verum semen emittere.

9. *Quær.* An copula carnalis inter maritum, & uxorem facta in Ecclesia sit semper pollutiva ipsius Ecclesiæ? *Resp.* Quòd si fiat ob necessitatem, & periculum incontinentiæ, cò, quia conjuges non possunt ex Ecclesia discedere, Ecclesia eo casu non polluitur. At si sine necessitate fiat, Ecclesia polluitur, ut tenet Passerin. *d. disp.* 7. *cap.* 17. ubi pro hac opinione recenset centum, & tres Doctores; adversus quos allegat alios in numero duodecim, qui volunt, Ecclesiam non pollui per copulam conjugalem etiam sine necessitate in Ecclesia habitam, ea ratione, quia pollutio à Canonibus sit fundata in copula peccaminosa. Cæterùm communior est opinio contraria; & non pollutio Ecclesiæ reputatur, quando copula conjugum fit ex necessitate. Passerin. *d. disp.* 7. *cap.* 18.

10. *Quær.* An Ecclesia polluatur per effusionem sanguinis, vel seminis, si effundentes nesciant, has actiones esse pollutivas Ecclesiæ? *Resp.* Affirmativè, quia pollutio Ecclesiæ pendet ab his actionibus turpibus, & injuriosis, non autem ab advertentia delinquentium. Passerin. *disp.* 3. *cap.* 8.

11. *Quær.* An effusio sanguinis, vel seminis humani facta in Ecclesia ab eo, qui ignorabat, illum esse locum Sacrum, causet pollutionem? *Resp.* Affirmativè. Neque obstat, quòd, qui percutit Petrum Clecum, nesciens esse Clericum, non incurrat excommunicationem; quia ratio est dissimilis in pollutione; quæ fundata est in morali macula, quam assumit Ecclesia ob actiones illas turpes quoquo modo commissas in ea. Passerin. *d. disp.* 3. *cap.* 9. ubi tamen nullum citat auctorem pro hac opinione.

CAPUT XXXI.

De Sacrilegio in loco Sacro per Sepulturam excommunicati, vel infidelis.

1. *Quær.* Quomodo polluatur Ecclesia per sepulturam excommunicati, vel infidelis? *Resp.* Eam pollui, si excommunicatus, vel infidelis in ea sepeliatur, id est, ejus cadaver imponatur in Tumba, seu in Sepulchro, ves fovea intùs Ecclesiam. Passerin. *disput.* 8. *cap.* 1. 2. *&* 3. per Tex. *in cap. Consuluisti. De Consecrat. Eccles. can. Ecclesiam* 1. *&* 2. *de Cons. dist.* 1. *cap. Is qui, de Sent. excommun. in* 6. *cap. fin. de Cons. Eccles. vel Altar. cap. Unic. eodem in* 6. *cap. Ad hæc. de Privil.*

2. *Quær.* An polluatur Ecclesia, si ibi corpus excommunicati, vel infidelis tantùm in depositò ad tempus servetur? *Resp.* Negativè. Passerin. *d. disp.* 8. *cap.* 3. Sed interim non esset celebrandum in illa.

3. *Quær.* Quid Juris, si non totum corpus sepeliatur, sed tantùm una pars, vel cineres? *Resp.* Per cineres, & caput Ecclesiam pollui, non autem per alia membra; nec valet argumentum à Sanctis Reliquiis, circa quas, ubi est Crus, vel Brachium fit officium duplex, quia illa est materia favorabilis, hæc est odiosa. Passerin. *d. disp.* 8. *cap.* 4.

4. *Quær.* An polluatur Ecclesia per sepulturam excommunicati minori excommunicatione? *Resp.* Negativè, quia debet esse excommunicati majori excommunicatione; & specialiter, ac nominatim denunciati; nisi fortè esset notorius Clerici percussor; quia hæc duo tantùm genera excommunicatorum polluunt Ecclesiam, si eorum corpora in ea sepeliantur. Passerin. pluribus DD. citatis *disp.* 8. *cap.* 5. 6. 7. *&* 8. ubi sentire videtur, quòd etiam ad faciendum aliquem notorium percussorem Clerici esse necessariam Judicis sententiam, quia non sufficit, quòd notoriè percusserit, sed quòd notorie injustè percusserit.

5. *Quær.* An polluatur Ecclesia, si erat quidem alibi denunciatus excommunicatus, vel notorius Clerici percussor, non autem in loco, ubi sepelietur? *Resp.* Non pollui. Passerin. *d. disp.* 8. *cap.* 9.

6. *Quær.* An censenda sit Ecclesia polluta, si in ea sepeliatur nominatim interdictus? *Resp.* Negativè, quia, etsi corpus Interdicti debeat exhumari. *cap. Is cui, de Sent. excommunicat. in* 6. nihilominùs Ecclesia non polluitur. Passerin. *d. disp.* 8. *cap.* 10. Quia Jura in pœnalibus non extenduntur.

7. *Quær.* Quid Juris, si quis denuncietur excommunicatus post mortem, & postquam cadaver erat in Ecclesia sepultum? *Resp.* Esse statim, & absque mora exhumandum, aliàs Ecclesia contrahit pollutionem. Passerin. *d. disp.* 8. *cap.* 11. *num.* 5. Hinc Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalaten. cùm post mortem fuerit sententiatus hæreticus relapsus Romæ, ejus corpus existens in Ecclesia Sanctorum Apostolorum fuit indè extractum, & per manum Carnificis combustum Anno 1624. ut notat Illustriss. Baptaglinus in Annalibus Sacerdotii, & Imperii, d. Anno 1624. num. 11. tanquam excommunicatum.

8. *Quær.* An, si sepeliantur in Ecclesia locustæ prius excommunicatæ, Ecclesia polluatur? *Resp.* Negativè, quia solus homo chri-

chriſtianus excommunicatur; cæteræ res vel maledicuntur, vel execrantur. Paſſerin. *ubi ſupra d. cap.* 11. ubi advertit, neque Catechumenum verè excommunicari.

9. *Quær.* An Eccleſia polluatur, ſi ſepeliatur ille, qui appellaverat à ſententia excommunicationis, vel de cujus validitate excommunicationis dubitatur? *Reſp.* Non pollui, donec diffiniatur ſuper validitate, & juſtitia excommunicationis. Paſſerin. *d. diſp.* 8. *cap.* 12. 13, & 14.

10. *Quær.* An abſolutus ad reincidentiam, ſi reincidat, polluatur Eccleſia per ſepulturam ſui cadaveris? *Reſp.* Negativè, niſi denuò poſt reincidentiam fuerit denunciatus excommunicatus. Paſſerin. *d. diſp.* 8. *cap.* 15.

11 *Quær.* An polluatur Eccleſia, ſi excommunicatus fuerat abſolutus vel à ſimplici Sacerdote in articulo mortis, vel à ſimplici laico? *Reſp.* Abſolutionem datam à ſimplici Sacerdote in articulo, vel probabili periculo mortis eſſe validam, ideò ea data, corpus abſoluti non polluere Eccleſiam. At datam à laico non eſſe validam, ut ſcripſi de Pœnitentia *Deciſ.* 31. *num.* 13. & ideò corpus abſoluti à laico polluit Eccleſiam. Paſſerin. *d. diſput.* 8. *cap.* 16. & 17. Et quamvis ſigna contritionis dederit, polluitur Eccleſia per ejus ſepulturam, donec verè abſolvatur; data autem vera abſolutione ceſſat pollutio. Paſſerin. *ibid. cap.* 18. & 19.

12. *Quær.* Cùm Eccleſia polluatur per ſepulturam infidelis, quis intelligatur talis? *Reſp.* Appellatione infidelium venire Paganos, & Judæos tantùm; nomine verò paganorum comprehenduntur omnes ſectæ, quæ non recipiunt baptiſmum, ut Turcæ, Saraceni, Perſæ, Arabes, Tartari, & ſimiles, quorum cadavera ſi in Eccleſia ſepeliantur, oritur pollutio. Paſſerin. *diſp.* 8. *cap.* 20.

13. *Quær.* An per ſepulturam parvuli non baptizati Eccleſia polluatur? *Reſp.* Cum diſtinctione, ſi eſt filius Chriſtianorum, non polluitur Eccleſia, etiam ſi tantùm Pater, vel Mater foret fidelis. Si verò eſt filius infidelium, Eccleſia polluitur. Paſſerin. *d. diſp.* 8. *cap.* 21. & 22.

14. *Quær.* An polluatur Eccleſia per ſepulturam Catechumeni, vel baptizati tantùm baptiſmo Flaminis, vel Sanguinis? *Reſp.* Non pollui, quia hi inter fideles connumerantur. Paſſerin. *d. diſp.* 8. *cap.* 23. 24. & 25.

15. *Quær.* Si Eccleſia fabricetur in loco, ubi antea fuerat ſepultus infidelis, vel excommunicatus, cenſeatur ſubjacere pollutioni? *Reſp.* Affirmativè, nec valet benedictio data Eccleſiæ, quia corpus illud eſt exhumandum, quando notoriè conſtat de ejus exiſtentia in eo loco. *cap. Eccleſiam* 1. & 2. *de Conſecrat. diſt.* 1. & ibi Gloſs. Paſſerin. *d. diſp.* 8. *cap.* 26.

16. *Quær.* Quinam ſit effectus Pollutionis Eccleſiæ? *Reſp.* Eſt triplex; id eſt, Quòd Sacramenta ibi non celebrentur. Quod divina officia ibi non perſolvantur. Et quòd Eccleſiaſtica ſepultura ibi non tradatur. *cap. Eccleſiam* 1. & 2. *de Conſecrat. diſt.* 1. *cap. Is qui, de Sent. excomm. in* 6. *cap. fin. de Conſecrat. Eccleſ. vel Alt. cap. Unico, eod. tit. in* 6. & *cap. Tuarum. de Privileg.* Paſſerin. *diſp.* 9. *cap.* 1.

17. *Quær.* An pollutio non ſit ſervanda, niſi ſequatur ſententia declarativa pollutionis? *Reſp.* Negativè, quia eo ipſo, quòd Eccleſia polluitur, ſunt effectus pollutionis ſervandi, niſi dubium eſſet, an verè eſſet Eccleſia polluta, quia tunc eſt expectanda Epiſcopi declaratio. Paſſerin. *diſp.* 9. *cap.* 2.

18. *Quær.* An aliqua Sacramenta poſſint adminiſtrari in Eccleſia polluta? *Reſp.* Poſſe adminiſtrari. Primò: Baptiſmum, tam parvulis, quàm adultis. *cap. Quoniam de Sent. excommunicat. in* 6. etiam publicè, & ſolemniter. Paſſerin. *diſp.* 9. *cap.* 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. ubi quòd etiam ſolæ cæremoniæ baptiſmi poſſunt etiam in Eccleſia polluta ſuppleri. Secundò: Sacramentum Confirmationis. Paſſerin. *d. diſp.* 9. *cap.* 18. Tertiò; Sacramentum Pœnitentiæ. Paſſerin. *ibid. cap.* 19. Quartò; Sacramentum Matrimonii, Paſſerin. *ibid. cap.* 23. E contra verò Sacramentum Euchariſtiæ non poteſt miniſtrari niſi infirmis pro Viatico. Paſſerin. *d. diſp.* 9. *cap.* 20. Miſſam verò non poterit Sacerdos celebrare in dicta Eccleſia, niſi ſemel in hebdomada ad renovandas particulas conſecratas pro infirmis. Paſſerin. *ibid. cap.* 24. & 25. Unctio autem Extrema datur extra Eccleſiam; & Ordinis Sacramentum non debet dari in Eccleſia polluta, niſi in maxima neceſſitate. Paſſerin. *d. diſp.* 9. *cap.* 21. & *cap.* 22.

19. *Quær.* Quid agendum, ſi Sacerdos ſit ad Altare, & Miſſam celebret, quando Eccleſia polluitur? *Reſp.* Si incæperat oblationem, aut Canonem, debet continuare, & perficere Sacrificium. Si nondum ad oblationem panis, & vini devenerat, debet ſtatim diſcedere; prout facere debet, ſi veniret notorius excommunicatus in Eccleſiam, & nollet abire. Paſſerin. *d. diſp.* 9. *cap.* 27.

20. *Quær.* Quænam orationes ſint prohibitæ in Eccleſia polluta? *Reſp.* Orationes publicæ, ut horæ canonicæ, quas deſerere ibi debent tam Clerici, quàm Moniales. Porrò, privatæ orationes non prohibentur. Paſſerin. *d. diſp.* 9. *cap.* 30.

21. *Quær.* An Campanæ pulſari poſſint, dum Eccleſia eſt polluta? *Reſp.* Eas non poſſe pulſari in his, quæ concernunt officia divina; ſecus in aliis. Paſſerin. *diſp.* 9. *cap.* 43. *num.* 2. Cæterùm ſervatur in Praxi, ut ſileant omninò Campanæ, etiam ad ſalutationem Angelicam ad majorem terrorem delicti pollutivi Eccleſiarum.

22. *Quær.* Quænam ſint Pœnæ ſtatutæ contra eos, qui celebrant, vel Sacramenta vetita adminiſtrant, aut ſepeliunt in Eccleſia polluta? *Reſp.* Duas eſſe Pœnas. *Unam* peccatum mortale; *Alteram* Animadverſionem, ſeu Punitionem, quam in rransgreſſores poteſt habere Ordinarius. Paſſerin. *diſp.* 10. *cap.* 2. & *cap.* 3. ubi notat, quòd, qui celebrat in loco interdicto, incurrit Suſpenſionem, & Irregularitatem; at qui id facit in loco polluto, peccat mortaliter tantùm, & poteſt ab Ordinario puniri.

23. *Quær.*

23. *Quær.* An detur levitas materiæ, & sic excusatio à culpa gravi in materia pollutionis Ecclesiæ? *Resp.* Affirmativè, ut ostendit Passerin. *d. disp.* 10. *cap.* 3. 4. & 5.

24. *Quær.* An possit celebrari in Ecclesia polluta de licentia Episcopi? *Resp.* Affirmativè in casu necessitatis. S. Thom. 3. *par. q.* 83. *art.* 3. *ad secundum.* Thesaur. *de Pœnis par.* 2. *Verb. Sacrilegium cap.* 5.

25. *Quær.* An sint exhumanda corpora fidelium sepulta in Ecclesia, vel Cæmeterio polluto? *Resp.* Negativè, nisi essent excommunicati, vel personaliter interdicti. Thesaur. *d. Verb. Sacrilegium. Vers. Illud adverte.*

26. *Quær.* An polluta Ecclesia, si in ea aliquis Sacerdos bona fide celebraverit, hoc ipso censeatur sufficienter reconciliata? *Resp.* Negativè, quia reconciliatio pendet ex certa verborum forma, & solemnitate ab Ecclesia instituta. Laymann. *lib.* 5. *de Sacrif. Missæ cap.* 5. *num.* 13. Thesaur. *de Pœnis d. p.* 2. *Verb. Sacrilegium cap.* 5. *Vers. Adverte etiam*, ubi contrarium sentientes reprobat; & ait, non valere argumentum de Vestibus, vel Calice nondum consecratis, quæ consecrantur ex sola Missæ celebratione facta cum ipsis, ut tenet Diana *pàr.* 1. *tract.* 14. *resol.* 69. Excipitur tamen, si Papa unico Verbo declararet Ecclesiam reconciliatam, quia tunc non esset opus alia reconciliatione. Thesaur. *d. cap.* 5. *in fine.*

27. *Quær.* Quis possit Ecclesias reconciliare à pollutione? *Resp.* Si Ecclesia erat tantùm benedicta, potest eam reconciliari simplex Sacerdos de licentia Episcopi. *cap. Si Ecclesia, ubi* Glossa *verb. Lavetur. de Consecrat. Eccles.* Si verò Ecclesia erat consecrata, solus Episcopus eam reconciliare valet de Jure. *cap. Aqua. & cap. Proposuisti. De Consec. Eccl.* Verùm ex Privilegio Sedis Apostolicæ Superiores Regulares possunt suas Ecclesias reconciliare, si Episcopus abesset, & distaret ultra duas dietas. Novarius *in Summa Bullar. Comment* 101. per totum; ubi *num.* 7. advertit, Superiores Cassinenses reconciliare suas Ecclesias etiam Episcopo non absente, quod notat etiam Graff. *Consil.* 2. *num.* 18. *de Consecrat. Eccles.*

28. *Quær.* Quot milliaria contineat una Dieta? *Resp.* Eam continere viginti milliaria. Glos. *in cap. Nonnulli. Verb. duas Dietas. de Rescript.* Mascard. *concl.* 1056. *num.* 6. Novar. *d. comment.* 101. *num.* 9.

CAPUT XXXII.

De Sacrilegio ex violata Immunitate loci Sacri.

1. *Quær.* Quid sit Immunitas loci Sacri? *Resp.* Esse Privilegium Ecclesiis, & locis sacris concessum, ut Rei ad ea confugientes, per vim extrahi non possint. *cap. Nullus.* 17. *q.* 4. *cap. Ecclesiæ. cap. Inter alia. De Immunit. Eccles.* & novissimè celebris Constitutio Gregorii Papæ Decimi quarti. *Incipien* Cùm aliàs *nonnulli.* Quam explicat Novar. *in Summa Bullar. par.* 2. *Comment.* 80. Farinac. *Oper. Crimin. tom.* 10. *in fine*, & Diana *Coordinat. tom.* 9. *tract.* 1.

2. *Quær.* Quæ sint loca Sacra gaudentia immunitate prædicta? *Resp.* Esse sequentia: Primò, Ecclesias, etiam pollutas, vel interdictas, vel nondum perfectè constructas, aut dirutas cum spe reædificationis; etiamsi in eas non servetur Eucharistia. Coton. *in Summa, Diana Verb. immunitas Ecclesiarum quoad loca num.* 2. ubi Textus; & DD. Secundo, Oratoria Confraternitatum, auctoritate Episcopi erecta. Coton. *ibid. num.* 3. Tertiò, Cæmeteria, etiam ab Ecclesiis separata. Quartò, Hospitalia publica, Episcopi auctoritate erecta. Quintò, Monasteria Religiosorum, quoad totam eorum Clausuram; nec non eorundem Grancias, seu hospitia, vel Monasteriorum membra. Sextò, Domus Clericorum in communi viventium, quales sunt domus Patrum Oratorii, & Seminarii. Septimò, domus Puellarum, & Orphanorum auctoritate Episcopi fundatas. Octavò, Palatia Episcoporum, ubique sita, nec non domus Canonicorum ab Ecclesia ultra 40. passus non distantes. Item Palatia Episcoporum Titularium, & domus, in quibus Episcopi moram trahunt, seu hospitantur tempore Visitationis. Nonò, Palatia, seu domus Cardinalium extra Urbem Romæ. Decimò, Domus Parochorum, & Canonicorum, quæ sunt de Jure Ecclesiæ eorundem, quamvis essent locatæ laicis. Chartar. *decis. Criminal.* 46. *num.* 20. Undecimò, Campanile, quamvis sit ab Ecclesia sejunctum. Duodecimò, Omnis locus, in quo præsens sit Corpus Christi, qualis est camera ægroti, dum ei communio delata est, vel persona Sacerdotis deferens Sacram Eucharistiam, ad quam Reus confugiens gaudet immunitate; imò satis est, si se immiscat cum gente associante Sanctissimum Sacramentum; idemque in processionibus Sacrarum Reliquiarum, vel Imaginum. Decimo tertiò, Si Reus confugiat ad personam Cardinalis inde transeuntis. Et Decimoquartò, Si accedat Reus ad portantes aram portatilem, vulgò *Pietra Sacra.* De quibus omnibus locis Jura, & Doctores tractantes allegat, & sequitur Summa Diana *in dicto Verb. Immunitas Ecclesiarum quo ad loca à num.* 2. *usque ad num.* 10.

3. *Quær.* An sit necesse, ut Reus gaudeat immunitate, ut introeat locum sacrum? *Resp.* Negativè, quia sufficit, quòd tangat muros extrinsecùs, aut si ostio clauso adhæreat, vel tectum Ecclesiæ ascendat. Sperell. *decis.* 60. *num.* 9. Gambacurta *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 9. Imò sufficit appropinquare Ecclesiæ Matrici per externum ambitum ad passus quadraginta; & aliis Ecclesiis ad passus triginta. *Cap. Sicut antiquitus. Cap. Desinivit. Cap. Quisquis.* 17. *q.* 4. tam in Civitate, quàm extra, dummodo spatium sit liberum, ut sunt plateolæ coram Ecclesiis, secus si sint domus laicorum contiguæ ipsis Ecclesiis. Tuschus *Verb. Immunitas concl.* 59. *num.* 18.

4. *Quær.* Quænam personæ confugientes ad loca sacra gaudeant Immunitate? *Resp.* Omnes, & quascunque personas gaudere, dummodo non commiserint delicta excepta in Bulla Gregorii XIV. Ideò sivè fidelis, si-

vè

vè infidelis ad Ecclesiam confugiat, non est inde extrahendus; & si de facto extrahatur, est ad eam restituendus, quia privilegium hoc non est concessum personis, sed loco sacro. Coton. *in Summa Diana ubi supra num.* 14. Joan. Anton. Novarrius *in Summa Bullar. Comment.* 72. *& Comment.* 80.

5. *Quær.* An Clerici possint de mandato Episcopi capi, & detineri in loco sacro etiam in delictis non exceptis? *Resp.* Esse plurimos Doctores pro utraque opinione, quos cumulat Diana *Coordinatus tom.* 9. *tract.* 1. *resol.* 34. *&* 35. ubi ostendit, Sacram Congregationem Concilii tenere partem negativam, quia etiam ipsi Clerici, ne sint deterioris conditionis, quàm Laici, debent gaudere Immunitate. Porrò opinionem contrariam posse practicari, ubi talis esset consuetudo, docet Joan. Anton. Novarius *de Comment.* 80. *num.* 3. prout esse videtur in hac Diœcesi Patavina; in qua pluries ego scio, dum fungerer officio Promotoris Fiscalis in Episcopatu, Clericos esse captos in Ecclesia, & nullum eorum dixisse de nullitate capturæ ob immunitatem loci sacri. Nihilominùs apud Doctores modernos prævalet opinio, quòd Clerici non possint capi in loco sacro; quia sic tenet S. Congreg. Cardinalium, tum Concilii, tum Immunitatis, & sic decisum fuisse *in una Maceraten. Immunitatis die* 25. *Maji* 1655. testatur Jac. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 176. *num.* 5. *tom.* 1.

6. *Quær.* An Clerici possint de mandato Episcopi capi in via, dum incedunt cum Cotta ad aliquod funus? *Resp.* Negativè. Locatell. *de Tortura inspect.* 5. *num.* 164. Nicol. *in Lucubrat. civilib. tom.* 1. *lib.* 1. *tit* 8. *post §. fin. de Immunit. Eccles. num.* 35. ubi ulteriùs advertit, neque Laicum posse capi per viam, quando est indutus sacco alicujus confraternitatis spiritualis.

7. *Quær.* An Regulares confugientes ad Ecclesiam, possint inde extrahi de mandato suorum Superiorum? *Resp.* Consuetudinem esse, quòd extrahi possint ex propriis Ecclesiis, secus ex Ecclesiis non suis; aliàs nunquam possent Superiores Monasteriorum punire subditos suos. Coton. *in d. Summa Diana Verb. Immunitas quo ad loca num.* 16. ubi ait, quotidie deferri ad S. Congregationem appellationes Regularium captorum in Ecclesiis suis contra suos Superiores, sed eas parvipendi, & nihil curari. Cæterùm in puncto Juris, non posse capi Regulares in Ecclesiis, tenet Diana *Coordin. d. tom.* 9. *tract.* 1. *resol.* 37. *num.* 2.

8. *Quær.* Quo jure sit inducta Immunitas Ecclesiarum? *Resp.* Super hoc quæsito non esse concordes Doctores, nam alii volunt eam esse de Jure Divino, alii de Jure Canonico, ut videre est apud Dianam *Coordinatum d. tom.* 9. *tract.* 1. *resol.* 1. & Chartar. *Decis. Crimin. decis.* 46. *num.* 34. & Sperell. *decis.* 104. *num.* 11.

9. *Quær.* Quænam sint delicta excepta per Bullam Gregorianam, adeò ut ea committentes non gaudeant Immunitate Ecclesiarum? *Resp.* Ex Bulla Gregoriana non gaudere Immunitate Ecclesiarum Latrones publicos, Grassatores viarum, aut Depopulatores agrorum, Homicidas proditorios: occidentes vel mutilantes in loco sacro, id est, vel in Ecclesia, vel in Cæmeterio, nec non reos assassinii, hæresis, aut Læsæ Majestatis in personam Principis. Coton. *in Summa Dian. d. Verb. Immunitas Ecclesiar. num.* 18. Novarr. *d. Comment.* 72. *& Comment.* 80. Farinac. *& Diana de Immunit.* qui omnes declarant dictam Bullam Gregorii.

10. *Quær.* An dicta Bulla Gregoriana possit per contrariam consuetudinem derogari? *Resp.* Negativè, quia consuetudo contraria Immunitati Ecclesiæ est corruptela, & abusus, quæ nunquam potest vim acquirere. Coton. *in d. Sum. Verb. Immunitas Eccles. quo ad delicta d. num.* 18. *& Verb. consuetudo num.* 2. & Chartar. *decis. Crimin.* 46. *num.* 45. & Sperell. *decis.* 37. *num.* 63.

11. *Quær.* An fieri possit, quòd eadem Bulla Gregoriana non acceptetur, & non sit in Usu? *Resp.* Negativè, quia in ea est Decretum irritans. Rota coram Merlino *die* 11. *April.* 1639. Coton. *ubi ante num.* 18.

12. *Quær.* An violatio dictæ Bullæ fiat per arrestationem Rei in loco sacro cum effectu secutam? *Resp.* Sufficere, si attententur arrestatio. Farinac. *de Immunit. cap.* 20. *num.* 322. Coton. *d. num.* 18.

13. *Quær.* An Judex, qui mandat Reum occidi in loco sacro, à quo non potest eum extrahere, incidat in pœnas dictæ Bullæ? *Resp.* Affirmativè. Squillant. *de Oblig. Cler. p.* 5. *dub.* 14. *n.* 90. Coton. *ibid.* ubi respondet objectis contrariis, & præcipuè, quòd Reicidium non sit prohibitum in Bulla, quæ tanquam pœnalis non videtur extendenda ad casus non explicitos; quia imò dicta Constitutio est favorabilis, nam favet Ecclesiæ, & personis ad eam confugientibus. Et licèt intersit Reipublicæ, quòd delicta, & maximè atrociora non remaneant impunita; tamen eò magis interest, ut Deo reverentiam quisque præstet; & ejus domus, quæ Ecclesia est, Immunitate gaudeat, & tueatur eos, qui ad illam confugiunt. Guttierez *lib.* 3. *quæst.* 3. *num.* 9.

14. *Quær.* Quænam pœna sit inflicta contra violantem Ecclesiæ immunitatem? *Resp.* Pœnam excommunicationis inflictam esse, quæ est latæ sententiæ, & Summo Pontifici reservata. Coton. *ubi ante num.* 19.

15. *Quær.* Ad quem spectet judicare in dubio, an Reus gaudeat, nec ne Immunitate Ecclesiæ? *Resp.* Spectare ad Judicem Ecclesiasticum; qui non tenetur stare processui formato per Judicem Laicum, sed debet novas informationes recipere. Coton. *ubi ante num.* 20. *& in Verb. Judex Ecclesiasticus à num.* 11. Et interim non permittet, reum in Ecclesia existentem, poni in compedibus; quòd malè docet Fontanell. *decis.* 200. & 201. & multò minus ipsum à Judice Laico detineri in carceribus; quia Bulla inquit, ut detineatur in carceribus Episcopi, adhibita (si opus sit) custodia Judicis Laici. Coton. *d. Verb. Immunitas Ecclesiæ quoad delicta num.* 20. *pag.* 454.

16. *Quær.* An in dubio possit Episcopus pronun-

pronunciare pro Judice Laico, & contra Reum? *Resp.* Negativè, quia in dubio debet pro Favore Ecclesiæ, & sic pro Reo pronunciare. Coton. *ib. & Verb. opinio num.* 11. Sperell. *decis.* 60. *num.* 13.

17. *Quær.* Quam pœnam incurrat Episcopus, tradendo Reos Curiæ sæculari, in casu, in quo debent gaudere Immunitate Ecclesiæ? *Resp.* Eum peccare mortaliter, incurrere excommunicationem Papalem, & esse obligatum ad damna ejusdem Rei; qui, si ad mortem damnetur, Episcopus remanet irregularis, ut advertit Novarius *in Comment.* 72. *num.* 31. & tenet Anton. *de Loco legal. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 209. Abb. Michaël Justinian. *in addit. ad Novar. Comment.* 72. *&* 80. *pag.* 10.

18. *Quær.* An Judex Laicus in casibus notoriè exceptis possit extrahere Reum de Ecclesia absque Episcopi licentia? *Resp.* Negativè, quia debet petere, & expectare licentiam Episcopi, ut mandat ipsa Bulla, & notat Coton. *ubi ante d. num.* 20. *in fine.*

19. *Quær.* An interdicti ab ingressu Ecclesiæ, excommunicati, occidentes Clericum, vel pugnantes in duello, defloratores Monialem, etiam in Ecclesia, Raptores Virginum etiam ex Ecclesia; blasphemi (non hæreticales blasphemias proferentes) Simoniaci, adulteri, Sodomitæ, etiamsi in Ecclesia Sodomiam commisissent, & Patricidæ gaudeant immunitate Ecclesiæ? *Resp.* Affirmativè. Sperell. *decis.* 22. *num.* 10. Chartar. *decis.* 46. *num.* 84. Barbos. *de Jure Ecclesiastico lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 95. & Coton. *ubi ante num.* 22. & ibi DD. *& num.* 25. ubi idem de Monetariis sentit.

20. *Quær.* Cùm Hæresis Reus non gaudeat immunitate Ecclesiæ, an sola hæresis intelligatur? *Resp.* Intelligi omnem culpam, quæ sapiat hæresin, & quæ cadat sub Judicio Inquisitorum. Farinac. *in Appendic. ad tract. de Immunit. cap.* 13. *num.* 175. Coton. *d. Verb. Immunitas Ecclesiar. num.* 24.

21. *Quær.* An Hæreticus capiendus pro aliquo alio delicto, si confugiat ad Ecclesiam, possit in ea capi? *Resp.* Negativè, quia Bulla excipit hæreticum, dum agitur de delicto hæreseos. Coton. *ibid. num.* 24.

22. *Quær.* Cùm Homicidium committentes in Ecclesia non gaudeant Immunitate, an gaudere debeant, qui mandant homicidium in Ecclesia committi? *Resp.* Gaudere debere, quia mandantes non sunt homicidæ. Coton. *ubi supra num.* 26. *& ibi DD.*

23. *Quær.* An gaudeat immunitate, qui existens in Ecclesia occidit hominem existentem extra Ecclesiam; & vice versa, qui existens extra Ecclesiam occidit hominem stantem in Ecclesia? *Resp.* In primo casu gaudere, in secundo non gaudere. Coton. *& ibi in DD. d. Verb. Immunitas Ecclesiar. num.* 26.

24. *Quær.* An occidens alium in Ecclesia ex calore iracundiæ, & in subita ira gaudeat Immunitate Ecclesiæ? *Resp.* Gaudere, quia homicidium exceptum est cum animo deliberato factum, & ita decisum fuisse Romæ Anno 1639. docet Novar. & Farinac. relati à Cotonio *d. num.* 26. ubi subdit, gaudere cò magis, qui ad defensionem occidit, nisi fuerit provocator. Thesaur. *Verb. Immunit. num.* 2.

25. *Quær.* Cùm mutilantes in loco sacro non gaudeant immunitate loci, quomodo sit intelligenda hæc mutilatio? *Resp.* Quòd sit cum abscissione veri membri; ideò sola vulneratio, vel etiam sfrigia in faciem, licèt facta in Ecclesia, non privat Immunitate. Barbos. *de Jure Ecclesiastico lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 13. Coton. *d. num.* 26. *&* 27. ubi subdit gaudere, qui vulneraret aliquem confitentem in Ecclesia; vel occideret confitentem extra Ecclesiam, vel recipientem Oleum Sanctum, dummodo occidens non esset hæreticus.

26. *Quær.* An appellatione Ecclesiæ, in qua committitur homicidium, vel mutilatio, intelligatur omnis locus sacer, vel Religiosus, prout supra dictum est de recursu Rei? *Resp.* Negativè, quia, cùm agitur de delicto in Ecclesia commisso, debet strictè intelligi, & sic Ecclesia ipsa formaliter est intelligenda; quia pœnalis est lex in hoc puncto. Ubi verò loquitur de recursu, quia est punctum favorabile, extenditur ad scalas Ecclesiæ, Palatia Episcoporum, & alia loca supra recensita. Coton. *d. num.* 27.

27. *Quær.* Cùm committentes Homicidium proditorium non gaudeant immunitate, qualiter intelligatur hoc delictum? *Resp.* Intelligi formaliter, & cum effectu, ita, ut mors sit secuta. Coton. *num.* 28.

28. *Quær.* Quale sit Homicidium proditorium? *Resp.* Esse illud, quod committitur cum simulata amicitia, & cum eo, qui non poterat præcavere. P. Coton. *d. num.* 28. ubi propterea exemplificat, & docet, gaudere immunitate eos, qui homicidium committunt ex animo deliberato, & ut vulgò dicitur, *apostata mente* in inimicum; vel explodentes sclopum à tergo, vel dantes venenum per insidias, etiamsi occidens esset filius inimicus contra Patrem, vel inimicus reconciliatus non reassumpta stricta amicitia; vel cohabitatione; nam amicus reconciliatus reputatur non amicus. Riccius *part.* 1. *decis.* 168. *num.* 2. Coton. *d. num.* 28. *ubi DD.* allegat, & eos discrepantes quando quis occideret infidelem homicidio proditorio, nam Bulla videtur intelligenda de occidentibus fidelem.

29. *Quær.* Cùm sit exceptum Assassinium ab Immunitate, quomodo intelligatur hoc delictum? *Resp.* Assassinium dici in duobus casibus: primò, quando quis mercede recepta alterum occidit; secundò, quandò ex motivo mercedis ducit alium in insidias ad occidendum. Coton. DD. *citatis num.* 29. ubi notat, opus esse, ut Assassinus actuale homicidium committat, & quòd mors sequatur; nam testis falsus corruptus mercede, dans causam mortis, non dicitur assassinus; prout neque mediator assassinii. Ulteriùs, si Assassinus tantùm vulneret citra casum mortis, gaudebit Immunitate.

30. *Quær.* An mandans committi Assassinium, ex sequuto gaudeat Immunitate Ecclesiæ?

cleſiæ? *Reſp.* Non gaudere, ſi & ipſe interveniat in homicidio, prout non gaudent auxiliatores, proxenetæ, depoſitarii pecuniæ, & alii, qui cooperantur ad Aſſaſſinium, ſcientes qualitatem aſſaſinii. Novar. *d. Commentar. 72. num. 61.* ubi plurimi DD. & Coton. *d, num. 29.* Farinac. *conſ. 100.* Bonac. *tom. 1. d. 8. q. 8. §. 4. num. 18.*

31. *Quær.* An dicatur Aſſaſſinus, qui homicidium committit ſolummodò, ut complaceat alicui? *Reſp.* Non dici. Honded. *conſ. 93. num. 68. lib. 2.* Coton. *ubi ante à num. 29.* qui extendit negativam hanc etiam, ubi facta fuiſſet pro homicidio promiſſio mercedis in generali, vel quòd procuraret ei ſponſam, vel officium, aut ſimilia, quæ nomine pecuniæ, ſeu mercedis ſtrictè, & propriè non veniunt; & tandem, ſi parvam tantùm pecuniam quis accepiſſet? quæ ad tale facinus mentem inclinare non poſſet. Vulpell. *conſ. 143. num. 9.*

31. *Quær.* Cùm in Bulla excipiatur Crimen læſæ Majeſtatis in perſonam ipſius Principis, quænam perſonæ intelligantur nomine Principis? *Reſp.* Intelligi illas perſonas, quæ Superiorem non recognoſcunt, ut Reges; proinde etiam Cardinales; qui cum Summo Pontifice faciunt unum corpus. Coton. *ubi ſupra num. 30.* ubi è contra docet, occidentes Epiſcopos, Duces, Marchiones, & alios habentes Superiorem non privari Eccleſiæ Immunitate; prout neque ſi occidant Conſiliarios, Præſides, Proreges, ac etiam Uxorem ipſius Regis; ac tandem, ſi Principem offendant non in perſona, ſed tantùm in Dignitate, Poteſtate, vel Introitibus; quia hi omnes gaudebunt immunitate. DD. apud Coton. *d. num. 30.*

33. *Quær.* Cùm ſint excepti ab Immunitate in Bulla Latrones publici, & Graſſatores Viarum, horum nomine quinam intelligantur? *Reſp.* Eos intelligi, qui multoties latrocinia commiſerunt in Viis publicis; & dummodò non tantùm tentaverint, ſed perfecerint latrocinia. Coton. *ibid. num. 31.* Novar. *d. Comment. 72. num. 45. & 46.*

34. *Quær.* An priventur Imumnitate, qui ſecretò per litteras, aut nuncios obligant aliquos ex comminatione ſibi pecunias tradere? *Reſp.* Non privari. Coton. *ibi num. 31. in fine.* Quamvis contrarium ſentiat Novar. *d. Comm. 72. num. 44.* ubi etiam loquitur de Piratis, ſeu latronibus maritimis.

35. *Quær.* Cùm excipiantur in Bulla agrorum Depopulatores, quales ſint hujusmodi perſonæ? *Reſp.* Eos eſſe agrorum Depopulatores, qui ſegetes in agris deprædantur, comburunt, & deſtruunt, vel ad agros alienos diripiendos deſtructores nocturni accedunt. Barboſ. *de Jure Eccleſiaſtico lib. 3. cap. 3. num 86. & 87.* ubi hanc eſſe differentiam, ait, inter depopulatores agrorum, & publicos latrones, quòd hi palàm, & publicè furantur, at illi clandeſtinè malè operantur, & clandeſtinè morantur in loco, ubi malè agunt. Porrò ſivè nocturni, ſive diurni ſint hi depopulatores agrorum, nunquam gaudent Immunitate. Barboſ. *ibid. num. 87.* Coton. *ubi ſupra num. 32.*

36. *Quær.* Si quis aufugiat de manibus Satellitum, & Eccleſiam intret, an debeat gaudere immunitate? *Reſp.* Affirmativè, niſi eſſet in caſibus exceptis, & hoc etiamſi aufugeret per violentiam, & cum vulneratione ſatellitum. DD. apud Coton. *d. Verb. Immunitas Eccl. num. 33*

37. *Quær.* Quid Juris, ſi Reus ab Eccleſia per miniſtros laicos extrahatur? *Reſp.* Eſſe eidem Eccleſiæ omninò reſtituendum, ſivè vi, ſivè dolo fuerit extractus. Coton. *d. num. 33.* ubi DD.

38. *Quær.* Si Reus, dum ducitur ad furcam, tranſeat per aliquam Eccleſiam, poſſit prætendere ibi immunitatem? *Reſp.* Eſſe diſcordes Doctores, nam Megala affirmat, negat Bobadilla, quos refert Coton. *d. Verb. Immunitas Eccl. num. 35. in fine.*

39. *Quær.* An bannitus confugiens in Eccleſiam poſſit ſpoliari armis, vel furrebus furtivis. *Reſp.* Negativè. Ciarlin. *cap. 10. num. 16.* Coton. *ibid. num. 36.*

40. *Quær.* Reus injuſtè extractus cui ſit reſtituendus? *Reſp.* Alios DD. ſentire; quòd ſufficiat eum reſtituere alicui Eccleſiæ, vel Vicario Epiſcopi; at Barboſam *d. lib. 2 cap. 3. num. 54.* velle, ut reſtituatur eidem Eccleſiæ, à qua fuit extractus, & ſic ſentit etiam P. Coton. *d. num 39. in fine.*

41. *Quær.* Quid faciendum eſt de debitoribus fraudulentis, qui in Eccleſiam confugiunt? *Reſp.* Cùm per aliquot dies ibi tolerati fuerint, eſſe licentiandos, & ex ea ejiciendos. Coton. *ubi ante num. 42.* Imò, ſi Rei in Eccleſia committerent delictum etiam non exceptum, poſſint ab Epiſcopo carcerari, & ab eodem puniri, ut ſi ſtuprum, vel furtum ſtantes in Eccleſia patraſſent. Antonell. *de Loco legali lib. 1. cap. 3. num. 182.* Quòd ſi eſſent inſolentes, ſeu verbis injuriosis læderent miniſtros Eccleſiæ, poſſent expelli ab ea, ita, ut remaneant intra ſpatium 30. vel 40 paſſuum, qui valent ad gaudendum immunitate. Paſqualig. *Deciſ. moral. 470. num. 1. & ſeqq.* Bordon. *Var. Reſolut. lib. 1. cap. 1. num. 22.*

42. *Quær.* Quam pœnam incurrat Judex laicus, qui Reum extractum ab Eccleſia abſque ſuo mandato, retinet in ſuis carceribus, & reſtituere detrectat? *Reſp.* Eum incurrere excommunicationem latam in Bulla Gregoriana. Antonell. *de Loco legali d. lib. 1. cap. 3. num. 197. & ibi* Bonacin. & Ciarlin.

43. *Quær.* Quam pœnam incurrant ſatellites, vel aliæ perſonæ privatæ extrahentes Reum ab Eccleſia abſque licentia Epiſcopi? Eas pariter incurrere excommunicationem Papalem, prout ipſos Officiales. Ciarlin. *lib. 1. cap. 1. n. 8.* Antonell. *ubi ſupra n. 220.*

44. *Quær.* Quid agendum, Reo exiſtente in Eccleſia, donec fiunt probationes, an debeat gaudere immunitate? *Reſp.* Eum eſſe cuſtodiendum ab utroque Judice, vel in carceribus Epiſcopi ducendum. Gratian. *Diſcept. for. cap. 596. num. 5. & 11.* Antonell. *d. cap. 3. num. 217.*

45. *Quær.* An excommunicatio lata in dicta Bulla Gregoriana contra extrahentes Re-

Reos ab Ecclesia sit Papæ reservata? *Resp* Affirmativè; ut tenet Farinac. *de Immunit. Eccles. num.* 315. Barbos. *alleg* 50. *num.* 167. Quamvis contrarium sentiant Genuens. *cap.* 22. *num.* 3. Bonacin. & Diana, quos refutat Thesaur. *de Pœnis par.* 2. *Verb. Immunitatem localem cap.* 1. *Vers. Hæc autem excommunicatio*, ubi allegat Decretum S. Congregationis.

46. *Quær.* An ad incurrendam dictam excommunicationem requiratur indebita extractio Rei de Ecclesia actualiter, & cum effectu? *Resp.* Negativè, quia sufficit attentatio, etiam effectu non sequuto ad incurrendam excommunicationem Papalem. Thesaur. *ubi supra Vers. Procedit autem.*

47. *Quær.* Quot in summa sint casus excepti, in quibus Rei non gaudent Immunitate Ecclesiæ? *Resp.* Esse septem:

Primus est in publicis latronibus, & grassatoribus Viarum.

Secundus. In Depopulatoribus agrorum.

Tertius. In committentibus homicidia, vel mutilationes in Ecclesiis, seu Cæmeteriis (voluntariè, non casualiter.)

Quartus. In iis, qui proditoriè proximum suum occiderunt.

Quintus. In Reis Assassinii.

Sextus. In Reis hæresis.

Septimus. In Reis læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis. In istis casibus Rei non gaudent Immunitate Ecclesiæ, sed possunt ex ea extrahi de licentia Episcopi, alias incurritur excommunicatio Papæ reservata. Thesaur. *de Pœnis d. part.* 2. *Verb. Immunitatem localem. cap.* 1. *Vers. Limita hanc excommunicationem pag.* 182.

48. *Quær.* An Episcopi permittentes Reum extrahi de Ecclesia in casibus non exceptis, sed cum cautione, & protestatione impunitatis circa corpus Rei, si morti Reus tradatur, incurrant excommunicationem, & irregularitatem? *Resp.* Affirmativè, ut probat Thesaur. *d. cap.* 1. *num.* 2. quia protestatio est contraria facto, & peccant contra Justitiam, violando Jus Ecclesiæ, & immunitatem. Abbas Michaël. Justin. *in Additionibus ad* Novar. *Comment.* 72. Porrò alii Clerici non defendentes reum à ministris Curiæ sæcularis, non incurrerent irregularitatem, quia contra charitatem tantùm peccarent, & non tenentur ex officio reum tueri, sicut Episcopus. Thesaur. *ibid.* ubi observat, quòd in defendendo reum debent Clerici abstinere ab effusione sanguinis, nam tunc evaderent irregulares.

49. *Quær.* An extrahentes reum de Ecclesia contra formam Bullæ Gregorianæ, præter peccatum, & excommunicationem, incurrant aliam pœnam? *Resp.* Incurrere infamiam Juris, & irregularitatem, quando fuerit damnatus de hoc crimine violatæ Immunitatis, quia est crimen publicum. Thesaur. *d. cap.* 1. *in fine.*

50. *Quær.* An Episcopi possint absolvere ab excommunicatione Judices, & Officiales, qui contra formam Bullæ Gregorianæ extraxerunt reos de Ecclesia saltem ad reincidentiam? *Resp.* Negativè, quia est omninò Papæ reservata. Abbas Mich. Justinian. *in Additionibus ad Novarium in fine operis ad Comment.* 72. *pag.* 10. & 11. ubi notat, quòd neque Metropolitanus potest absolvere, neque Cardinales Legati, neque Confessarius tempore Jubilæi, intelligendo tamen in foro exteriori, quatenùs Judices vel Officiales fuissent ab Episcopo denunciati excommunicati. Imò præsumentes absolvere ab excommunicatione prædicta, incurrerent in censuras reservatas Papæ, ut declaravit S. Congregatio Immunitatis anno 1632. & 1661. teste dicto Abb. Justiniano *in Addit. ad Novarium d. pag.* 11 *in fine operis.* Qui plures alios casus scire desiderat circa hanc Immunitatem loci Sacri, legat Novarium in Summa Bullar. *part.* 1. *Commentar.* 72. & *part.* 2. *Comment.* 80.

CAPUT XXXIII.

De Sacrilegio in bonis Clericorum.

1. *Quær.* Quomodo committatur Sacrilegium contra bona, seu in bonis Clericorum? *Resp.* Committi per impositionem tributorum, vectigalium, seu gravedinum ab Ecclesiasticis solvendorum. Thesaur. *de Pœnis part.* 2. *Verb. Immunitas. cap.* 4.

2. *Quær.* Quæ sint Jura prohibentia trita, & Vectigalia super bonis Clericorum? *Resp.* Esse diversa Jura; quæ recensent Thesaur. *d. cap.* 4. Videlicet *cap. Non minus. de Immunit. Eccles. cap. Adversus. eod. cap. Clericis. de Immun. Eccles. in* 6. *cap. Quanquam de Censib. & Clem. Præsenti de Censib.* In quibus omnibus Juribus prohibitum est imponere tributa, seu vectigalia solvenda ab Ecclesiasticis respectu bonorum seu Ecclesiasticorum, seu Patrimonialium, sub Pœnis Censurarum; quæ prohibitiones renovatæ sunt in Concilio Tridentino *sess.* 25. *de refor. cap.* 20. & singulis annis innovantur pœnæ, & Censuræ prædictæ in Bulla Cœnæ Domini *cap.* 18.

3. *Quær.* Quid contineat dictum c. 18. Bullæ in Cœna Domini? *Resp.* In dicto *cap.* 18. fulminari excommunicationem Papæ reservatam contra imponentes collectas, vel alia onera personis, aut bonis Ecclesiasticis; & ea exigentes, etiam à sponte dantibus sine expressa Papæ licentia. Thesaur. *d. part.* 2. *Verb. Immunitatem cap.* 4. *num.* 4. ubi DD. allegat, docentes, procedere, etiamsi collectæ imponantur bonis Patrimonialibus Clericorum, quamvis minores ordines tantùm habentium.

4. *Quær.* An aliquando liceat ab Ecclesiasticis exigere collectas? *Resp.* Licere in casu maximæ necessitatis, sed concurrentibus illis sex conditionibus, quas supra recensuimus. *De Sacrileg. in personas Sacras cap.* 27. *quæst.* 35. *pag.* 54. quas docet Fagnan. *in c. Non minus d. num.* 22. *de Immun. Eccl. tom.* 5. *pag.* 368. & Antonell. *de Regim. Eccl. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 24.

5. *Quær.* Quænam pœnæ sint constitutæ contra Usurpantes bona, vel proventus Ecclesiæ

clesiarum, seu locorum piorum, vel Montis pietatis? *Resp.* Per Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 11. de refor.* latam esse excommunicationem contra prædictos, quæ est reservata Papæ, & à qua absolvi non possunt, nisi facta restitutione; & procedit non solùm contra usurpantes dicta bona, vel fructus tanquam sibi debitos; sed etiam contra detinentes injustè vi, vel clam; dummodo sciant ea, vel eos pertinere ad Ecclesiam, vel pia loca; ut pluribus DD. citatis demonstrat Thesaur. *de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Usurpatio cap. 1. num. 1.*

6. *Quær.* An beneficiati cædentes arbores fructiferas Ecclesiæ, ut eas vendant, vel sibi retineant, incurrant in dictam censuram? *Resp.* Asserere Bonacinam; Azorium negare, quos refert Thesaur. *d. Verb. Usurpatio cap. 1. Vers. Item quòd procedat.*

7. *Quær.* An sit alia pœna præter Censuram contra Usurpantes bona prædicta? *Resp.* Contra Patronos esse privationem Juris patronatus, & contra beneficiatos privationem beneficiorum; sed dicta privatio non ligat ante sententiam declaratoriam. Thesaur. *d. cap. 1. Vers. Nota secundo*, saltem in foro exteriori; quia multi volunt, quod in foro conscientiæ obliget etiam ante sententiam. Thes. *ibid.*

8. *Quær.* An præter pœnas à Concilio Tridentino inflictas extet alia Constitutio? *Resp.* Esse Bullam in Cœna Domini, quæ *in cap. 17.* excommunicat Usurpantes Jurisdictiones, fructus, & bona spectantia ad Sedem Apostolicam, vel ad alias Ecclesias, seu personas Ecclesiasticas. Thesaur *d. Verb. Usurpatio cap. 1. num. 2.*

9. *Quær.* An licitum sit dare in Emphiteusin bona Ecclesiarum, *Resp.* Negativè, nisi de licentia Summi Pontificis, per *Extravag. Ambitiosæ. De Rebus Ecclesiæ non alienan.* in qua prohibitæ sunt alienationes, & locationes ultra triennium; & si de facto fiant, sunt nullæ. Mart. *decis. 86.* Novar. *in Summa Bullar. Comment. 129. num. 3. part. 2.*

10. *Quær.* An requirantur ad habendam licentiam alienandi, seu locandi ad longum tempus? *Resp.* Utilitas Ecclesiæ & licentia Summi Pontificis. Novar. *ibid. num. 1. & 2.*

11. *Quær.* Quomodo cognoscatur utilitas Ecclesiæ? *Resp.* Quando ejus conditio melior, & locupletior fit; ideò, si tantum recipiat, quantum dimittit, non dicitur Utilitas. Rota *part. 2. rec. decis. 430. num. 6.* Novar. *d. Comment. 129. num. 6. 7. 8. & 9.*

12. *Quær.* Quanta debeat esse Utilitas Ecclesiæ ad alienationem faciendam? *Resp.* Eam relinqui Judicis arbitrio. Rot. *part. 1. divers. decis. 674.*

13. *Quær.* Si alienatio facta sit sine solemnitatibus, an possit infringi non solùm ab Ecclesia, sed etiam ab emptore? *Resp.* Affirmativè. Capell. Tholosan. *decis. 97.* Novar. *ibid. num. 13.*

14. *Quær.* Si retractetur alienatio tanquàm malè, vel nulliter facta, an sint restituendi fructus? *Resp.* Affirmativè. Rota *par. 1. divers. decis. 14.* Novar. *ibid. num. 16.*

15. *Quær.* An subhastationes sint necessariæ in alienatione bonorum Ecclesiæ? Negativè, ut pluribus citatis probat Novarius contra Redoan. & Gratian. contrarium docentes, *d. Comment. 129. num. 29. & 30.*

16. *Quær.* An detur casus, ut possint Bona Ecclesiæ alienari sine licentia Summi Pontificis? *Resp.* Dari duos casus; Unus est, si Terra alienanda sit modici valoris, *cap. Terrulas 12. q. 2.* Alter, si bona sint incognita, vel incerta, aut difficillimæ recuperationis, Rota *part. 2. recent. decis. 631.* Novar. *d. Commentar. 129. num. 43.* quod est notatu dignum.

17. *Quær.* Quomodo cognoscatur, an Terra sit modici valoris? *Resp.* Quando ejus valor non excedit vigintiquinque scuta aurea. Gavant. *in Manuali Episc. Verb. Alienatio num. 24.* Etsi verius sit, quòd circa valorem, & modicitatem ejus stetur arbitrio Episcopi. Riccius *Collectan. 3054.* Barbos. *in d. cap. Terrulas.*

18. *Quær.* An liceat alienare bona Ecclesiæ cum clausula, Salvo beneplacito Apostolico? *Resp.* Negativè, & qui sic alienaret, & traderet rei possessionem, incurreret censuras. Riccius *par. 1. res. 53. in Praxi.*

19. *Quær.* An Confraternitates, vel Oratoria possint sua bona alienare absque licentia Summi Pontificis? *Resp.* Cum distinctione; nam si dictæ Confraternitates erectæ sunt cum decreto Episcopi, alienare non possunt, quia sunt Religiosæ, vel sine decreto Episcopi, seu Papæ sunt fundatæ, & possunt alienare; quia non sunt Religiosæ. Barbosa *de Jure Ecclesiastico lib. 2. cap. 11. num. 88.* Bonacin. *tom. 1. de Alienat. bon. Eccles. disp. 2. qu. Unic. punct. 2. num. 10.* & Sperell. *decis. 155. num. 1. 2. & 3.*

20. *Quær.* Quænam pœnæ inflictæ sint contra alienantes bona Ecclesiæ sine solemnitatibus? *Resp.* Esse inflictam excommunicationem, quam tamen non incurrunt alienantes ex Juris, & facti ignorantia, Sperell. *d. decis. 155. num. 15.*

21. *Quær.* An facta conventione alienandi, si Rector Ecclesiæ moriatur, antequam expeditum sit Beneplacitum Apostolicum, possit successor recedere à conventione, quando Beneplacitum præsentatur? *Resp.* Negativè. Rota, quam allegat Sperell. *d. decis. 155. num. 84.*

CAPUT XXXIV.

De Blasphemia.

1. *Quær.* Quid importet hoc nomen Blasphemia? *Resp.* Importare Idololatriam, ut Esdræ *cap. 9. Fecerunt blasphemias magnas, & Cap. Cum sit. De Judæis.* Item importare quamcumque maledicentiam. *Cap. Si igitur. 34. qu. 4. lib. Apud Labeonem. §. Ait Prætor. ff. de Injur.* At ex communi consuetudine maledicentia est, quæ fertur in homines, blasphemia vero, quæ fertur in Deum. S. Thom. 2. 2. *qu. 13. art. 1.* Gloss. & DD. *in cap. 1. & 2 de Maledic.* Menoch. *de Arbitr. Jud. casu 375. num. 13. & 18.* Illustrissimus D. Ant. Ricciullus Archiepiscopus Cosenti-

nus

tus in suo eleganti tractatu *De Personis, quæ in statu reprobo versantur lib. 1. cap. 1. num 2.*

2. *Quær.* Quid sit blasphemia? *Resp. Quòd est Contumelia verbo in Deum prolata, vel Sanctos.* Dicitur Contumelia, tum, quia comprehendit quamcunque injuriam alicui factam. *lib. 1. ff. de Injur.* tum, quia Verbum, ut sit blasphemia, debet esse contumeliosum, non autem materialiter tantùm prolatum, & sic non sunt blasphemi Notarii, & Judices, qui scribunt in processu verba blasphemiæ à delinquentibus prolata. Ricciull. *ubi supra num.* 3. dicitur *Verbo*, tum, quia hoc vitium est proprium linguæ, Job *cap.* 5. ibi *Imitaris linguam blasphemantium*, tum ad distinctionem factorum, quibus fit contumelia, non autem blasphemia propriè sumpta. Novar. *in Summ. Bullar. par. 1. Comm. 33. num. 3.* Sed appellatione *Verbi* intelligitur etiam blasphemia prolata calamo, & scriptura. 2. *Paralipom. cap.* 23. Dicitur *in Deum, vel Sanctos.* Quia utroque modo blasphemia committitur. Novar. *dict. Comment. 33. num. 3. Vers. Tertiò dicitur*; prolata sivè ore, sive corde, quia etiam interiùs tantùm blasphemari potest, ut infra demonstrabitur.

3. *Quær.* An blasphemia differat ab odio Dei, a desperatione, à perjurio, & ab infidelitate? *Resp.* Differre, quia hæc omnia peccata consistunt formaliter in pravo cordis affectu absque detractione divini honoris; at blasphemia formaliter consistit in ipsa divini honoris detractione contumeliosa. Suarez *d. Relig. tit. de Irreligiosit. lib. 1. cap. 6. num.* 8.

4. *Quær.* Quanta sit gravitas peccati blasphemiæ? *Resp.* Esse incomparabilem, & inexplicabilem, ut docent S. Thom. 2. 2. *qu.* 15. *art.* 3. Farinac. *in Praxi lib. 1. q.* 20. & Julius Chartar. *decis. 2. num. 1. & seqq.* Et ea demonstratur ex Levitic. *cap.* 24. ubi Juvenis, qui in rixa blasphemaverat, jussus est a Deo lapidari; & non fuit excusatus neque ob ætatem, neque ob iracundiam, neque ob primam vicem, neque ob locum castrorum; & ab ipso Deo fuit condemnatus, ut eruditè demonstrat Ricciull. *d. lib. 1. cap* 3. ubi *num.* 14. ait, blasphemos esse canibus pejores, quia non mordent Dominos suos, & cæteris delictis blasphemiam esse graviorem, quia ad eam nulla voluptas, nullumvè lucrum impellit, ut ad alias culpas accidit. Et ideò Sancti Patres etiam hoc nomen horruerunt, & ejus loco usurpabant benedicere, ut *Job 1. & 3. Reg. 21.* Et propter blasphemias venire Pestem, Famem, Terræmotum, & alias plagas Divinæ Justitiæ, testatur Imp. Justinianus *in Auth. Ut non luxurientur §. Præterea.*

5. *Quær.* Quibus modis blasphematur? *Resp.* Tribus modis, Primò per modum simplicis maledictionis, quoties nomen Dei maledicitur, vel execratur. S. Thom. 2. 2. *qu.* 13. *art.* 1. Graff. *de Casibus reserv. cap.* 10. *num.* 17. Secundò per modum convitii. Et Tertiò per modum irrisionis. *Decis. Cler. Patavini Anno* 1682. *Mense Maio ad tertium.* Ricciull. *alios DD. allegans d. lib. 1. cap. 4. num. 2.*

6. *Quær.* An Verba dubia sint interpretanda pro blasphemia? *Resp.* Cum distinctione; vel proferens est persona malæ qualitatis? & tunc interpretantur pro blasphemia; vel est bonæ conditionis? & statur ejus declaratione. Ricciull. *d. cap. 4. n. 5. & seq.*

7. *Quær.* An sit blasphemus, qui protulerit hæc verba: *Mal habbi, non dico Dio*, vel *Sia maledetto di.* retenta ultima vocali? *Resp.* Affirmare Hostien. *de Blasphem. num.* 12. *& de Maledic. num.* 117. Sed negare constanter DD. quos allegat, & sequitur Ricciull. *d. cap. 4. num.* 14. *&* 18. ubi tamen dicit, sic dicentes esse puniendos ob nimiam temeritatem, & scandalum.

8. *Quær.* An sint verba blasphemiæ. *Mal' habbi Dio bacco*, vel *Dio Christoforo*, vel *la Vergine Giovanna?* *Resp.* Non esse verba blasphemiæ, sed temeritatis, & scandali. Ricciull. *d. cap. 4. num.* 17.

9. *Quær.* Quid judicandum de his verbis. *Dio becco Diavolo. Sia maledettò quel becco, che me tiene al Mondo. Resp.* Prima verba judicari blasphema; non etiam secunda, quia per ea alius à Deo potest censeri, qui eum teneat in mundo, nempè alimenta præbens. Ricciull. *ubi ante num.* 21. *&* 22.

10. *Quær.* An maledicere Virgini Mariæ, vel Apostolo, sit blasphemia? *Resp.* Affirmativè, quia per antonomasiam intelligitur de Deipara, & de S. Paulo.

11. *Quær.* Quomodo quis dicatur blasphemare per modum Convitii? *Resp.* Quando tribuit Deo, quod illi non competit, vel aufert à Deo, quod illi competit, vel tribuit creaturæ; quod soli Deo competit. Ricciull. *d. lib. 1. cap. 5. in princ.*

12. *Quær.* Quando quis blasphemet per irrisionem? *Resp.* Quando quis dicit de Deo, vel Sanctis suis aliquod verbum tendens ad injuriam, vel irreverentiam, ut est *Potta di Dio. Potta di nostra Donna.* Farinac. *in Praxi qu.* 20. *num.* 16. *& seqq.* Ricciull. *d. cap. 5. à num. 2. usque ad finem.*

13. *Quær.* An sit blasphemia, Jurare per Corpus Dei, aut per membra, vel per Sanguinem Dei? *Resp.* Rigorosè loquendo, esse blasphemiam, & quidem hæreticalem, quando quis intelligeret de Deo, tanquàm est Deus; ut Theologi docent, & Canonistæ, quos cumulat, & sequitur Ricciull. *d. lib. 1. cap. 6. à num. 1. & seqq* nisi excusaret ignorantia, vel inadvertentia, vel relatio ad Deitatem in Christo.

14. *Quær.* An Jurare per membra Christi sit blasphemia? *Resp.* Si nominentur membra verecunda, erit blasphemia ob irrisionem, & irreverentiam. Sanchez *in Sum. lib. 2. cap.* 23. *num.* 6. Novar. *d. Comm, 33. num. 3. vers. secundò.* Si membra honesta, & absque irreverentia nuncupata, non erit blasphemia. Ricciull. *ubi supra num. 9. & seqq.* ubi tamen damnat hanc formam Jurandi.

15. *Quær.* An una blasphemia differat specie ab alia blasphemia? *Resp.* Negativè, quia, licèt una differat ab alia in gravitate, tamen omnes blasphemiæ sunt ejusdem speciei, scilicet quia earum malitia est contra Religionem. Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 28. qu.* 10. Ricciull. plures DD. referens *d. lib. 1. cap. 7. ubi num. 3. ait*, blasphemiras in Sanctos

ctos non differre ſpecie à blaſphemia in Deum; idemque eſſe de blaſphemia in Crucem, & alia Inſtrumenta paſſionis Domini. Verum tamen eſt, quòd eſt differentia quo ad pœnam; quia alia pœna punitur blaſphemans Deum, vel Deiparam, & alia pœna, qui blaſphemat Sanctos. Farinac. *de Delict. & pœnis q.* 20. *num.* 27. Prout etiam differentia eſt, quo ad modum ſe accuſandi in Confeſſione, nam debet pœnitens explicare, an blaſphemaverit Deum, vel Deiparam, vel Sanctos, ratione majoris, vel minoris gravitatis. Sanchez *in Præcept. Decal. lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 39. Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 10. Deciſiones Cleri Patavini Anno 1682. *Menſe Majo ad* 2. *Caſum*, *& Menſe Junio ad* 3. Item Deciſ. de Pœnitentia *Deciſ.* 27. *num.* 3.

16. *Quær.* Quotuplex ſit Blaſphemia? *Reſp.* Quòd alia eſt ſimplex, & alia eſt hæreticalis. Novar. *d. Comment.* 33. *num.* 6. Prima eſt, quæ infert contumeliam in Deum. Secunda, quæ aſſerit de Deo aliquid, quod ſapit hæreſin, & hæc ſpecie differt à blaſphemia ſimplici, quia ultra contumeliam in Deum continet errorem contra fidem; prout differt ſpecie illa, quæ procedit ex odio formali in Deum, quia opponitur charitati, qua tenemur diligere Deum, & ideò ſunt ſpecificandæ in Confeſſione non tam ratione gravitatis, quàm mutationis ſpeciei. Sanchez *d. cap.* 31. *num.* 38. Ricciull. *d. cap.* 7. *num.* 14. *& ſeqq.* Et ego docui de Pœnitentia *d. Deciſ.* 27. *num.* 3.

17. *Quær.* An detur blaſphemia interna? *Reſp.* Affirmativè, & eſt illa, quæ corde profertur contra Deum, ſivè ob malum affectum voluntatis, ſivè ob errorem intellectus; juxta illud: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Pſal.* 13. *& Job* 1. *Ne fortè peccaverint filii mei, & benedixerint Deo* (i. e. blaſphemaverint) *in cordibus ſuis.* Ita Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 8. ubi advertit, talem blaſphemiam non ſubjacere pœnis humanis, niſi ſponte reus illam confiteatur in Judicio.

18. *Quær.* An detur blaſphemia conſiſtens in factis contumelioſis citra verba quæcunque? *Reſp.* Eſſe hinc inde Doctores, ſed veriorem opinionem eſſe negativam, quia facta contumelioſa in Crucem, in Imagines, aut Res Sacras, non ſunt veræ, & propriæ blaſphemiæ, ſed actus contumeliæ contra Religionem, qui etiam pœna mortis puniuntur. Jul. Chartar. *d. deciſ.* 102. *num.* 18. Menoch. *Caſu* 396. & Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 9. per totum.

19. *Quær.* An blaſphemia hæreticalis debeat perneceſſe continere errorem contra fidem? *Reſp.* Negativè, quia Dæmones maximè ſunt blaſphemi, ut ait S. Thom. 2. 2. *qu.* 13. *art.* 4. & tamen credunt, & contremiſcunt. *Jac.* 1. ideò, ſatis eſt ad faciendam blaſphemiam hæreticalem, quòd in ea aliquid ſit contra fidem licèt blaſphemus errorem contra fidem non teneat. Ricciull. *DD. allegans d. lib.* 1. *cap.* 19.

20. *Quær.* Quænam ſit blaſphemia dicere: *La farò al diſpetto di Dio.* Vel *Vogli, ò non vogli Dio?* *Reſp.* Eſſe blaſphemiam hæreticalem ſecundùm Clarum §. *Blaſphemia num.* 2. & alios citatos per Ricciull. *d. cap.* 10. *num.* 15. quia detrahit Dei potentiæ, quamvis contrium ſentiat Bald. *conſ.* 476. *lib.* 3.

21. *Quær.* An ſit blaſphemia, ſi creditor dicat debitori renuenti ſolvere, *Mi pagherai, ſe ſi opponeſſe la Vergine Maria?* *Reſp.* Negare Maſcard. *de Probat concluſ.* 195. *num.* 8. Affirmare Clarum *in §. Blaſphemia.* & Farinac. *de Delictis, & Pœnis q.* 20. *num.* 15. cui adhæret Ricciull. *d. cap.* 10. *num.* 21. *&* 22. quia ſunt verba Deiparæ contumelioſa.

22. *Quær.* An liceat jurare per Deos falſos, vel per Diabolum? *Reſp.* Negativè, quia eſſet blaſphemia hereticalis, niſi fieret joci cauſa. *Cap. Etſi Chriſtus. De Jurejurando.* Ricciull. *d. cap.* 10. *num.* 30. *&* 31. ubi DD.

23. *Quær.* An ſit blaſphemia dicere: *Hoc eſt ita verum, ſicut verum eſt, Chriſtum eſſe natum ex Maria Virgine*, vel *ſicut eſt verum Evangelium?* *Reſp.* Eſſe blaſphemiam hæreticalem, quando ſic loquens intenderet aſſerere, tantam eſſe certitudinem in Evangelio, vel Incarnatione Domini, quantam in illo ſuo humano negotio. Secus autem, ſi loqueretur ad ſignificandam veritatem, & tam magnificandam, DD. apud Ricciull. *d. cap.* 10. *num.* 35. *&* 36. & Covarruvias *in cap. Quamvis de Pactis par.* 1. §. 7. *num.* 9. *verſ.* 11.

24. *Quær.* Quis dicatur blaſphemus conſuetudinarius? *Reſp.* Ille, qui tribus diſtinctis actibus, ſeu temporibus blaſphemavit. Dicitur *diſtinctis*, quia ſi in uno, & eodem tempore ſucceſſivè etiam decies blaſphemet, non dicitur conſuetudinarius; quamvis graviùs peccet, imò tot peccata committat, quot blasphemias profert. Azor. *part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *q.* 5. Ricciull. *d. lib.* 1. *De Perſonis in ſtatu reprobo verſan. cap.* 11. *num.* 6.

25. *Quær.* Quot peccata committat, qui unico contextu blasphemat Chriſtum, & Apoſtolos? *Reſp.* Tredecim peccata committere, quia peccatum habet tot malitias, in quot perſonas profertur. Baldellus *in Theol. Moral. tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 22. *num.* 3. Ricciull. *ibid. num.* 11. & ſic, qui unico ictu occideret tres Clericos, incurreret tres excommunicationes. Novar. *in Man. cap.* 6. *num.* 19. & Sayr. *de Cenſur. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 9. *ad. fin.*

26. *Quær.* Quomodo probetur quis eſſe blasphemus? *Reſp.* Per duos teſtes ſaltem, qui deponant, eum blasphemare audiviſſe tribus vicibus diſtinctis, quando agitur de pœna ordinaria inferenda; aliàs non poterit deveniri, niſi ad pœnam extraordinariam. Ricciull. *pluribus citatis d. lib.* 1. *cap.* 13.

27. *Quær.* Quæ ſint pœnæ ſtatutæ in blaſphemos? *Reſp.* De Jure Moſayco erat lapidatio. *Levit.* 24. De Jure Civili mors naturalis. *Auth. Ut non luxurientur contra naturam* §. 1. *&* 2. De Jure Canonum excommunicatio. *Cap.* 2. *de Maledic.* & tandem de Jure Pontificio *per Bullam* 4. *S. Pii V.* impoſitæ ſunt pœnæ pecuniariæ Laicis, & Clericis ſecundùm numerum, & qualitatem blaſphemiarum; cum pœnis etiam in corpore affli-

ctivis, privatione beneficiorum, ut in ea videre eſt. Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 14. qui *num.* 19. notat, hoc tempore contra Clericos in-

fligi

ſigi pœnas ad normam *dictæ Bullæ* 4. *S. Pii V.* at contra Laicos, pœnam eſſe arbitrariam, penſata qualitate delicti, & perſonarum; quod docet etiam Chartar. *deciſ.* 2. *num.* 22. & Novar. *d. Comment.* 33. *num.* 1.

28. *Quær.* An blaſphemantes facto, ut deturpantes Imaginem Chriſti, vel Sanctorum, poſſint puniri pœna mortis? *Reſp.* Affirmativè. Menoch. *Caſ.* 396. Vincen. de Franchis *deciſ.* 504. Ricciull. ubi ſupra *num.* 16. & ſic factum fuit Venetiis contra nonnullos carceratos, qui tam nefarium crimen joci cauſa in carceribus commiſerant Patavii; nam formato proceſſu ab Excelſo Conſilio de Decem, combuſti fuerunt in platea S. Marci, non multi ſunt anni. De aliis locis ſimiles punitiones refert Novar. *in Summa Bullar. d. p.* 1. *Comm.* 33. *num.* 3.

29. *Quær.* An in crimine blaſphemiæ Judex poſſit reo pœnam remittere, vel ad componendum ſe gratiam facere? *Reſp.* Negativè, quia agitur de contumelia facta honori Divino, qui non cadit in arbitrio hominum. Franchus *deciſ.* 504. Idcò neque Judex Laicus, neque Epiſcopus poteſt gratiam facere in hoc delicto. Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 6. & 7. ubi advertit, hoc crimen eſſe crimen mixti fori; & poſſe Judices procedere ex officio, & omnes poſſunt admitti ad ferendum teſtimonium. Sicut è contra blaſphemus non poteſt eſſe teſtis, neque denunciator, & ſufficit ad eum repellendum probare, quòd ſit publicus blaſphemus; licèt non ſit condemnatus ut talis. Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 5. & 6. *ac ſeqq.* ubi ſubdit, quòd licèt teſtis blaſphemus probaret, ſe nunc emendatum, nihilominùs ejus dictum non valeret quo ad teſtificandum contra tertium, niſi ageretur in cauſa civili, vel civiliter.

30. *Quær.* An in crimine blaſphemiæ admittatur repulſa teſtium? *Reſp.* Affirmativè ad effectum tantummodò, ut innocentia non opprimatur, & veritas manifeſta fiat. Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 17. ubi *num.* 7. notat, eam præcipuè admitti ex capite inimicitiæ capitalis; ex capite conſpirationis, & ex capite minoris ætatis, & defectus intellectus.

31. *Quær.* An ſtantibus indiciis in crimine blaſphemiæ poſſit dari reo tortura pro habenda veritate? *Reſp.* Cum diſtinctione, vel blaſphemia eſt hæreticalis, vel ſic enormis, ut pœna corporis afflictiva veniat imponenda? & Reus poteſt torturæ ſubjici, etiam ſuper Intentione. Vel non eſt talis, & pœna infligenda eſt tantùm pecuniaria; & in hoc caſu non eſt danda tortura, quia eſſet major pœna torturæ, quàm delicti. Ricciull. *d. lib.* 1. *cap.* 18.

32. *Quær.* An dentur cauſæ, propter quas mitiganda ſit pœna blaſphemantibus? *Reſp.* A Doctoribus notari has cauſas. Primò, ſi conſuetudo ſit univerſalis in regione proferendi verba blaſphemiæ materialiter tantùm, id eſt, ſine opinione, vel advertentia ad ſenſum blaſphemum. Secundò, ſi ex nimio dolore, vel iracundia ita homo è mente exeat, ut blaſphemet. Tertiò, ſi ſtatim ſe corripiat, percutiendo pectus, aut os ſuum; nam actio injuriarum ceſſat revocatione etiam cum hominibus; undè eò magis cum Deo, *qui non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat. cap. Pium. de Pœnit. diſt.* 3. Quartò, ſi blaſphemavit in magna ebrietate, quam incurrerat inadvertenter. Quintò, ſi eſt ruſticus neſciens ſenſum verborum. Sextò, ſi impubes, quamvis S. Gregorius *Dial. lib.* 4. *cap.* 48. referat, puerum quinque annorum blaſphemum fuiſſe à Diabolo dilaniatum, ut eruditè differit Ricciull. plures DD. allegans *d. lib. de Perſonis in ſtatu reprobo Verſan. cap.* 19. *per totum.*

33. *Quær.* Quis ſit Judex competens in crimine blaſphemiæ? *Reſp.* Si blaſphemia eſt hæreticalis, Judex competens eſt Officium S. Inquiſitionis. Si eſt ſimplex, eſt mixti fori, & eſt locus præventioni, niſi reus ſit Clericus, nam puniri non poteſt, niſi à Judice Eccleſiaſtico. Ricciull. *ibid. cap.* 20.

34. *Quær.* An, qui facit alium blasphemare, ſit puniendus pœna blaſphemiæ? *Reſp.* Affirmativè, dummodo ſit cauſa efficax ad blaſphemandum. Ricciull. *c.* 21. *d. lib.* 1.

35. *Quær.* An audientes aliquem blaſphemantem, debeant illum corripere, & denunciare? Affirmativè, quoad correptionem fraternam, tum ex Evangelio, tum ex Concilio Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. §. *Ad Abolendam*, quando hoc ſine ſuo periculo facere poteſt. Quò verò ad denunciationem, ſi blaſphemia eſt hæreticalis, eſt denunciandus blaſphemus, ſivè publicus ſit, ſivè occultus. Triviſan. *lib.* 2. *deciſ.* 51. *num.* 6. & 7. Farinac. *De Hæreſi quæſt* 197. *num.* 35. Baldellus *in Theolog. Moral. tom.* 2. *lib.* 1. *diſp.* 61. ubi denunciationem, ait, eſſe faciendam ſub mortali tam in blaſphemia hæreticali, quàm in non hæreticali, quamvis de hac ultima uſus ſit contrarius *num.* 8. At ſi blaſphemia ſit ſimplex, non eſt denunciandus, quando eſt occultus, & eſt ſpes emendationis. Ricciull. *ubi ante d. lib.* 1. *c.* 22. ubi *n.* 18. docet, in hæreticali blaſphemia eſſe denunciationem faciendam in S. Inquiſitione, nulla correptione fraterna præmiſſa; & *num.* 31. limitat, quando audiens timeret ſibi aliquod magnum malum obventurum à denunciatione ex Menoch. in *Caſu* 487.

36. *Quær.* An blaſphemus gaudeat Immunitate Eccleſiæ, ita, ut in ea capi non poſſit? *Reſp.* Diſſentire inter ſe Doctores, quorum tamen verior opinio eſt, quòd Reus blaſphemiæ non hæreticalis gaudeat Eccleſiæ immunitate. Gambacurt. *de Immunit. lib.* 4. *cap.* 9. Ambroſin. *eod. tract. cap.* 8. *num.* 10. & 11. At quòd reus blaſphemiæ hæreticalis minimè gaudeat, tenent iidem Doctores, quos cum aliis refert, & ſequitur Ricciul. *d. lib.* 1. *cap.* 23. ubi *num.* 10. reddit rationem illam; quia ſcilicet talis delinquens præſumitur hæreticus; qui comprehenditur in Bulla Gregorii; & in ea poſitus eſt inter perſonas indignas Immunitate, & protectione Eccleſiæ.

37. *Quær.* An à ſententia condemnatoria contra blaſphemum detur appellatio? *Reſp.* Negativè, quando fuit vel confeſſus, vel legitimis probationibus convictus; niſi opponeret de falſitate teſtium, quia illa poteſt proba-

probari etiam in gradu appellationis. Ricciull. DD. referens *d. lib. 1. cap. 25.*

38. *Quær.* An Clericus convictus de blasphemia, sit puniendus pœna corporali, vel pecuniaria, quando beneficium non habet? *Resp.* Esse in ejus electione; an pecuniariam pœanm, vel corporalem subire velit, eò, quia Bulla S. Pii V. loquitur alternativè. Novar. *in Summa Bullar. d. Comment. 33. part. 1. num. 10.* ubi eruditè notat; quòd, quando pœna imponitur alternativa per legem, si verba dirigantur ad Judicem, electio pœnæ erit ipsius Judicis; si verò ad Reum, electio erit ipsius Rei; exempli gratia, qui fecerit tale delictum, solvat mille; vel exulet. Si autem verba sint dubia, puta pœna talis delicti sit mille aureorum, vel exilii, tunc electio erit Judicis; quòd singulariter docuit Bartol. *in l. Quicunque C. De Servis fugitiv. num. 4.* & tradunt Felin. *in cap. Inter cæteras. de Rescript.* & Menoch. *de Arbitr. lib. 1. quæst. 96.*

39. *Quær.* An blasphemia prolata in Ecclesia, & loco Sacro transeat in Sacrilegium, & sit exprimenda hæc circumstantia tanquam mutans speciem? *Resp.* Negativè, quia censetur tantummodò circumstantia, quæ aggravat, ut ex Vasquez docet Anton. Volpi *in Resolut. Moral. resol. 26. num. 24.* Contrarium tamen tanquàm magis verum scripsi de Pœnitentia. *Decis. 28. num. 2. ubi DD.*

40. *Quær.* An sit blasphemia, jurare per Vitam Dei, vel Mariæ Virginis, aut Divi Petri? *Resp.* Affirmativè, quia tale Juramentum censetur execratorium, & habet vim dicendi, si hoc non est verum, moriatur Deus, Deipara, D. Petrus; quod quidem impium est, & blasphemum. *Azor. tom. 1. Instit. mor. lib. 11. cap. 3. q. 2.* Pignatell. *tom. 8. consult. 143.* ubi alii casus.

41. *Quær.* An dicere *Al dispetto di Dio* sit blasphemia? *Resp.* Affirmativè, ut docet Covarruvias *de Pactis part. 1. §. 7. num. 5.* & Menoch. *de Arbitr. cas. 375. num. 4.* eò, quia dicta Verba significant, etiamsi Deus nolit, faciam hoc; ut explicat Pignatellus *dict. tom. 8. cons. 143. num. 19.*

42. *Quær.* An, si quis iratus proferat hæc verba *Corpus Dei, vel Sanguis Dei*; dicatur blasphemare? *Resp.* Quòd non; dummodo non ea proferat ex contumelia in Deum, sed ex ira contra aliam personam: ita, ut multi reputent, esse peccatum veniale irreverentiæ nominis Dei. Sotus *de Juramentor. abusu cap. 6.* Valent. *2. 2. disp. 1. q. 13. punct. 1. Vers. Sed tantum illud.* Pignatellus *ubi supra num. 18. & Decisiones Cleri Patavini Anno 1682. Mense Junio ad Primum.*

43. *Quær.* An sit blasphemia vulgò, *cospettare*; & dicere *al cospetto &c.* vel *al cospettone &c.* seu *cospettonazzo &c. Resp.* Quòd verbum *al cospetto*, secundum P. Cassianum à S. Elia *d. decis. 63. num. 29.* non videtur blasphemia; quia aliud non significat, nisi *alla presenza di Dio.* Alia autem Verba *al cospettone*, & *al cospettonazzo* esse blasphemias, quia nominant Dei præsentiam cum magna irreverentia, & contemptu. Porrò ego aliud sentio de verbo: *Al cospetto*; quod blasphemum reputo: ea ratione, quia apud proferentes, & apud illud audientes non sonat *alla presenza di Dio*; sed *al dispetto di Dio, & in onta di Dio*, ut manifestè patet audientibus. & considerantibus talia verba prolata ab hominibus iratis, & exagitatis appetitu vindictæ; ajunt enim, faciam hoc seu non faciam hoc *al cospetto di &c.* videlicet *al dispetto*, h. e. velit, nolit Deus; & ita negant Divinam Omnipotentiam, eamque à Deo auferunt. Ulteriùs dictum verbum *al cospetto* continet magnam irreverentiam contra Deum, quia à piis auribus non sentitur, nisi cum horrore, & dolore offensæ Dei; & ex hoc etiam capite reputandum est blasphemia, ut concedit in fine ipse P. Cassianus à S. Elia *d. decis. 63. num. 31.*

44. *Quær.* An, qui audiunt aliquem blasphemantem, & illum non denunciant, incurrant in aliquam pœnam? *Resp.* Si blasphemia sit hæreticalis, incurrunt in excommunicationem, ut notat Pignatellus *dict. tom. 8. consultat. 143. num. 12.* In aliis autem blasphemiis non hæreticalibus attendenda sunt dicta *supra num. 35.* & Baldellus *ibi citatus.*

45. *Quær.* Qui possit absolvere blasphemos? *Resp.* Solus Papa, si dixerint blasphemias hæreticales. Solus Episcopus, si blasphemia simplex sit ei reservata. Ac etiam, si fuerit prolata hæreticalis, dummodo in corde non habuerit errorem contra fidem. Diana Coordinatus *tom. 5. tract. 8. resol. 25.* ubi DD.

CAPUT XXXV.

De Simonia.

1. *Quær.* Quid sit Simonia? *Resp.* Esse studiosam voluntatem emendi, vel vendendi aliquid Spirituale, vel Spirituali annexum. S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 1.* Decisiones Cleri Patavini *Anno 1682. Mense Octobri ad Primum*, ubi notatur, esse peccatum contra virtutem Religionis prohibitum Jure Divino, Naturali, & Ecclesiastico.

2. *Quær.* An in Materia Simoniæ detur parvitas Materiæ, quæ excuset à mortali? *Resp.* Nonnullos DD. affirmare, quos refert Diana *part. 5. tract. 5. res. 2.* Quæ in Coordinato est *tom. 5. tract. 7. res. 2.* Sed communiter negare gravissimos Auctores, inter quos Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 3. num. 5.* & Pasqualig. *decis. 478.*

3. *Quær.* Quotuplex sit Simonia? *Resp.* Quòd Simonia consideratur vel ex parte modi, vel ex parte Juris. Quoad modum, Simonia est Triplex, Mentalis, Conventionalis, & Realis. Reginald. *lib. 10. cap. 27. n. 429.* Quoad Jus alia est prohibita de Jure divino, & alia de Jure Ecclesiastico. Bonacin. *tom. 1. De Simonia disp. 1. q. 2. à num. 1. & seqq.*

4. *Quær.* Quæ sit Simonia Confidentalis? *Resp.* Illam esse, quæ committitur in resignationibus beneficiorum, vel cum pacto transmittendi beneficia in tertiam personam, vel exigendi partem fructuum, aut Pensionem inscio Pontifice, contra Bullam

Pii

Pii Quarti, quæ incipit *Romanum decet*; & alteram S. Pii Quinti incipien. *Intolerabilis*; & de his speciebus, præter Parisium, tractat Thesaur. *de Pœnis par.* 2. *Verb. Simonia cap.* 3. Sanchez *in Consil. Moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 34. & Gibalinus, qui integrum tractatum edidit de Simonia Anno 1659.

5. *Quær.* Quæ sint res, circa quas committitur hoc crimen Simoniæ? *Resp.* Eas esse triplicis generis. Vel *purè Spirituales*, ut Virtutes supernaturales, & potestates. Vel mixtas ex Spiritualibus, & Temporalibus, in quibus tamen superat Spiritualitas; ut Sacramenta, Sacramentalia, & Beneficia. Vel mixtas, ut ante; sed in quibus excellit Temporalitas, ut Vasa Sacra, loca Templorum, officia Cantorum, & similia; in quibus omnibus committitur Simonia, si pro eis detur pretium. Meæ Decisiones ad Mensem Octobris *Anno* 1682. *ad tertium quæsitum* de Simonia.

6. *Quær.* Quotuplex sit pretium? *Resp.* Triplex; *à Manu*, ut pecunia; *à Lingua*, ut laus, vel vituperium; *ab Obsequio*, ut servire pro beneficio habendo. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 84. Summ. Dianæ *Verb. Simonia num.* 3.

7. *Quær.* An sit Simonia, petere aliquid pro administratione Sacramentorum? *Resp.* Affirmativè, & est peccatum mortale. *Cap. Cum in Ecclesia corpore.* 9. *&* *Cap. Tua nos.* 34. *de Simon.* Diana Coordin. *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 34. etiamsi petitio esset de re levi, quia contemnitur res spiritualis ex tali petitione, seu pactione. Thesaur. *d. Verb. Simonia*, *cap.* 1. *Vers. Amplia tertiò.*

8. *Quær.* An liceat in permutatione Beneficiorum pacisci de aliqua summa pecuniæ pro compensando aliquo onere in beneficio permutato existente; E. G. pensione? *Resp.* Si sit onus de futuro, non licere absque dispensatione Papæ, vel Episcopi; aliàs committitur Simonia. Rota coram Penia. *Decis.* 430. Bonacin. *tom.* 1. *de Simonia disp.* 1. *quæst.* 4. §. 12. *num.* 10. Decisiones meæ in prædicto Anno 1682. *de Mense Octobri Casu secundo.*

9. *Quær.* An ob Simoniam commissam in beneficio absque scientia ipsius beneficiarii, teneatur ipse dimittere beneficium? *Resp.* Affirmativè, si nondum sit expletum triennium. Negativè, si jam sit transactum; quia ob bonam fidem juvatur Regula de Triennali possessore. Gomez *ad d. Reg. qu.* 12. Bonacin. *ubi supra q.* 7. *punct.* 2. *num.* 20. Garzias *de Benef. par.* 7. *cap.* 1. *num.* 14.

10. *Quær.* An Simonia sit prohibita, quia est mala; vel sit mala, quia est prohibita? *Resp.* Simoniam prohibitam à Jure naturali, vel divino, ut accipere pretium pro rebus Sacris, vel Spiritualibus, prohibitam esse, quia est mala; & ideò eam incurreret etiam Papa, si pro eis pretium acciperet. Simoniam verò prohibitam à solo Jure positivo, ut accipere pretium in examine, vendere officia Ecclesiastica, esse malam, quia est prohibita; & hanc non incurrit Papa, dum in ea dispensat. Gloss. *in cap. Ex parte*, 1. *Verb. Remittere*; & ibi DD. *de Offic. deleg.* Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 61. Nicol. *tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 18. §. 1. *num.* 23.

11. *Quær.* An liceat dare pecuniam pro redimenda vexatione in beneficio consequendo? *Resp.* Cum distinctione; si habet *jus* in re, potest dare; si tantùm Jus ad rem, non potest. Fagnan. *in cap. Nobis*, *num.* 104. *de Simonia.* Jus ad rem acquiritur ex electione, vel præsentatione. Jus in re ex Institutione, seu confirmatione; & in hoc casu licet, quia cùm jam acquisiverit Jus in beneficio, non censetur dare pecuniam pro beneficio, sed pro vexatione repellenda. Laym. *d. tract.* 10. *cap. ult.* §. 2. *num.* 22.

12. *Quær.* Quas pœnas incurrat Patronus recipiens pecuniam à præsentando ad beneficium? *Resp.* Est reus Simoniæ. Redoan. *de Simon. par.* 3. *cap.* 13. *num.* 22. Ideò, aggravat animam suam primò culpa mortali. *cap. Mandato. de Simonia.* Secundò, Excommunicatione reservata Papæ. *Extravag. secunda. De Simon.* & Bulla S. Pii V. *Cum primum*, §. 8. Tertiò, Tenetur restituere pecuniam acceptam vel Ecclesiæ, vel pauperibus. *Cap. De hoc. cap. Audivimus*, *eodem tit.* Quartò, Debet procurare remotionem beneficiati tanquam inhabilis, & incapacis. Thesaur. *d. Verb. Simonia*, *cap.* 2. *&* *cap.* 3.

13. *Quær.* An beneficiarius possit extinguere Pensionem existentem super suo beneficio, dando pecuniam Pensionario absque auctoritate Papæ, vel Episcopi? *Resp.* Duplicem reperiri opinionem DD. Nam alii negant. Bonacin. *de Simon. d. disp.* 1. *q.* 4. §. 17. *num.* 7. Alii affirmant. Lotter. *de Re benef. lib.* 1. *qu.* 42. *& lib.* 3. *qu.* 29. *num.* 81. *& seq.* Negativa opinio est securior; sed affirmativa est usitatior, ut testantur Thesaur. *in Praxi fori Eccl. par.* 2. *cap.* 7. *num.* 74. Vivian. *de Jurepatr. lib.* 13. *cap.* 9. *num.* 47. Tondut. *de Pensionib. cap.* 17. *num.* 24. *&* 25. ubi rationem reddit, quia Pensio est quid temporale; & obligatio recitandi Officium Deiparæ est per accidens: hoc tamen est intelligendum de Pensione legitima auctoritate imposita; secus de Pensione imponenda; quia non potest extingui anticipatis solutionibus absque labe Simoniæ, deficiente auctoritate Papæ. Decisiones meæ de Simonia *d. Anno* 1682. *Mense Novembri ad secundum Casum.*

14. *Quær.* Quale crimen sit Simonia? *Resp.* Esse crimen publicum, ideò, ex eo provenire infamiam, & irregularitatem, non solùm sequuta sententia; sed etiam ea non sequuta, quando crimen est notorium. Thesaur. *de Pœnis d. par.* 2. *Verb. Simonia cap.* 1. Etsi secundùm aliquos in Simonia circa beneficia requirâtur sententia. Sanchez *cons. mor. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 104. *num.* 9. *&* 16.

15. *Quær.* An Simonia mentalis sit punibilis in foro fori? *Resp.* Affirmativè, si de ea probationes haberi possint. Mascard. *de Probat. conclus.* 1310. *num.* 23. & si acceptum fuerit pretium, facienda est ejus restitutio. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simonia cap.* 59. *num.* 44.

16. *Quær.* Quæ, & quot sint pœnæ ob Simoniam realem completam in dando, vel recipiendo beneficio? *Resp.* Eas esse octo. Prima est nullitas collationis illius beneficii, quod proindè retineri non potest à Simoniaco,

niaco, sed est omninò dimittendum, non expectata sententia. *Extravag. Detestabile.* §. *Per electionem. de Simonia.* d. Bulla S. Pii V. Incip. *Cum primum* §. 8. sive Simonia sit manifesta, sive occulta. Suarez *d. lib. 4. cap. 57. num. 27.* Etiamsi contracta esset bona fide, id est, ex Ignorantia Juris, vel facti; dummodo si factum sit alienum, non sit transactum Triennium, ut dictum est supra *num. 9.* Thesaur. *d. Verb. Simonia, cap. 2. num. 2.*

Secunda, est obligatio restituendi fructus perceptos ex beneficio simoniacè, & mala fide acquisito, etiam in foro conscientiæ, & ante sententiam declaratoriam. *d. Extravag. Detestabile.* & Bulla S. Pii V. *Cum primum.* §. 8. Suarez *d. cap. 57. num. 36.* Quæ obligatio in subsidium afficit Mediatores, & Cooperatores Simoniacos. Ugolin. *lib. 4. de Simonia, cap. 8. num. 3. & 4.* Imò etiam Confessarium; qui, absolvendo Simoniacos, causa fuerit, quominùs fructus perceptos restituant. Quarant. *Verb. Simonia.* §. *Altera pœna.* Restitutio autem fieri debet Ecclesiæ læsæ.

Tertia, pœna est obligatio restituendi etiam pretium Simoniacum tàm à principali, quàm à mediatoribus habitum. *cap. De hoc. cap. Audivimus. De Simonia*, etiam ante sententiam declaratoriam, & restitutio fieri debet Ecclesiæ, cui fuit injuria facta; vel etiam pauperibus. Thesaur. *ubi supra num. 4.*

Quarta, pœna est excommunicatio Papalis, quam incurrunt omnes complices ipsius Simoniæ, sivè sint principales, sivè mediatores. *d. Extravag. Cum Detestabile.* §. *Statuentes, de Simon.* d. Bulla S. Pii V. *Cum Primum*, §. 8. Diana *par. 4. tract. 4. resol. 151.* Quæ in Coord. est *tom. 5. tract. 7. resol. 22.* Thesaur. *ubi supra num. 5.* Quæ excommunicatio est Papæ reservata. Thesaur. *ibid. Verb. Simonia, cap. 2. num. 5.* Gibalin. *de Simonia qu. 25. num. 1.* ubi notat, eam afficere etiam Cardinales, & quoscunque mediatores. Adeò ut ab ea neque Episcopus possit absolvere, quamvis sit Simonia occulta, ut docui de *Pœnitentia Decis. 45. num. 6.* Prout neque potest dispensare, ut beneficia retineat. Barbosa *de Jure Eccles. Univers. libr. 1. cap. 11. num. 142.*

Quinta pœna est inhabilitas ipsius Simoniaci provisi ad obtinendum idem beneficium, etiamsi denuò sibi canonicè conferatur; nisi dispensatus fuerit super ejus priori ingressu Simoniaco, quantumvis occulto, vel ignorante. *cap. penult. de Elect. cap. De Simoniacè. De Simonia.* d. Bulla S. Pii V. Garzias *de Benefic. par. 8. cap. 1. num. 56.* & Gibalin. *d. q. 25. num. 2.*

Sexta, pœna est inhabilitas tam ipsius beneficiarii Simoniaci, quàm mediatorum, & complicum ad quæcunque alia beneficia obtinenda. *d. Bulla Piana* Garzias *d. cap. 1. num. 71.* Quæ afficit omnes eo ipso, nulla expectata sententia declaratoria; ut tuetur Azor. *tom. 3. lib. 12. cap. 21. in fin.* Thesaur. *d. cap. 2. num. 7.* Gibalin. *ibid. num. 6.*

Septima, pœna est privatio beneficiorum ante Simoniæ labem obtentorum; si tamen sequatur sententia Judicis, hanc privationem inducentis; nam potest illos illis privare, prout etiam corporaliter punire. Antonell. *de Regim. Eccles. lib. 6. cap. 18. num. 6. in fine.* Tondut. *Resol. benef. par. 3. cap. 135. num. 23. & 24.* Lotter *lib. 3. cap. 29. num. 161.* & Gibalin. *dict. q. 25. num. 3.*

Octava, pœna est Infamia, & Irregularitas, quibus affecti remanent omnes Simoniaci; dummodo tales declarentur, vel Judiciali sententia, vel facti notorietate. Thesaur. *ubi supra num. 8. & 9.* ubi DD. qui notant, neminem posse dispensare à prædictis pœnis, præter Romanum Pontificem, neque ejus summum Pœnitentiarium in Simonia Reali contracta scienter in beneficio. Adeò ut ipse summus Pœnitentiarius dispenset tantùm, si Simonia sit contracta per ignorantiam inculpatam, & si casus sit occultus; nunquam autem, si casus sit publicus tam circa beneficia, quàm circa Ordines. Decisiones meæ *de Pœnitentia Decis. 48. num. 11. Vers. Decimò.* De supradictis pœnis agit Nicolius *in Lucubrat. Civil. libr. 4. tit. 18.* §. *Publica à num. 35. & seqq.*

17. *Quær.* Quæ sint pœnæ Simoniæ Conventionalis tantùm? *Resp.* Esse distinguendos sex Casus, prout in Decis. meis de Simonia *d. Anno 1682. Mense Novembri.*

Primus casus est, quando conventio Simoniaca à neutra parte deducta fuit ad effectum; & in hoc casu non intrant pœnæ ipso Jure inflictæ contra Simoniacos. Marescot. *Var. resol. lib. 2. cap. 35. num. 24. & 25.* Sed peccant mortaliter, & in foro fori utraque pars est punibilis arbitrio Judicis. Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 4. De Simon. cap. 55. num. 15.* Antonell. *d. lib. 6. cap. 18. n. 5.* Navar. *in Manuali cap. 23. num. 111.* Piasecius *in Praxi par. 1. cap. 4. num. 48.* Gomez. *ad reg. Trien. q. 12.*

Secundus casus est, quando ab una parte datum est pretium temporale, sed ab alia non est tradita res Spiritualis; & in hoc pariter casu pœnæ, & censuræ ipso Jure latæ in Simoniacos non intrant; ut plenè probat Suarez *d. cap. 55. num. 12. & 13.* ea ratione, quia, donec non est tradita res Spiritualis, non est commissa plena irreverentia in illam, cujus irreverentiæ causa pœnæ sunt inflictæ. Tondut. *d. par. 3. cap. 160. num. 10.* Attamen utraque pars peccat mortaliter, & est à Judice punienda. Antonell. *d. lib 6. cap. cap. 18. num. 5.* Et pretium illud ante sententiam restitui potest ei, qui illud dedit: sed post sententiam est à Judice applicandum vel pauperibus, vel ipsi Ecclesiæ. Diana *par. 4. tract. 4. resol. 157. & 167.* Quæ in Coord. sunt *tom. 5. tract. 7. resol. 6. & 9.* Antonell. *ubi supra num. 5.*

Tertius casus est, quando ab una parte tradita est Res Spiritualis, sed ab altera parte non est traditum pretium: Et in hoc casu; quòd pœnæ omnes, & censuræ latæ ipso jure in Simoniacos incurrantur, volunt multi Doctores, quos cumulat Garz. *par. 8. cap. 1. à num. 16. & seqq.* quorum ratio est, quia per traditionem rei absque pretio est vera emptio, & venditio, & sic Simonia completa. Quòd autem in hoc casu pœnæ, & censuræ non incurrantur, tenent plurimi de quibus Sanchez *d. cap. 56. num. 25.* ea ratione, quia pœnæ inflictæ pro delicto, intelligun-

cclliguntur de delicto plenè consummato; quod non est in hoc casu, donec pretium non fuerit solutum. Prima opinio est securior, secunda benignior; utraque probabilis, ut monet Pax Jordan. *tom. 2. lib. 10. tit. 11. num. 35.* excepta tamen Simonia in ordine, in qua etiam pretio non tradito, cùm datus sit ordo, Pœnæ incurruntur eo ipso. *Cap. penult. de Simon.* quod notat Suarez *d. cap. 56. num. 32.*

Quartus casus est, quando data est res spiritualis, pretium autem solutum fuit in parte; & non in toto; Et in hoc Casu communi Doctorum sententia incurrunt Simoniaci omnes pœnas, & censuras. Sanchez *d. cap. 55. & 56. num. 17. & 30.* Pyrrh. Corrad. *in Praxi Dispens. Apostolicar. cap. 9. num. 5. & 6.* Tondut. *d. par. 3. cap. 160. num. 6.*

Quintus casus est, quando pretium fuit fictè promissum, & animo non solvendi, sed decipiendi datorem rei spiritualis; Et in hoc casu pœnæ, & Censuræ suprascriptæ non intrant, sed ita promittens, & recipiens, peccat mortaliter, quia cooperatur Simoniæ alterius, & potest à Judice puniri. Nicol. *Lucubr. Civil. tom. 1. lib. 4. tit. 18. §. Simonia num. 22.* Bonacin. *tom. 1. eod. tit. disp. 1. qu. 2. num. 8.*

Sextus tandem casus est, quando Simonia est Confidentialis; in quo licèt prerium temporale non sit traditum, sed sola res spiritualis sit data, pœnæ intrant, & afficiunt contrahentes. Nicol. *d. tit. 18. n. 36.* Parisius *De Simon. Consid. q. 1. num. 150. 159.* Sanchez *Cons. Mor. lib. 2. cap. 3. dub. 106. n. 5.* Tondut. *d. par. 3. cap. 160. num. 11.*

18. *Quær.* Quot modis fiat Simonia Confidentialis? *Resp.* Fieri, quando Beneficium Ecclesiasticum confertur, resignatur, permutatur, seu alio modo circa ipsum disponitur, hoc animo, ut beneficium ipsum, aut fructus ejus, aut pars aliqua ipsorum restituantur, vel reserventur conferenti, vel eligenti, vel præsentanti, vel resignanti, aut alteri personæ, juxta beneplacitum prædictorum. Jordan. *d. lib. 10. tit. 11, num. 67.* Laym. *d. tract. 10. De Simonia cap. ult. §. 8. num. 75.* Contra quam extant duæ Bullæ Apostolicæ, Una Pii IV. *la* 85. Altera S. Pii V. *la* 45. in quibus prohibita est conventio, & pactio, ut resignans faciat expensas pro resignatario, vel hic faciat expensas Bullarum Pensionis pro resignante. Navar. *cons. 74. de Simonia.*

19. *Quær.* Quæ sint pœnæ Simoniæ Confidentialis? *Resp.* Eas esse quatuor.

Prima, Pœna est nullitas collationis aut provisionis illius beneficii; quod eo ipso vacat, & est reservatum Sedi Apostolicæ.

Secunda, est obligatio restituendi fructus ex eo perceptos Cameræ Apostolicæ.

Tertia, est Excommunicatio Papæ reservata, qua afficiuntur ipsi beneficiarii recipientes beneficium in Commendam; qui si essent Cardinales, vel Episcopi afficiuntur interdicto ab ingressu Ecclesiæ.

Quarta est, quòd ipsi Confidentiarii Simoniaci privantur aliis beneficiis priùs obtentis, & fiunt inhabiles ad obtinenda alia, Ita ex dictis Bullis Pianis Parisius *de Consid. qu. 22.* Mascard. *Concl. 1312.* Thesaur. *d. par. 2. Verb. Simonia cap. 3.*

20. *Quær.* An dictæ quatuor pœnæ afficiant tam recipientes beneficia, quàm dantes in confidentiam, nec non mediatores, & cooperatores? *Resp.* Afficere tantùm recipientes. At quando beneficium pervenerit in eum, in quem fuit ex confidentia facta conventio, tunc dantes, mediatores, & cooperatores afficiuntur omnibus pœnis Simoniæ realis, de quibus diximus supra. Bonacin. *de Simon. d. disp. 1. qu. 7. §. 1. num. 11.* Layman. *de Simon. num. 78.*

21. *Quær.* An ipse recipiens beneficium in confidentiam incurrat omnes quatuor pœnas supradictas, etsi res temporalis, vel fructus beneficii non sint data juxta confidentiam? *Resp.* Incurrere, excepta pœna privationis aliorum beneficiorum antea obtentorum; quia his privatus non remanet, nisi completa Simonia per traditionem rei temporalis; vel adimplementum pacti confidentialiter conventi. Thesaur. *d. cap. 3. in fine.*

22. *Quær.* Quas pœnas incurrant examinatores recipientes aliquid temporale in examine ad beneficia? *Resp.* Ex Concilio Tridentino *sess. 24. de ref. cap. 18.* si recipiant aliquid vel ante, vel post Examen, ipsi examinatores incurrunt quatuor pœnas.

Prima est Excommunicatio illa, quæ lata est contra Simoniacos reales. Novar. *cons. 67. de Simon.* Thesaur. *d. par. 2. Verb. Simonia cap. 4.*

Secunda, est nullitas collationis illius beneficii, quod examinatus tenetur dimittere absque alia declaratione. Thesaur. *cap. 2. & cap. 4. d. Verb. Simonia.* & Ugolin. *eod. tract. tab. 1. cap. 48. §. 7.*

Tertia, privari possunt per sententiam tam examinatores, quàm examinati aliis beneficiis, antea obtentis. Thesaur. *d. cap. 4.* Lessius *cap. 35. num. 148.* Tanner. *par. 3. disp. 5. qu. 8. num. 98.*

Quarta, est inhabilitas in iisdem ad alia beneficia obtinenda. Concil. Tridentin. *ubi supra d. sess. 24. cap. 18.*

23. *Quær.* An ab his pœnis excusentur Examinatores ob parvitatem muneris, vel levem materiam donatam? *Resp.* Non excusari, quia Concilium Tridentinum prohibet: *Ne quidquam prorsùs accipiant*; quod notat Garzias *par. 9. cap. 2. num. 360. & 375.* ubi Decreta S. Congregationis. Bene verum est, quòd ad incurrendas dictas pœnas oportet, ut Simonia sit ab utraque parte completa, videlicet, quòd examinator dederit suffragium, & receperit ab examinato munus. Thesaur. *d. Verb. Simonia cap. 4.*

24. *Quær.* An liceat Episcopo ordinanti recipere ab ordinato aliquod munus spontè datum? *Resp.* Non licere, sub pœna Simoniæ, quia Concil. Trident. *sess. 21. de ref. cap. 1.* ita prohibet, ut observat Fagnan. *in cap. In ordinand. num. 11. de Simonia.*

25. *Quær.* Quæ sint pœnæ statutæ in collatione Simoniaca ordinum? *Resp.* Esse tres.

Prima, Excommunicatio Papæ reservata,

quam incurrit tam ordinans, quàm ordinatus, & mediatores. *Extravag. 2. de Simonia.* Thesaur. *d. p. 2. Verb. Simonia cap. 9.*

Secunda, ordinans est suspensus perpetuò à collatione ordinum, ab exercitio Pontificalium, & ab ingressu Ecclesiæ interdictus per Bullam Sixti Quinti 61. *Incipit Sanctum, & salutarem.*

Tertia, ordinatus pariter est perpetuò suspensus ab ordinibus. *d. Extravag. 2. de Simonia.*

26. *Quær.* Quid Juris, si dictæ censuræ violentur, vel spernantur? *Resp.* Ordinans, & ordinatus incurrunt irregularitatem, & ulteriùs ordinans est suspensus ab Ecclesiæ, & fructuum administratione; ordinatus verò amittit beneficia, si est Sæcularis, si verò Regularis, vocem activam, & passivam. Sayr. *de Censur. lib. 4. cap. 17. in fin.*

27. *Quær.* An in hac Simonia ordinum, si sit occulta, Episcopus possit dispensare in dictis pœnis? *Resp.* Negativè, quia id expressè prohibet Sixtus Quintus *in dicta sua Constitutione* 61. Thesaur. ubi ante. Et Barbos. *de Jure Eccl. lib. 1. cap. 11. num. 142.* Ideò, ut dictum est, vix dispensat Summus Pœnitentiarius in casu occulto. Meæ Decisiones de Pœnitentia. *Decis. 48. num. 11. Vers. Decimo.*

28. *Quær.* An ordinans possit retinere pretium habitum pro ordinibus? *Resp.* Negativè, sed debet illud pauperibus restituere. Thesaur. *d. Verb. Simonia. cap. 9. num. 5.* Lessius *de Just. & Jur. lib. 2. cap. 35. num. 169.*

29. *Quær.* An liceat donare aliquid familiaribus Episcopi, ut faciant ab eo sibi ordines conferri? *Resp.* Negativè; & talis donatio esset Simoniaca, & subjecta omnibus pœnis ante dictis. *Cap. De ordinationibus 1. qu. 1. cap. 1. De Simonia.* Et Concil. Trident. *d. sess. 21. de ref. cap. 1.*

30. *Quær.* Quæ pacta sint licita in resignationibus beneficiorum? *Resp.* Omnia pacta, quæ sunt juri conformia, & quæ tacitè de Jure insunt; ita, ut essent completa, licèt non fuissent in pactum deducta. *cap. Significasti ubi Gloss. & DD. de Elect.* Sanchez. *in Opusc. Mor. lib. 2. cap. 3. dub. 25. num. 9.* & Rota coram Buratto *Decis. 445. num. 2.*

31. *Quær.* Quos fructus in resignatione beneficii possit resignans sibi reservare, etiamque in pactum deducere? *Resp.* Omnes fructus, qui maturantur usque ad diem; in qua resignatarius adipiscitur possessionem beneficii. Rota coram Coccino *decis. 858. num. 5.* & Antonell. *de Regimine Eccl. lib. 3. cap. 10. num. 19.*

32. *Quær.* An in divisione fructuum beneficii inter resignantem, & resignatarium, sivè successorem, & hæredes prædecessoris attendatur tempus ratæ conventæ in locatione ad solvendum, vel tempus, quo fructus ipsi sunt maturati? *Resp.* Attendendum esse tempus, quo fructus maturati sunt; quia tempus solutionis ponitur in gratiam conductoris, ideò, si fructus sint maturati ante resignationem, vel ante mortem beneficiati, debentur resignanti, vel hæredibus defuncti, etsi nondum advenerit tempus ratæ solutionis. Bonac. *tom. 1. de obligat. benefic. disp. 4. punct. 3. num. 8.* Antonell. *d. lib. 3. cap. 10. num. 20. 21.* Rota coram Cavaller. *Decis. 104. num. 5. & 6.* & Thesaur. *d. part. 2. Verb. Simonia cap. 2. in fine.*

33. *Quær.* An ad inducendam Simoniam sufficiat pactum tacitum? *Resp.* Affirmativè, quod quidem probari potest ex conjecturis, & præsumptionibus. Loter. *lib. 3. qu. 29. num. 45. & num. 54. & 55.*

34. *Quær.* An sit Simonia in collatione, vel resignatione beneficii paciscì, ut detur pecunia non ratione pretii, sed ratione gratitudinis? *Resp.* Esse Simoniam, ut probat Ferrus *in QQ. Moral. & Vicar. part. 2. quæst. 74.* ubi reprobat Dianam contrarium, & quidem nimis largè asserentem. Secus esset dicendum tantummodò, si in corde retineretur spes recipiendi aliquid pro gratitudine. Tondut. *Resol. Can. lib. 1. cap. 75.* At non est amplius disputandum, cùm jam Propositiones asserentes, non esse Simoniam, sint damnatæ ab Innocentio XI. videlicet *Propos. 45. & 46.* quas lector videat.

35. *Quær.* Quæ probationes sint necessariæ in hoc crimine Simoniæ? *Resp.* Cum distinctione, videlicet: Vel agitur ad effectum privandi beneficio Simoniacum? & in hoc casu requiruntur plenæ, & concludentes probationes. Farinac. *cons. 75. n. 13.* & ibi Rota in fine. Vel agitur ad impediendum, ne Simoniacus obtineat beneficium; & in hoc casu sufficiunt leviores probationes, conjecturæ, & præsumptiones. Chartar. *Decis. Crimin. 91. num. 63.* Rota coram Seraph. *decis. 516. num. 4. & decis. 1029.* Rota *divers. part. 1. decis. 191.* Abb. *in cap. Sicut Simoniaca num. 2. & 3. de Simon.* Bellet. *de Pœnis Clericor. §. 35. num. 25.* Clarus *Verb. Simonia num. 12.* & Nicol. *tom. 1. pag. 466. num. 43. in fine.*

36. *Quær.* An sit Simonia, dare aliquod munus Aulico, vel familiari Episcopi, ut impetret beneficium ipsi danti? *Resp.* Affirmativè, ut differit Collegium Salmanticense *in Cursu Theol. Moral. tom. 4. tract. 19. de Simonia cap. 1. §. 4.* ubi distinguit plures intentiones in dante, & in accipiente; & licèt dicat disputabile, quòd non sit Simonia, si datum sit munus pro informando Prælato de meritis illius personæ, secus autem, si pro impetrando beneficio; tamen hæc distinctio in praxi non est secura; ut ibidem concluditur.

37. *Quær.* An liceat paciscì inter resignantem, & resignatarium de solvendis pensionibus anticipate per aliquot annos? *Resp.* Negativè, quia esset Simonia. *Cap. Quæstum. cap. Olim. de Rerum permutatione.* Colleg. Salm. *d. tract. 19. cap. 2. punct. 10.*

38. *Quær.* An liceat dare pecuniam Parochi, vel Sacerdoti nolenti administrare Sacramenta, ut illa administret? *Resp.* Si pecunia detur tanquam in commutationem Sacramentorum, non licèt; si verò ad redimendam vexationem, & ut minister ille recedat à sua injusta negativa, licebit. Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 19. num. 7.* & Colleg. Salmant. *d. cap. 2. punct. 2.* ubi plures casus curiosos considerat, & resolvit.

39. *Quær.*

39. *Quær.* An sit Simonia, dare pecuniam Parocho, ut concedat locum honoratiorem pro sepultura in Ecclesia? *Resp.* Non esse Simoniam. Sà *Verb. Simonia num.* 2. Bonacina *tract.* 1. *de Simon. q.* 4. §. 6. *num.* 1. ubi alios Theologos cumulat.

40. *Quær.* An sit Simonia, procurare dignitates in Religione, puta Guardianatus, Prioratus, Provincialatus &c., dando pecuniam electoribus? *Resp.* Esse hinc inde Doctores negantes, & affirmantes; horum autem affirmantium verior videtur sententia, quam tuetur Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 15. *cap.* 4. *q.* 7. *n.* 87. & Pignatellus *tom.* 10. *consult.* 44. ubi plenè de Simoniacis electionibus. At esse Simoniam, est omninò dicendum, etiamsi pecunia non sit data, sed tantùm promissa; quamvis uni soli electori; & licèt ejus Votum non esset necessarium, sed superfluum. Fagnanus *in cap. Nobis. De Simonia num.* 6. *& num.* 18. In quo casu electio esset nulla ipso Jure; tametsi ageretur de electione Papæ.

41. *Quær.* Quæ, & quot peccata committeret, qui Sanctissimam Eucharistiam venderet? *Resp.* Tria, scilicet Simoniæ peccatum, vendendo rem Sacram: Irreligiositatis crimen, vendendo rem Divinam, & Sacrilegium horrendum; si venderet ad Magicos usus. Bonacina *disp.* 1. *de Simonia quæst.* 4. *num.* 4. ubi alii DD.

42. *Quær.* An sit Simonia, dare, vel promittere pecuniam alicui, ut fiat Christianus, vel Religiosus? *Resp.* Negativè, quia non datur pro pretio fidei, seu Religionis, sed ad tollenda impedimenta paupertatis, seu ad alliciendum animum ad virtutem. Bonacina *d. disp.* 1. *de Simonia q.* 4. §. 7 ubi DD.

48. *Quær.* An liceat Monasterio recipere pecuniam à Novitiis, seu professionem facturis absque Simonia? *Resp.* Affirmativè, quia illa exactio pecuniæ fit ob sustentationem Novitii, seu professi; & ideò, etiamsi Monasterium sit dives, potest dotem exigere pro sustentatione prædicta. Bonac. *De Simon. disp.* 1. *q.* 4. §. 8. Sanch. *consil. mor. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 23. Fagundez *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 5.

44. *Quær.* An Reliquiæ Sanctorum vendi possint? *Resp.* Negativè, quia esset Simonia, si daretur pecunia pro ipsis, tanquam rebus Sanctis; secus si pro Vase argenteo, vel aureo, in quo existerent. Sylvest. *Verb. Reliquiæ.* Abbas *in cap. ult. de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.* & idem dicendum de Coronis, Rosariis, Missalibus & Calicibus.

45. *Quær.* An pro exercendis operibus Misericordiæ corporalis, vel Spiritualis liceat pretium exigere absque Simonia? *Resp.* Licere, quia sunt opera non supernaturalia; & ideò in eis Simonia esse non potest. Bene posset esse peccatum injustitiæ, si quis teneretur gratis ea præstare, & vellet pretium exigere, vel illud majus justo. Reginal. *lib.* 23. *num.* 208. *&* 226. Suarez *de Relig. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 24.

46. *Quær.* An sit Simoniacus, qui impertitur aliis Virtutes ob lucrum temporale? *Resp.* Cum distinctione. Vel agimus de Virtutibus acquisitis, & moralibus, & has explicando licet pretium recipere ratione laboris. Vel agitur de Virtutibus infusis à Deo, ut donum linguarum, sanitatum, prophetiæ, & similes? & qui has exerceret pro pretio, esset Simoniacus, cùm sint supernaturales; nisi aliquid acciperet pro sui sustentatione. Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 5. *dub.* 4. ubi DD.

47. *Quær.* An cõmittant Simoniam Parochi pacticentes pecuniam pro exequiis defunctorum, pro Orationibus, Processionibus, & similibus spiritualibus functionibus? an etiam Prædicatores requirentes stipendium, ut prædicent? *Resp.* Negativè, si pro necessaria sustentatione sui status requirant, vel paciscantur, prout consuetudo universalis Ecclesiæ concedit. Sanch. *consil. d. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 11. alios DD. addens.

48. *Quær.* An liceat Sacerdoti pacisci de stipendio pro Missa celebranda ultra solitum absque Simonia? *Resp.* Non licere, nisi ratione longioris itineris, vel alterius incommodi extraordinarii, ratione viarum, vel temporis. Basseus *Verb. Simonia* 5. *num.* 3. Palaus *tom.* 3. *tract. de Simonia disp.* 3. *punct.* 11. *num.* 2.

49. *Quær.* An sit Simonia, dare pecuniam pro omissione actus Spiritualis, e. gr. ne quis absolvatur, non ordinetur, & similia? *Resp.* Esse Simoniam, quando, qui accipit, tenetur ex officio ad illos actus Spirituales, quia quodammodo vendit potestatem Spiritualem; non erit autem Simonia, quando non tenetur ex officio; quia tunc non vendit potestatem, sed abstinet ab ejus usu ex sua voluntate. Ugolin. *de Simonia tab.* 1. *cap.* 40. & Lessius *de Justit. lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 11. *num.* 64.

50. *Quær.* An Capitulum possit exigere aliquam summam pecuniæ à Canonico noviter provisо pro concedenda ei possessione sui Canonicatus? *Resp.* Cum distinctione, vel illa pecunia impenditur pro fabrica Ecclesiæ, vel usui pio applicatur ex statuto, vel antiqua consuetudine, & licitè exigi potest. Vel transit in commodum ipsius Capituli, & Canonicorum, & licitè exigi non potest; imò exigentes Simoniam committunt, & Simoniæ pœnis innodantur per Tex. *in cap. Jacobus. de Simonia.* & in Concil. Trident. *sess.* 44. *de ref. cap.* 14. ubi Barbos. innumeros Doctores allegat: & extat etiam Bulla S. Pii Quinti incipien. *Durum nimis,* qua eadem prohibitio sub iisdem pœnis omninò renovatur. Ideò, si taxa, quam solvunt novi Canonici, expendatur pro palliis Altarium faciendis, vel aliis ornamentis Sacris, aut Suppellectilibus, non esset illicita: quòd, si applicaretur expensis factis, seu faciendis à Capitulo in litibus, & ad hunc effectum reponeretur in Scrinio, esset Simoniaca, & reprehensibilis, tanquam damnata à Tridentino Concilio, & à Bulla Piana, quia cedit in beneficium, & utilitatem Canonicorum; qui, si lites fovere, vel facere volunt, debent de propria crumena pecuniam educere. Barbos. *de Can. cap.* 15. *num.* 24. Novar. *in Summa Bullar. Commentar.*

117. *part.* 1. & Sanchez *Consil. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 25. *& seqq.* qui plurimos Casus, imò totam materiam Simoniacæ pravitatis expendit; quem in casuum contingentia adire, prout etiam Dianam, Gibalinum, & Bonacinam, de eadem plenè agentes, non pigebit Lectorem.

51. *Quær.* An extent Propositiones damnatæ à Summis Pontificibus in materia Simoniæ? *Resp.* Extare Tres; & sunt sequentes:

℣ Prima Innocentii XI. quæ est la 45. sic dicens: *Dare Temporale pro Spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi; & efficiendi Spirituale, vel etiam, quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro Spirituali, aut è contra.*

Secunda, & est la 46. inter damnatas ab eodem Papa, sic ait: *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiamsi sit finis ipsius Rei Spiritualis: sic, ut illud pluris æstimetur, quàm Res Spiritualis.*

Tertia est la 22. inter damnatas ab Alexandro Papa Septimo, & sic dicit: *Non est contra Justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

CAPUT XXXVI.

De Secundo Decalogi Præcepto.

1. *Quær.* Quot, & quibus modis homines soleant peccare contra hoc Præceptum? *Resp.* Cùm in hoc Præcepto Deus mandaverit hominibus, *Ne assumant Nomen ejus in vanum*; solent ipsi peccare, malè adhibendo Juramentum, Adjurationem, & Vota; ideò de his in hoc Præcepto erit agendum secundùm Thom. Tambur. *lib.* 3. *in Decalog.*

CAPUT XXXVII.

De Juramento.

1. *Quær.* Quid sit *Juramentum*? *Resp.* Est invocatio Divini Testimonii ad faciendam fidem. S. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 1.

2. *Quær.* Quot modis possit fieri Juramentum? *Resp.* Quatuor modis: *Verbo*, cùm quis ore profert, *Juro per Deum*, hoc ita esse &c. *Nutu*, ut si aliquis invitet alium, ut Juret per Deum, & ille oculis, vel capite annuat. *Facto*; ut si alicui offeratur Liber Evangeliorum, ut illum tangendo juret, & *ipse tangat*, nihil proferendo; nam eo ipso censetur jurare: vel si se subscribat scripturæ continenti formulam Juramenti. *Mente*, ut si quis interiùs in corde suo promittat aliquid facere, & jurejurando determinet, se illud facturum; nam si non facit, peccat contra virtutem Religionis. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 1. §. 1.

3. *Quær.* An teneatur Juramento, qui Juravit per hæc Evangelia, credens, esse Librum Evangeliorum, si fuisset liber profanus? *Resp.* Teneri, quia licèt erraverit in materia, non erravit in proposito. Tamburin. *dict. cap.* 1. §. 1. *num.* 4.

4. *Quær.* An sint Juramenta vera, & obligantia jurare *in veritate, profectò, certè, per fidem meam*? *Resp.* Cum distinctione, vel iste sciebat; per hæc verba non fieri Juramentum, & Deum non invocari; sed tantùm intendebat fidem, & veritatem humanam, & in hoc casu nullum extat Juramentum: vel credebat, sic dicendo jurare, & Deum invocare; & in hoc casu secundùm Sanch. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *num.* 7. adstringitur Juramento: sed secundùm Tamburin. *d. lib.* 3. *cap.* 1. §. 1. *num.* 8. non adstringitur, quia, cùm nulla sit Dei invocatio, nullum dici potest Juramentum.

5. *Quær.* An teneatur adimplere Juramentum, qui juravit, se aliquid facturum, sed nesciebat, Juramentum habere vim obligandi? *Resp.* Teneri, nisi fortè in corde suo statuisset positivè, se nolle obligari, quia aliàs censetur, voluisse obligari. Ita Castropal. & Sanchez apud Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 12. §. 1. *n.* 5. 6. 7. 8.

6. *Quær.* Quotuplex sit Juramentum? *Resp.* Plures assignari divisiones Juramenti, de quibus Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 1. §. 2. At præcipua hæc est, quòd Juramentum vel est Judiciale; vel extrajudiciale. *Primum* est, quod certo ritu, vel forma coram Judice, vel Notario exhibetur. *Alterum*, quod passim fit inter privatos, & hoc subdividitur in quatuor species; quia aliud dicitur Juramentum *assertorium*, aliud *promissorium*, aliud *comminatorium*, aliud *execratorium*: Primò, asseritur aliquid ita esse. Secundò, aliquid daturos esse, facturosve promittimus. Tertiò, comminamur punitionem alicui. Quartò, nobis execramur Dei indignationem, vel filiis nostris, si mentiamur, ut latiùs explicat Tamburin. *d.* §. 2.

7. *Quær.* An sint juramenta valida illorum, qui aliquid asserunt, vel promittunt, & invocant in testes aliquas Creaturas, vel Sanctos, puta Cœlum, Solem, Ignem, Aërem, Deiparam, Crucem &c. *Resp.* A Theologis hanc Regulam dari, videlicet, quoties juratur per Creaturam, quæ habet aliquam insignem qualitatem à Deo, ex qua excitatur peculiaris quodammodo in nobis memoria Dei, vel ejus attributorum, tunc est verum, & validum juramentum, quia fit relatio ad Deum. Secus autem, si per res, aut creaturas inferioris gradus, & ordinariæ conditionis. Ideò, jurare per Cœlum, per Solem, per Ignem, in quibus emicat specialiter potentia Dei, erit validum juramentum, eò magis jurare per Deiparam, per Sanctos, per Crucem; & universaliter, quotiescunque adjungitur vox Dei, semper censetur validum juramentum, ut per Solem Dei, per Aërem Dei, per Ignem Dei, per Crucem Dei. Sanchez *in Decalog. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 9. & Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 1. §. 3. *num.* 1. *& 2. ubi num.* 3. notat, quòd si vox Dei proferatur enunciando, non invo-

invocando, nullum erit juramentum, ut *ò Crux Dei! ò Cœlum Dei!*

8. *Quær.* Quot conditiones debeat habere juramentum? *Resp.* Tres, nempè veritatem, Justitiam, & Judicium. Tambur. *ubi supra* §. 4. *num.* 1.

9. *Quær.* Quid sit jurare cum Veritate? *Resp.* Jurare non solùm prout res in facto est, sed etiam prout ipse jurans credit, & sentit in corde suo; ideò, qui juraret rem materialiter quidem veram, sed formaliter falsam, quia jurans firmè crederet, se aliter haberi, juraret cum falsitate. Tambur. *d.* §. 4. *num.* 1.

10. *Quær.* Quale peccatum sit jurare sine Veritate? *Resp.* Esse mortale, etiam in re levi, nisi tamen non deliberatè juraret; quia ex defectu plenæ deliberationis excusatur, sicut in omnibus actibus humanis. Tambur. *d.* §. 4. *num.* 1.

11. *Quær.* An sit explicandum in Confessione, an falsum juramentum fuerit assertorium, vel promissorium? *Resp.* Negativè secundùm Tambur. *d.* §. 4. *num.* 4. etsi contrarium sentiat Castropal. *ibidem* allegatus.

12. *Quær.* Quid sit jurare cum justitia? *Resp.* Quòd illa res, quæ asseritur, vel promittitur, sit consona justitiæ, rectitudini, & honestati; quòd si è contra sit res injusta, turpis, & indigna; si gravis, juramentum erit mortale; puta juro per Deum, Blancam commisisse adulterium; vel me baculo fracturum caput Francisco; quòd si sit injustitia levis, veniale erit juramentum. Tamburin. *d. cap.* 1. §. 4. *num.* 5. *lib.* 3. *in Decalog.*

13. *Quær.* Quid sit jurare cum Judicio? *Resp.* Cum necessitate, causaque pia, utili, & rationabili, non autem absque necessitate, & cum irreverentia; quamvis omnes DD. asserant, hujus conditionis defectum facere tantùm culpam venialem, si in juramento sit veritas, & Justitia. Tambur. *ubi supra num.* 7.

14. *Quær.* An mortaliter peccent, qui ex consuetudine in omni re jurant? *Resp.* Affirmativè, si soliti sint jurare falsum, & non curent extirpare illam consuetudinem. Secus autem, si non sint soliti pejerare. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 1. §. 5.

15. *Quær.* An talis consuetudinarius in jurando teneatur manifestare Confessario hanc suam consuetudinem? *Resp.* Asserere Castropalaum, sed inficiari Tamburinum *dict.* §. 5. ex eo, quia aliud sit consuetudo intrinseca, aliud occasio proxima explicita, & voluntariè retenta; ut in eo, qui detinet domi Concubinam, cum qua solitus est fornicari; & ideò, si pejerans pejeratur ex sola negligentia in auferenda prava consuetudine, non tenetur se accusare de illa, quia novum peccatum non committit distinctum à perjurio; secus autem si ex pravo animo vellet illam pessimam consuetudinem in se retinere. Tambur. *d.* §. 5. *per totum.*

16. *Quær.* An peccet, qui exigit juramentum ab eo, quem scit esse pejeraturum? *Resp.* Si exigatur juramentum absque causa, & absque necessitate, peccat mortaliter, quia dat ansam pejerandi proximo suo: At si ex causa, puta juris sui tuendi, vel ex officio; ut in Judice, qui reum constituendo, dat ei juramentum, non peccat; quia justa causa excusat à culpa. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 98. *art.* 4. Suarez *de Relig. tomo* 2. *lib.* 3. *De Juram. cap.* 14. Sanchez *in Decal. cap.* 8. *n.* 8. & Tambur. *dict. tract. lib.* 3. *cap.* 1. §. 6. *num.* 1. & 2.

17. *Quær.* An peccet ille, qui inducit aliquem ad jurandum falsum, etsi ipse jurans credat esse verum, quod jurat? *Resp.* Peccare mortaliter; quia, non obstante bona fide jurantis, facit, quòd Deus vocetur in testimonium falsitatis, Bonacin. *De Juram. tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 11. ubi DD. Tamburin. *dict.* §. 6. *num.* 3. ubi exemplis comprobat hanc doctrinam; videlicet, de eo qui provocat ebrium ad contumelias in parentes, vel qui inducit infantem ad blasphemandum, vel conculcandum imaginem; vel qui servum credentem non esse diem festum, facit laborare; nam non peccabit quidem ipse ebrius, ipse infans, ipse servus; sed utique mortaliter peccabit ille, qui eos inducit ad patranda illa opera peccaminosa, ut latè explicat Castropal. *tom.* 1. *disp.* 1. *de legib. punct.* 24. §. 2. & ipse Tambur. *d.* §. 7. qui *num.* 7. videtur recedere à priori opinione, & defendere, quòd qui inducit ad jurandum falsum illum hominem, qui credit jurare verum, non peccet; quia sic jurans exercet actum Religionis, & sic rem bonam; quod dici non potest in exemplis supra relatis de contumeliis, blasphemiis, & inhonoratione festi; ob quam differentiam, etiam Hurtadus, & Tancreda tenent esse licitum sic inducere, quos sequitur Diana *par.* 5. *tract.* 7. *resol.* 14. Quæ in Coordinato est *tom.* 7. *tract.* 5. *resol.* 58. Sed horum opinionem non approbat Cardin. de Lugo *tom.* 2. *de Justit. disp.* 39. *sect.* 3. *à num.* 31. Quare standum est primæ opinioni, quòd non liceat sic inducere, & quòd inducens peccet.

18. *Quær.* An peccet mortaliter, qui dubitans de certitudine rei, jurat eam esse certam? *Resp.* Affirmativè, quia se exponit voluntario periculo falsitatis. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 1. ubi probat certitudinem à parte rei esse sumendam moraliter, & juxta communem usum loquendi, non autem mathematicè; ut si Parochus fidem juratam faciat, quòd Clericus integro anno, & totis diebus festivis frequentaverit Doctrinam Christianam, quamvis per aliquot vices ad eam non fuerit.

19. *Quær.* An sint judicanda falsa juramenta hyperbolicè prolata, utpotè ego profitebor tibi obligationem infinitam? Juro Petrum pollere divitiis infinitis? Matervè juret, se filio inobedienti esse caput fracturam, vel baculo percussuram? *Resp.* Non esse judicanda falsa, si in re jurata aliquis etsi modicus excessus interveniat; nam qui hyperbolicè loquuntur, non juxta strictam verborum significationem, sed moralem tantùm intelliguntur. Tamburin. *d. lib.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 4. & 5.

20. *Quær.*

20. *Quær.* An liceat jurare tanquam verum, & certum, quod quis tantummodo scit ex probabilitate, & verisimilitudine? *Resp.* Negativè, quia ad reverentiam juramenti, ultra probabilitatem requiritur saltem moralis certitudo veritatis. Tambur. *ubi supra num.* 6. puta si quis audivisset illam à viro probo; quod est intelligendum extra judicium; nam in Judicio qui scit rem aliquam ex solo auditu alieno non potest asserere, eam esse veram, & certam. Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 13.

21. *Quær.* An creditor centum aureorum, ad convincendum debitorem suum injustè negantem debitum, possit inducere duos testes ad testificandum debitum illud esse verum, cùm verè verum sit? *Resp.* Non posse; & si illi jurarent, mortaliter peccarent in Judicio, ubi requiritur à Judice, ut jurent de certa scientia, non autem de credulitate. Tamburin. *d. lib.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 10. & 11. ubi subdit, quòd si bona fide ita juràssent, nullam culpam commisissent, & ad nullam restitutionem essent obnoxii; quòd si priùs admoniti, ne jurent, juràssent, peccati mortalis rei essent ob violatam veritatem, & fidem judiciis debitam; sed non tenerentur restituere; cùm nihil operati essent contra commutativam Justitiam in damnum iniqui debitoris; quod placet etiam Cardin. de Lugo *ubi supra*, & Navar. *in Man. cap.* 25. *num.* 41.

22. *Quær.* An in juramento jocoso requiratur in jurante certitudo veritatis? *Resp.* Affirmativè, quia etsi ex joco, tamen juramentum est, & in eo debet esse Veritas. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 12. *qu.* 4.

23. *Quær.* An peccet mortaliter, qui promittit aliquid cum juramento sine animo adimplendi? *Resp.* Affirmativè, quia deficit Veritas, ex quo defectu graviter Deus offenditur, & religio violatur; & ulteriùs damnum proximi resultat; & sic læditur Justitia. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 8. *num.* 42. Tamburin. *d. lib.* 3. *in Dec. cap.* 3. §. 2. *n.* 1.

24. *Quær.* An, qui jurejurando aliquid promittit, animo tamen non se obligandi, adstringatur juramento? *Resp.* In foro conscientiæ non adstringi; quia, cùm noluerint se obligare, coram Deo non est obligatus. At in foro fori est adstrictus, & à Judice compellendus est promissa servare; quia præsumptio stat pro juramento, quòd se voluerit obligare tum ex virtute Religionis, tum ex fide humana. Tamburin. pluribus citatis *d. lib.* 3. *cap.* 3. §. 2. & §. 5. per totum ubi DD.

25. *Quær.* An promissio juratà de re contra Justitiam, vel contra consilia Evangelica obliget ad executionem? *Resp.* Negativè, ea communi ratione, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis. *cap. Quando. De Jurejur.*

26. *Quær.* An jurantes concubini, se cum aliis rem carnalem non habituros, teneantur vi Juramenti ab omni alia copula abstinere? *Resp.* Negativè, quia aliàs juramentum esset vinculum concubinatus, ad cujus manutentionem censetur emissum. Fagund. *in Præcept. Decalog lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 19.

27. *Quær.* Quale peccatum sit, non adimplere promissum sub juramento? *Resp.* Si promissum sit de re gravi, esse mortale; nam & Religio erga Deum graviter læditur, & Justitia proximi. Si verò sit de re levi; alii sentiunt esse mortale; alii tenent, esse tantùm veniale; quia Deus vocatus fuit in testem sinceræ voluntatis promittentis ab initio; non etiam executionis in adimplendo; & ideò jurans non adimplens non dicitur mendax coram Deo, sed infidus erga proximum. Ita Tambur. alios referens DD. *d. lib.* 3. *cap.* 3. §. 3. *num.* 4.

28. *Quær.* An sint exequenda juramenta promissoria de re injusta? *Resp.* Negativè; & quidem sub pœna peccati mortalis, si res injusta sit gravis; venialis autem, si sit levis. Tambur. *d.* §. 3. *num.* 5. & *num.* 9. & 10.

29. *Quær.* An peccent Domini, vel Magistri, qui juraruntverberare pueros; aut viri nobiles, se nolle esse primos in ingressu, vel egressu domus; quando non servant id, quod jurarunt? *Resp.* Non peccare, si excusatio aliqua superveniat, puta humiliatio, vel emendatio puerorum, supplicatio amici, & similia; prout etiam in nobilibus viris mutua remissio juramenti, præterquàm quod censentur jurare absque animo se obligandi. Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 9. *à num.* 16. Gobat. *in Opuscul. de Juramento num.* 528. & Tambur. *ubi supra.*

30. *Quær.* An Juramenta promissoria soli Deo facta obligent? *Resp.* Affirmativè; dummodo, adinstar voti, sint de re licita, & honesta (non indifferenti tantùm) & non impeditiva majoris boni. Ideò, si promisisti jejunare, & jejunium impediat tibi conversionem animarum, non teneris jejunare. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 3. §. 3. *num.* 7. & 8.

31. *Quær.* Quale peccatum sit, promittere Deo cum Juramento rem impossibilem? *Resp.* Esse mortale, si advertenter quis juret, nam videtur Deum irridere; veniale autem, si inadvertenter, & absque Judicio. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 7. Sanchez *in Dec. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 4. Tamburin. *d.* §. 3. *num.* 10.

32. *Quær.* An Juramenta promissoria de re indifferenti facta hominibus sint obligatoria? *Resp.* Affirmativè, & hæc est differentia inter juramentum promissorium factum homini, & Votum factum Deo, quia votum de re indifferenti non valet, quoniam non respicit obsequium Dei; sed promissio jurata facta homini de re indifferenti valet, & obligat ex eo, quod potest esse grata, & utilis ipsi homini. Hinc, qui juravit Deo, ducere in Uxorem Margaritam, potest vovere, & servare castitatem, posthabito Juramento, ne sit impeditivum majoris boni; at si juravit ipsi Margaritæ, eam ducere in Uxorem, non potest ampliùs vovere castitatem, sed tenetur eam ducere pro Juramento servando; quòd semper servari, & adimpleri debet, quando ejus inobser-

van-

vantia eſſet peccatum. Sanchez *in Decal. lib.* 3. *cap.* 3. §. 3. *num.* 11. *&* 12.

33. *Quær.* An ſit adimplenda promiſſio jurata facta e. g. dictæ puellæ Margaritæ de eâ ducenda, ſi ipſa non acceptavit promiſſionem? *Reſp.* Cum diſtinctione: Vel Juramentum fuit Deo factum, & in ejus honorem; & eſt adimplenda ob virtutem Religionis, quia cenſetur à Deo promiſſio acceptata. Sanchez, & Tamburin. *ubi ſupra.* At ſi quis promiſit jurando, reſpexit tamen ad ipſam puellam, non tenetur adimplere, ea ratione promiſſio non acceptata non obligat. Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *diſp.* 7. *num.* 24. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 32. & Juramentum ſequitur naturam Actus, cui adnectitur. Tambur. *d. cap.* 3. §. 3. *num.* 13. *&* §. 4. *num.* 3.

34. *Quær.* An Juramenta promiſſoria hominibus facta vel de famulatu ſervando, vel de Matrimonio ineundo, poſſint poſthaberi, & non obſervari, ad effectum ut promiſſor poſſit ingredi Religionem, & fieri Religioſus? *Reſp.* Cum diſtinctione. Si promiſſio jurata fuit ex mera liberalitate, non obligat; ſed poteſt eam poſthabere, & ingredi Religionem; eſt enim privilegium hoc in jure, ut etiam poſt contractum Matrimonium, & non conſummatum intra bimeſtre liceat recedere, & Religionem ingredi. *cap. Ex publico. De Converſ. Conjugator.* At ſi promiſſio jurata fuit ex juſtitia, puta quia defloraverat puellam, vel pecuniam à Domino, ut ei famularetur, accepit: in hoc caſu tenetur exequi juramentum, & abſtinere à Religione; nam prævalet obligatio juſtitiæ. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 3. §. 3. *num.* 14. *&* 15. ubi *num.* 16. ſubdit, quòd dicta jurata promiſſio liberalis non eſſet obſervanda, ſi jurans vellet ſuſcipere ordines ſacros, excepta promiſſione Jurata futuri Matrimonii: quia ab hujus implemento non liberat, niſi realis Religionis ingreſſus.

35. *Quær.* Qualis interpretatio ſit facienda, ubi dubitare contingat de intelligentia, obſervantia, vel executione Juramentorum? *Reſp.* Quando conſtat de mente Jurantis, & de intentione, quam habuit in promiſſorio Juramento, non eſt opus interpretatione; ſed ad amuſſim eſt adimplendum Juramentum. Porrò ubi dubitare contingat, vel circa intentionem, quam habuit Jurans, vel circa verba dubia ipſius Jurantis, tunc dantur tres Regulæ.

Prima Regula eſt: Servata proprietate verborum ea debet fieri interpretatio, quæ minùs obliget ipſum jurantem; nam præſumitur, voluiſſe minùs lædere ſuam libertatem. Hinc qui juravit ingredi Religionem in genere, poteſt minùs ſtrictam ingredi; vel ſi alicui ſervire, ſufficit, ſi per aliquot dies ſerviat; vel ſi dare eleemoſynam, poteſt minimam tantùm elargiri. Tamburin. *d. lib.* 3. *cap.* 3. §. 4. *num.* 2. Layman. *libr.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 4.

Secunda Regula. Juramentum eſt ſemper reſtringendum juxta naturam actus, ſuper quem cadit, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis; nec jurans præſumitur, alio modo ſe obligare voluiſſe. Quare omnes reſtrictiones vel conditiones, quas de jure, vel conſuetudine habet promiſſio, eaſdem omnes habet juramentum illi adhærens. Hæ autem ſolent eſſe quatuor. Prima, ſi potuero de jure, vel de facto; nam ad impoſſibile, vel ad turpia nemo tenetur. Secunda, ſi Superior legitimè non contradicat. Tertia, ſi res non fuerint notabiliter mutatæ. Quarta, ſi promiſſio fuerit acceptata, vel non remiſſa à parte. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 22. & Tamburin. *d. lib.* 3. *cap.* 3. §. 4. *à num.* 3. *& ſeqq.* ubi plura ponit exempla; quorum illud, quòd ſi Clericus juravit reſidentiam, poteſt non reſidere in caſibus à jure conceſſis; nempè in Congregatione Parochorum Paduæ, in qua reſidentia non eſt præciſa, ſed conditionata, & cauſativa ad lucrandas partes, & diſtributiones ejusdem Congregationis. Item exemplificat de eo, qui juravit ducere ſponſam, nam ſi fornicata ſit, vel infirmitate moleſta afficiatur, aut reperiat non habere tantam dotem, non tenetur adimplere juramentum. Item qui juravit, non nocere inimico, ſi is novam cauſam inimicitiæ dedit, jurans eſt abſolutus à ſuo juramento. Gobat *in d. Opuſc. de Juramento à num.* 495. *uſque ad num.* 500.

Tertia Regula: Juramentum nunquam cenſetur factum in præjudicium tertii, quia ſic eſſet illicitum. *Cap. Venientes. cap. Cum contingat. De Jurejur. cap.* 2. *eod. in* 6. Hinc qui juravit, alicui ſecretum ſe ſervaturum, ſi ex ſecreto penderet malum alteri, poteſt ei revelare, absque tamen nocumento primi. Qui juravit peregrinationem, poteſt deſiſtere, ſi ex ea magnum reſultet præjudicium familiæ; ut latiùs Tambur. *d. cap.* 3. §. 4. *num.* 7. *&* 8.

36. *Quær.* An obligent Juramenta promiſſoria in actibus à lege prohibitis? *Reſp.* Non obligare; ideò, qui ex metu contraxit Matrimonium cum juramento, vel Profeſſionem fecit, non obligatur. *cap.* 2. *De eo, qui duxit.* Et ſi Novitius renunciationi bonorum per ſe factæ contra formam à Tridentino Concilio *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regul.* juramentum adjiciat, non adſtringitur. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 3. §. 5. *num.* 2.

37. *Quær.* An ſit obligatorium juramentum extortum à latrone dandi ei pecuniam, vel ab Uſurario ſolvendi ei uſuras ex mutuo? *Reſp.* Eſſe obligatorium ob religionem, & reverentiam erga Deum, qui vocatus fuit in teſtem; nam etſi latro, & Uſurarius recipere non poſſint absque peccato; qui juravit, dare poteſt ſine peccato. Layman. *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 7. *num.* 1. Verum tamen eſt, quòd ſic ſolventi competit Jus petendi relaxationem juramenti, & repetitionem ſoluti. Tambur. *d. cap.* 3. §. 5. *num.* 6.

38. *Quær.* An ille, qui caſtitatem vovit, vel juravit, deinde promittit cum juramento, ſe ducturum in Uxorem Franciſcam, obligetur eam ducere? *Reſp.* Non obligari, quia ob præcedens votum, vel juramentum, hæc eſt materia mala, & jurans peccavit. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de Juram. cap.* 19. *num.* 10. Tambur. *d.* §. 5. *num.* 7.

39. *Quær.* An qui contraxit sponsalia cum una absque juramento; deinde contrahit sponsalia jurata cum alia, teneatur adimplere juramentum? *Resp.* Negativè, quia juramentum est invalidum, tanquam factum de re injusta. Sanch. *de Matrim. lib.* 10. *disput.* 50.

40. *Quær.* An saltem ille teneatur ducere secundam, si prima voluntariè remittat sua sponsalia? *Resp.* Non teneri, quia quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit; & cùm ab initio secunda sponsalia fuerint invalida, non reconvalescunt per remissionem, quam facit prima sponsa. Sanch. *de Matrim. lib.* 1. *disp.* 50. Tamburin. *d. cap.* 3. §. 5. *num.* 8. ubi subdit, quòd si post dictam remissionem renovetur promissio cum secunda, in hoc casu valebit.

41. *Quær.* An dispositiones factæ contra prius juramentum sint validæ? Ut exempli gratia, si quis juravit non vendere suum equum, & vendat, alteriquè tradat? Vel non mutaturum testamentum, & mutet? vel non ducturum aliam in Uxorem, & aliam ducat? *Resp.* Has secundas dispositiones, contra præcedens Juramentum factas esse quidem illicitas, & continere perjurium; nihilominùs esse validas, quia juramentum non inhabilitat jurantem, ita, ut non possit facere actum, quem validè antea agere poterat. Tamburin. *d. lib.* 3. *cap.* 3. § 5. *num.* 9. & 10. Ubi notat ly *Quam validè agere poterat*: quia si jurasset alteri non vendere equum, quem tibi vendiderat, & tradiderat; si de facto alteri vendat, secunda venditio est non solùm illicita, sed invalida; quia equus non est ampliùs in sua potestate, & nulliter etiam sine præcedenti iuramento vendidisset alteri. Similiter si quis iuraverit non alienare fundum dotalem, & illum alienet postea absque debitis solemnitatibus, venditio illa erit illicita, & invalida; quia non est in eius potestate dotalem fundum vendere.

42. *Quær.* An teneatur ad aliquid, qui non servat iuramentum factum in favorem tertii? *Resp.* Teneri ad resarcienda omnia damna provenientia illi tertio ob violatum iuramentum. Tambur. *d.* §. 5. *num.* 11.

43. An sint valida sponsalia contracta per metum gravem, si iis addatur iuramentum? *Resp.* Negativè; & ideò, qui iuravit, non tenetur contrahere cum illa sponsa, neque petere relaxationem iuramenti, cùm ex nullitate consensus, cui fuit superadditum, non obligaverit. Tamburin. *d. lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. §. 5. *num.* 12. 13. 14. ubi tamen subdit, quòd si metus fuisset levis, iuramentum obligaret; sed posset Episcopus in foro interno dictam obligationem iuratoriam relaxare.

44. *Quær.* An Juramentum de accusando, vel è contra de nunquam accusando obliget? *Resp.* Obligare, donec & quousque illius observantia non causet aliquod grave malum, vel peccatum. Sanch. *lib.* 3. *in Dec. cap.* 21. *num.* 12. Tambur. *d.* §. 5. *num.* 15. & 16. ubi notat, iuramenta matris accusandi filium Patri, non esse obligatoria, si filium videat pœnitere, vel emendari. Gobat. *d. Opuscul. de Juram. num.* 528.

45. *Quær.* An valeat iurata promissio dandi mille aureos meretrici ad fornicandum? *Resp.* Ante fornicationem non valere, imò adimpleri non posse absque peccato. At post fornicationem, communis opinio est, quòd valeat, & sit obligatus illos solvere, quia licèt finis fuerit peccaminosus, donatio tamen est licita; nisi forte in parte retractanda ob excessum; quod tamen DD. plurimi non admittunt, sed volunt, esse de iustitia solvendam integrè. Sanch. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 9. *num.* 18. Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 4. *de Juram. quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 3. Tambur. *d.* §. 5. *num.* 17. & 18. qui vult, ob prodigalitatem non esse in toto solvendam, quia prodigalitas est res mala, ad quam iuramentum non obligat.

46. *Quær.* An iuramentum vel per errorem, vel per dolum extortum obliget iurantem? *Resp.* Negativè, si error, vel dolus versetur in substantia, quæ dedit causam iuramento; secus si in accidentalibus tantùm, quamvis in hoc casu possit peti juramenti relaxatio; ratio prioris est, quia ubi est error, nullus est consensus. Ita Laym. *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 7. Tambur. *d.* §. 5. *num.* 21. 22. & 23. ubi exemplificat de eo, qui juravit ducere puellam in Uxorem, credens, eam esse Virginem, quam violatam reperit; vel qui juravit emere gemmam, credens veram, & sit vitrea, & de similibus.

47. *Quær.* An juramenta de rebus indifferentibus sint aliquando obligatoria? *Resp.* Affirmativè, quando scilicet facta sunt ob aliquem bonum finem spiritualem; & nullum damnum causant tertio. Tambur. *d.* §. 5. *num.* 28.

48. *Quær.* An qui promisit cum juramento redire ad carcerem, teneatur redire? *Resp.* Affirmativè etiam cum discrimine vitæ, si carcer sit justus, justaque sententia; nam juramentum tunc est de re virtuosa. At si carcer sit injustus; quod non teneatur redire, tenet Vasquez, & alii apud Castropal. *tom.* 3. *tract.* 14. *disp.* 2. *punct.* 4. *num.* 14. ea ratione, quia temerarium est offerre se morti injustæ, & juramentum de re temeraria non obligat. Porrò, quòd teneatur redire, quia licet etiam injustæ morti se offerre ad servandam fidelitatem, & veritatem juramenti, docent Suarez, & Layman, quos allegat Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 3. §. 5. *num.* 31. dicens, priorem opinionem probabiliorem esse, hanc posteriorem probabilem; & quòd in hoc casu Episcopus posset relaxare tale juramentum, & tandem, quòd si ante reditum ad carcerem, mutatæ sint circumstantiæ in aliqua re notabili, cessat obligatio juramenti, & non tenetur redire. Gobat. *d. Opuscul. de Juram. num.* 511. De reditu faciendo ad carcerem juxta juramentum est pulchrum exemplum M. Attilii Reguli Romani carcerati à Carthaginensibus, à quibus dimissus Romam ad concordandam commutationem carceratorum, cùm Senatus recusasset eam facere, reversus est Carthaginem ad carcerem

carcerem, prout facere juraverat. Ita in libello *Mente del Savio, pag.* 16.

49. *Quær.* An creditor aureorum centum, cùm viderit debitorem suum difficilem in solvendo, petieritque, & obtinuerit ab eo alios centum aureos mutuò cum juramento de restituendis intra mensem, possit negare restitutionem priori suo debitori, & secum uti compensatione? *Resp.* Affirmativè, quia non est perjurus, qui legitimè præpeditur implere promissa. *l. fin. ff. Qui satis dare cogantur.* At iste creditor legitimè impeditur restituere pecuniam suo debitori, à quo tantumdem sibi debitum non potest exigere; quòd ex Juristarum, & Canonistarum auctoritate probat Tambur. *d.* §. 5. *num.* 35.

50. *Quær.* An obliget juramentum factum contra legem? *Resp.* Cum distinctione. Si contra legem Ecclesiasticam factum sit, minimè obligat. Si verò contra legem Civilem, subdistingue: Vel lex Civilis tendit ad publicum bonum, & est universalis, & neque tunc juramentum contrarium obligat, quia saltem veniale est, facere contra dictam legem. Vel ipsa lex concernit commodum privatarum personarum; & tunc juramentum obligat, quia lex censetur permittere, ut privati possint privilegio suo renunciare. Ita Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 9. *num.* 29.

Sed contrarium docet Castropal. *tract.* 3. *de Juram. disp.* 2. *punct.* 8. *num.* 6. quem citat Tamburin. *d.* §. 5. *num.* 41. ex eo, quia interest Reipublicæ, ut omnes leges serventur; quare hi DD. dant hanc aliam regulam, videlicet, aut lex jubet, aut vetat? & non valet juramentum promissorium contra eam emissum. Vel permittit, & concedit; & contra hanc juratoria promissio sustinetur. Hinc, si alienetur fundus dotalis, pro executione juramenti, alienatio non valet; nam lex prohibet talem alienationem; at si alienans jurat, se non repetere fundum dotalem alienatum, juramentum obligat, quia ita lex permittit. Tambur. *dict. lib.* 3. *in Decal. cap.* 3. §. 5. *num.* 42. ubi dat alia exempla, & *num.* 47. notat, in his casibus semper tutius esse, petere relaxationem juramenti.

51. *Quær.* Quid sentiendum de juramentis fieri solitis à venditoribus, vel emptoribus, se non esse daturos plus, vel vendituros minori pretio? *Resp.* Talia juramenta non obligare, tum, quia vel sunt inutilia; vel, si utilitatem propriam respiciunt, potest, qui fecit, sibi ipsi illam remittere. Castropal. *tom.* 3. *tract.* 14. *disp.* 2. *punct.* 7. §. 2. *num.* 4. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *de Juram. quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 3. Nisi illa jurata promissio faveret tertiæ personæ, à qua esset acceptata; quia tunc resilire ab eodem non posset. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 3. §. 5. *num.* 49. & Gobat. *d. Opusculo de Juramento num.* 529.

52. *Quær.* An, qui juravit Statuta, vel Constitutiones servare, teneatur ad juramentum, si contraria sit consuetudo? *Resp.* Non teneri, quia intelligendum est juramentum de statutis in viridi observantia existentibus. Gobat. *ibid. n.* 650. At, si statuta sint confirmata à Superiore, & jurata à capitularibus, sunt omninò ab eis servanda. Felin. *in cap. Cùm accessissent, num.* 13. *de Constit.* Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 76. *num.* 6. Porrò Canonici Paduani, qui jurant servare statuta, & consuetudines illius Capituli, non sunt obligati, nisi ad consuetudines scriptas in volumine Statutorum; ut decisum est *in eodem volum. ad Statut.* 42.

53. *Quær.* An Alumnus Seminarii, qui juravit Clericalem vitam se facturum, possit ingredi Religionem? *Resp.* Affirmativè, tanquam magis perfectam vitam, nisi ob bonum publicum id eis prohibeatur, ut fit Alumnis Collegii Anglicani Romæ ex Pellizzar. Layman. & aliis apud Tambur. *d.* §. 5. *num.* 55.

54. *Quær.* Quid sentiendum de juramentis non ludendi? *Resp.* Circa hæc dantur tres Regulæ. Prima est, si jurans non distinxit de ludo moderato, vel immoderato? & poterit ludere ludo moderato; quia omnis obligatio interpretatur semper in minorem partem. *l. Quidquid adstringendæ ff. de Verb. obligat.*

Secunda regula, si juravit abstinere tam ab immoderato, quàm à moderato ludo; tenetur omninò abstinere, licèt enim moderatus ludus videatur spectare ad virtutem Eutropeliæ S. Thom. 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. nihilominùs ob mortificationem abstinere, est major virtus, prout abstinentia à cibo, à conversationibus, & similibus, ut ait Castropal. apud Tambur. *dict.* §. 5. *num.* 58.

Tertia Regula; juramentum non ludendi in tali loco, vel cum tali persona, si fuit ob vindictam, vel absque aliquo fine honesto, non obligat; est enim de re indifferenti; at obligabit, si ob aliquem bonum finem, puta evitandi rixas, vel pecunias non consummandi, fuerit juramentum emissum. Navar. & Bonacin. penès Tambur. *d.* §. 5. *num.* 61. Gobat. *d. Opusc. de Juram. num.* 524. *& seqq.*

55. *Quær.* An, qui juravit non ludere, possit per intermediam personam ludere? *Resp.* Affirmativè, etiamsi stet præsens, nisi in suo juramento hoc etiam inclusisset. Castropal. & Tambur. *d.* §. 5. *num.* 62.

56. *Quær.* An, qui non ludere juravit, possit alieno nomine, alienisve pecuniis ludere? *Resp.* Metiendum esse ex intentione, qua juravit non ludere. Quia, si id nescit, ne tereret tempus, vel jurgia haberet, non potest. Si verò, ne consumeret pecuniam suam, poterit. Tambur. *d. lib.* 3. *in Decal. cap.* 3. §. 5. *num.* 63.

57. *Quær.* Si Filius promisisset, & jurasset Patri eunti Romam, se non lusurum aleis, donec ipse rediret Roma; si pater Romæ moriatur, poteritne Filius ludere? *Resp.* Negativè secundùm Bonacinam *tom.* 2. *disp.* 4. *de Jur. punct.* 16. *num.* 8. Sed affirmativè secundùm Tamburin. *dict. lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. §. 5. *num.* 64. quia non ad litteram est intelligendum juramentum Filii, sed secundùm mentem, qua juravit; quæ fuit, non ludendi per tantum tempus, quantum

tum intercesſit, ſi Pater vivens expeditus à negotiis reverteretur in Patriam.

58. *Quær.* An ille, cui inſignis Medicus revelavit ſecretum medicamentum contra malignas febres, exacto priùs juramento non manifeſtandi illud, niſi uni ex ſuis conſanguineis, poſſit, non obſtante juramento, illud manifeſtare? *Reſp.* Quòd poſſit, arbitrati ſunt Fagund. *lib. 2. in Decal. cap. 1. 4. num. 17.* & Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. de Jur. cap. 17. num. 11.* ea ratione, quia celare illud videtur eſſe contra bonum publicum, & charitatem proximi, & ſic juramentum non obligare. At Tambur. *dict. x. 5. num. 65.* & Gobat. *d. Opuſ. de Juram. num. 555.* putant obligare, tum, quia ille unus, cui revelabitur ſecretum, poterit ſufficienter ſuccurrere proximo indigenti; tum etiam, quia extant alia remedia pro febribus, quibus uti poſſunt infirmi.

59. An ſint obligatoria juramenta de non mutando, vel fide jubendo? *Reſp.* Non eſſe obligatoria, quia ſunt contra proximi charitatem. Suarez *dict. cap. 17. num. 12.* & Sanchez *in Decal. lib. 4. cap. 8. num. 18.* At ſi fiant in gratiam filiorum, vel ad effugiendas occaſiones blasphemandi, aut ad faciendas copioſiores eleemoſynas, habent vim obligandi, quia ſunt de re grata Deo. Tambur. *dict. §. 5. num. 66.* & Gobat. *dict. Opuſc. de Juram. num. 521.*

60. *Quær.* An obliget juramentum factum de mutuando omnibus petentibus? *Reſp.* Obligare, quia cenſetur factum in laudem Dei, & ob charitatem proximi; ceſſaret autem obligatio, ſi nimium detrimentum ipſi Juranti reſultaret, quia talis caſus non cenſetur incluſus. Tamburin. *dict. lib. 3. in Decalog. cap. 3. §. 5. num. 69.*

61. *Quær.* An, qui juravit mutuare, vel dare eleemoſynam pauperi, poſſit expectare, donec ſibi petatur? *Reſp.* Niſi intellexit ſtatim dare, poſſe mutuum differre, quousque ſibi petatur, eleemoſynam verò debet illam ſtatim facere, niſi voluerit eſſe dandam petentibus. Tambur. *d. §. 5. num. 70.*

62. *Quær.* An juramentum poſitum in contractu invalido confirmet ipſum contractum? *Reſp.* Eſſe difficultatem magnam de hoc inter Theologos; quare alii ſentiunt, non confirmare, ita, ut habita relaxatione, juramenti contractus ſit reſcindendus; quia obſtabat tantùm Religio in Deum ob juramentum, non autem jus validitatis, & juſtitiæ acquiſitum parti. DD. apud Sanchez *in Decal. dict. lib. 3. cap. 12. num. 4. & 8.* Alii autem docent, ferè omnes contractus juramento adeò confirmari, ut, licèt ex ſe invalidi forent, ob juramentum ſint irreſcindibiles; & ſunt omnes illi contractus, in quorum ſtipulatione, & adimplemento non intrat peccatum. Tamburin. DD. allegans *dict. lib. 3. in Decalog. cap. 3 §. 6. num. 4. & 5.* qui huic ſententiæ non acquieſcit, ſed primam dicit probabiliorem; nimis enim videtur durum, quòd fœminæ, vel minores jurantes ſuper validitate alienationum, quas cum ſui detrimento faciunt, non poſſint, poſt obtentam relaxationem juramenti à Prælato, agere ad reſciſſionem contractus; nam ſemper eſt firma illa ratio, quòd juramentum non confirmat contractus invalidos, neque cauſat obligationem ex Juſtitia, ſed tantùm ex Religione, ob obſequium erga Deum vocatum in teſtem. Tamburin. *ibid. num. 7. & 8.*

63. *Quær.* An juramentum Teſtatoris obliget hæredem? *Reſp.* Non obligare, ſi ſoli Deo juravit Teſtator, ſe aliquid facturum, vel daturum. Secùs autem, ſi juravit perſonæ alicui, à qua ſit acceptata jurata promiſſio, de re tamen juſta, Tamburin. *d. lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 6. num. 2. & 3.* ubi *num. 4.* advertit, quòd, ſi Teſtator juraſſet dare eleemoſynam, vel opus pium facere, tenetur hæres adimplere; non vi illius Juramenti, vel Voti; ſed quia Jus Canonicum, & Civile ſic illum obligat, nec alio modo ſinit eum adire hæreditatem. *cap. Licet de Voto cap. Si hæres ad Teſtam. cap. Ex parte, de Cenſib. & l. 2. ff. de Pollicit.*

64. *Quær.* An jurata promiſſio tibi facta, & à te acceptata tranſeat ad hæredem tuum? *Reſp.* Affirmativè, quia parit actionem, & omnis actio tranſit ad hæredes. Tambur. *d. §. 6. in fine.*

65. *Quær.* An ſit peccatum, jurare per falſos Deos, ut per Deum Bacchum? *Reſp.* Eſſe peccatum graviſſimum blasphemiæ, niſi joci cauſa ſic juretur. Gobat. *in Opuſcul. de Blaſphemia num. 722.* ſemper tamen ſunt objurgandi ſic jurantes, & ab hac ſcandaloſa locutione retrahendi.

CAPUT XXXVIII.

De Amphibologia, & Æquivocatione in Juramentis.

1. *Quær.* An in juramentis ſit licitum uti æquivocatione, & amphibologia, vel reſtrictione mentali, ad occultandam veritatem interroganti absque peccato? *Reſp.* Ad hæc usque tempora communem fuiſſe Neotericorum, & Caſiſtarum doctrinam, quòd juſta ſuſiſtente causa evitandi aliquod periculum, vel incommodum, licitæ eſſent amphibologiæ, & æquivocationes, etiam cum juramento tam in Judicio, quàm extra Judicium, quia per reſtrictionem mentalem ſalva erat Veritas, neque incurrebat mendacium, qui ſic jurabat; ſive eſſet contrahens, ſive teſtis coram Judice, ſive Reus, ut refert Tamburin. (qui plurimos DD. allegat) *dict. lib. 3. in Decalog. cap. 4. num. 1. 2. & 3.* & pluries docuit Diana; videlicet in Opere ſuo Coord. *tom. 5. tract. 7. reſolut. 14. num. 3. & tom. 6. tract. 1. reſol. 100. 101. & 102. & tom. 8. tract. 4. reſol. 64.* ubi ponit plurima exempla, & caſus reſponſionum amphibologicarum, & æquivocationum, collectos ex propriis Auctoribus; quos repetit etiam Coton. *in ſuis Controverſ. lib. 1. Controv. 11. num. 17.* & Gobat. *d. Opuſc. num. 596. & ſeq.*

At in præſenti non eſt ampliùs deferendum dictis Doctoribus, & eorum Auctoritati, ac doctrinæ, cùm à Sanctiſs D. N. Innocentio

nocentio XI. fuerint damnatæ Propositiones tres circa prædictas amphibologias, & æquivocationes, ac restrictiones mentales; quæ sunt sequentes, decerptæ ex libello earundem condemnatarum Propositionum 26. 27. & 28.

Prima est: *Si quis vel solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus. Est la 26.*

Secunda est: *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut Veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. Est la 27.*

Tertia est: *Qui mediante Commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, potest cum restrictione mentali præstare Juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi; non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenentur fateri occultum. Est la 28.*

2. *Quær.* Quid igitur hisce temporibus tenendum, docendum, practicandumve sit in hac materia Amphibologiæ, & Æquivocationum? *Resp.* Esse distinguendum; nam vel de ipsis quærimus prolatis extrajudicialiter, vel in Judicio.

Si extrajudicialiter, Regula sit: non esse amplius utendum Amphibologiis, Æquivocationibus, aut restrictionibus mentis, tam sine juramento, quia sunt mendacia; quàm cum juramento, quia sunt perjuria, attentis Propositionibus 26. 27. 28. damnatis per Sanctis. D. N. Innocentium Papam Undecimum *die* 4. *Martii* 1679. supra transcriptis.

Porrò limitanda est hæc regula, & intelligenda solùm de Amphibologiis, & Æquivocationibus in Mentis restrictione; videlicet, quando asserens aliquid, vel jurans intelligit intra se, & in mente sua aliquid aliud ad faciendam rem veram, cujus restrictionis, & additionis mentalis audiens nullo modo potest esse capax; nam hoc pacto violatur sinceritas commercii humani, quia nemo certus esse potest, rem ita esse, prout eam audit, si concederetur, aliter posse dici exteriùs, & aliud intendi interiùs, à proferente, seu loquente. Emin. Card. de Lauræa *tom.* 2. *in* 3. *sent. de Virtutibus in genere disp.* 25. *à num.* 110. *& seqq.*

At Amphibologiæ fundatæ in proprietate vocabuli, seu sermonis habentis ex communi usu duplicem significationem: eam scilicet, quam sumit audiens; & eam, quam intelligit, qui loquitur, non censentur damnatæ, neque prohibitæ; si nulli præjudicium faciant. Ita ex Turrecremata, Cajetano, Soto, & aliis concedit Fagnanus, qui fuit acerrimus impugnator amphibologiarum, & æquivocationum, *in cap. Falsidicum num.* 147. 148. *de Crimine falsi tom.* 6. *pag.* 310. ubi exemplificat de Sancto Francisco, qui positis manibus intra manicas Vestis dixit latroni exquirenti, num per illam viam certa persona transisset; Nullus hac transivit; & idem docet Navar. *in Manual. cap.* 12. *num.* 8. *& in cap. Humanæ aures* 22. *quæst.* 5. *in secunda quæst. n.* 10 & plenè Eminent. Cardin. de Lauræa *dict. disp.* 25. *num.* 112. *&* 113. ubi examinat exempla Abrahami, dum dixit Pharaoni, quòd Sara ejus Uxor erat Soror sua. *Genes.* 20. 2. Angeli Raphaëlis, qui dixit Tobiæ, quòd erat *Azarias Ananiæ magni filius. Tob.* 5. 16. ac aliorum ibidem relatorum ad explicationem hujus materiæ, mira quidem eruditione propria tanti Auctoris. Concordat cum supradictis DD. idemque docet, ac licitum esse probat, uti prædictis Amphibologiis, seu Verbis æquivocis, ob aliquam urgentem causam Cardenas *in Crisi Theolog. Dissertat.* 19. *cap.* 4. omninò videndus.

Quòd si loquamur in Judicio; relictis tot, & tantis DD. discursibus, regula est Theologorum, & Juristarum, quòd Reus, & testis tenentur fateri Veritatem & non possunt eam occultare amphibologiis, vel æquivocationibus, quando à legitimo Judice juridice interrogantur; & tunc interrogatio est juridica, quando præcesserunt Accusatio, vel Denunciatio, semiplena probatio saltem, indicia, seu diffamatio de crimine; & quod hæc constent in Processu; & Reus, vel testis certior fiat à Judice. Ita omnium novissimus, sed doctissimus Carolus Pellegrinus *in Praxi Vicarior. part.* 4. *sect.* 9. *à num.* 1. *& seqq.* ubi Canones citat, & DD. antiquos allegat, inter quos S. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. *ad* 3. Quòd si infamia, indicia, & semiplena probatio non existant in processu; & de eis Reus, vel testis non certioretur, non tenentur fateri crimen occultum, neque dicere veritatem, & possunt eam tuta conscientia negare, quia contra Jus naturæ est, ut, qui occultè delictum commisit, se prodat. S. Thom. *dict.* 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. Pellegrin. *dict. par.* 4. *sect.* 9. *num.* 9. Imò etiamsi Reus, vel testis tantummodo dubitet, justènè, vel injustè Judex interroget, non tenetur veritatem fateri, & potest eam negare; ut rejecta opinione contraria docet idem Pellegrinus, rationes allegans *dict. sect.* 9. *num.* 23. & Tambur. *in Decal. lib.* 3. *cap.* 4. §. 3. ubi DD. & ex Scholasticis Eminentiis. Cardinal. de Lauræa *dict. tom.* 2. *in* 3 *sentent. disp.* 23. *art.* 10. per totum *& dict. disp.* 25. *num.* 111. Novissimè Carden. *in Crisi Theologica dict. Dissert.* 19. ubi elucidat materiam æquivocationum, & amphibologiæ diversis exemplis.

CAPUT XXXIX.

De Pœnis Perjurii, & eorum, qui falsò jurant.

1. *Quær.* Quæ, & quot sint pœnæ contra pejerantes, seu falsa juramenta proferentes: *Resp.* Esse sex, quas explicat Thesaur. *in tract. de Pœnis Ecclesiasticis par.* 2. *Verb. Perjurium, cap.* 1.

Prima, est infamia Juris, & irregularitas *cap. Infames 6. quæst. 1.* dummodò tamen sequuta sit sententia declaratoria super Perjurio. Rota coram Seraph. *decis. 1285. in fin.* à qua Irregularitate Episcopus potest dispensare. Tolet. *lib. 1. cap. 62. §. ultim.*

Secunda pœna est, quòd repellitur à perhibendo Testimonio. *cap. Quicunque 6. quæst. 1.*

Tertia est, quòd non admittitur ad jurandum in Litem. Jas. & DD. *in l. Qui juravit, §. ultimo num. 3. ff. de jurejurand.*

Quarta, quòd violans contractum, vel transactionem juratam perdit actionem, & non auditur ampliùs in Judicio. Seraphin. *decis. 1243.*

Quinta, quòd, si est Clericus, privetur beneficiis, vel ipso Jure secundùm aliquos, vel saltem per sententiam. Diaz *in Praxi cap. 95. Vers. Sed privandus.*

Sexta, quòd ipse Clericus Perjurus fit inhabilis ad alia beneficia obtinenda. Clar. *in §. Perjurium. Vers. item Clericus.* Diaz *d. cap. 95.* Seraph. *decis. 128.*

2. *Quær.* In foro Poli an alia sit pœna? *Resp.* Ultra lethale peccatum, frequenter esse obligationem restituendi damna, quando juramentum falsum nocuit proximo; & si Perjurium dictum sit in Judicio, est casus reservatus in hac Diœcesi Patavina, etsi fuerit officiosum; id est, non in damnum alicujus, sed ad favorem inducentis; ut ex pagella casuum reservatorum.

3. *Quær.* An, qui habet consuetudinem pejerandi, teneatur, in confessione se accusare non solùm de perjuriis prolatis, sed etiam de consuetudine? *Resp.* Affirmativè, ut advertit Cardenas *in Crisi Dissert. 37. cap. 2. num. 12.* & ego notavi *de Pœnitent. decis. 27. num. 5.*

CAPUT XL.

De Obligatione à Juramento.

1. *Quær.* Quot, & quibus modis cesset obligatio juramenti? *Resp.* Cessare quatuor modis, nempe Irritatione, Remissione, Dispensatione, sive Relaxatione, & Commutatione.

2. *Quær.* Quis possit irritare juramenta? *Resp.* Omnis Superior ipsius jurantis, nempe Pater, Prælatus, Dominus, Vir respectu suorum subditorum. S. Thom. 2. 2. *quæst. 89. art. 9.* & Tambur. *d. lib. 3. in Decal. cap. 7. §. 1.*

3. *Quær.* Quæ juramenta possint irritari à prædictis Superioribus? *Resp.* Non solùm ea, quæ sunt simpliciter Deo facta; sed etiam illa, quæ hominibus promissa sunt; dummodo sint de rebus subjectis potestati ipsorum Superiorum; & in utroque casu, etiam sine causa possunt ea irritare; & multò magis, si sibi, vel domui suæ aliquod detrimentum afferant. Laym *lib. 3. tract. 3. cap. 11. num. 2.* Tambur. *dict. cap. 7. §. 1. num. 2.*

4. *Quær.* Quis possit remittere obligationem juramenti? *Resp.* Ille, in cujus utilitatem, vel favorem facta fuit promissio jurata. *Cap. 1. de Jurejur. cap. Significavit, de Censib. cap. 1. de Sponsal.*

5. *Quær.* An remitti possit juramentum factum quidem in utilitatem hominis, sed præcipuo motivo honoris Dei? ut, si quis promisisset, & jurasset, dare centum Petro pauperi ob gloriam, vel honorem Dei? *Resp.* Si promissio jurata facta est pauperi certo, & nominato, ut dicto Petro; potest iste pauper remittere obligationem. At, si generaliter juravit, nullo expresso paupere, cui daret; non potest remitti; quia soli Deo est factum juramentum. Tamburin. *dict. lib. 3. cap. 7. §. 2. num. 2.*

6. *Quær.* An Abbatissæ, seu Priorissæ possint irritare Juramenta suarum Monialium? *Resp.* Affirmativè; & multò magis Abbates, seu Priores, aut Guardiani illa suorum subditorum. Lezana *in Summa tom. 3. Verb. Juramentum, num. 25.* & ibi alii DD.

7. *Quær.* An, si quis juravit aliquid agere, vel facere in commodum suum; puta, ire Romam ad petendum beneficium, vel petere eleemosynam tota hebdomada, possit pœnitere, & sibi ipsi remittere juramentum? *Resp.* Negare Abb. *in cap. Quanto num. 8. de Jurejur.* sed affirmare Tambur. *d. lib. 3. cap. 7. §. 2. num. 4. & 5.*

CAPUT XLI.

De Relaxatione Juramenti.

1. *Quær.* Quæ juramenta relaxari, sive dispensari possint? *Resp.* Distinguendo: Aut juramenta fuerunt Deo soli facta; & hæc possunt à Prælato relaxari. Aut fuerunt facta homini in ejus utilitatem, & ab eodem homine acceptata? & non possunt à quovis Superiore relaxari, si justa sint. Quòd si sint injusta, ut puta, si facta fuerunt latroni de pecunia solvenda, vel non fuerunt ab homine acceptata; & in his casibus, justa suadente causa, vel ob aliquod notabile bonum, possunt à Prælato proprio relaxari. Ita ex Cajetan. 2. 2. *q. 89. art. 9.* & Sanch. *in Decal. lib. 4. cap. 41. num. 6.* docet Tambur. *dict. lib. 3. cap. 7. §. 3. num. 2. & 3.*

2. *Quær.* An dentur juramenta omninò indispensabilia? *Resp.* Affirmativè; & sunt illa, quæ adhærent actibus per se perpetuis, & firmis, qualia sunt juramenta in professione fidei, de servanda fide Matrimoniali, Castitate Religiosa, & similibus. Tambur. *d. §. 3. num. 4.*

3. *Quær.* Qui sint Prælati, quibus competit facultas relaxandi juramenta? *Resp.* Inter cæteros Summus Pontifex in tota Ecclesia Catholica; deinde omnes Prælati habentes jurisdictionem spiritualem respectu suorum subditorum. Tambur. *d. §. 3. num. 5. & 6.* Lazana *d. tom. 3. Verb. Juramentum num. 26.*

4. *Quær.* An dentur aliqua juramenta, quæ à solo Papa relaxari possint? *Resp.* Duas esse opiniones. Una docet, quòd juramenta, quæ si Voto firmata essent, spectarent ad solum Summum Pontificem, ab eodem quoque tantùm sint relaxanda; videlicet, de Castitate perpetua absolutè emissa, Religionis, & trium Peregrinationum Romanæ, Compostel-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

postellanæ, & Hierosolymitanæ. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 13. *num.* 7. *& in Decalog. lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 21. Altera est opinio, quæ sustinet, nulla esse juramenta reservata Summo Pontifici, etsi facta forent de quinque supradictis rebus; nam juramentum est quid distinctum, & diversum à voto; & hoc est aliquid majus. S. Thom. 2. 2. *qu.* 89. *art.* 8. Et ideò, si soli Deo sunt facta, & justa adsit causa relaxandi, possunt ab Episcopis, vel Prælatis, eorumve Vicariis habentibus quasi Episcopalem jurisdictionem relaxari. Layman. *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 11. *num.* 4. Castropal. & alii, quos allegat, & sequitur Tambur. *dict. lib.* 3. *in Decal. cap.* 7. §. 3. *num.* 7.

5. *Quær.* An qui habet Privilegium relaxandi Vota pro foro interno, possit etiam relaxare juramenta? *Resp.* Affirmativè, si soli Deo sint facta; vel minùs principaliter in utilitatem hominis, nam in hoc vota, & juramenta parificantur. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 11. Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *à num.* 19. & Tambur. *d.* §. 3. *num.* 8.

6. *Quær.* Qui sint Religiosi, qui habeant facultatem relaxandi, vel etiam commutandi juramenta? *Resp.* Benedictinos eam habere ex Indulto Martini Quinti, teste Tamburin. *dict.* §. 3. *num.* 9. & per consequens virtute Communicationis, quam ad invicem habent omnes Regulares suorum Privilegiorum, ut probat Alcanius Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 1. *disp* 17. *quæst.* 1. & Coton. *lib.* 4. *controvers.* 8. *cap.* 1. *à num.* 54. docens, omnes Regulares in foro conscientiæ posse relaxare juramenta, quæ tamen sint soli Deo facta, vel non acceptata ab homine, si in ejus utilitatem emissa. Thom. Tambutin. *d. lib.* 3. *cap.* 7. §. 3. *num.* 10. 11. & 12. ubi extendit facultatem Regularium ad commutanda, relaxanda, & dispensanda tam vota, quàm juramenta soli Deo facta, pro foro interno tantùm, quod ego etiam docui *de Pœnit. Decis.* 46. *num.* 19. *in fine.*

7. *Quær.* An Judex Laicus possit relaxare juramenta? *Resp.* Negativè, nisi essent in sui favorem facta, quia potest ea remittere. Layman. *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 9 *num.* 9. Tamburin. *dict.* 3. §. 7. *num.* 13. ubi subdit, quòd si esset juramentum in præjudicium Auctoritatis ipsius Judicis Laici, posset compellere subditum ad faciendum contra juramentum, sed ex eo forsan, quia juramentum foret injustum, & sic non obligaret. Cæterùm Princeps Laicus non potest relaxare juramentum, quia est quid spirituale. Nicol. *lib.* 3. *Instit. Civil. tit.* 21. §. *fin. num.* 16. *pag.* 282.

8. *Quær.* Si relaxandum sit juramentum factum homini, & jurans sit unius Diœcesis, ille autem, cui juratum est, sit alterius Diœcesis, à quo Prælato erit petenda relaxatio? A Prælato jurantis ait Abb. *in cap. Si quis contra Clericum num.* 3. *de foro competen.* quia is est ejus Superior. At à Superiore ejus, cui juratum est, docet Molina *tom.* 1. *de Justit. disp.* 111. *& disp.* 149. quia ejus est condonare ius subditi sui. Porrò distinguit Castropal. *tom.* 3. *tract.* 14. *disp.* 3. *punct.* 6. *num.* 2. Quòd si relaxatio petatur in foro conscientiæ, spectet ad Superiorem jurantis; si in foro fori, ad Superiorem ejus, cui juratum est, quia necessaria est citatio partis, & ad hunc spectat citare. Coton. *lib.* 1. *controv.* 11. *num.* 43. & ibi Diana *par.* 11. *tract.* 2. *resol.* 36. At citatio partis non est necessaria, si relaxatio petatur solùm ad effectum agendi; secùs, si ad tollendam obligationem. Nicol. *Instit. Can. lib.* 2. *tit.* 24. *pag.* 101. Pax Jordan. *tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 22. *num.* 360. 361.

9. *Quær.* Quid requiratur ad validam relaxationem juramenti faciendam? *Resp.* Requiri justam causam, etiamsi fiat à Summo Pontifice: aliàs coram Deo relaxatio erit nulla. S. Thom. 2. 2. *qu.* 89. *art.* 9. Abb. *in cap. Quanto num.* 8. *de jurejur.* Sperell. *decis.* 111. *num.* 74.

10. *Quær.* Quæ sint justæ causæ pro relaxatione juramenti? *Resp.* Cum distinctione. Pro relaxandis juramentis soli Deo factis, tres dantur causæ justæ. Prima si res promissa sit reddita illicita, vel inutilis. Secunda, si respectu jurantis facta sit difficilis nimis, vel incommoda, puta ob supervenientiam infirmitatis, vel paupertatis. Tertia, si magis bono communi expediat, ut tale juramentum non adimpleatur. Tamburin. *dict. lib.* 3. *in Decal. cap.* 7 §. 4. *num.* 12. Pro relaxandis autem iuramentis homini factis, ad effectum agendi in Judicio ad rescindendum contractum, vel obligationem, quinque sunt præcipuè causæ. Prima, si iuramentum fuisset extortum dolo, vi, aut metu. Secunda, quando dubium est, an iuramentum valeat. Tertia, quando timetur læsio tertiæ personæ. Quarta, quando dubium est, ut nascatur occasio scandali. Quinta, quando iuramentum fuit inconsideratè, temerè, vel ex iræ, aut doloris perturbatione factum. Dictum est, si dubium sit, vel timetur, quia ubi scandalum, vel læsio esset certa, iuramentum de per se esset nullum. Tamburin. *dict. lib.* 3. *cap.* 7. §. 3. *num.* 16. ubi dat aliam causam licitam generalem relaxandi juramentum, & est; quandocunque is, cui juratum est, tenetur in conscientia rem juranti reddere, vel non potest salva conscientia rem promissam accipere, aut acceptam retinere. Sanch. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 21. *à num.* 3. Quòd si causa sit dubia, juramentum erit commutandum in aliquod aliud pium opus. Tambur. *d.* §. 3. *num.* 17.

CAPUT XLII.

De Commutatione Juramenti.

1. *QUær.* Quot modis possit fieri commutatio juramenti? *Resp.* Tribus modis, scilicet vel in opus bonum majus, vel in æquale, vel minus. Tambur. *dict. lib.* 3. *in Decal. cap.* 7. §. 4. *num.* 1.

2. *Quær.* A quibus fieri possit commutatio juramenti? *Resp.* Ab illis omnibus, à quibus potest fieri relaxatio, seu dispensatio, cum hac tamen differentia, quòd Confessarii Privilegiati commutant tantùm de per se, & in foro poli: At Prælati habentes jurisdictionem Episcopalem, vel quasi, possunt delegare

legare aliis facultatem commutandi etiam in utroque foro. Tamburin. *dict.* §. 4. *num.* 3. & 4. ubi notat, quòd ubi est in usu Bulla Cruciatæ, confessarii electi virtute dictæ Bullæ possunt commutare juramenta soli Deo facta, etsi Bulla loquatur de commutatione votorum tantùm, quia his iuramenta prædicta æquiparantur. Bord. *de Bull. Cruc. par.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *sect.* 10.

3. *Quær.* An ipse iurans possit de per se commutare sibi iuramentum soli Deo factum? *Resp.* Affirmativè, tum in melius. Castropal. *tom.* 3. *tract.* 14. *disp.* 3. *punct.* 1. *n.* 6. Sylvest. *Verb. Jurament.* 5. *qu.* 6. tum etiam in æquale, quia tunc reddit Deo, quod æquè illi gratum est. Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 4. *qu.* 1. *punct.* 17. *num.* 11. Tambur. *dict.* §. 4. *num.* 5. & latiùs *d. lib.* 3. *cap.* 17. §. 2. *num.* 11. & 12. ubi notat, in hoc casu requiri aliquam legitimam causam. Non etiam in minus, quia requiritur in hoc potestas iurisdictionis. Juramenta autem facta principaliter homini, & ab eo acceptata, absque illius consensu commutari non possunt. Tambur. *ibid. d.* §. 4. *num.* 5. Quòd si iuramentum principaliter sit factum Deo, minùs autem principaliter homini, & ab hoc non sit acceptatum, poterit adhuc ipse iurans illud commutare propria auctoritate, vel in melius, vel in æquale. Suarez *de Voto lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 11. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 41. *num.* 8. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 15. & Tambur. *d. lib.* 3. *in Decal. cap.* 17. §. 2. *num.* 13. 14. & 15. ubi ulteriùs probat, id licere, etiamsi ab homine fuisset acceptatum prædictum iuramentum, principaliter in honorem Dei, secundariò autem in utilitatem hominis emissum.

4. *Quær.* An, ad commutandum iuramentum in aliud opus minus, sit necessaria aliqua causa? *Resp.* Affirmativè, tum ut commutatio sit licita, tum ut sit valida. Sanch. *lib.* 3, *in Decal. cap.* 19. *n.* 4. Causæ autem sunt illæ tres supra relatæ, si res sit facta illicita, vel inutilis; si jurans sit factus inhabilis; si magis expediat publico bono, commutationem facere. Tambur. *d. cap.* 7. §. 4. *à num.* 9. & *seqq.*

5. *Quær.* An, qui non adimplet rem commutatam loco iuramenti, sit perjurus? *Resp.* Negativè, quia eam acceptat non ex novo iuramento (ut supponimus) sed ex pacto: ideò peccabit contra pactum, & quidem mortaliter, si res commutata sit gravis, venialiter verò, si sit levis, etiamsi iuramentum præcedens fuisset de re gravi. Less. *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 57. Tambur. *dict. cap.* 7. §. 5. quia etiam pœnitentiam levem pro gravibus peccatis impositam non servare, est peccatum veniale. Idem Tambur. *de exped. Confess. lib.* 4. *cap.* 2. §. 5. *num.* 5. Contrarium tamen est in Votis commutatis, quia in his remanet primus nexus religiositatis, & prima obligatio Voti; quam non adimplere semper est mortale. Tambur. *dict. cap.* 7. §. 5. *num.* 2.

6. *Quær.* An qui juravit, vel vovit ducere in uxorem puellam inopem, nullam determinando, possit obtinere ab Episcopo dispensationem? *Resp.* Affirmativè, quia juramentum fuit Deo principaliter factum; secundariò verò in utilitatem puellæ inopis, quæ nec designata fuit, nec juramentum acceptavit. Tambur. *dict. cap.* 7. §. 6. *num.* 1. qui *num.* 2. ait, secùs esse, si promissio jurata facta fuisset principaliter ipsi puellæ, & eam acceptasset.

7. *Quær.* Quid dicendum, si facto jam juramento de ducenda puella inope indeterminata, postea unam determinet, & ei significet suum iuramentum, poteritne amplius petere commutationem? *Resp.* Affirmativè, si tantùm innuerit, quod juravit: at negativè, si de novo iuret dictæ puellæ, vel illi spondeat, ipsaque acceptet promissionem. Sanch. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 41. *num.* 14. & Tambur. *dict. lib.* 3. *in Decal. cap.* 7. *num.* 3. & 4.

8. *Quær.* An simplices Confessarii possint commutare Juramenta à suis pœnitentibus emissa? *Resp.* Quòd Confessarii Seculares non possunt, nisi tempore Jubilæi, aut ubi est in usu Bulla Cruciatæ. Confessarii verò Regulares possunt quandocunque vigore suorum Privilegiorum. Lezana *tom.* 3. *Verb. Confessarius num.* 15. *Et Verb. Juramentum num.* 29. Bordonus, quem ego allegavi in meis Decisionibus *de Pœnitentia. decis.* 46. *num.* 19. quam studiosus legere curet.

CAPUT XLIII.

De Juramentis Judicialibus.

1. *Quær.* Quæ, & quot sint Juramenta Judicialia, seu quæ emittuntur in Judicio? *Resp.* Esse tria; nempè Juramentum Calumniæ, Juramentum Credulitatis, & Juramentum Veritatis. Pax Jordan. *tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 7. Nicol. *Instit. Civil. lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 145. Ridolphin. *in Praxi par.* 1. *cap.* 8. Maranta, Gravat. ad Vestr. & alii, quos allegat Pellegrin. *in sua Praxi Vicariorum par.* 2. *sect.* 2. *subsect.* 2.

2. *Quær.* Quid sit Juramentum Calumniæ? *Resp.* Est illud, quod præstatur in Judicio per utramque Partem, Actorem scilicet, & Reum de vitanda calumnia in cursu causæ. *Cap. Cum causam in fin. de Jurament. calumn. cap. Dudum.* 2. *de Elect.* Pellegrin. *dict. par.* 2. *sect.* 2. *subsect.* 2. *num.* 1. Jordan. *d. lib.* 14. *tit.* 7. *num.* 3. ubi ait, quòd per hoc Juramentum Actor iurat, *se bona fide, non calumniandi animo, causam moviſſe, vel movere.* Reus verò, quòd putans se bona fide instantia uti, ad reluctandum pervenerit, *lib.* 2. *C. eod.* Goffred. *in summa eod. tit.* ubi notat, in iuramento calumniæ includi omnia, quæ in his versibus comprehenduntur. Videlicet:

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur:
Et si quæretur, verum non inficietur:
Nil promittetur, nec falsa probatio detur:
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

3. *Quær.* An tale iuramentum calumniæ sit necessarium in Judicio? *Resp.* Affirmativè, si fuerit petitum ab una ex partibus litigantibus, & institum, ut præstetur; quo casu eius omissio facit processum nullum. Ridolphin. *in praxi dict. cap.* 8. *num.* 99. quia intro-

introductum est ad publicam utilitatem, ut evitentur mendacia, calumniæ, cavillationes, dolus, & fraus. Pellegrin. *dict. subsect. 2. num. 4.* ubi notat, non posse expressè sibi à partibus remissionem de eo fieri; etsi tacitè remitti possit; prout hodie in nostris Tribunalibus tacitè remittitur; tam in Ecclesiasticis Curiis, quàm in Sæcularibus, in quibus nunquam vidi, illud peti; forsan quia actus forenses pleni sunt tot, & tantis calumniis, cavillationibus, & fraudibus, ut si hoc juramentum præstaretur, eo fœdiùs conscientiæ litigantium, & Advocatorum macularentur. Sperell. qui hanc infelicitatem deplorat, *decis. 117. num. 58.* unde neque in Regno Neapolitano hodie est in usu. Pellegrin. *d. subsect. 2. num. 14.*

4. *Quær.* A quibus sit præstandum hoc Juramentum calumniæ? *Resp.* Ab ipsis principalibus litigantibus, vel per se, vel per procuratores suos, datis mandatis specialibus, vel generalibus cum clausula etiam quodcunque juramentum præstandi; quo casu disputant DD. an procurator jurare debeat in Animam suam, vel constituentis? ut videre est apud Pellegrin. *ubi supra num. 9. & 10.* Imò etiam Advocati olim tenebantur hoc juramentum præstare, licèt id hodie non sit in usu. Scaccia *de Judic. lib. 2. cap. 1. num. 178.*

5. *Quær.* In quibus causis sit præstandum hoc juramentum? *Resp.* In omnibus judiciis, tam civilibus ordinariis, & summariis, quàm criminalibus, & mixtis. *cap. 2. de Jur. calumn.* etiam in causa appellationis. Pellegrin. *ubi supra d. par. 2. sect. 2. subsect. 2. n. 13.*

6. *Quær.* Quid sit Juramentum Credulitatis? *Resp.* Est illud, quod emittant litigantes, per Verbum *Credo*, vel *Non Credo*, respondentes positionibus, quæ fiunt ab Adversario, ut per Confessionem sui Adversarii relevetur ab onere examinandi testes. Jurat autem ipse ponens, quòd positiones contineant veritatem, & petit, cogi adversarium ad respondendum iisdem positionibus per consimile Juramentum, reservato sibi jure eas probandi per quodcunque genus probationum, casu quo Adversarius illas neget. Gregor. XV. *decis. 385. num. 3.* & ibi Beltr. *num. 5.* Pellegrin. DD. cumulans *d. subsect. 2. num. 2. & 3.* ubi advertit, quòd si Adversarius velit respondere ad illas per Verbum *Nescio*, non debet recipi, neque notari talis responsio, quia debet respondere per Verbum *Credo*, vel *Non Credo*. Natta *consil. 59. num. 1.* Gregor. XV. *decis. 282. num. 10.* Bene tamen posset respondere per Verbum *Existimo*. Specul. *lib. 2. de Positionibus*, §. 6. *num. 11.* Quòd si debitor fateatur positiones veras, & credere, eas continere veritatem; condemnandus venit, quia æquè sibi præjudicavit, ac si jurasset juramentum veritatis, & litis decisivum. Specul. *dict.* §. 6. Vestr. & Gravat. *in Praxi lib. 5. cap. 14. num. 7. & 28.* Pellegrin. *ubi supra num. 4.*

7. *Quær.* An Adversarius in Judicio teneatur fateri positiones veras, si veræ sunt; vel possit illas negare? *Resp.* Teneri, illas fateri; neque salva conscientia posse illas negare; quòd si veræ sint, & illas negaverit, committit perjurium. Bald. *in l. 2. num. 161. & seq. ff. de jurejur.* Fenzon. *ad Statuta Urbis cap. 68. num. 45.* Pellegrin. *dict. num. 4.* & Fagnan. *in cap. Olim num. 95. de Litis Contestat. tom. 3. pag. 111.* Est tamen sciendum, dari casum, in quo Reus, seu debitor, non teneatur fateri veras dictas positiones, etsi aliàs veritatem contineant; videlicet, quando ipse non potest eas fateri, nisi cum suo præjudicio, & Actor fraudulenter procedit; puta si mutuasset Reo decem scuta, quæ etiam restituisset, sed vellet iterùm ea malitiosè exigere; & sic poneret cum juramento, veritatem esse, quòd ei mutuavit decem scuta; nam Reus, qui ea restituit, potest absque perjurio respondere negando, subintelligens, ut sit debitor, cum jam restituerit; ut concedit Ant. de Possentibus *Singul. 227.* & hoc absque scrupulo facere potest Reus, quando aliqua justa causa potest se eximere à prætensione Actoris, utendo formula propria responsionis ad positiones, videlicet: *Non credere, ut ponitur ad effectum, ad quem ponitur.* Ita Pellegr. *dict. num. 4.* licèt Beltram. *in addit. ad Gregor. XV. decis. 282. num. 10.* advertat, quòd non esset sufficiens dicta responsio, nisi adderetur dictio *Et*, vel *Neque*, dicendo: *Non credere, ut ponitur, neque ad effectum, ad quem ponitur.*

8. *Quær.* An litigans, qui negat positiones, etsi sciat esse veras, si aliqua pœna plectendus ob perjurium? *Resp.* Affirmare Bajard. ad Clarum *in §. Perjurium. Vers. Item quando.* Sed negare Menoch. *de arbitr. Jud. casu 319. num 29. & seqq.* Cui adhæsit in facto Anton. de Possentibus *dict. Singular. 227.* Eo quia, qui sic pejerat, solum Deum habet ultorem.

9. *Quær.* Quid, & quotuplex sit juramentum veritatis in Judicio? *Resp.* Esse illud, ad quod Partes recurrunt, omissis aliis probationibus, pro causa terminanda: cùm enim Actor possit fundare intentionem suam vel per Testes, vel per Instrumenta. *l. In exercendis 15. C. de fide Instrum.* sæpè sæpiùs recedit ab his probationibus, & defert Juramentum Reo, qui tenetur aut jurare, aut referre, aut solvere. *l. Jus jurandum, & l. Pecunias, 34. §. Ait Prætor. ff. v. de Jurejur.* Nicol. *Instit. Civil. lib. 4. tit. 6. num. 146. pag. 369.* Porrò tale juramentum veritatis est duplex, aliud enim dicitur litis Decisivum, aliud Suppletorium.

10. *Quær.* Quodnam sit juramentum Decisorium litis? *Resp.* Esse illud, quod ab una parte litigante; quæ suam opinionem probare non vult, vel non potest, defertur alteri; quæ quidem tenetur jurare, vel referre; alias habetur pro confessa, *l. Manifestæ, ff. de jurejur. l. In bonæ fidei. C. de Reb. creditis.* Maranta *in Specul. par. 6. art. 9. num. 22.* Pellegrin. *in Praxi par. 2. sect. 2. subsect. 11. num. 37.* ubi notat, quòd præstito hoc juramento finita est omninò causa civilis; adeò ut si pars, quæ detulit juramentum, prætendat esse perjurium, debeat criminaliter agere contra illum, qui juravit.

11. *Quær.* Cui à Judice sit deferendum juramentum, si utraque pars se offerat ad jurandum paratam? *Resp.* Vel ei, qui præsumitur magis instructus de veritate; vel in parita-

paritate, ipsimet Reo. Pellegrin. *d. num.* 37. sed non debet deferri, nisi saltem dato fumo de illius veritate. Ridolphin. *in Praxi par.* 1. *cap.* 10. *num.* 121. *cum seqq.*

12. *Quær.* In quibus casibus dari possit hoc juramentum? *Resp.* In omnibus casibus civilibus, & pecuniariis, sivè in rem, sivè in Personam agatur. *lib.* 3. §. *Quocunque. ff. de Jurejur.* Imò secundùm modernos etiam in Criminalibus, sine tamen præjudicio Judicis, qui potest causam prosequi ad vindictam publicam, etsi accusator recedat ob juramentum à Reo præstitum; & exceptis causis, in quibus non licet transigere, e. gr. Adulterii, Matrimonii, & Criminum, pro quibus venit imponenda pœna sanguinis. Nicol. *dict. lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 148.

13. *Quær.* Quid sit Juramentum suppletorium? *Resp.* Illud esse, quòd Actor petit à Judice in supplementum suarum probationum, quas ob aliquod impedimentum non potest plenè facere, & concludenter terminare. *cap. fin. extra de Jurejur.* Nicol. *dict. lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 151. Pellegrin. *d. part.* 2. *sect.* 2. *subsect.* 11. *num.* 37. & Ridolphin. *in Praxi part.* 2. *cap.* 4.

14. *Quær.* Quot conditiones sint à Judice observandæ, in hoc juramento litis suppletorio deferendo? *Resp.* Quinque. Prima, Quòd causa nec sit Criminalis, nec Matrimonialis; quia in his suppletorium juramentum regulariter non datur; præsertim si agatur contra fœdus Matrimonii. Ferret. *cons.* 363. *num.* 1. & 2. Mascard. *concluf.* 1022. *num.* 9. Dixi regulariter, quia aliquando potest Judex illud deferre; tunc scilicet, quando fuit plusquam plenè probatum. Genuens. *in Praxi cap.* 27. *num.* 2. Piasec. *part.* 2. *cap.* 4. *sub num.* 36. Sperell. qui sic practicasse testatur in causa Matrimoniali, facta priùs seria, ac gravi monitione de juramenti importantia. *Decis.* 75. *num.* 58. & 59. Secunda, Quòd persona, quæ jurare debet, sit integra, & omni exceptione major. Gramat. *decis.* 81. *num.* 53. Sperell. *dict. decis.* 75. *num.* 59. Tertia, Quòd non agatur de magna quantitate rei, vel valoris, quod pendet ab arbitrio Judicis attenta conditione personarum, de quarum interesse agitur: Nicol. *d. lib.* 4. *tit.* 6. *sub num.* 152. Menoch. *de Arbitr. Judic. casu* 190. *num.* 17. Quamvis, ubi esset plusquam semiplenè probatum, posset concedi. DD. quos allegat Sperell. *decis.* 28. *num.* 70. Quarta, Quòd juraturus possit esse bene informatus de facto, super quo lis extat; nam hæredi super facto defuncti non esset deferendum. Nicol. *dict. num.* 152. *vers.* 5. Et Quinta, Quòd deducta in litem sint saltem semiplene probata, vel per unum testem omni exceptione majorem, vel per indicia illi æquipollentia. Nicol. *dict. num.* 152. Ridolphin. *dict. par.* 2. *cap.* 4. *à num.* 157. *& seqq.* ubi ponit quadraginta casus, in quibus non defertur tale juramentum. Mascard. *concluf.* 955. *num.* 3. At resistit huic quintæ conditioni Gabriel *cons.* 40. *vol.* 2. ubi probat, non esse satis semiplenam probationem ad deferendum hoc juramentum; sed requiri, ut aliquid magis sit probatum, quod tenuit in practica Anton. de Possentibus *Singular.* 1. & *Singular.* 2. quia supplementum non debet esse ejusdem ponderis, ac probatio principalis. Ideò plusquam semiplenè probatum esse debet. Sperell. *d. decis.* 28. *num.* 69. & 70.

15. *Quær.* Quinam sit effectus juramenti tum suppletorii, tum decisivi? *Resp.* Quòd pariat actionem, & exceptionem litis finitæ: & habeat vim sententiæ diffinitivæ, & executionem paratam. Nicol. *dict. lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 153. ubi plures alias non inutiles quæstiones de juramento Judiciali facit; & latissimè Pax Jordanus *tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 22. *de Jurejur.* ubi tractat materiam omnium juramentorum tam extra, quàm in Judicio; & novissimè P. Georgius Gobat, Soc. Jesu *in suo Alphabeto Quadruplici part.* 2. *De Juramento à num.* 448. *usque ad* 693. impresso Constantiæ Anno Domini 1672. continente Opuscula quatuor, videlicet de Voto, de Juramento, de Superstitione, & de Blasphemia.

CAPUT XLIV.

De Adjuratione.

1. *Quær.* Quid sit *Adjuratio? Resp.* Est imprecatio, jussivè, qua quis aliquid petit vel in obsequium Dei, aut Sanctorum, aut excellentis alicujus creaturæ. Tambur. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 8. §. 1.

2. *Quær.* Ad quam virtutem spectat Adjuratio? *Resp.* Si ea exhibeatur per Deum, vel per ea, quæ ad Deum pertinent, est actus Religionis latriæ. Si per Deiparam, Hiperduliæ. Si per Sanctos, Duliæ. Si per Homines, Politicæ humanæ. Tambur. *d.* §. 1. *num.* 2.

3. *Quær.* An Adjuratio inducat obligationem? *Resp.* Negativè; quia habet vim movendi animum personæ adjuratæ ex reverentia debita ei, in cujus nomine adjurat; sed non habet vim obligandi. Tambur. *ibid. num.* 3.

4. *Quær.* Quæ sint servandæ conditiones in adjuratione? *Resp.* Illæ tres, quæ etiam in juramento requiruntur, videlicet Veritas, Justitia, & Judicium. Tambur. *ubi supra* §. 1. *num.* 4.

5. *Quær.* Quomodo intelligatur Veritas in adjuratione? *Resp.* Primò, ut hæc non fiat per falsos Deos, Dæmonemvè, aut Luciferum, quia esset mortale peccatum. Secundò, ut quis adjurando non dicat mendacia, veluti si dives adjuraret homines, ut sibi tanquam pauperi eleemosynam darent. Tamburin. *dict.* §. 1. *num.* 4.

6. *Quær.* An mendici pecunias habentes, peccent mortaliter, adjurantes per Deum, per Deiparam &c. ut sibi tanquam pauperibus gentes dent eleemosynam? *Resp.* Asserit Castropal. *tom.* 3. *tractat.* 14. *disp.* 4. *de Adjurat. punct.* 1. *num.* 5. quia assumunt nomen Dei ad iniquitatem patrandam. Negat Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 42. *num.* 5. tenens, tantùm venialiter peccare, quia etsi committant irreverentiam in suis adjurationibus, tamen sunt ad finem boni operis in adjurato, nempè ad eleemosynam faciendam, quod placet. Tambur. *d.* §. 1. *n.* 4.

7. *Quær.*

7. *Quær.* Quid importet Justitia in Adjuratione? *Resp.* Quòd quis ea non intendat obtinere rem injustam, & peccaminosam. Quare qui adjuraret per Deum, aut Sanctos ad rem mortalem agendam, peccaret mortaliter peccato contra Religionem, præter peccatum rei illius; si verò ad rem venialem, venialiter peccaret. Quòd si adjuratio fieret per creaturas non adderetur nova species peccati. Tamburin. *dict. lib.* 3. *cap.* 8. §. 1. *num.* 5.

8. *Quær.* Quid conditio Judicii importet? *Resp.* Quòd non indiscretè, & absque necessitate fiat adjuratio, aliàs regulariter est culpa venialis; nisi gravis committeretur irreverentia in Deum; vel nimia molestia, aut injuria in homines; tunc enim posset esse culpa mortalis. Tambur. *d.* §. 1. *num.* 6. & ibi Suarez.

CAPUT XLV.

De Adjuratione Dæmonum.

1. *Quær.* Quæ sint signa cognoscendi, an aliquis sit obsessus à Dæmone? *Resp.* Si ipse loquatur diverso, ignotoque idiomate; si canat, legat, scribat, aliaque faciat, quæ antea nulla ratione callebat; si ita stet immotus, ut à robustissimis non possit dimoveri; si patefaciat occulta, seu distantia. Delrius *Disquisit. Magic. lib.* 2. *cap.* 2. *q.* 3. *sect.* 2. Schottus *in Physica Curiosa lib.* 4. *cap.* 9. §. 1. Alia autem signa, ut dissonæ voces, sævi dolores, motus corporis insoliti, & similia sunt valdè incerta. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 8. §. 2. *num.* 1.

2. *Quær.* Quo modo, & quo fine sit facienda Adjuratio in Dæmones? *Resp.* Imperativè, non autem deprecativè; & ad hoc, ut exeat de corpore, vel de loco, & desistat à nocendo. Tambur. *dict.* §. 2. *num.* 2. & ibi Sanchez, & Suarez advertentes, esse peccatum mortale, habere longas, curiosasque confabulationes, & interrogationes inutiles cum Dæmone in adjurando.

3. *Quær.* Quæ licitè peti possint à Dæmone? *Resp.* Ea omnia, quæ conducunt ad ejus exitum de corpore obsessi. Quæ autem valeant ad servitutem, & obsequium adjurantis, non sunt petenda, quia indicarent familiaritatem cum communi hoste. Quæ verò sunt inutilia, seu curiosa, si petantur, secundùm Castropalaum, causant culpam mortalem; at secundùm Sanchez venialem, quos citat Tamburin. *dict. cap.* 8. §. 2. *num.* 8. 9. & 10.

4. *Quær.* An extantibus pluribus Dæmonibus in obsesso, possit Exorcista petere, ut Spiritus Superior pellat inferiores? *Resp.* Affirmativè. Sylvest. *Verb. Adjuratio quæst.* 5. quia non est petere servitium à Dæmone, sed ei præcipere in virtute Christi, ut alios expellat. Tambur. *dict.* §. 2. *num.* 11. & 12.

5. *Quær.* An Exorcista possit exaudire Dæmonem petentem, ne amandet illum in infernum, sed in desertum locum? *Resp.* Affirmativè, sub spe divinæ ratificationis, cùm Deus permittat magnam partem Dæmonum extra Inferni carcerem vagari usque ad diem Judicii; post quem diem concludentur postea omnes in barathro. Castropal. apud Tambur. *d.* §. 2. *num.* 15.

6. *Quær.* An sit exaudiendus Dæmon, petens se immitti, e. g. in equum Petri? *Resp.* Esse hinc inde Doctorum opiniones; quia, etsi Dominus eum immiserit in porcos, erat ipse Dominus omnium. Cæterùm affirmant DD. quando non sit grave damnum resultaturum proximo, quia quilibet tenetur pati aliquod detrimentum pro sublevando Dæmoniaco ab illo pœnosissima obsessione. Castropal. Tancred. & alii apud Tamburin. *d.* §. 2. *num.* 16. 17.

7. *Quær.* Quid, si Diabolus petat licentiam arripiendi alium hominem? *Resp.* Non esse hanc licentiam concedendam, quia nemo est dominus vitæ proximi. Delrius *lib.* 16. *Disquis. Magic. cap.* 3. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 42. *num.* 36. Tambur. *ubi supra num.* 18. ubi advertit, aliquos docere contrarium, concurrentibus quinque conditionibus, sed ipse talem opinionem reprobat. Neque revelat, quòd S. Paulus tradiderit Satanæ virum incestuosum, quia fuit specialis dispensatio ex Dei inspiratione, quæ non facit exemplum.

8. *Quær.* An Exorcistæ teneantur adjurare Dæmones in corporibus obsessis existentes? *Resp.* Affirmativè, ex debito Justitiæ, si ipse curam habeat Animarum, & speret, se obsesso profuturum. Aliàs ex charitate tantùm tenetur, si sit peritus, & habilis ad adjurandum.

9. *Quær.* An peccet laicus, qui munus, adjurandi Dæmones, & energumenos aggreditur? *Resp.* Affirmat Tancredi apud Tamburin. *dict.* §. 2. *num.* 24. & quidem mortaliter. At ipse Tambur. negat, tum quia laici inserviunt Missæ, & alias functiones minorum ordinum passim exercent; tum quia omnes Christiani terribiles sunt Dæmonibus ob characterem baptismi; ideò ex his & pluribus aliis rationibus ait, probabilem opinionem esse, quòd laicus Vir doctus semel, ac iterùm, non autem ex professo, possit Dæmoniacum exorcizare. Tamburin. *d.* §. 2. *num.* 24.

10. *Quær.* An liceat Exorcistæ percutere obsessum, in faciem ejus spuere, pilos radere, vel consimilia facere? *Resp.* Affirmativè, in contemptum Dæmonis, prudenter tamen, & sine offensa charitatis se ducendo; nam acriter percutere, & energumenum flagellare non licet. Delrius *lib.* 2. *D. M. q.* 30. *sect.* 3.

11. *Quær.* An Exorcista percutiens Clericum energumenum in adjuratione esset excommunicatus? *Resp.* Affirmativè; qui excusari non posset ab injuria illata ipsi Clerico, Diabolo suadente, imò provocante Exorcistam ad excandescentiam. Ita Tambur. *dict. lib.* 3. *cap.* 8. §. 2. *num.* 27. ubi dat exemplum de eo, qui prosequeretur canem latrantem, & recurrentem in sinum Clerici domini sui, ibique eum pugione confoderet, transfigendo pectus ipsi Clerico eodem tempo-

tempore; nam tunc certè incurreret excommunicationem.

12. *Quær.* Qua de causa permittat Deus, ut homines obsideantur à Diabolo? *Resp.* Ut plurimùm ob eorum peccata; ut pluribus exemplis demonstrat Schottus *in Physica Cur. dict. lib.* 4. *cap.* 14. ubi in fine advertit, quòd ex hac obsessione vult Deus, quòd discamus, esse Dæmones ad confundendos Atheos; & quàm malum sit, subesse tyrannidi Dæmonum per peccata, adeò crudelium contra homines.

CAPUT XLVI.

De Voto.

1. *Quær.* Quid sit *Votum*? *Resp.* Est deliberata promissio Deo facta, de re ipsi grata. Tamburin. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 9. *num.* 1. seu de meliori bono. Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 11. *num.* 59. Gobat. *in Opusc. de Voto num.* 3.

2. *Quær.* Quot requirantur ad constituendum Votum? *Resp.* Quinque. Primò, ut sit voluntarium. Secundò, ut sit probatum. Tertio, ut sit promissio sub obligatione. Quartò, ut sit facta Deo. Quinto, ut sit de re Deo grata. Tambur. *d. cap.* 9. *num.* 2. Mastrius *d. num.* 59.

3. *Quær.* Quotuplex sit Votum? *Resp.* Plures dari divisiones Voti.

Prima, quòd aliud sit solemne, eò, quia acceptatur ab Ecclesia in Ordine sacro, & in Religiosa Professione: & aliud sit privatum.

Secunda, quòd privatum Votum aliud est Absolutum, aliud Conditionatum, & aliud Pœnale.

Tertia, quòd aliud est de re præcepta; aliud de re libera.

Quarta, quòd aliud est Reale, aliud Personale, & aliud Mixtum.

Quinta, quòd aliud est Affirmativum, ut dare eleemosynam, aliud Negativum; ut abstinere à carnibus, à ludo.

Sexta, tandem, quòd Votum aliud est Perpetuum, & aliud est Temporale. Tambur. *dict. cap.* 9. *num.* 1. Mastrius *dict. disput.* 11. *num.* 60.

4. *Quær.* Cùm Votum sit deliberata Promissio, qualis esse debeat hæc deliberatio? *Resp.* Ea, quæ requiritur ad peccatum mortale. Nam Votum est lex, quam sibi Vovens imponit; ideò hæc impositio fieri non debet sine maturo judicio, plenoque imperio libertatis. Glos. *in cap. Mulieres* 32. *quæst.* 1. Laym. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 3. Igitur non est opus exactissima discussione in faciendo votum validè, sed sufficit tanta advertentia, quanta sufficeret ad peccandum; & ita valent Vota facta in calore iracundiæ, vel timoris. Tamburin. *dict. lib.* 3 *in Decal. cap.* 10. §. 1. *num.* 1. ubi notat, Vovere cum semiplena deliberatione, esse peccatum veniale, quia in re gravi adest defectus prudentiæ, & Votum non valere. Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 59. & 61.

5. *Quær.* Qui dubitat, an voverit cum sufficienti deliberatione, nec ne? Utrùm teneatur ad Votum? *Resp.* Affirmat Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *num.* 14. & 15. negat Palaus apud Tamburin. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 3. §. 7. *Verbo Votum numer.* 19.

6. *Quær.* An sit valida Professio illius Monialis, quæ parata ad profitendum tali die; recitat suam voluntatem animo sponte distracto, & sine actuali attentione? *Resp.* Esse validam, quia extat virtualis deliberatio, quæ sufficit in omni actu, etiam confectione Sacramentorum. Tambur. *dict. lib.* 3. *cap.* 10. §. 2. *in Decal.*

7. *Quær.* Quid sit Propositum? *Resp.* Est deliberatio in voluntate faciendi opus. Tambur. *dict. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 1. Ideò ad essentiam Voti, ultra propositum requiritur promissio, & sic alter actus voluntatis distinctus à primo. Mastrius *dict. disp.* 11. *num.* 59.

8. *Quær.* An resilire à Proposito faciendi certum bonum opus sit peccatum? *Resp.* Affirmat Palaus apud Tamburin. *ubi supra*, quia est defectus constantiæ; at negat Sanchez *ibidem*. quia cùm nulla lex præcipiat illud bonum opus, si deseratur, nullum est peccatum: & ita tenet etiam Tambur. *dict. cap.* 11. *num.* 2. Et est tex. *in Cap. Litteraturam, de Voto, & Voti redem.* Gobat *in Opusc. de Voto num.* 5. *& seqq.*

9. *Quær.* An teneatur ad Votum, qui promisit aliquid Deo, cum intentione non se obligandi? *Resp.* Non teneri, nisi Votum sit ex justitia, quale est in Ordine sacro, & Professione Religiosa; in his enim omnis Vovens, etiam nolens obligari, obligatur. DD. apud Tamburin. *dict. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 2. & 3. ubi quòd quis potest vovere rem gravem sub sola obligatione venialis peccati. Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 61.

10. *Quær.* An sit obligatus Voto, qui vovit animo se obligandi, sed animo non exequendi? *Resp.* Esse obligatum, quia distincta est executio ab obligatione; & hæc est obligatoria, licèt habeat malam voluntatem non exequendi, ob quam lethaliter peccabit. DD. apud Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 4. ubi confutat Valentiam asserentem contrarium.

11. *Quær.* E contra, an sit obligatus Voto, qui Vovens habuit animum exequendi Votum, sed intendit, se non obligare ad Votum? *Resp.* Non esse obligatum. Tamburin. *dict. cap.* 12. *num.* 6. & 7. ubi DD. inter se contrarios.

12. *Quær.* An peccet, quem pœnitet Voti facti? Si fidelis sit in exequendo Votum, probabile esse, quòd non peccet, etsi doleat, vel pœniteat, se novisse. Tambur. *d. cap.* 12. §. 2. *num.* 5.

13. *Quær.* An Votum factum pro anno venturo, obliget statim? *Resp.* Negativè, sed ad tempus præfixum. Tamburin. *dict. cap.* 12. §. 3. *num.* 1. *ubi DD.*

14. *Quær.* An qui prævidet, anno venturo non posse exequi Votum destinatum pro dicto anno, teneatur prævenire nunc in executione, si possit? *Resp.* Non teneri, licet benè faciet præveniendo. Ratio est, quia

non se obligat ad exequendum, nisi anno venturo. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 11. *num.* 14. Tambur. *d.* §. 3. *num.* 2. *&* 3. Ubi quòd si vovit jejunium in mense Novembri, & prævidet in fine mensis, non posse exequi, tenetur jejunare in principio, quia ab initio mensis incipit obligatio; sicut ille, qui prævidens non posse audire sacrum die Dominico, non tenetur audire die Sabbathi; sed prævidens non posse audire hora decima octava, si potest, audire debet hora decima quarta illius diei Dominici. Layman. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 5.

15. *Quær.* Quantum possit retardari executio Voti, ubi à vovente nullum fuit determinatum tempus? *Resp.* Teneri ad executionem, quamprimùm potest sine notabili detrimento. Hinc, qui vovit Religionem, potest differre ingressum, donec vel scientiam, vel vires acquirat; vel Pater consentiat. Tambur. *d. cap.* 12. §. 3. *num.* 5. *&* 7. ubi quòd extensio eò amplior fieri potest in differendo, quò certum est, materiæ Voti nihil præjudicari. Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 64.

16. *Quær.* Quid dicendum, si certus de Voto, anceps sit circa tempus determinatum ad exequendum? *Resp.* Dicendum esse, prout diceretur de illo, qui sine temporis præfinitione vovisset. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 14. *num.* 3.

17. *Quær.* Quantum tempus est arbitrandum ad culpam mortalem in dilatione Voti? *Resp.* Discordes esse Doctores. Alii dicunt, quòd in Votis occupantibus totam vitam Voventis, ut Religionis, servitii in Xenodochio, & similibus, dilatio trium annorum non facit peccatum mortale. In aliis Votis nullum tempus, in dilatione facere mortale peccatum, si nullum præjudicium fiat executioni Voti. Alii volunt, in primo casu dilationem ultra sex menses esse mortalem: in secundo casu, si ultra duos, vel tres tantùm menses differatur. Alii in primo casu considerandam volunt ætatem Voventis: nam si est in 15. circiter anno, potest differre usque ad 20. sine peccato. Quod si vovens sit quadragenarius, non censetur posse differre ultra sex menses absque culpa. In aliis Votis dilatio quæcunque non facit mortalem culpam, ubi non præjudicatur Voto; & ad summum erit culpa venialis, si nulla subsit causa. Tambur. *ubi DD. d. lib.* 3. *in Decal. cap.* 12. §. 3. *à num.* 8. 9. 10. 11. *&* 12.

18. *Quær.* An Votum Patris obliget filium ad ingrediendam Religionem? *Resp.* Negativè, quia potest illum hortari, sed non cogere. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 12. §. 4. *n.* 1. Decisiones meæ Anni 1689. *decis.* 62. *num.* 16. *&* 17. *de Ven. Euch. Sacr.*

19. *Quær.* An hæres teneatur adimplere Vota defuncti? *Resp.* Cum distinctione. Vota personalia non tenetur adimplere ex vi Religionis; sed utique ex vi Statuti, sivè ex vi contractus. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 15. *à num.* 16. Vota verò Realia tenetur ex vi justitiæ juxta vires hæreditarias, etiam in foro conscientiæ. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 12. §. 4. *num.* 3. *&* 4. ubi notat. Primò, esse solvendum æs alienum. Secundò, legitimam debitam consanguineis. Tertiò, Vota adimplenda. Quartò, Legata; quia his Vota præferuntur; nam prior fuit obligatio Votorum, quàm Legatorum. Layman. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 13. qui advertit, si plura sint Vota realia, & hæreditas non sufficiat ad implenda omnia, non unum tantum esse adimplendum, sed singula pro rata.

20. *Quær.* An Monasterium succedens in bona Professi, teneatur solvere Vota realia ipsius Professi facta ante professionem? *Resp.* Negativè; quia per Professionem omnia alia vota irritantur; & hæres non tenetur solvere Vota extincta per irritationem, aut commutationem. Bonacin. *de Voto disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 5. §. 2. *num.* 7.

21. *Quær.* An filii familias possint facere Vota? *Resp.* Affirmativè, si sint septennes; vel etiam ante, si plenum usum rationis habeant. Vota tamen personalia, si & quatenus Pater non contradicat ante, vel non irritet postea; & idem est dicendum de Religiosis. Tambur. alios DD. allegans *d. cap.* 12. §. 5. *num.* 5. ubi excipit in Religiosis Votum transeundi ad arctiorem Religionem; & ulteriùs notat, sed respuit doctrinam Valentiæ, & aliorum docentium, nulla Vota impuberum, & Religiosorum esse valida, nisi expressè approbentur à Patre, vel à Prælato; quia Deus, qui eos his subjecit, non acceptat eorum voluntatem, nisi approbantibus Superioribus à Deo datis. Tamburinus hanc opinionem non amplectitur, tenens, valere vota non præjudicantia Patri, aut Prælato, donec ab illis non irritentur, & ita sentit etiam Palaus, & Sanchez *ibid. citat. num.* 8.

22. *Quær.* An vota conditionalia statim obligent? Affirmativè, in conditione de præterito vera existente. At in conditione de futuro, obligationem Voti restare in suspenso, donec ipsa verificetur. Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 23. & alii apud Tamburin. *dict. lib.* 3. *in Decalog. cap.* 12. §. 6. *num.* 1. *&* 2. ubi advertit, Vota sub conditione impossibili non valere; ad differentiam Matrimonii, & Testamenti, in quibus è contra ipsa valent, rejecta conditione, quia sic leges sanxere.

23. *Quær.* An Votum sub conditione factum obliget, si non illa propria conditio adimpleatur, sed alia æquivalens? E. G. Quis vovit eleemosynam, si lucretur centum ex negotiatione, & ei relinquantur centum ex legato? *Resp.* Non obligare; nisi intendisset eleemosynam vovere quocunque modo centum sibi lucrosè advenirent. Sanchez *d. cap.* 23. *num.* 26. Tamb. *d. cap.* 12. *num.* 4. §. 6.

24. *Quær.* An mulier, quæ vovit eleemosynam, cùm egrederetur domo; & jejunium, cùm ingrederetur Ecclesiam, peccet non egrediendo domo, nec ingrediendo Ecclesiam, ne vota illa adimpleat? *Resp.* Non peccare, quia conditio pendet ab ejus libera voluntate. Tambur. *dict.* §. 6. *num.* 5.

ubi notat, Votum jejunii supradictum tanquam impeditivum majoris boni, quod est, Ecclesias frequentare, esse de jure irritum; undè potest dicta mulier ad Ecclesiam accedere, absque obligatione jejunandi.

25. *Quær.* An Petrus, qui vovit ingressum Religionis, si ejus Pater consenserit, possit absque peccato rogare Patrem, ne consentiat? *Resp.* Posse, etsi nonnulli id negent; nam rogando, non tollit liberam voluntatem Patris. Laym. *lib. 4. tract. 4. cap. 6. quæst. 1.* Tambur. & ibi Sanchez, & Suar. *d. §. 6. num. 6.* qui *num. 7.* advertit, quòd si vi, aut fraude impediverit consensum Patris, si adhuc vivit, debet cessare à vi, & fraude, ut liberè consentiat, vel non consentiat at si mortuus jam fuerit, Bonacina asserit, obligatum esse, ingredi Religionem: negat verò Layman rationibus ab eis consideratis, & utramque opinionem probabilem Tambur. appellat.

26. *Quær.* Quid Juris, si ille, qui vovit Religionem, & ingressus est in eam, malè se gerat de industria, ut dimittatur? *Resp.* Licèt dimissus tenetur ad Votum, & sic iterùm petere, ut admittatur, aperiendo fraudem suam, & meliùs se gessurum promittendo. Quòd si Superior adhuc nollet eum recipere, esset ab obligatione voti liberatus. Tambur. *dict. lib 3. in Dec. cap. 12. §. 6. num. 8.*

27. *Quær.* An teneatur solvere pœnam, qui fecit Votum pœnale, toties, quoties frangit Votum? Puta de jejunando, si luserit, vel de peregrinando Hierosolymam, si adulterium fecerit? *Resp.* Si pœna est de ordinariis, toties est præstanda, quoties votum frangitur. Si est extraordinaria, & insolita, obligat pro prima vice tantùm. DD. apud Tambur. *dict. lib. 3. in Decal. cap. 12. §. 7.*

28. *Quær.* Quid respondendum illi, qui recordatur, se voviſſe sub pœna, e. gr. non ludere; sed non recordatur ipsam pœnam? *Resp.* Ludendo, teneri ad culpam, sed non teneri ad pœnam. Tambur. *lib. 1. cap. 2. §. 6. num. 26. & dict. lib. 3. cap. 12. §. 7. num. 4.*

29. *Quær.* An teneatur ad pœnam promissam pro transgressione Voti, si transgressio sit absque culpa saltem gravi? *Resp.* Non teneri. Sanch. *lib. 4. in Decal. cap. 22. à num. 14.*

30. *Quær.* An dispensatus à Voto, teneatur ampliùs ad pœnam? *Resp.* Non teneri. Tamburin. *d. cap. 12. §. 7. num. 5.*

31. *Quær.* An teneatur ad Religionem, qui illam vovit, credens non esse perpetuam? *Resp.* Non teneri, quia erravit in substantia, & essentia Religionis; ideòque talis error irritat Votum; nisi intendisset vovere, prout omnes alii vovent. Tambur. *dict. lib. 3. in Decal. cap. 13. num. 1. & 2.* ubi numeris seqq. adjungit, quòd si error sit in qualitate, tunc si hæc sit magni ponderis, irritat votum; non autem, si sit levis, aut parvi momenti. Ut si quis voviſſet Religionem Capucinorum, nesciens eorum corpora tegi rudi panno; vel Carthusianorum, ignorans, eos à carne semper abstinere. Hic enim non tenetur ad Votum. Quæ autem sit qualitas magni ponderis, redundans in substantiam Voti, pendet ab arbitrio boni Viri. Tambur. *ibid.*

32. *Quær.* Quid Juris, si error extet in causa finali ipsius Voti? *Resp.* Si causa finalis fuit principalis, Votum non obligat; si verò tantum motiva, obligat. e. g. Voviſti ire Neapolim, credens ibi esse corpus S. Nicolai, non tenet votum. A si voveas ire Barrium ad S. Nicolaum, ut etiam ibi salutes amicum tuum; si amicus absit, adhuc teneris votum adimplere. Tambur. *dict. lib. 3. cap. 13. à num. 9. & seqq.* ubi notat, quòd si duæ sint causæ finales æquè principales, ob quas fit Votum, una earum corruente, corruit & Votum. Item si una sit principalis, & alia dependens; & pereat, quæ principalis existit. Quæ autem sit causa finalis, seu principalis voti, judicanda est arbitrio boni Viri, pensatis motivis, quibus vovens se movit ad vovendum.

33. *Quær.* An sit Votum, si quid promittatur non Deo, sed Sanctis? *Resp.* Rigorosè non esse; sed latè sumpto Vocabulo esse, & dici Votum, quia sicut Sanctos rogamus, sic in eorum honorem possumus aliquid boni promittere, & vovere. DD. apud Tambur. *dict. lib. 3. cap. 14.* Mastrius *dict. disp. 11. num. 59. in Theol. Morali.*

34. *Quær.* An valeat Votum de re impossibili? *Resp.* Negativè, quia de re possibili Votum esse debet. S. Thom. *2. 2. quæst. 88. art. 2.* Hinc non obligat Votum de facto alieno, de non moriendo, de non committendis peccatis Venialibus. Tambur. *d. lib. 3. in Decal. cap. 15. §. 1.* ubi notat, sic voventem ex bona intentione non esse damnandum de culpa mortali; quia talia Vota habentur tanquam non facta.

35. *Quær.* Quomodo S. Theresia fecit Votum de non committendis peccatis venialibus, ut refert in ejus Vita *Didacus de Lopez Episcop. Tarraconen. lib. 3. cap. 1. Resp.* Ita voviſſe ex speciali Dei inspiratione, & de consilio suorum Superiorum. Ita ait Collegium Salmantic. *in Theol. Moral. tom. 4. de Voto tract. 17. cap. 1. num. 84.*

36. *Quær.* Quid dicendum, si quis voveat duo opera possibilia separata, sed impossibilia simul; ut audire Confessiones die Dominico, & inservire hospitali? *Resp.* Debere eligere, & adimplere, quod est majoris boni; at si utrumque contineat eamdem bonitatem, eligat unum tantùm pro suo arbitrio, & aliud contemnat. Sanchez *in Decalog. lib. 4. cap. 5. num. 23.* Tamburin. *dict. cap. 15. §. 1. num. 3. & 4.* ubi advertit, quòd si voviſſet ex dictis operibus unum priùs, aliud posteriùs; tunc primum est adimplendum, secundum autem est deferendum, quia obligatio cadit in primo, non in secundo. Verum tamen est, quòd si hoc secundum esset majoris perfectionis, deberet perfici, primo relicto, tanquam non ampliùs obligante, uti impeditivo majoris boni. Sanchez *in Decal. dict. lib. 4. cap. 5. num. 24.* At huic opinioni non acquiescit Tamburin. *dict. §. 1. num. 6.* quia secundum Votum tanquam incompossibile cum primo non est obligatorium.

37. *Quær.*

37. *Quær.* An sit peccatum, vovere rem malam? *Resp.* Affirmativè, quia fit injuria Deo, cui non est vovenda nisi res honesta, ac bona, ut ei sit grata; & ideò, si res mala sit ex se peccatum veniale, etiam vovens venialiter peccabit; at si mortale, pariter peccabit mortaliter, & quidem dupliciter, contra virtutem, cui se opponit res illa peccaminosa; & contra virtutem Religionis, siquidem est peculiaris Dei injuria, velle Voto firmare peccatum. S. Thom. 2. 2. *qu.* 88. *art.* 2. Tamb. *in Dec. d. lib.* 3. *c.* 15. §. 2. *n.* 1. ubi notat Juramentum promissorium factum homini de re indifferenti esse obligatorium, quia homo illud acceptat, & Deus vocatur tantùm in testem illius promissionis; & Juramentum, vel votum de eadem re indifferenti factum Deo non obligat, quia Deus non acceptat, nisi quod sibi gratum est, & capax sui cultus.

38. *Quær.* An valeat Votum de re bona, sed ob finem malum? *Resp.* Cum distinctione. Vel malus finis est præcipuum motivum Voti; ut dare eleemosynam pauperi, ut occidat inimicum ipsius voventis; & Votum non valet, imò vovens mortaliter peccat. Vel ipsum Votum de re bona est principaliter intentum, malus verò finis est accidentarius, ut dandi eleemosynam coram multis, ut ab eis laudetur vovens? & in hoc casu Votum valet. Sanch. *in Decal. lib.* 4. *cap.* 6. *à num.* 31. Tambur. *dict. lib.* 3. *cap.* 15. §. 2. *num.* 3. *&* 4. ubi subdit, quòd si malus finis æqualiter intenderetur à vovente cum animo faciendi rem bonam, adhuc votum non teneret, & qualis esset pravitas finis, talis esset qualitas peccati; ut vovere eleemosynam ad deflorandam virginem, ad honores indignè obtinendos, & similia.

39. *Quær.* An vovere rem bonam, puta jejunium, vel eleemosynam, ut quis ex bello injusto incolumis evadat, vel ex concubina filium masculum suscipiat, vel ex ludo illicito, (sed non injusto) lucrum reportet; sit validum votum? *Resp.* Duas esse opiniones, Suarez *d. lib.* 4. *in Decalog. cap.* 6. *à num.* 31. affirmantem, quia prædicti obtentus non sunt mali, & de eis gratiæ Deo agendæ. Alteram Castropalai *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 1. *punct.* 8. §. 3. *num.* 3. negantem, & tenentem, non valere votum, quia sunt de re non bona, cùm omnia prædicta imbibant usum mediorum malorum, & hanc retinet Tambur. *d. lib.* 3. *in Decal. cap.* 15. §. 2. *num.* 5. concedens tamen, valere votum, si post susceptа fiat ad gratias agendas.

40. *Quær.* An votum factum in pœnam, si res mala committatur, puta adulterium, furtum &c. valeat? *Resp.* Affirmativè, quia non fit ad patrandam rem malam, sed in pœnam, & punitionem mali commissi. Tambur. *ibid. num* 6.

41. *Quær.* An quis validè voveat ob rem indifferentem; puta si ingressus fuerit talem domum, si mercaturam fecero; & similia? *Resp.* Cum distinctione; vel Votum fit ob aliquem finem directum ad gloriam Dei, & valebit; secùs si absque tali fine, & directione. Tambur. *ibid. num.* 7. *&* 8. advertens, quòd si res non sit capax boni finis, ut si quis voveat, non præscindere ungues in die Sabbati, ob reverentiam Deiparæ, inane est votum, quia illa præscissio nullam causat reverentiam, vel irreverentiam; prout si quis voveat non nere in die Sabbathi, vel non comedere de capite animalium in reverentiam S. Joannis Baptistæ. Excipe, nisi ex aliqua circumstantia Votum esset de re bona, puta ad refrænandam gulam, ad vacandum orationi, & induendum vestibus humilitatem habentibus, vel devotionem significantibus; ut his, qui in infirmitate vovent, se vestire veste coloris Habitus Deiparæ Carmelitanæ, vel S. Antonii Patavini.

42. *Quær.* An sit obligatus ille, qui fecit votum eundi ad domum Lauretanam; sed dubitat, an voverit ex devotione, vel ex curiositate, vel ex commoditate conversandi cum puella ab eo dilecta? *Resp.* Secundùm Sanchez *d. lib.* 4. *in Decal. cap.* 7. *num.* 28. valere, quia, licet sit incertus de fine Voti, est certus de Voto. At non valere secundùm Tamburin. *d. lib.* 3. *cap.* 15. §. 2. *n.* 15. Quia certitudo boni finis in Voto est de essentia Voti, & cùm simus incerti de fine, sumus incerti de voto.

43. *Quær.* An ordinatus in sacris, vel Religiosus professus, qui iterùm vovit ob suam devotionem castitatem servare, si incidat in mollitiem, vel fornicationem, teneatur in confessione exprimere, se duplici Voto esse adstrictum? *Resp.* Non teneri, quia multiplicatio nova Votorum non facit differre specie peccatum; nam iterùm vovens non contrahit novam obligationem, sed priorem confirmat; sicut, si quis pluries promitteret, se soluturum id, quod ante debebat. Diana. *part.* 1. *tract.* 7. *res.* 9. quæ in Coordin. est *tom.* 1. *tract.* 7. *res.* 75. & ibi Filiuc. *tom.* 2. *tractat.* 30. *cap.* 7. *num.* 26. ubi dicit, quòd Votum solemne, & simplex differunt tantùm accidentaliter, & non est circumstantia in Confessione exprimenda. Secùs autem esset, si Religiosus professus, vel in sacris ordinatus juraret, se non esse fornicaturum, & fornicaretur; nam esset obligatus exprimere tam votum, quàm juramentum, ea ratione, quia vinculum juramenti est diversæ virtutis essentialis à Voto; & diversa ratione utrumque spectat ad Religionem, nimirùm Votum, ut fides Deo servetur; & ne Deus vocetur in testem falsi juramenti. Dian. *part.* 11. *tract.* 4. *resol.* 4. Quæ in Coordin. est *tom.* 6. *tract.* 1. *resol.* 38. *num.* 8. *in fine.* Et Eminentiss. Card. de Lauræa *in* 4. *Sentent. tom.* 2. *de Sacram. Pœnit. disp.* 11. *art.* 6. *num.* 98.

44. *Quær.* An valeant Vota impeditiva majoris boni? *Resp.* Negativè. Tambur. *in Decal. d. lib.* 3. *cap.* 15. §. 3.

45. *Quær.* Quæ sint Vota impeditiva majoris boni? *Resp.* Eorum cognitionem pendere à circumstantiis loci, temporis, & personæ, per prudentem virum considerandis. Ut plurimùm autem sequentia Vota non valebunt, tanquam impeditiva majoris boni; videlicet Primo, Votum de nunquam vovendo. Secundò, Votum de contrahendo

do Matrimonio etiam cum puella paupere, vel cum meretrice; nisi tibi matrimonium esset necessarium ob nimiam incontinentiam refrænandam. Tertiò, Votum non suscipiendi sacros Ordines; nisi ex nimia humilitate, ut in Sancto Francisco. Quartò, Votum non petendi dispensationem à Voto; quando subsit causa legitima, aut necessaria petendi dispensationem. Tambur. *dict. lib.* 3. *cap.* 15. §. 4. & Sanchez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 47. *& seqq.*

46. *Quær.* An valeat Votum, cujus materia partim est apta, sed partim est inepta? *Resp.* Cum distinctione; si pars materiæ ineptæ est divisibilis, & separabilis à parte apta, valet Votum in ea parte, quæ apta est; secùs si ab invicem separari non possit. Hinc, qui vovit dare decem pro eleemosyna, & non potest dare nisi quinque, tenetur illa quinque dare. Qui vovit jejunare tali die; si ob defectum stomachi non possit stare sine cibo usque ad meridiem, est liber à Voto. Tambur. *dict. lib.* 3. *cap.* 15. §. 5. Sanchez *d. lib.* 4. *in Decal. cap.* 10.

47. *Quær.* Si quis vovisset peregrinationem equestrem ad Urbem Romam, teneatur ad Votum, si careat equo? *Resp.* Non teneri. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 15. §. 5. *num.* 4.

48. *Quær.* Quænam Regula servanda, dum sumus in dubiis, & agitur de interpretatione Voti? *Resp.* Regulam esse, ut Vota benignè interpretentur; ita, ut quanto minùs fit possibile, gravent Voventem. Layman, *lib.* 4. *de Voto cap.* 3. *num.* 3. Tambur. *dict. lib.* 3. *cap.* 15. §. 6 *ubi num.* 3. dicit, quòd, qui vovit peregrinationem, potest eam adimplere equitando. Qui vovit audire Missam quotidie, non tenetur die festo, nisi unam Missam audire. Qui vovit recitare Rosarium, satisfacit recitando tertiam partem tantùm, vel alternatim cum socio. Qui vovit jejunium, more Ecclesiastico jejunare tenetur; ita, ut si dies jejunii incidat in die Dominico, vel in die festo Corporis Christi, debeat die præcedenti jejunare. Et qui vovit jejunare singulis sextis feriis, si eo die incidat Natalis Domini, non tenetur jejunare, nisi expressè excluisset eandem festivitatem.

49. *Quær.* An si quis voveat jejunium ex devotione, & ea die comedat semel carnes, & jejunium frangendo peccet; teneatur ulteriùs, eo die abstinere ab esu carnium? *Resp.* Negat Sanchez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 42. quia cessat facultas eo die jejunandi, & sicut alii possunt carnes eo die comedere; ita & illa Vovens. Affirmat tamen Suarez *lib.* 3. *de Voto cap.* 7. *num.* 9. *&* 12. putans, ob votum jejunii illum diem factum esse diem Vigiliæ de præcepto, in quo, qui fregit jejunium, tenetur abstinere ab esu carnium. Utramque opinionem ait Laym. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. & Tambur. *dict. lib.* 3. *in Decal. cap.* 15. §. 6. *num.* 11.

50. *Quær.* An qui vovit jejunare in pane, & aqua; possit bibere de mane parum aquæ vitæ? *Resp.* Posse, quia bibitur pro corroboratione stomachi tantùm; & est quid parum, quod non offendit Votum. Tambur. *dict. lib.* 3. *cap.* 15. §. 6. *num.* 14.

51. *Quær.* An qui Votum fecit de jejunando in pane, & aqua tali die; si vinum semel bibat, teneatur iterùm abstinere à vino; vel, cùm sit violatum Votum, possit deinceps bibere vinum? *Resp.* Affirmare Sanchesium *lib.* 4. *in Decal. cap* 11. *num.* 41. Negare Castropalaum *tom* 3. *tract.* 15. *disp.* 1. *punct.* 12. *num.* 19. Sed distinguere Tamburin. *dict. cap.* 15. §. 6. *num.* 17. Vel vovit abstinere à vino tota illa die? & tenendum cum Palao. Vel vovit simplex jejunium, & adhærendum Sanchesio.

52. *Quær.* An qui pariter vovit jejunare in pane, & aqua, possit comedere pastillos esculentos ex farina coctos in aqua, quos appellamus *Macherones*, seu *Vermicellos*, sivè *Bigoli*, aut *Sugoli*? *Resp.* Negativè; quia habent formam pulmenti: quod repugnat austeritati intellectæ per panem, & aquam. Tambur. *dict. lib.* 3. *in Decalog. cap.* 15. §. 6. *num.* 20. Ubi tamen concedit, posse elixari panem in aqua ebulliente, & ex utroque fieri vulgò la *Panada*. Nam, sicut panis potest assari ad prunas absque fractione jejunii, vel in furno, ita elixari in aqua.

53. *Quær.* An qui vovit abstinere à lacticiniis, possit comedere carnem? *Resp.* Negativè; esset enim ridiculum, ut qui non potest comedere ovum, possit comedere gallinam. At è contra, qui vovit non edere carnem, potest edere lacticinia. Tambur. *d.* §. 6. *num.* 21.

54. *Quær.* Quid agendum, si quis vovit dare pro eleemosyna rem indeterminatam? *Resp.* Poterit eam determinare cum minori incommodo ipsius voventis, sed absque fraude, & cum consilio viri prudentis. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 15. §. 7. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 13. *num.* 19.

55. *Quær.* Quot, & quibus modis cesset obligatio voti? *Resp.* Cessare quinque modis. Primò, ex natura rei. Secundò, ex lapsu temporis. Tertiò, ex irritatione. Quartò, ex dispensatione. Quintò, ex commutatione.

56. *Quær.* Quomodo ex natura rei voti obligatio cesset? *Resp.* Si emergant tales circumstantiæ, quarum causa votum adimpleri non possit absque jactura vitæ, honoris, familiæ, aut alterius gravi damno juxta prudentum virorum consilium. Vel mutatio rei succedat. e. gr. Si vovisti dare eleemosynam quotidie Petro; & hic dives evadat. Vel ad obtinendam sanitatem filii, & hic moriatur. Tamburin. *d. lib.* 3. *cap.* 16. §. 1. *num.* 2. *ubi num.* 4. advertit, quòd qui adimplet votum, licèt non recordetur de ipso Voto, non tenetur ampliùs adimplere; agitur enim de actu Religionis, cui satisfit per adimplementum promissionis, quamvis desit intentio ex doctrina Cardinal. de Lugo *tom.* 1. *de Just. & Jure disp.* 4. *num.* 46. Non obstante contraria opinione Doctorum, quando agitur de re debita ex Justitia, ut videri potest apud Dianam *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 43. Quæ in Coordinato est *tom.* 1. *tract.* 6. *resol.* 33. *& resol.* 55. ubi loquitur de illo, qui

qui adimplet Pœnitentiam Sacramentalem, absque explicita intentione illam adimplendi, sunt enim contrariæ DD. opiniones, an teneatur iterùm adimplere illam.

57. *Quær.* Quomodo cesset obligatio Voti ex lapsu temporis? *Resp.* Quando quis vovit, se aliquid facere in aliquo peculiari tempore tantùm, & non potuit, vel neglexit eo tempore adimplere; ut, si quis vovisset peregrinari Romam Anno sancto; vel jejunare totis sextis feriis hujus Anni; si enim omiserit implementum Voti, & transactus sit Annus, non tenetur ampliùs adimplere, secùs autem, si tempus præfixum fuisset ad incipiendam obligationem voti; vel intentio voventis fuisset, remanere obligationem, etiam transacto eo tempore. Tambur. *d. lib. 3. cap. 16. §. 2.* Sanchez *lib. 4 in Decal. cap. 14. num. 32.* Bonacina *de Voto disp. 4. quæst. 2. p. 5. num. 9.*

58. *Quær.* Ex irritatione quomodo cesset obligatio Voti? *Resp.* Quando Superior voventis votum irritat, nolens illud à suo subdito adimpleri. Superior autem dicitur Pater erga filium, Dominus erga servum, Prælatus erga Religiosum, Tutor erga Pupillum, Curator erga minorem, Avia, & Mater, mortuo Patre, erga nepotem, seu filium, Socer erga generum carentem proprio Patre, Maritus erga Uxorem, & Abbatissa erga Moniales. Tamburin. *dict. lib. 3. cap. 16. §. 3.* Sanchez *lib. 4 in Decal. à cap. 29. & seqq.* Collegium Salmanticen. *in Cursu Theol. Mor. tom. 4. tract. 17. cap. 3. per totum*; & Mastrius *in Theol. Mor. disp. 11. num. 67.*

59. *Quær.* An supradicti Superiores possint irritare omnia Vota suorum subditorum? *Resp.* Eos posse irritare vota personalia, qualia sunt jejunia, orationes, disciplinas, ingressum in Religionem, & similia, si emissa sint ante annos pubertatis; videlicet, ante annum 14. in masculo; ante annum 12. in fœmina. Vota verò realia, nempe de eleemosyna, & quæcunque alia, quæ licèt personalia causarent magnam perturbationem in familia, etiam post pubertatem possunt à prædictis Superioribus irritari. Tamburin. *dict. cap. 16. §. 3.* ubi DD. Sanch. *in Decalog. dict. lib. 4. cap. 35. num. 15.* & Colleg. Salmantic. *dict. tom. 4. tract. 17. cap. 3 punct. 8.*

60. *Quær.* An Pater possit irritare vota filii emissa ante pubertatem, si jam egressus sit de pubertate? *Resp.* Affirmativè. Salmantic. *d. cap. 3. num. 73.* etiam si filius factus pubes esset emancipatus; dummodo tamen non ratificasset illa vota post pubertatem, vel post emancipationem, & nisi in emancipato votum esset reale.

61. *Quær.* An Superior possit irritare vota subditorum, quorum adimplementum destinatum fuit à vovente tempore finitæ subjectionis? *Resp.* Affirmativè. Salmantic. *d. cap. 3. num. 74.* & ibi DD. Tambur. *d. lib. 3. cap. 16. §. 3. num. 49.*

62. *Quær.* An Vota emissa tempore, quo vovens non erat subditus alicujus, possint irritari à Superiore, cujus postea vovens factus est subditus? *Resp.* Negativè; sed tantummodo potest suspendere executionem illius Voti, si sibi sit præjudiciale. Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 31. num. 9.* Salmantic. *d. cap. 3. num. 75.*

63. *Quær.* An Superiores prædicti possint irritare vota subditorum emissa de eorum licentia? *Resp.* Non esse concordes DD. alii enim negant, alii affirmant. Tambur. *dict. lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 3. num. 15.* ubi alios allegat.

64. *Quær.* An requiratur causa in Superioribus volentibus irritare vota subditorum? *Resp.* Negativè, imò possunt irritare, etiam subditis contradicentibus. Tambur. *ibid. num. 13. & 14.*

65. *Quær.* An Superiores Regulares possint irritare Vota Novitiorum? *Resp.* Negativè, nisi vovissent ante pubertatem; tunc enim possent Superiores Regulares illa irritare, quia succedunt loco parentum. Tambur. *d. cap 16. § 3. num. 40. & 41.*

66. *Quær.* Quæ vota emissa ab Uxoribus possint irritari à Marito? *Resp.* Ea omnia, quæ præjudicant rectæ domus gubernationi. Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 3. n. 7. & disp. 39. num. 4. & in Decalog. lib. 4. cap. 34. num. 3.* Tambur. *d. §. 3. num. 48.*

67. *Quær.* An Uxores possint irritare vota maritorum? *Resp.* Affirmativè, si sibi sint præjudicialia, puta de Castitate servanda, de peregrinatione assumenda, de rigorosis jejuniis ineundis. Tamburin. *d. §. 3. num. 54.*

68. *Quær.* Quis possit tollere Vota per dispensationem? *Resp.* Superior Ecclesiasticus vi suæ Jurisdictionis. Videlicet, Papa in omnibus votis, & cum omnibus personis. Episcopus in sua Diœcesi, & Legatus in sua Provincia. Capitulum Sede Vacante. Prælati habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem. Summus Pœnitentiarius; Vicarius Episcopi; & Confessarii ex speciali delegatione Episcopi; hi omnes possunt dispensare in votis, si justa causa subsit, exceptis tamen votis quinque; videlicet: Primò, Castitatis perpetuæ. Secundò, Religionis. Tertiò, peregrinationis Romanæ. Quartò, Hierosolymitanæ. Quintò, Compostellanæ. Tamburin. *d. lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 4. num. 4. & num 26. & seqq.* ubi *num. 32.* notat, supradicta Vota reservata posse dispensari ab Episcopo, si fuerint conditionata, vel pœnalia; quod latiùs examinat Pax Jordanus *tom. 2. lib. 9. tit 1. præcipuè à num. 271.* ad quem in praxi nunquam me pœnituit recurrisse.

69. *Quær.* Quis possit dispensare vota emissa ab Episcopo? *Resp.* Vel Archiepiscopus vel ipse Episcopus erga semetipsum immediatè; vel mediante suo Confessario, ei impertiendo facultatem, ut illum ab obligatione Votorum liberet, tam in Confessione, quàm extra. Tamburin. *dict. lib. 3: cap. 16. §. 4. num. 6.*

70. *Quær.* An Regulares habeant Privilegium dispensandi cum sæcularibus in Votis? *Resp.* Affirmativè, si sint ritè approbati ad eorum confessiones audiendas. Pellizar. *in Manuali Regular. tract. 8. cap. 3. num. 141.*

Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 43. Ascanius Tamburin. *de Jure Abb. tom.* 2. *disp.* 19. *quæs.* 8. & ipse Thom. Tamb. *dict. lib.* 3. *in Decal. cap.* 16. §. 4. *num.* 46. 47. *&* 48. ubi refert ipsa Privilegia; & *num.* 49. ubi ponit Catalogum Votorum, à quibus possunt Confessarii Regulares absolvere pœnitentes. Idem ego docui de Pœnitentia *decis.* 46. *num.* 19.

71. *Quær.* An Abbatissæ possint dispensare, vel commutare Vota suarum Monialium, vel Novitiarum? *Resp.* Negativè. Nam irritare quidem Vota earum possunt ob auctoritatem dominativam, qua pollent; non autem dispensare, vel commutare; quia opus est jurisdictione Ecclesiastica, qua ipsæ carent. Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 39. *num.* 7. & Tambur. *dict. lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *n.* 9. Vide dicta supra *cap.* 10. *quæs.* 6.

72. *Quær.* Cùm dictum sit, opus esse justa causa ad dispensandum in Votis; quæ etiam requiritur, etsi minùs urgens, ad commutandum; quæ sit justa causa ad effectum præmissum? *Resp.* Justam causam esse: 1. Imperfectam deliberationem in vovente, vel respectu ætatis, vel iræ, vel alterius passionis, vel timoris naufragii, aut alterius mali. 2. Si damnum aliquod considerabile immineat in executione voti. 3. Si ex dispensatione sequatur bonum majus spirituale. Dicitur spirituale, quia bonum temporale sequuturum sufficit ad commutandum Votum, non etiam ad dispensandum. 4. Si agatur de evitando gravi damno etiam temporali alicujus alterius personæ. Tamburin. *d. lib.* 3. *cap.* 16. *à num.* 10. *& seqq.*

73. *Quær.* An sit differentia inter potestatem Episcopi; & inter potestatem Regularium quoad dispensationem, vel commutationem Votorum? *Resp.* Hanc esse differentiam, quòd Episcopi dispensare possunt cum solis suis Diœcesanis; At Regulares cum omnibus ad se accedentibus. Item Regularium potestas non se extendit ad illa quinque Vota reservata Summo Pontifici; At potestas Episcoporum aliquando se extendit etiam ad illa quinque, puta si sint pœnalia, factave sub conditione; vel in casu urgentis necessitatis. Item Episcopi possunt delegare alii dictam potestatem; non autem Regulares. Laym. *lib* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 27. Pellizar. *d. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 153. & Tambur. *dict. cap.* 16. §. 4. *num.* 50. *&* 51. Porrò convenit Potestas Episcopi, & Regularium, quia utrique possunt dispensare, vel commutare extra Sacramentum Confessionis, ac etiam absentibus, & per litteras. Item utrique dispensant in votis conditionatis, vel pœnalibus (excipe illa quinque reservata Papæ.) Item utrique dispensant in voto castitatis emisso à Conjuge ad effectum, ut possit petere debitum. Tamburin. *ibid. num.* 52. 53. 54.

76. *Quær.* Qui possint commutare Vota? *Resp.* Omnes supradicti, quibus potestas est dispensandi; ac ulteriùs ipse vovens, si commutet in melius, nisi agatur de præjudicio Tertii, ut si vovisses dare decem Titio pauperi, qui acceptavit oblationem tuam; non enim poteris commutare votum illud, dando alteri viginti. Tamburin. *dict. lib.* 3. *cap.* 16. §. 5. *num.* 4. *&* 5. At commutare in minus, ipse vovens non potest, imò neque Episcopus, neque Superior, aut Confessarius absque justa causa, quamvis sit tempus Jubilæi. Tambur. *dict.* §. 5. *num.* 8. *&* 9. In æquale autem, utrùm ipse vovens possit suum votum commutare, alii asserunt, alii negant, quos citat Tambur. *dict.* §. 5. *num.* 12. 13. *&* 14. ubi dicit, utramque opinionem esse probabilem; præcipuè si justa aliqua causa sic commutandi concurrat; & æqualitas servetur, juxta doctas regulas, quas ipse adjungit *ibid.* §. 6. quem adire juvabit, ubi de commutando aliquo Voto contingat.

77. *Quær.* An facta commutatione voti, liceat redire ad primum votum? *Resp.* Affirmativè. Laym. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 27. Tamburin, *dict. cap.* 16. §. 7. *num.* 4. Quòd si materia commutata fiat impossibilis, non est opus reassumendi primum votum; quia primum votum jam extinctum est. Idcircò, si oratio, vel eleemosyna ex voto commutata sit in jejunio certi alicujus diei; & in illo die tu non potuisti jejunare ob infirmitatem, non es obligatus facere pristinam orationem, vel eleemosynam. Castropal. *de Voto disp.* 2. *punct.* 18. *num.* 2. Tamburin. *dict. lib.* 3. *cap.* 16. §. 7. *num.* 1. Quæ quidem sunt intelligenda de commutatione facta à Superiore. Quandoquidem si propria auctoritate vovens commutasset sibi votum in materiam majorem, vel æqualem, & hanc adimplere non possit, utique tenetur servare primum votum. Tamb. *d.* §. 7. *n.* 6.

78. *Quær.* An Votum perenne factum ab aliqua Communitate jejunandi tali die, vel eum servandi festivum de Præcepto singulis annis, obliget omnes posteros, ac successores ejusdem Communitatis? *Resp.* Affirmativè. Gobatus *in Theol. Exper. tract.* 5. *num.* 86. ubi DD. qui sudant in assignanda ratione hujus obligationis, de qua videatur S. Thom. 2. 2. *quæst.* 98. *art.* 2. & Sanchez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 16. 17 *&* 18.

CAPUT XLVII.

De Tertio Decalogi Præcepto.

1. *Quær.* Quid jubeat hoc Præceptum? *Resp.* Sanctificationem Festorum juxta illud: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices. Exod.* 20. 9.

2. *Quær.* Quid intelligerent Hebræi appellatione Sabbati? *Resp.* Quòd intelligebant tria. 1. Ultimam diem hebdomadæ, quam etiam nos Sabbatum vocamus. 2. Totam integram hebdomadam, ideò dicebat Pharisæus ille: *Jejuno bis in Sabbato. Luc.* 18. id est, bis in hebdomada. 3. Quamlibet diem festivam, cujus sanctificatio erat injuncta Hebræis, quibus dictum erat *Levit.* 23. *A Vespere in Vesperum celebrabitis Sabbata vestra*; id est, festivos dies vestros. Pax Jordan. *tom* 2. *lib.* 11. *tit.* 1.

tit. 1. *num.* 4. Card. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 24. Tirin. *in Chronic. Sacr. cap.* 3.

3. *Quær.* Quare Judæis erat feſtiva ſeptima dies Sabbati? *Reſp.* Ob tria. 1. Ob memoriam Creationis Mundi, à qua Deus ceſſavit die ſeptimo. 2. Ob memoriam futuri Meſſiæ, id eſt, qui die Sabbato requievit in Sepulchro. 3. Ad refocillandas vires tum animæ per actus Religionis, tum corporis abſtinendo à laboribus. Card Tolet. *dict. cap.* 24. & Jordan. *d. tit.* 1. *num.* 5.

4. *Quær.* Quare nobis Chriſtianis ſit feſtiva dies Dominica? *Reſp.* Quia, ut habetur in ſexta Synodo Generali Conſtantinopolitana *cap.* 8. *In die Dominico Deus lucem condidit: in eo Manna in Eremo pluit; in eo naſci dignatus eſt: in eo Stella Magis refulſit; in eo baptiſmum in Jordane à Joanne ſuſcepit: in eo ipſe prius Redemptor ſponte pro ſalute noſtra à mortuis reſurrexit: in eo Spiritum Sanctum ſuper diſcipulos infudit &c.*

5. *Quær.* Quare mutatum ſit Sabbatum feſtivum in diem Dominicam, cùm de eo dictum fuerit, *Exod.* 31. *Pactum eſt ſempiternum, ſignumque perpetuum*? *Reſp.* Quia erat cæremoniale, & umbra futuri Meſſiæ, per cujus adventum ceſſavit; ſicut lux ſuperveniens facit ceſſare umbras, ac tenebras. *cap. Pervenit, de Conſecrat. diſt.* 3. Jordan. *ubi ſupra num.* 10. & de mutatione feſtivitatum Judaicarum in feſtos dies Chriſtianorum videndus S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 103. *art* 3. & 4. atque Nicolius *in Floſcul. Verb. Feſtum.*

6. *Quær.* Quot requirantur ad Sanctificationem Feſtorum? *Reſp.* Tria requiri. Auditionem Miſſæ. Abſtinentiam ab operibus ſervilibus. Et Ceſſationem ab actibus forenſibus. Cajetan. *in Summ. Verb. Feſt. Violatio.*

7. *Quær.* Qui poſſint indicere dies feſtivos? *Reſp.* Summus Pontifex in toto mundo. *cap. Conqueſtis, de Feriis, cap* 1. *de Conſ. diſt.* 3. At etiam Epiſcopus in ſua Diœceſi de conſenſu ſui Capituli. *cap. Cum Clerici, de Verb. ſignificat.* Tambur. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *num.* 1. & 3. ubi obſervat, Urbanum Papam Octavum, in ſua Bulla *Idib. Septembr. anno* 1642. *Incipien. Univerſa per Orbem.* (Quæ eſt in Bullario, *la* 291. *tom* 5. & quam ponit per extenſum Jordan. *dict. tom.* 2. *lib.* 11. *tit.* 1. *num.* 198.) reſtrinxiſſe dies feſtos ad numerum in eadem Bulla terminatum; & quoscunque alios dies vel ex conſuetudine, vel ex alia lege feſtivos non eſſe obligatorios; ſed non abſtuliſſe facultatem Epiſcopis indicendi aliquem diem feſtum de conſenſu Cleri, & populi; etſi eos monuerit, ſe conformes reddere eidem Bullæ.

8. *Quær.* An extantibus pluribus Sanctis Patronis unius Civitatis, earum feſta ſint omnia de Præcepto? *Reſp.* Negativè; ſed dies feſtus Patroni principalioris tantùm eſt ſervandus de Præcepto; aliorum verò Sanctorum Patronorum dies feſti non ſunt de Præcepto, ſic ſtatuente Urbano VIII. in dicta Bulla. Ita Squill. *de Obligat. Epiſc. part.* 3. *cap.* 37. *num.* 3. Hinc Patavii Feſtum Sancti Prosdocimi eſt de Præcepto, Feſta verò Sancti Danielis, Antonii, & Juſtinæ, non ſunt amplius de Præcepto, quia hi ſunt Patroni minùs principales; S. Proſdocimus verò eſt iisdem principalior.

9. *Quær.* An ſit ſervandus dies feſtus indictus à Principe laico ob aliquam victoriam, vel aliam publicam cauſam? *Reſp.* Eſſe ſervandum ob obedientiam debitam Principi, ſed non ob virtutem Religionis; ideò, qui absque contemptu non abſtineret ab operibus ſervilibus, non peccaret. S. Antonin. *in Summ.* 2. *par. tit.* 9. *cap.* 6. §. 1. Tambur. *dict. lib.* 4. *cap.* 1. § 1. *num.* 2.

10. *Quær.* Qua hora incipiat dies feſtivus? *Reſp.* A media nocte antecedenti; & durat usque ad mediam noctem ſubſequentem. Abb. *in cap.* 2. *de Feriis.* Sylveſt. *Verb. Dominica, num.* 4. Et dixi de Sacrificio Miſſæ *deciſ.* 39. *num.* 21.

11. *Quær.* Quæ ſit prima obligatio adimplenda in die feſto? *Reſp.* Auditio Miſſæ; & ad hanc tenentur omnes baptizati, exceptis parvulis, amentibus, & aliis habentibus legitimum impedimentum. Tambur. *dict. lib.* 4. *cap.* 2. §. 1. *num.* 1.

12. *Quær.* An, qui integram Miſſam non audit, ſatisfaciat præcepto? *Reſp.* Satisfacere, ſi eam audiat ſaltem ab Evangelio uſque in finem. Vel ſaltem à principio uſque ad communionem. Tamburin. *dict.* §. 1. *num.* 3. ubi adjungit ex mente Card. de Lugo *diſp.* 22. *de Euchar. num.* 4. ſatisfacere, ſi audiens Miſſam diſcedat tempore conſecrationis, ſed revertatur ante Communionem.

13. *Quær.* An accedens ad Eccleſiam, dum dicitur Præfatio Miſſæ in die feſto teneatur reliquum ipſius Miſſæ audire, ſi alia haberi non poſſit? *Reſp.* Affirmativè. Secùs, ſi facta fuiſſet conſecratio. Card. de Lugo *dict. diſp.* 22. *num.* 6. Tamburin. *dict.* §. 1. *num.* 5. rejecto Joan. Sancio *diſp.* 15. *num.* 5.

14. *Quær.* An ſit præceptum genuflectendi ad Miſſam? *Reſp.* Negativè, ſed cavendum ab irreverentia, quæ eſſet culpa mortalis in non genu flectente ad elevationem Sacramenti, absque impedimento; ut docet conſuetudo Chriſtianorum. Tambur. *d.* §. 1. *num.* 8.

15. *Quær.* An ſatisfaciat Præcepto, qui audit mediam Miſſam unius Sacerdotis, & aliam mediam alterius? *Reſp.* Aſſerere plures Theologos relatos à Tamburino *dict.* §. 1. *num.* 10. qui contrarium tenet; & hodie eſt Propoſitio damnata ab *Innocent. XI. la* 53. de qua Cardenas *in Criſi Theolog. diſſert.* 32. *num.* 41.

16. *Quær.* Quæ præſentia requiratur ad ſatisfaciendum præcepto Miſſæ? *Reſp.* Requiri præſentiam moralem, & humanam, ut ſcilicet fidelis vel audiat, vel videat Sacerdotem celebrantem; aut ſaltem ſit vicinus aliis adſtantibus, audientibus vel videntibus, etſi non poſſet ingredi Eccleſiam ob multitudinem populi, vel aliud legitimum impedimentum. Card. de Lugo *de Euchar. dict. diſp.* 22. *num.* 21. Tamburin. *dict.* §. 1. *num.* 11. & *ſeqq.* ubi notat dormientem tempore Miſſæ, vel confitentem ſua peccata non ſatisfacere, juxta Sanchez *conſ. Moral. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 33. & Azorium 1. *part. lib.* 7. *cap.* 7. *qu.* 8.

17. *Quær.* Qua intentione audienda sit Missa? *Resp.* Intentione satisfaciendi præcepto. Quamvis, qui intenderet audire ex sola devotione, adhuc satisfaceret. Tambur. *d.* §. 1. *num.* 17. *&* 18.

18. *Quær.* An sit necessaria attentio, & qualis, in audienda Missa? *Resp.* Utique esse necessarium, attendere ad rem Sacram; & abstinere à confabulationibus, & aliis distractionibus; ut est legere historias, scribere, pingere. Non desunt tamen DD. asserentes, sufficere solam attentionem externam, quos citat, & probat Card. de Lugo *de Euch. d. disp.* 22. *num.* 27. Tambur. *d.* §. 1. *num.* 19. *& in Opuscul. de Sacrific. Missæ lib.* 2. *cap.* 3.

19. *Quær.* Qui sint excusati ab obligatione audiendi Missam? *Resp.* Excommunicati, Interdicti, Carcere detenti, Infirmi, distantes nimis à Templo, præcipuè tempore hyemis, pluviæ, vel nivis; Itinerantes, navigantes, qui vestimenta suo statui convenientia non habent; hi, quibus Superior prohibet egredi è domo; si timor sit alicujus gravis mali vel in vita, vel in honore, vel in bonis, respectu sui, vel alterius proximi; & sic excusantur, qui assistunt infirmo; ac matres, seu nutrices, quæ parvulos solos relinquere non possunt, & si ad Ecclesiam portarent, molestos nimis haberent. Card. de Lugo *dict. disp.* 22. *num.* 14. *&* 15. Tambur. *dict. lib.* 4. *cap.* 2. §. 2. *à num.* 1. *& seqq.*

20. *Quær.* An excusentur ab audienda Missa mulieres post partum diu non egredientes domo; vel ob aliquem conjunctum defunctum; vel si factæ sint sponsæ? *Resp.* Excusari, si talis sit consuetudo, quam Episcopus non damnaverit abusivam, ut sæpè legitur in Synodalibus Constitutionibus. Tambur. *ibid. num.* 9.

21. *Quær.* An Peregrini qua die in eorum Civitate non est festum de Præcepto, sed ubi reperiuntur, est dies festus, teneantur audire Missam? *Resp.* Si sunt transeuntes, vel parùm immoraturi, non tenentur; secùs si per duas, vel tres hebdomadas ibi moram trahant. Tamburin. alios DD. cumulans *d. lib.* 4. *cap.* 2. §. 2. *num.* 10. *&* 11.

22. *Quær.* An Peregrinus, in cujus Patria est dies festus; non autem in loco, ubi reperitur, teneatur ibi Missam audire? *Resp.* Negativè; etiamsi discessisset à Patria manè diei festi. Tambur. pluribus citatis DD. *d.* §. 2. *num.* 12. ea ratione, quia poterat differre auditionem Missæ usque ad meridiem; & eo tempore reperitur in loco, ubi non est obligatio.

23. *Quær.* An qui discedit à sua Civitate die, quo ibi celebratur festum Sancti Rocchi, & accedit ad aliam Civitatem, in qua celebratur festum S. Hyacinthi, si non audivit Missam in sua Civitate, teneatur eam audire in ista? *Resp.* Negativè. Ratio de prima sua Civitate, quia discessit, durante tempore audiendi Missam in ea usque ad meridiem. Ratio de secunda, quia in ea Civitate est peregrinus, & advena. Tambur. *d.* §. 2. *num.* 13. Joan. Sancius *in Select. disp.* 54. *num.* 31.

24. *Quær.* An liceat omittere auditionem Missæ in die festo ad effectum interim confitendi peccata? *Resp.* Affirmativè, si peccata mortalia quis habeat, & non possit deinceps, si Missam audiat, habere copiam Confessarii. Bauci *in Singul. cap.* 12. Tambur. *dict.* §. 2. *num.* 18.

25. *Quær.* An qui prævidet non posse audire Missam in meridie, teneatur eam audire manè diluculò? *Resp.* Affirmativè, quod si facere potest, & omittat, mortaliter peccat. Tambur. *dict. lib.* 4. *in Decal. cap.* 3. §. 3. *num.* 4. *& de Sacrificio Missæ in Opuscul. lib.* 3. *cap.* 6. §. 2.

26. *Quær.* An liceat solatii causa discedere è Civitate, & se conferre in locum distantem, ubi adveniente die festo non habeatur Missa? *Resp* Esse hinc inde opiniones, quas refert, occasione nobilium euntium ad Venationes, Tamburin. *d. lib.* 4. *in Decal. cap.* 3. §. 3 *num.* 9.

27. *Quær.* Circa abstinentiam ab operibus servilibus in die festo, quæ sint opera servilia? *Resp.* Opera servilia ita dici ad differentiam artium liberalium; hæ etenim spectant principaliter ad animum; illæ verò pertinent præcipuè ad laborem corporis, & fieri solebant solùm à servis, & mancipiis. Itaque opera servilia sunt arare, fodere, serere, ligna, lapidesve cædere, fabricare, & alias artes mechanicas exhibere. Liberales verò artes sunt concionari, consilia dare, studere, docere, discere, cantare, organa musica pulsare, choreas agere, digladiare, (vulgò *scher-mire.*) Tambur. alios allegans *d. lib.* 4. *in Decal. cap.* 3. §. 1. *num.* 1. ubi subdit alia opera esse media inter supradicta, nempè venari, piscari, iter facere.

28. *Quær.* Quo jure sint prohibita opera servilia in diebus festis? *Resp.* Jure Divino *ex Levit.* 28. ibi *Omne opus servile non faciet in eo;* quod receptum est ab Ecclesia *in cap. Licet, de Feriis.*

29. *Quær.* An liceat facere opera servilia in die festo, non ob lucrum, sed gratis? *Resp.* Negativè, quia semper sunt in sua propria qualitate. Tambur. *d.* §. 1. *num.* 3. Econtra fieri possunt liberalia ob lucrum. Ideò licet scribere, & transcribere ob pretium, characteres pro typis componere; (non autem cum torculari litteras imprimere,) acu pingere, ac penicillis picturas facere, non autem colores terere; Lohner *Instit. pract. tract.* 5. §. 5. *pag.* 575. venari, piscari, (si tamen retia, & alia instrumenta sint composita, & parata) prout etiam iter agere; quamvis quo ad onera à bestiis ferenda, sit altercatio inter DD. quorum major pars concedit, esse licitum ob comunem hominum necessitatem, si mulliones, & Agasones priùs Missam audiant. Diana *par.* 2. *tract.* 15. *resol.* 36. Quæ in Coordinato Opere est *tom.* 7. *tract.* 5. *res.* 16. Layman. *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. Tambur. *dict. cap.* 3. §. 1. *à* 6 *& seqq.* ubi *num.* 10. advertit, artem Sculptoriam esse omninò servilem, & prohibitam in die festo. Quo verò ad usum molendinorum standum esse consuetudini, quæ à Prælatis sit approbata. Hìc Patavii usus est, ut hora vigesima secunda, dum Sol ad occasum appropinquat, molendina trusatilia,

lia, quæ aquis ducuntur, molere incipiant in diebus festis.

30. *Quær.* An, qui habet servos Turcas, Mauros, aliosve infideles, possit iisdem præcipere opera servilia diebus festis? *Resp.* Negativè, quia, qui per alium facit, per seipsum facere videtur; ut ex doctrina Theologorum docet Tamburin. *dict. cap.* 3. §. 1. *num.* 15. 16. & 17. & aliorum apud Dianam *par.* 5. *tract.* 14. *res.* 7. Quæ in Coordinato est *tom.* 7. *tract.* 8. *res.* 49. quamvis ipse Diana recedat à dicta opinione, neque Tamburinus sit constans.

31. *Quær.* Quæ sint causæ excusantes à peccato, si fiant opera servilia in die festo? *Resp.* Brevitas temporis, id est, spatium duarum horarum. Cultus divinus, ut Templum verrere, aut parietes ornare; sed non ita eos spoliare. Necessitas corporalis, tùm quoad cibum parandum, tum quoad vestes terminandas, vel medicinam componendam. Hinc ferrarii ferreas laminas equorum pedibus imponentes ob necessitatem iter agentium, excusantur; ac etiam coquentes calcem, lateres, & vitrum, si nimium damnum sequeretur ex interruptione ignis die festo. Tempore messis, vel vindemiæ, si immineat periculum bladarum, vel uvarum, nisi colligantur. Si emergat occasio alicujus extraordinarii magni lucri, ut tempore piscandi Alecia, vulgò *le Sardelle*, ò *Arenghe*, vel Tymnos, *ex cap. Licet. de Feriis.* Tandem, quæ concernunt victum quotidianum, ut coquere panem, pulmentum, carnes, & similia, juxta consuetudinem universalem, quam admittunt Theologi apud Tambur. *dict. cap.* 3. §. 2. *à num.* 6. *& seqq.*

32. *Quær.* An peccent Barbitonsores artem suam exercentes in die festo? *Resp.* Ex communi placito DD. negativè, ex rationibus allatis per Tamburin. *dict.* §. 2. *num.* 13. & præcipuè ob lucrum cessans, & ob consuetudinem à Prælatis approbatam; de vi autem consuetudinis in hac materia plura congerit idem Tambur. *ibid. à num.* 21.

33. *Quær.* Si res facienda in die festo habeat causam dubiam, quid agendum? *Resp.* Petendam esse dispensationem, quam dare possunt Papa, Episcopi, aliique Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes; ac etiam Parochi ex universali Episcoporum concessione; qui omnes tali casu bene faciunt, si aliquam eleemosynam injungant. Laym. *lib.* 1. *tractat.* 4. *cap.* 22. *num.* 29. Tamburin. *dict. lib.* 4. *in Decalog. cap.* 3. §. 2. *num.* 36. 37. *& 38.*

34. *Quær.* An in die festo sint licitæ nundinæ, & mercatus? *Resp.* Affirmativè ob universalem consuetudinem, & communem populi necessitatem; cujus causa permissum est artificibus suas artes vendere; ut hìc Patavii conceditur Cerdonibus tenere apothecas semiapertas, & calceos vendere, præcipuè rusticis, die festo Urbem petentibus. Tambur. *dict. lib.* 4. *cap.* 4. §. 1.

35. *Quær.* Qui sint actus forenses, à quibus abstinendum est diebus festis? *Resp.* Sunt citationes, formationes processuum, & expeditiones, ac sententiæ; quæ non solùm sunt illicitæ, sed nullæ, & invalidæ, si fiant in die festo; nisi agatur de Religione, vel de personis miserabilibus suffragandis. Layman. *d. lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 7. Tambur. *dict. lib.* 4. *cap.* 4. §. 1. *num.* 4. ubi advertit, non esse illicitas collationes beneficiorum, præsentationes, aliosvè actus voluntariæ Jurisdictionis.

36. *Quær.* An die festo sint licita juramenta? *Resp.* Judicialia non esse licita. *cap.* 1. *de Feriis.* Alia esse licita, sic consuetudine Textum illum interpretante. Layman. *d. cap.* 2. *numer.* 8. & Tamburinus *dict.* §. 1. *numer.* 8.

37. *Quær.* An testes possint examinari die festo? *Resp.* Affirmativè, si iisdem datum sit juramentum præcedenti die, vel nisi agatur de causa criminali, ob bonum Reipublicæ. Nicolius *in Lucubrat. Canonic. lib.* 2. *tit.* 9. *de Feriis num.* 5.

38. *Quær.* Qui possint punire transgressores festorum? *Resp.* Tam Episcopi, quàm Magistratus Sæculares; & inter eos datur locus præventioni juxta Bullam S. Pii V. Incipien. *Cum primum Apostolatus*, §. 7. Nicolius *dict. tit.* 9. *num.* 6.

39. *Quær.* An Regulares teneantur servare dies festos indictos ab Episcopis? *Resp.* Affirmativè. Concil. Trident. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 12. ad quod cogi possunt censuris, ut pluries declaravit Sac. Congregatio, cujus decreta refert Nicolius *in Lucubrat. Can. lib.* 3. *tit.* 31. *de Regular. num.* 27. ubi notat, eosdem Regulares posse eo die servare suum ritum quo ad Officium, & Missas; sed in concionibus, & sermonibus publicis debere se conformare textui Evangelii, quo illo die utitur Clerus Sæcularis.

40. *Quær.* An Regulares possint annunciare Festa, & Vigilias populo? *Resp.* Negativè, quia hoc spectat ad Parochos; ut ex Decreto Sac. Congregationis notat Nicol. *in Flosc. Verb. Festum num.* 8.

41. *Quær.* An Larvæ, Choreæ, Comœdiæ, ac similia sint licita diebus festis? *Resp.* Non esse licita; quamvis tolerentur in multis Civitatibus. Romæ enim nunquam fiunt in die festo, neque in die Veneris, neque Anno Jubilæi, neque Sede Apostolica vacante. Nicol. *d. Verb. Festum num.* 17. In bacchanali hujus anni 1702. fuerunt omninò prohibitæ Romæ à Summo Pontifice Clemente XI. attento bellorum flagello in Italia sæviente.

42. *Quær.* An Episcopi possint facere casum reservatum transgressionem Festorum? *Resp.* Negativè, ut pluries respondisse S. Congreg. testatur Nicol. *d. Verb. Festum, num.* 26.

43. *Quær.* An sint audiendæ tres Missæ in die Natalis Domini; vel Missa in die Veneris Sancti, si incidat festum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis in eo? *Resp.* Negativè, ex decreto S. Congreg. de quo Macer *in Hierolex. Verb. Parasceves*, & Summa Diana *Verb. Missam audire num.* 10. Ratio est, quia in die Parasceves non fit Sacrificium, & non consecratur Hostia, ut dixi *de Sacrif. Missæ decis.* 31. *num.* 21.

CAPUT XLVIII.

De Quarto Decalogi Præcepto.

1. *Quær.* Quid hoc præceptum jubeat? *Resp.* Honorare Parentes; quorum verborum appellatione continetur obligatio, quam habent 1. Filii erga Genitores, & è contra, quam Genitores tenent erga filios. 2. Item quam Maritus erga Uxorem, ac Uxor erga Maritum. 3. Quam inter se fratres, atque sorores. 4. Quam Domini erga famulos, & famuli erga Dominos. 5. Quam discipuli erga Magistros; nec non Magistri erga discipulos. 6. Quam Diœcesani erga Prælatum, & Prælati erga illos. 7. Quam Parochiani erga Parochum, & Parochi, sivè Curati erga suos Parochianos. 8. Et tandem, quam Reges erga subditos, & hi erga Reges, ac Principes suos. Tolet. *lib.* 5. *à cap.* 1. *usque ad cap.* 10. Bonacina *tom.* 2. *de Quarto Præcepto Decal. disp.* 6. Coton. *lib.* 3. *Controvers.* 6. *&* 7. *Item lib.* 4. *Controvers.* 9. *& lib.* 5. *Controvers.* 2. 3. *&* 5. *nec non Controvers.* 9. *&* 12. atque Tamburin. *in Decalog. lib.* 5. *cap.* 2. *& seqq.*

CAPUT XLIX.

De Obligatione Filiorum erga Genitores, & Genitorum erga Filios.

1. *Quær.* Quæ filii debeant præstare erga parentes? *Resp.* Debent præstare tria; Amorem, Reverentiam, & Obedientiam. Tamb. *dict. lib.* 5. *cap.* 2. §. 2. *num.* 1.

2. *Quær.* In quibus consistat Amor debitus à filiis erga suos parentes? *Resp.* Ut eos filii diligant amore interno; nam si odio interno eos prosequantur, mortaliter peccant, & tenentur hanc filiationis circumstantiam exprimere. Tamburin. *in Opusc. de Exped. Confess. lib.* 2. *cap.* 5. §. 1. *& cap.* 7. *num.* 48. Item amore externo; quia is, qui durè, & asperè agit cum parentibus, peccat. Sylvest. *Verb. Filii*, *q.* 22. Navar. *in Man. cap.* 14. *num.* 11. Ulteriùs, ne desint iisdem in Spiritualibus tempore mortis, & in exequendis testamentis morte secuta. Navar. *ibidem num.* 15. & Tambur. *dict. lib.* 5. *in Decal. cap.* 2. §. 2. *num.* 5. *&* 6. Ac etiam in temporalibus, subministrando alimenta, & alia necessaria ipsis Parentibus indigentibus. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 101. *art.* 2. Navar. *dict. cap.* 14. *num.* 12. *&* 13.

3. *Quær.* An filius teneatur solvere mutuam pecuniam habitam à Patre pro alimento familiæ, si ei Pater nulla bona reliquit? *Resp.* Esse celebrem Juristarum quæstionem, pro qua sunt hinc inde Doctores; sed magis probabile videtur, filium non teneri. Tambur. *dict. cap.* 2. §. 2. *n.* 7. *&* 8.

4. *Quær.* In quibus consistat Reverentia debita per filios Parentibus? *Resp.* In abstinentia à sequentibus. 1. A percussione; filii enim percutientes Patrem, vel Matrem, etsi leviter, peccant mortaliter Navar. *in Man. d. cap.* 14. *num.* 12. Imò etsi solùm attollant manus ad verberandum. Bonacin. *dict. tom.* 2. *de Quart. Præcept. Dec. disp.* 6. *quæst.* 5. *punct.* 2. *n.* 4. & hic Patavii est casus reservatus non solùm percussio, sed etiam verbalis contumelia. Idcò 2. debent abstinere à maledicendis parentibus. 3. Ab accusandis iisdem parentibus de crimine, quamvis vero; excepta hæresi, & conspiratione in Principem. Azor. *part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 13. Debent 4. Filii abstinere à contemptu Parentum, si devenerint in paupertatem; illos enim negligere, aut fugere ex contemptu, lethale peccatum est; secùs, si ad evitandum aliquod grave incommodum. Tambur. *dict. lib.* 5. *cap.* 2 §. 2. *num.* 17.

5. *Quær.* Si Princeps det liberam facultatem occidendi bannitos, & talis sit Pater, An liceat filio illum occidere? *Resp.* Hanc esse insignem quæstionem Theologorum, ac Juristarum, quos citat Diana *par.* 8. *tract.* 7. *resolut.* 47. Quæ in Coordinato residet *tom.* 8. *tract.* 5. *resol.* 41. & Tamburin. *dict. lib* 5. *in Decalog. cap* 2. §. 2. *num.* 15. *&* 16. ubi amplectitur opinionem negativam, nimis enim repugnat naturæ, ut filius possit occidere suum genitorem.

6. *Quær.* Quid comprehendat Obedientia, quam filii tenentur præstare Parentibus? *Resp.* Primò, quòd obediant illis præcipientibus, ut vivant cum Dei timore, & caveant à peccatis; quare in his minùs obedientes peccant mortaliter, & est circumstantia exprimenda in Confessione. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. Angelus *in Summ. Verb. Filius*, *num.* 29. Et ego notavi de Pœnitentia *decis.* 27. *n.* 7. Secundò, quòd obediant in iis, quæ sibi præcipiuntur à parentibus circa gubernationem domus; aliàs, si contemnant illos in re gravi, graviter peccant. Tambur. *d. cap.* 2. §. 2. *num.* 18.

7. *Quær.* An filii possint absque culpa contrahere matrimonium invitis parentibus? *Resp.* Cum distinctione; vel contrahunt cum dignis, & paris conditionis absque ullo incommodo familiæ? & non peccant. Vel contrahunt cum indignis, & cum dedecore familiæ? Et tunc eos mortaliter peccare, docet Sanch. *de Matr. lib.* 4. *disp.* 23. *num.* 9. ubi DD. Sed adhuc eos non peccare, ait Tambur. *d. cap.* 2. §. 3. *num.* 5. ob naturalem libertatem eligendi, quam malint, sibi uxorem. Illud est certum, & experientia probatum; infelicia semper esse matrimonia contracta per filios invitis parentibus.

8. *Quær.* An filius invitis parentibus possit ingredi Religionem? *Resp.* Affirmativè, nisi parentes, ejusve sorores graviter ejus auxilio indigeant. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 20. *à num.* 14. Tamburin. alios allegans *d. lib.* 5. *in Decal. cap.* 2. §. 5. per totum. Exemplum magnificum habemus de Doctore Angelico, qui reluctantibus parentibus factus est Religiosus; ut in ejus Vita.

9. *Quær.* An è contra Parentes cogere possint suos filios ad ingrediendam Religionem? *Resp.* Negativè, & qui sic eos cogunt, etiam solo metu reverentiali incidunt in Excommunicationem latam à Concilio Tridentino *sess.* 25. *de Regul. cap.* 18. Diana

part.

part. 2. *tract.* 15. *resolut.* 56. Quæ est in Coordinato Opere *tom.* 5. *tract.* 1. *ref.* 81. Tamb. *d. cap.* 2. §. 4.

10. *Quær.* An Parentes, vel aliæ personæ impedientes, aut dissuadentes filios ab ingressu Religionis; vel eos egredi facientes, teneantur aliquid restituere Religioni? *Resp.* Negativè ex communi Theologorum placito (Molina excepto) quos allegat Tamburin. *d. lib.* 5. *cap.* 2. §. 5. *num.* 9. Et Eminent. Card. de Lugo *de Justitia, & Jure tom.* 1. *disp.* 9. *sect.* 3. ubi loquitur, quando non fuit adhibita vis, dolus, aut fraus.

11. *Quær.* Quam obligationem habeant Patres erga Filios? *Resp.* Præstandi iisdem alimenta secundùm statum, & conditionem suam. Sanchez *in Consil. Mor. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 34. Tambur. *dict. lib.* 5. *in Decal. cap.* 3. §. 1. *ubi num.* 4. addit, peccare mortaliter parentes, qui sine gravi causa suos infantes in hospitali alendos exponunt.

12. *Quær.* An sic exponentes in hospitalibus infantes suos alendos, si divites sint, teneantur reficere expensas hospitali? *Resp.* Aliquos DD. asserere, alios negare, quos allegat Tamburin. *d. lib.* 5. *cap.* 3. §. 1. *num.* 4. & 5. ubi rationes ponderat pro utraque opinione.

13. *Quær.* An filio spurio Pater debeat dare alimenta? *Resp.* Affirmativè; etiam ex reditibus Ecclesiasticis, si alia bona non habeat; & ex eis tenetur dotare filiam spuriam; ut latè probat Sanchez *in Conf. Moral. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 35. 36. & 39. & alii apud Tambur. *d cap.* 3. *num.* 6.

14. *Quær.* An dentur causæ, ob quas Pater potest exhæredare filium, ac ei alimenta negare? *Resp.* Affirmativè, quæ habentur in *Authent. Ut cum de Appellat. cognosc.* §. *Causas autem.* Et eas referunt Bonacina, Molina, Sanchez, & alii relati à Tambur. *dict. cap.* 3. *num.* 8. Quæ omnes concernunt gravem injuriam illatam Patri à filio, vel in ejus vitam, vel in ejus honorem.

15. *Quær.* Si existat Avus, Filius, & Nepos, ipseque Filius sit in egestate, & Avus, ac Nepos sint divites, à quo erit alendus Filius prædictus? *Resp.* Alios asserere, esse alendum ab Avo patre suo; alios à Nepote filio suo, ut refert Diana *part.* 10. *tract.* 13. *ref.* 3. quæ in Coordinato est *tom.* 4. *tract.* 7. *ref.* 45. & Tamb. *d.* §. 1. *n.* 11. ubi subdit, dicendum fore, Avum, & Nepotem alere debere pro dimidia.

16. *Quær.* An peccent Matres, quæ non lactant filios suos; sed eos tradunt aliis fœminis lactandos? *Resp.* Si sine justa causa eos ipsæ Matres non lactent, peccare, non obstante consuetudine, quæ pravus abusus esse dicitur *in cap. Ad ejus dist.* 5. ubi Barbosa *in Collect.* DD. Quamvis enim tres allegentur causæ, paupertas Matris, defectus lactis, & timor dedecoris, quo utuntur Matres nobiles, nè proprios filios lactent, tamen non est causa legitima; quia Matres nobilissimæ olim filios suos lactabant, ut de Sara, & de Anna Matre Samuelis, de Hecuba Regina Trojæ, de Thessalonica Matre Regis Antipatri, & de aliis notat Tiraquell. *de Nobilit. cap.* 20. *num.* 78. Menoch. *in Oeconomic. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. Quare non excusari has matres à culpa saltem veniali, testantur tum Canonistæ, tum Moralistæ, quos allegant Barbos. *in d. cap. Ad ejus dist.* 5. Narbona *in Tract. de Ætate Anno* 3. *qu.* 1. Covar. *in Epitome lib.* 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 8. §. 6. *num.* 13. Surdus *de Alim. tit.* 8. *privileg.* 56. *num.* 25. Azor. *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *qu.* 3. Navar. *in Man. cap.* 14. *num.* 17. & Tambur. *dict. lib.* 5. *cap.* 3. §. 2. Repugnat enim institutio naturæ, quæ lac subministrat parturientibus tam egenis, quàm divitibus; & periculum instat, imbuendi infantem lacte iniquo, & perversis moribus, quibus sæpè imbuta est nutrix. De hoc abusu non lactandi proprios filios vide etiam Ambrosinum *de Immunit. Eccles. cap.* 5. §. 3. *num.* 11. & 12. Nec non Cornelium à Lapid. *in Genes. cap.* 21. Porrò, an mulier lactans possit petere, & reddere debitum? videndus Zacchias *in QQ. Medicolegal. lib.* 7. *tit.* 3. *qu.* 3. *num.* 23. & *qu.* 4. *num.* 14.

CAPUT L.

De Obligatione Mariti erga Uxorem, ac Uxoris erga Maritum.

1. *Quær.* Quæ, & quot sint obligationes reciprocæ inter Maritum, & Uxorem? *Resp.* Esse sequentes, 1. Ut simul cohabitent: quare sine gravi causa non possunt diversam habere habitationem, ut explicant DD. videlicet, si alter conjugum morbo contagioso laboraret; si vagabundus vellet per orbem ire; vel aliquod periculum corpori, aut animæ alteri conjugi ex cohabitatione resultaret, plenè ostendit Tambur. *de Matrimonio lib.* 8. *tract.* 7. *cap.* 1. ubi alios allegat. 2. Ut conjuges sibi præstent alimenta; nempè Maritus Uxori semper; aliquando etiam Uxor Marito; si hic sit pauper, illa dives. Sed quibus in casibus maritus non teneatur alere uxorem, tractat Tambur. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 3. §. 3. & §. 4. ubi ille præcipuus, si Maritus dotem non habuit, vel ab Uxore fuit consumpta. 3. Utrique conjuges tenentur filios alere, & educare, ut dictum est supra. 4. Tenentur conjuges correctionem mutuam inter se habere; si eorum alter in aliquo peccet, aut deficiat. Hæc autem correctio per exhortationem fieri debet. Aliquando per punitionem, sed levem; nam gravis punitio per verbera rarò permissa est Marito in Uxorem. Castropal. *de Sponsalib. disp.* 3. *punct.* 5. §. 3. *num.* 3. Tambur. *de Matrim. lib.* 8. *tract.* 7. *cap.* 1. §. 3. ubi servandam ait consuetudinem regionis. Et 5. tenentur conjuges reddere adinvicem debitum Matrimoniale ad procreandam prolem, de quo latè Tambur. *in Decal. lib.* 7. *cap.* 3. §. 5.

2. *Quær.* An Maritus, & Uxor possint adinvicem sibi donationes facere? *Resp.* Negativè; quòd si de facto sibi donent, donatio est invalida, sive Jure Civili statuente. Cæterùm sunt aliqui casus, in quibus, quando agitur de parvo præjudicio conjugis donantis, valet donatio, quos cumulat idem Tambur. *dict. lib.* 8. *de Matrim. tract.* 7. *cap.* 2. §. 1. ubi alios Moralistas allegat.

3. *Quær.*

3. *Quær.* Quid sit Sponsalitia largitas? & an sit licita? *Resp.* Esse donationem, quam sibi faciunt Sponsi ante celebrationem Matrimonii de rebus pretiosis, & sibi charis; quæ quidem donatio est licita, & valida; quamvis succedente morte Sponsi donantis ante celebrationem Matrimonii, donatarius aliquando dimidium rei donatæ debeat restituere, aliquando nihil, & aliquando totum; ut videri potest apud Sanchez *de Matrim. lib. 6. disp. 18. & disp. 19.* & apud Tamburin. *dict. lib. 8. de Matrim. tractat. 7. cap. 2. §. 2.*

4. *Quær.* Moriente Uxore, ubi sit sepelienda? *Resp.* In sepulchro Mariti. Thomat. *decis. 257. part. 2.*

CAPUT LI.

De Obligatione Fratrum, ac Sororum.

1. *Quær.* Quæ obligatio vigeat inter Fratres, ac Sorores? *Resp.* 1. Ut Frater dives teneatur alere Fratres, vel Sorores pauperes. Tambur. *dict. lib. 5. in Decalog. cap. 4. §. 4.* ubi id procedere affirmat tam inter Fratres, & Sorores ex eodem Patre, quàm ex eadem Matre, nempè uterinos. 2. Ut Sorores, si non fuerint dotatæ per Patrem, dotentur à Fratre. Molina *de Just. & Jure tom. 3. disp. 224.* Surdus *de Alimentis tit. 1. quæst. 25. num. 9.* ubi plurimos DD. cumulat Canonistas, & Juristas. Cum quibus concordat Peregrin. *vol. 2. cons. 106. num. 11.* 3. Quòd Fratri decedenti ab intestato succedant tam alii Fratres, quàm Sorores. §. *Si igitur defunctus il 2. Auth. de Hæred. ab intest. venien.* Rota *part. 19. Rec. decis. 38. num. 1.* 4. Quòd Frater tenetur corrigere Sororem, si in aliquo defectu vivat, & eam etiam leviter verberare. Reginald. *lib. 20. num. 51.* Tambur. *dict. lib. 5. in Decal. cap. 4. §. 4. num. 4.* Porrò si Fratres, aut Sorores adinvicem contumeliis, seu injuriis afficiantur, circumstantia fraternitatis eorum est in confessione explicanda; ut scripsi in meis Decisionibus *de Pœnitentia decis. 27. num. 7.*

CAPUT LII.

Quam Obligationem habeant famuli erga Dominos, & Domini erga illos?

1. *Quær.* Quæ sit differentia inter famulos nostri temporis, & servos antiquos? *Resp.* Quòd famuli nostri temporis sunt liberi homines, capaces omnium jurium, & actionum civilium, qui operas suas aliorum servitio ad tempus promittunt. Servi verò antiqui erant expertes cujuscunque juris, tanquam sub omnimoda potestate Dominorum; qui in eos habebant jus vitæ, & necis. *lib. 1. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni juris.* Et ideò quadrupedibus comparabantur. *l. 2. ff. Ad leg. Aquil.*

2. *Quær.* A quanto tempore desierint esse servi prædicti apud Christianos? *Resp.* A quingentis annis citra; nam legitur in libro Privilegiorum Reverendissimi Capituli Paduani pag. 41. quòd Anno 1195. Henricus Canonicus Patavinus sic disposuit in suo testamento: *Balduinum servum suum liberum dimisit cum omni peculio suo; & eum ab omni vinculo servitutis absolvit; & jus Patronatus ei remisit.* Ergo servitus hominum, quæ erat apud Romanos Gentiles, duravit Patavii apud Christianos usque ad annum millesimum ducentesimum. Idem docent DD. apud Coton. *lib. 5. Controv. 5. num 57.*

3. *Quær.* Quid debeant famuli præstare Dominis suis? *Resp.* Tria: Amorem, Reverentiam, & Obedientiam in his, quæ peccatum non sunt. Cotonius *in Controvers. Illustr. lib. 5. Controvers. 5. cap. 4. num. 68.*

4. *Quær.* An famuli inito pacto per quinquennium de gratis serviendo pro arte aliqua discenda, peccent, si ea didicita, discedant ante quinquennium? *Resp.* Si discedant ob nimiam asperitatem Domini, nihil peccare. Si nullum, aut parvum damnum resultet Domino se benè gerenti, peccare venialiter. Si grave damnum Domino inferrent, peccare mortaliter. Valer. *verb. Locatio, diff. 4.* Coton. *d. lib. 5. Controv. 5. num. 69.*

5. *Quær.* An famulus, qui convenit cum Domino servire exiguo stipendio, possit sibi compensare? *Resp.* Negativè, & contraria opinio est una ex damnatis ab Innocentio Papa XI. *die Jovis 2. mensis Martii 1679.* ut legitur inter ipsas *num. 37.* ubi sic: *Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occultè Heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Videatur Cardenas *in Crisi Theol. Dissert. 23. num. 37.*

6. *Quær.* An saltem possint sibi compensare, si servitia extraordinaria faciant? *Resp.* Negativè, quia non causant debitum justitiæ in Domino, sed voluntariæ gratitudinis. Diana *par. 3. tract. 6. resol. 16.* quæ in Coordinato est *tom. 6. tract. 3. resol. 176.*

7. *Quær.* An famulus teneatur præferre vitam Domini vitæ propriæ? *Resp.* Negativè, nisi vita Domini esset necessaria Ecclesiæ, vel Reipublicæ; vel nisi famulus esset stipendiatus ad hunc effectum, ut Dominum tueretur ab invasoribus. Coton. *d. lib. 5. Controv. 5. num. 42.*

8. *Quær.* An famuli teneantur custodire res familiares Dominorum suorum, ita, ut si quis eas surripiat, ipsi sint obligati ad solutionem? *Resp.* Si res illas habeant in custodiam, & surripiantur ob eorum negligentiam, tenentur ad restitutionem. Coton. *d. Controv. 5, num. 44.* Si verò non habeant res in custodia, aliqui dicunt, non teneri nisi ex charitate impedire furta; sed verius est, teneri ex justitia ratione famulatus. Cardin. de Lugo *de Justit. disp. 19. num. 105.* Diana *part. 11. tract. 6. res. 6.* quæ in Coordin. est *tom. 8. tract. 7. resol. 33.*

8. *Quær.* An peccent famuli laborantes in diebus festis, ut obediant suis Dominis? *Resp.* Peccare, si absque gravi detrimento possint

possint resistere Dominis, vel eos deserere. Secùs si grave detrimentum sentirent, forsan, quia alium non reperirent pro servitute præstanda. Sanchez *in Consil. Moral. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 18. num. 16.* S. Antonin. *in Summ. 2. part. tit. 9. cap. 7. §. ultimo.*

10. *Quær.* An peccent famuli comitantes herum euntem ad meretricandum, vel deferentes munera, aut litteras meretrici? *Resp.* Olim DD. docuisse, non peccare, maximè si id facerent ad evitandum grave damnum, & obirent tantùm materialiter ministerium illud. Bonacina *de Matrim. quæst. 4. punct. 14. num. 6.* Secùs si cooperarentur aliquo modo adjuvando herum in ingressu domus; vel hortando meretricem ad consentiendum; qui enim hæc faciunt, non excusantur à peccato. At nunc hæc opinio est una ex damnatis ab Innocentio Papa XI. *dict. die 2. Martii* 1679. ubi *num. 51.* sic ait: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter; si id faciat metu notabilis detrimenti; puta ne à Domino malè tractetur; ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Igitur hæ omnes actiones sunt peccata mortalia, quia sunt immediatè cooperativæ offensæ Dei, quam Herus vult committere; cui famulus non debet opem suam contribuere, prout docent DD. quos citat ipse Bonacin. *d. punct. 14 num. 6. in fine;* & Cardenas *in Crisi Dissert. 31.*

11. *Quær.* Quænam sit obligatio Dominorum erga suos famulos? *Resp.* Duas esse; unam, procurare, ut vivant cum Dei timore. Alteram, ut eis debita alimenta, ac salarium ministrent. Coton. *d. lib. 5. Controv. 5. num. 74.*

12. *Quær.* Quid agendum Dominis, si famuli sint nequam, seu vitiosi? *Resp.* Debent eos corrigere; & ita agere, ut se emendent. Quòd si contumaces sint; tenentur, eos à suo servitio expellere. Azor. *part. 2. lib. 2. cap. 39. quæs. 9.* Coton. *dict. lib. 5. Controver. 5. num. 80.*

13. *Quær.* Utrùm Dominus expellens servum domo nondum completo tempore constituto, teneatur ei solvere integrum salarium? *Resp.* Affirmativè, nisi expulsus esset ob suam culpam. Bonacin. *de Contract. disp. 3. q. 7. punct. 4. num. 11.* ubi DD.

14. *Quær.* An famulus discedens à servitio Domini ante constitutum tempus, perdat totam mercedem? *Resp.* Asserere Azorium, negare Bonacinam supracitatum; qui vult, dandam esse mercedem famulo ad ratam temporis, quo servivit: nisi magnum damnum resultaret Domino ex illo discessu; tunc enim posset sibi retinere salarium titulo compensationis.

15. *Quær.* An famulo ægrotanti debeat Dominus solvere salarium? *Resp.* Esse famosam quæstionem apud Juristas, & Theologos; circa quam tres sunt opiniones. Una, quòd debeatur salarium. Ita Salicetus, & speculator apud Petr. Navar. *lib. 2. cap. 2. num. 213.* & apud Azor. *2. part. lib. 2. cap. 39.* Alia, quòd non debeatur salarium, sed alimenta tantùm. Ita Sylv. & Angel. *Verb. Famulus.* Tertia, quòd standum sit consuetudini, vel conventioni. Bonac. *de Contractib. d. disp. 3. quæst. 7. punct. 4. num. 13.* & Reginald. *lib. 25. num. 517.* Et hæc videtur in praxi tenenda. Coton. *d. lib. 5. controv. 5. num. 77.*

16. *Quær.* An, famulo ægrotante, Dominus teneatur, ei subministrare medicinas ære proprio? *Resp.* Negativè; nisi ex charitate; quòd si famulus non habeat ad eas sibi emendas, ire debet ad Hospitale Coton. *ibid. num. 76.* & Bonacina *d. punct. 4. num. 13.*

17. *Quær.* An Dominus loco pecuniæ conventæ, possit satisfacere famulo aliis rebus? *Resp.* Negativè, nisi liberè consentiat, & nullum detrimentum patiatur in pretio rerum; quas si minoris vendere cogeretur, Dominus esset obligatus ad restitutionem damni; quod utinam adverterent Mercatores, qui operariis suis pro mercede non dant debitam pecuniam; sed pannum, vel calceos eo pretio, quod ipsi operarii habere non valent, dum vendunt minoris res illas. Bonac. *dict. disp. 3. de Contract. quæst. 7. punct. 4. num. 15.* Hinc ex Dei punitione hi Mercatores frequenter evadunt falliti, & reducuntur ad inopiam.

18. *Quær.* An famulo conducto ad serviendum Collegio certa mercede, hæc sit ei augenda, si numerus Collegialium augeatur? *Resp.* Negativè, nisi excessivum esset augmentum; vel nisi merces data fuisset, habito respectu ad personas singulares. Bonacina *d. punct. 4. num. 16.*

CAPUT LIII.

De Obligationibus Discipulorum erga Magistros, & horum erga illos.

1. *Quær.* Quæ, & quot sint præstanda per discipulos Magistris? *Resp.* Tria, scilicet, Reverentia, Obedientia, & Stipendium, Moscon. *de Majest. Militan. Eccl. lib. 2. cap. 6. prope fin.* Surdus *de Alim. tit. quæst. 73.*

2. *Quær.* In quo consistat Reverentia? *Resp.* In hoc consistere, ut discipuli debitum honorem præstent Magistris, quos tanquam Patres debent venerari. *Gloss. in l. Liberto ff. de Obsequiis &c. l. 1. & ibi Gloss. C. de Excus. Artif. lib. 10.* ubi discipulus appellatur filius. Ideò discipuli non possunt in jus vocare Magistros sine venia. Surdus *d. tit. 1. quæst. 53. num. 8.*

3. *Quær.* Qualem obedientiam debeant discipuli præstare Magistris? *Resp.* Eam, quæ decet bonos filios, & convenit eorum studio. Idcircò, si sint contumaces, possunt à Magistris coerceri, & verberari. *cap. 1. 23. quæst. 5.* moderatè tamen, & cum discretione. S. Antonin. *3. par. tit. 5. cap. 2.*

4. *Quær.* An Magister sit excommunicatus, si discipulum Clericum corrigendo verberet, aut percutiat? *Resp.* Negativè, *cap. 1.*

& cap. Ex tenore 10. *ubi Gloss. de Sent. Excommunic.* Qui textus intelligendi sunt, etiamsi discipulus Clericus habeat Ordines sacros. Diana *part.* 9. *tract.* 4. *resol.* 1. Quæ in Coordinato est *tom.* 5. *tract.* 2. *resolut.* 15. Fagn. n. *in c. Cum voluntate num.* 32. *&* 33. *de Sent. Excommun.*

5. *Quær.* An Magister percutiendo graviter discipulum, ita, ut sequatur mutilatio membri, aut mors ex percussione, fiat irregularis? *Resp.* Affirmativè, *cap. Presbyterum, & cap. Ad audientiam, de Homicid.* Bonac. *de Irregularitat. disput.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 7. *num.* 14.

6. *Quær.* Quæ dicatur gravis percussio ad cognoscendum, an Magister factus sit Irregularis, discipulum percutiendo? *Resp.* Eam pendere à Judicis arbitrio; qui considerare debet Instrumentum, quo usus est Magister in corrigendo discipulum; nec non partem corporis, in qua illum percussit: nam si cum baculo, & in capite percussisset, foret irregularis; secùs si dedisset palmatam, vel in humeris, vel cum molli cingulo. Fagnan. *in cap. Audientiam, à num.* 12. *& seqq. de Homicidio.*

7. *Quær.* An peccet discipulus doctorandus, qui clam legit argumenta sibi à Doctore facienda in Doctoratu? *Resp.* Affirmativè; & dicitur peccatum violati secreti; quia contra mentem Doctoris legit illa argumenta, quæ sub secreto apud se retinebat. Item peccatum mendacii, dum simulat, solutiones argumentorum esse in se improvisas, & extemporaneas. Item peccatum vanæ gloriæ, volens videri excellens plusquàm sit in respondendo dictis argumentis. Baldell. *in Theol. Moral. tom.* 1. *lib.* 3. *disp.* 11. *num.* 12.

8. *Quær.* Stipendii causa, quam obligationem habeant discipuli erga Magistrum? *Resp.* Quòd solvant ei debitam mercedem pro suo labore, ut possit se alere. *l.* 2. *§. fin. ff. de Orig. Jur.* Item ei donaria convenientia mittere. *l. Aquil. Regulus. ff. de Donat. l. Cum plures §. Cum tutor, ff. de Administr. Tutor.* Surdus *de Aliment. dict. tit.* 1. *quæst.* 53. Quæ procedunt, si Magister non sit à Civitate, vel à Principe stipendiatus; tunc enim debet esse contentus suo stipendio; & nihil aliud exigere, præcipuè à Scholaribus egenis, aliàs committit injustitiam & Simoniam. Hostien. *in cap. Quia nonnulli, de Magistr. Archidiac. in cap. de quibusdam, dist.* 37. Mosconius *dict. lib.* 2. *cap.* 6. *pag.* 758.

9. *Quær.* Quas obligationes habeant Magistri erga discipulos? *Resp.* 1. Ut dent ei bonum exemplum circa probitatem vitæ, & morum honestatem. 2. Ut eis proponant bonos libros; & non permittant, eos legere pravos Authores. 3. Ut sint diligentes, & solliciti, ita, ut non sinant discipulos terere tempus. 4. Ut doceant eos illa, quæ possunt capere, & non obruant nimiis lectionibus debile ingenium Studentium; sed se conforment eorum capacitati. *cap. Oportet,* 8. *quæst.* 1. Quod utinam attenderent, qui ex Officio Scholas ducunt, neque discernunt inter ingeniosos, & rudes discipulos; quos ego, cùm pluries examinaverim pro susceptione ordinum, reperi plures annos consumpsisse in Studio Philosophiæ, ac Theologiæ inutiliter, quia non erant capaces ob ingenii obscuritatem, & linguæ latinæ defectum; unde à culpa gravi excusari non poterant Scholarum Præfecti, & Præfectorum Superiores. Mosconius. *dict. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 6. *ad §. Modus docendi.* Reginald. *in Praxi lib.* 2. *sub num.* 38. §. 10. *&* §. 11. ubi de his obligationibus.

CAPUT LIV.

De Obligatione Diœcesanorum erga Prælatos: atque Prælatorum erga Diœcesanos suos.

1. *Quær.* Quæ, & quot Diœcesani debeant Episcopis, seu Prælatis suis exhibere? *Resp.* Tria, Reverentiam, Obedientiam, & Dilectionis affectum. Alberic. *in Dictionar. Verb. Reverentia, ult.*

2. *Quær.* In quo consistat Reverentia? *Resp.* In quatuor. Primò, In priorem, digniorem, & sublimiorem locum ipsi Prælato concedendo, tam ambulando, quàm sedendo. *cap. Non oportet, & cap. Episcopus il* 2. *dist.* 95. Secundò, In ejus officio non usurpando. *cap. Presbyt. ead. dist.* 95. Tertiò, Prælatum temerarie non arguendo, vel judicando. *cap. Nolite.* 21. *dist.* & Quartò, Prælati defectus non revelando, sed potiùs cooperiendo. *cap. In scripturis,* 96. *dist.* Hinc Cicero in *Rhetor.* ait: *Reverentia est virtus, aliqua prælatione sublimitatis, debita honorificationis cultum exhibens.* Et est virtus, quæ spectat, & reducitur ad justitiam, ut docet Emin. Card. de Lauræa *in* 3. *sent. tom.* 2. *de Virtutibus in genere disp.* 25. *n.* 65. Hinc Reverentia, & Obedientia debitæ Episcopis appellantur eorum Justitiæ. *cap. ult. de Confirm. utili, vel inut. in fine.*

3. *Quær.* In quo consistat obedientia debita Episcopis, ac propriis Prælatis? *Resp.* In exequendis eorum præceptis, & hæc executio est de intrinseca ratione Superioritatis. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 1. & in hac virtute consistit vis, & nervus Ecclesiasticæ potestatis. Barbos. *de Offic. & Potest. Episc. alleg.* 128. *num.* 5. Hinc extra controversiam est, Episcopos posse condere leges, statuta, & constitutiones pro regimine suæ Diœcesis; ut notant omnes tam Canonistæ, quàm Theologi, quos cumulat Baldell. *tom.* 5. *Theol. Mor. lib.* 5. *disp.* 5. *num.* 13. & tenuit Rota *part.* 2. *rec. decis.* 757.

4. *Quær.* An Episcopus in condendis Legibus teneatur adhibere consilium, & consensum Canonicorum? *Resp.* In Legibus particularibus extra Synodum ad nihil teneri. In Synodo, adhibendum ei esse consilium Capituli, non autem expectandum consensum, nisi in certis casibus in Jure expressis. Baldell. *dict. lib.* 5. *disp.* 5. *num.* 18. Squillant. *de Obligat. & Privileg. Episc. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 9.

5. *Quær.* Quæ sit differentia inter Leges Episcopi factas extra Synodum, & illas, quas in Synodo facit? *Resp.* Quòd hæ sunt perpetuæ, & durant etiam mortuo Episcopo; illæ verò expirant cum morte Episcopi. Barbos. *alleg.* 93. *num.* 23. Sperellus *decis.* 14. *num.* 21.

6. *Quær.*

6. *Quær.* An Subditi, & Diœceſani poſſint ſe ſubtrahere de obedientia Epiſcoporum, ſeu Prælatorum ſaltem per præſcriptionem immemorabilem? *Reſp.* Cum diſtinctione; per præſcriptionem translativam, quæ tranſtulit eosdem Diœceſanos ſub jurisdictione alterius Prælati, vel immediata jurisdictione Romani Pontificis, poſſunt. At per præſcriptionem extinctivam totius Superioritatis, & omnimodæ libertatis, non poſſunt; aliàs enim eſſent acephali, id eſt, membra ſine capite. Barboſ. *allegat* 128. *num.* 14. *&* 15. Bordon. in Opere Poſthumo *in tit. de Legatis cap.* 16. *num.* 25.

7. *Quær.* In quo conſiſtat Dilectionis affectus, ad quem Diœceſani tenentur erga Prælatum? *Reſp.* In tribus. Primò in complacentia bonitatis, & ſanctitatis, qua eum vident ornatum. Eminent. Card. de Lauræa *in* 3. *ſent. tom.* 4. *de Charitate diſp.* 10. *num.* 85. Secundò, in veneratione ejus tanquàm Paſtoris, & Patris Spiritualis. *cap. Eſto*, 95. *diſt.* Pater enim eſt cæteris magis diligendus; & in dilectione præferendus etiam filiis. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 26. *art.* 9. Eminent. Card. de Lauræa *dict. diſp.* 10. *num.* 93. Tertiò, in ſolvendo eidem Prælato charitativum ſubſidium. *cap. Conquerente, de Offic. Ordin. cap. Cum Apoſtolus*, §. 1 *de Cenſib.* Barboſa *alleg.* 87. ubi ponit cauſas, ob quas Prælatus poteſt exigere charitativum ſubſidium, quæ omnes concernunt ejus indigentiam ob extraordinarias expenſas; & *num.* 49. notat, ſolutionem prædictam ab Eccleſiaſticis tantùm, non autem à laicis eſſe faciendam, ex Bellancin. *de Charitat. Subd. num.* 26. & Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *c.* 14. *quæſt.* 6.

8. *Quær.* Quæ, & quot teneantur præſtare Epiſcopi, ac Prælati erga Diœceſanos ſuos? *Reſp.* Tot, & talia, quæ, ſi homines maturé conſiderarent, rarò Prælaturas acciperent. Præcipua ſunt hæc. Primò, Prælatus debet diligere quemlibet, etſi minimum de ſua Diœceſi, tanquam ovem gregis Dominici, quem Redemptor *acquiſivit ſuo ſanguine. Act.* 20. Secundò, debet in ſeipſo habere eximiam Sanctitatem, & fulgere omnibus virtutibus, de quibus Apoſtolus ſcribit *in Epiſt. ad Tim. cap.* 3. *& ad Tit. cap.* 1. quæ ponuntur in officio Confeſſoris Pontificis *Noct.* 1. & eas explicant Barboſ. *de Epiſc. part.* 1. *tit.* 2. *per Gloſſ.* 17. & Pax Jordan. *tom.* 1. *lib.* 1. *per titul.* 21. quas Prælatos legere oporteret ſemel ſaltem in anno, ut ab omni defectu ſe cuſtodirent; eſt enim tremenda, & timenda Theologorum aſſertio, quòd *Prælatorum malum exemplum etiam in levitate materiæ, ex qua inferioribus poteſt venire ſpiritualis ruina, eſt culpa mortalis.* Ita Emin. Card. de Lauræa *in* 3. *ſent. tom.* 4. *diſput.* 14. *num.* 416. *& ſeqq.* & præcipuè *num.* 422. *in fine.* Ratio horum omnium eſt, quia Prælatus debet eſſe in ſtatu perfectionis adeptæ, id eſt, ardentiſſima charitate Dei, & Proximi præditus. Squillant. *de Oblig. Epiſc. part.* 1. *cap.* 4. Tertiò, tenentur Prælati corripere peccantes ſubditos, ut eruditè probat idem Emin. Card. de Lauræa *ibid. diſput.* 12. *num.* 84. *& ſeqq.* & ad hunc effectum tenentur ex officio, explorare ſubditorum crimina ad medelam, ut firmat ipſe Eminent. Card. de Lauræa *eadem diſp.* 12. *n.* 167. & Squillant. *d. part* 1. *cap.* 21. Quartò, idcircò ob-obligati ſunt Prælati reſidere in Diœceſi, eam viſitare, & jugiter Verbum Dei prædicare. Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *de Ref. cap.* 1. *& ſeſſ.* 24. *de Ref. cap.* 3. *& cap.* 4. Squillant. *dict. part.* 1. *cap.* 2. *cap.* 3. *& cap.* 7. ubi advertit, eſſe ſecuriorem ſententiam, Epiſcopos prædicare debere per ſeipſos; & non ſufficere, ſi per alios prædicent; ſiquidem in eorum conſecratione ipſis dicitur: *Accipe Evangelium, vade, & prædica populo tibi commiſſo.* Quintò, Prælati obligati ſunt, eleemoſynas facere de Reditibus Eccleſiaſticis, quos habent. *cap Quatuor*, 12. *quæſt.* 2. ita, ut ſibi ipſis retinere non poſſint, niſi neceſſaria ad ſuſtentationem propriæ familiæ. Punctum difficile; ex quo difficilis videtur ſalus æterna Prælatorum; ſi vera, prout veriſſima ſunt; quæ ſcribit S. Bernardus *lib.* 3. *de Conſid. ad Eugen. & in Epiſtola* 2. *ad Fulconem.* videlicet: *Quidquid præter neceſſarium victum, & veſtitum de Altari retines, tuum non eſt; rapina eſt; ſacrilegium eſt; & quod uni dico, omnibus dico.* Concordant omnes Sancti Patres, quos refert Squillant. *dict. part.* 1. *cap.* 7. ubi *num.* 21. notat, quòd Epiſcopus ex officio tenetur inquirere pauperes, ut eis eleemoſynas eroget. Et de hac urgentiſſima obligatione egi de Pœnitentia *deciſ.* 10. *à num.* 5. *& ſeqq.* quam legiſſe omnes Eccleſiaſticos juvabit. Sextò, Prælati tenentur, beneficia Eccleſiaſtica dignioribus Clericis conferre *cap. Licet. Verſ. Quæ præſtantior*, 8. *quæſt.* 1. Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de Ref. cap.* 1. *& cap.* 18. Sed & hic eſt ſcopulus, in quem impingunt Epiſcopi, & de eorum ſalute æterna valdè contremiſco; quia neminem hucuſque vidi his temporibus conſtantem in hac obligatione; quamvis omnes Canoniſtæ, & Theologi aſſerant, eos peccare mortaliter; & plurimi doceant, teneri ad reſtitutionem. Squillant. *dict. part.* 1. *cap.* 15. per totum. Caveant Prælati ab inſtantiis parentum, & amicorum; hi enim frequenter eos adigunt, dare beneficia non ſolùm minùs dignis, ſed etiam indignis. Et quid erit de animabus Prælatorum? Septimò, adſtricti ſunt Prælati ad invigilandum, & curandum, ut omnes Parochi ſint ſolliciti de cura animarum; & in Diœceſi tot & tales ſint Sacerdotes, qui ſufficiant pro Confeſſionibus populorum excipiendis, Sacramentis adminiſtrandis, & pueris, ac rudibus in doctrina Chriſtiana erudiendis; ipſe enim Epiſcopus eſt primus Parochus totius Diœceſis. *cap. Quacunque*, 10. *quæſt.* 1. *cap. Præcipimus*, 12. *quæſt.* 1. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 5. Squillant. *dict. part.* 1. *cap.* 20. Octavò, obligati ſunt Prælati, idoneos miniſtros eligere pro his, quæ ad forum externum ſpectant; videlicet, Vicarios, Fiſcales, Judices, ac Notarios; omnia enim, quæ hi malè gerunt vel per imperitiam, vel per deſidiam, vel per malitiam, remanent ſuper conſcientia Prælati; qui reus eſt omnium

mnium coram Deo. Cajetan. *in Summa. Verb. Episcoporum peccata.* Emin. Cardin. Toletus *lib. 5. cap. 4.* Genuens. *in Manuali Episc. cap. 41.* Squillant. *dict. part. 1. cap. 24.* Ex quibus discere possunt Episcopi, quæ, & quanta teneantur facere, ut dispendium æternæ salutis effugiant: quàm laboriosus, & periculosus sit status Episcopalis.

CAPUT LV.

Quam Obligationem habeant Parochiani erga Parochos; & hi erga suos Parochianos?

1. *Quær.* In quibus consistat obligatio Parochianorum erga suos Parochos? *Resp.* Præter Reverentiam, Obedientiam, & Dilectionem tanquam filii erga Patres Spirituales, de quibus supra, ad tria præcipua eorum obligatio reducitur. Unum est, quòd in Paschate recipiant Eucharistiam à suis Parochis *cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnitent. & Remiss.* Barbosa *de Parocho cap. 20. n. 10.* Alterum, quòd iisdem Parochis fideliter solvant Decimas, seu Quartesia *cap. Parochianos. cap. A nobis. cap. Nuper, de Decimis.* Tertium, quòd in morte recipiant Sacrum Viaticum, & Extremam Unctionem ab iisdem suis Parochis, & sine illis non sepeliantur, solvantque iis Quartam funeralem. Rota *part. 2. recent. decis. 340. num. 1.* Barbos. *de Parocho d. cap. 20. num. 31. cap. 22. num. 2. & cap. 25. num. 1.*

2. *Quær.* Quæ sint Parochorum obligationes erga suos Parochianos? *Resp.* Ultra bonum exemplum per vitam immaculatam tenentur Parochi: Primò, prædicare verbum Dei, explicare Evangelium, notificare vigilias, diesque festos, ac docere pueros doctrinam Christianam. Secundò, administrare Sacramenta tam sanis petentibus, quàm infirmis, & eis assistere in articulo mortis. Tertiò, eleemosynas facere suis Populis indigentibus de reditibus beneficii, sibi ad honestam vitæ sustentationem non necessariis. Et Quartò, Parochianorum publica peccata corripere; lites concordare; & pro populo orationem jugem, ac sacrificium diebus Dominicis Deo offerre; de quibus omnibus piè, eruditè, ac doctè agit *P. Paulus Segneri* in aureo Opusculo *Il Parocho Istruito*; quem non legisse Parochos, magnum erit periculum; non enim invenient excusationem, si prædictas suas obligationes omiserint, & eos cavere oportet à peccatis omissionum, ut ostendi de Pœnitentia *decis. 21. num. 13.* quam observare juvabit.

CAPUT LVI.

Quæ sit Obligatio Subditorum erga Reges, & Principes suos, & horum erga Subditos?

1. *Quær.* Quæ sit Subditorum obligatio erga suos Reges, & Principes? *Resp.* Primò, ad Reverentiam, Obedientiam, & Dilectionem, ut supra de Prælatis probatum est. Secundò ad fidelitatem. Tertiò ad solvenda tributa, & datia, seu vectigalia. Et quartò ad effundendum sanguinem, & dandam propriam vitam pro salute Patriæ, ac ipsius Principis. Coron. *lib. 5. Controv. 6. num. 26. & 27. & Controv. 12. num. 46. & 47.*

2. *Quær.* An subditi, qui fraudant gabellas, & datia, peccent mortaliter? *Resp.* Affirmativè, secundùm magis probabilem opinionem, quam tuetur Farinac. *de Furtis quæst. 173. num. 5.* ubi DD. cumulat. Et quamvis aliqui requirant, quòd gabellæ sint proportionatæ Principis necessitati, & Subditorum facultatibus; his ita respondet Seraphin. Massin. *de Confiscatione quæst. 21. num. 45.* Videlicet: *Ego tamen non recederem à Farinacio volente, fraudantem peccare, & ad restitutionem teneri, quoniam sicut est nefas dubitare de Principis authoritate; ita non est præsumendum, quòd inconsultò, & temerè voluerit gravare Subditos, quorum commodis ipse assiduè invigilat.*

3. *Quær.* Quæ sit obligatio Regis, aut Principis respectu Subditorum? *Resp.* Tueri Fidem, ac Religionem, Populum ab injuriis, tam Hostilibus, quàm Civilibus defendere, Virtutes, ac Litteras fovere. Crimina plectere. Magistratus meritentibus, & rectè gesturis commendare; ac bonis Consiliariis uti. Azor. *part. 2. lib. 11. cap. 5. & 6.* Coton. *d. lib. 5. Controv. 9. num 55.* In quibus omnibus, si Reges deficiant, mortaliter peccant peccato omissionis; at de his peccatis tremebat, & expavebat in sua agonia, & in puncto mortis Philippus III Rex Hispaniarum, ut notant Annales Sacerdotii, & Imperii ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Episcopo Baptaglino nuper publicati *ad Ann. 1621. num. 14. in fine.*

CAPUT LVII.

De Quinto Præcepto Decalogi.

1. *Quær.* Quæ prohibeantur in hoc Præcepto? *Resp.* Duo prohiberi. *Homicidium*, nec non *Odium* erga proximum. Tolet. *lib. 5. c. 11.* Azor. *tom. 1. lib. 3. cap. 12. & tom. 3. lib. 2. c. 1.* ubi advertit, ex prohibita hominis occisione venire quamcunque vulnerationem, mutilationem, verberationem, ac percussionem; & sub prohibitione Odii comprehendi quamcunque invidiam, affectum vindictæ, simulationes, seditiones, & illicita dissidia; quæ novissimè prosequitur Mastrius *in Theolog. Mor. disp. 11. num. 102.* Et è contra tenemur diligere, proximum sicut nosmetipsos.

2. *Quær.* An sint aliquæ Propositiones damnatæ circa dilectionem Proximi? *Resp.* Esse duas, Unam; *Non tenemur Proximum diligere actu interno, & formali.* Alteram: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Ita Innocent. XI. *Propos.* 10. & 11.

CAPUT

CAPUT LVIII.

De Homicidio.

1. *Quær.* Quid sit Homicidium? *Resp.* Quòd est *Injusta hominis occisio.* Tolet. *lib. 5. cap. 6. num. 1.* Dicitur injusta occisio; ut sciamus, non esse homicidia, necare homines improbos ex publica authoritate. Mastrius *dict. disp. 11. num. 103.* ubi defendit Scotum, quem aliqui Moralistæ asseruerunt docuisse contrarium; & ait, *eos temerè, ac temerariè hunc errorem tanto Doctori impingere.* Dicitur *Hominis* non tam alterius, quam sui ipsius; quia nullus est dominus suæ vitæ, aut membrorum, & sic nemo potest occidere seipsum. Mastrius *Theol. Moral. disp. 3. num. 31. & disp. 11. num. 104.* Eminentiss. Card. Capisuch. *in Controvers. Theolog. selectis, Controvers. 27. §. 9.* ubi ostendit, peccare mortaliter illos, qui accendunt pulverem tormentarium in navi, elegentes ita mori, ne in manus hostium perveniant; quamvis contrarium teneat Tambur. *in Decal. lib. 6. cap. 2. §. 2. num. 8.*

2. *Quær.* An peccet ille, qui sibi abbreviat vitam, per nimiam inediam, & immoderatis corporis afflictionibus? *Resp.* Affirmativè, nisi excusetur ob bonam fidem, & zelum Deo placendi. Mastrius *dict. disp. 11. num. 104.* Vide dicta de respuentibus Medicos, ac Medicinas supra *cap. 11. quæs. 7.*

3. *Quær.* Quotuplex sit Homicidium? *Resp.* Esse duplex. *Voluntarium, & Casuale.* Illud dicitur *Voluntarium*, quod est per se intentum, seu procuratum. *Casuale* verò, quod contingit præter intentionem agentis. Azor. *dict. lib. 2. de Quinto Præc. Decalog. in princ.* Eminent. Card. Capisuch. *d. §. 9.*

4. *Quær.* Quibus modis committi possit homicidium? *Resp.* Sex modis. Facto, consilio, mandato, defensione, permissione, & auxilio. *Innocent. in cap. Ad audientiam, de Homicid.*

5. *Quær.* An aliquando licitum sit homicidium? *Resp.* Esse licitum in duobus casibus. Primò, quando malefactores auctoritate publica necantur, juxta illud *Exod. 22. Maleficos ne patiaris vivere.* Secundò, auctoritate privata, quando quis iniquum invasorem, & aggressorem occidit ob suæ vitæ defensionem, dummodo id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Azor. *dict. lib. 2. cap. 1. quæst. 1.* Mastrius *d. disp. 11. num. 110.*

6. *Quær.* Quid significent illa verba, *Cum moderamine inculpatæ tutelæ? Resp.* Plures plura docere, ut videre est apud Azor. *d. lib. 2. cap. 1. q. 2.* & apud Barbos. *de Jure Eccl., Univ. lib. 1. cap. 39. num. 66.* Sed strictè loquendo juxta doctrinam Bordoni *decis. Miscellan. 81.* Moderamen inculpatæ tutelæ tria requirit; *Unum*, quòd sit æqualitas armorum, quia non licet pugione ferire illum, à quo quis impetitur pugnis. *Alterum*, quòd repercussio fiat incontinenti; si enim intercedat aliquod temporis spatium, erit vindicta; non necessaria defensio. *Tertium*, quòd aggressus non possit aliter salvare suam vitam, nisi percutiendo aggressorem; si enim potest se custodire in loco tuto, vel absque honoris jactura fugere, & percutiat aggressorem, reus erit homicidii.

7. *Quær.* An licitum sit cuicunque personæ, occidere injustum aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ? *Resp.* Affirmativè, sivè sint Laici, sivè sint Clerici; ac etiam Monachi. Mastr. *disp. 11. num. 110.* etiamsi aggressus deprehensus fuisset, committere rem illicitam. Hinc Uxor, & Amasius deprehensi à Marito in adulterio; ne occidantur à Marito eos aggredientes cum armis, nisi aliàs tueri se valeant, possunt Maritum aggressorem occidere. Tamburin. *in Decal. lib. 6. cap. 1. §. 4. num. 3.* Azor. *dict. lib. 2. cap. 1. quæst. 8.* & ibi Sotus, & Navar. maximè attenta opinione damnata, (quòd possit Maritus occidere Uxorem in adulterio deprehensam) *à Sacr. Congreg. 1665. die 24. Septembr.* de qua Mastrius *d. disp. 11. num. 109.* ubi subdit, quòd ab aggressis possunt occidi injusti aggressores, quamvis hi sint conditionis excellentioris, vel superioris; quod etiam docet Azor. *dict. cap. 1. q. 6. & 7.*

8. *Quær.* An liceat prævenire, & præveniendo occidere illum, à quo quis est occidendus? *Resp.* Duas esse opiniones, quas refert Tambur. *in Decal. lib. 6. cap. 1. §. 1. num. 15.* & Azor. *d. lib. 2. cap. 1. quæst. 12.* ubi affirmativam tenent, quando quis aliter vitam propriam defendere non potest ab aggressore, armis contra se irruente. Dixi *Armis*, quia, si quis impeteretur falsis accusationibus, aut injusto processu, non esset licitum, occidere falsos testes, vel Judicem iniquum, juxta contrariam opinionem damnatam *à Sacr. Congregat. dict. anno 1665.* Mastr. *disp. 11. num. 110.*

9. *Quær.* An licitum sit, occidere furem furripientem bona mea; *Resp.* Esse hinc inde opiniones, quas Azor. *dict. lib. 2. cap. 1. quæst. 19* concordat sub hac distinctione: si bona sunt necessaria pro tua vita, & illa aliàs conservare, vel recuperare non potes, licet furem occidere. At si bona non sint magni valoris, nec tibi penitus necessaria ad vitam, vel spes est, illa recuperandi, non licet furripientem occidere; quia ordo charitatis requirit, ut vita proximi præferatur bonis temporalibus propriis. Et ita docet etiam Fagnanus *in cap. Suscepimus. num. 13. de Homicid.* & Genuensis *in Pract. Eccl. q 660.*

10. *Quær.* An aggressus, qui potest fugere, sed timet incurrere infamiam ob fugam, possit injustum aggressorem occidere? *Resp.* Id licitum esse viris nobilibus, secùs autem plebejis, aut Clericis, vel Religiosis. Azor. *d. lib. 2. cap. 1. quæst. 14.* & Mastrius *d. disp 11. num. 111.*

11. *Quær.* An puella ad tuendam suam corporis integritatem possit impudicum invasorem occidere? *Resp.* Affirmativè, si se defendere alio modo non possit. Sylvest. *Verb. Homicidium 1. quæst. 5.* Azor. *d. cap. 1. quæst. 18.*

12. *Quær.* An etiam puella possit occidere se ipsam, ne ab aliquo violetur? *Resp.*

Negativè, quia non est violatio, ubi non est consensus, sicut ait S. Lucia ad Tyrannum. Mastrius *dict. disp.* 11. *num.* 115.

13. *Quær.* An liceat Viro nobili acceptare duellum, ne vilis habeatur cum dedecore, & amissione honoris? *Resp.* Moralistas solitos fuisse affirmare; sed ab eis est cavendum; *Cum à Sacr. Congr. d. an.* 1665. damnata sit hæc Propositio: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Et jure quidem, nam omnis pugna privata, expositа periculo cædis proximi, est illicita, & gravissimis Constitutionibus Summorum Pontificum prohibita; nec desunt remedia conservandi honorem in similibus provocationibus, de quibus idem Mastrius *in Theol. Mor. disp.* 10. *num.* 113. *& disp.* 11. pariter *num.* 113. ubi subdit, licitum esse, acceptare duellum, quando ob recusationem quæ esset statim ab inimico suo armato confodiendus, cùm ipse non haberet arma ad se defendendum; vel si in bello justo ad terminandum bellum hinc inde Principes bellantes conveniant, ut per duellum terminetur discordia; & hoc ob commune bonum, & ad parcendum cædi majoris numeri militum. His addit Tambur. *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 1. §. 3. *num.* 8. si quis non acceptans duellum, perderet plura bona pretiosa, vel officium, aut dignitatem tanquam vilis, & ignavus; quod probabile dicit Diana *part.* 5 *tract.* 14. *resolut.* 99. quæ in Coordinato est *tom.* 5. *tract.* 1. *resol.* 55. Sed, post damnatam opinionem supradictam, non videtur eis assentiendum.

14. *Quær.* An licitum sit, fugientem insequi ad recuperandum honorem propter acceptam ab eo alapam, illumque vulnerare, & repercutere? *Resp.* Alii negant, quia est species vindictæ, prosequi fugientem. Alii affirmant, si alapa percussus statim, & incontinenti insequatur fugientem, ad recuperandum honorem, quem sibi ipso actu aufert fugiendo. Secùs si ex intervallo, & interposita mora; tunc enim est, vindictam facere. Mastrius, & apud eum DD. *d. disp.* 11. *num.* 114.

15. *Quær.* An licitè parentes filios suos castrare faciant, ut voce, & cantu Ecclesiæ serviant? *Resp.* Plures asserere, inter quos Tamburin. *part.* 2. *in Decalog. lib.* 6. §. 1. plures autem negare, inter quos Caramuelem *in Theol. Fund. à num.* 1603. *& pluribus seqq.* ubi mordicùs defendit opinionem negativam; sed Mastrius *dict. disp.* 11. *num.* 116. potiùs adhæret affirmativæ; *quam* (inquit) *probabiliorem reddit quotidiana praxis, præsertim in Romana Curia, ubi hujusmodi Eunuchi permittuntur in servitium Musices, & Ecclesiarum.*

16. *Quær.* An dimissus è carcere data fide, vel præstito Juramento de redeundo ad carcerem, teneatur redire, si certò sciat, se esse damnandum ad mortem? *Resp.* Asserere Cajetan. 2. 2. *qu.* 89. *art.* 7. *ad* 4. Negare Glossam *in Clem. Pastoralis, de Sentent. & re judic.* quam sequuntur Canonistæ omnes. Alii distinguunt, si talis dimissus est innocens, non tenetur redire; secùs autem, si sit reus, & juridicè contra eum Judex procedat. Azor. *d. part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 8.

17. *Quær.* An Carthusianus, iter agens, si ad edendum non reperiat, nisi carnem, possit illam comedere; vel teneatur ob famem mortem subire? *Resp.* In eo casu, teneri carnem edere; ejus enim regula obligat, abstinere ab esu carnium, ubi alia sunt alimenta. Azorius *d. cap.* 3. *qu.* 14.

18. *Quær.* Tempore naufragii, si duo sint in navicula; & nisi unus ejiciatur in mare, ambo sint perituri; An liceat uni ejicere alium, ut salvet seipsum? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; & casum esse difficilem; nam qui ejicit socium in mare, videtur intendere conservationem suæ vitæ, non autem mortem illius. At uterque est in possessione naviculæ; neque majus jus competit ejicienti, quàm ejecto. Azor. *d. cap.* 3. *qu.* 20.

19. *Quær.* An bannitus, & proscriptus à Principe cum licentia unicuique illum impunè occidendi, possit se defendere, & suos aggressores occidere? *Resp.* Esse discrepantiam inter Criminalistas, quos citat Tamburin. *d. lib.* 6. *in Decal. cap.* 1. §. 1. *num.* 8. ubi scribit, se defendendo posse bannitum aggressores occidere, quia per sententiam Judicis non amisit jus, tuendi suam vitam. Qui verò occidunt taliter bannitos, & proscriptos, non peccant. Tambur. *dict. cap.* 1. §. 4.

20. *Quær.* An quis, ut defendat unum ex proximis, teneatur injustum aggressorem occidere? *Resp.* Si ille proximus sit ei cognatione conjunctus, vel sit ejus Superior, tenetur, si potest, eum defendere occidendo injustum aggressorem. Secùs si aggressus sit unus ex communi proximo; tunc enim eadem charitas urget pro vita aggressoris. ac aggressi, Ita ex Suarez Tamburin. *d. lib.* 6. *cap.* 1. §. 1. *num.* 11.

21. *Quær.* An Judex possit condemnare ad mortem illum, qui secundùm allegata, & probata videtur reus; si Judex sciat, tanquam vir privatus, esse innocentem? *Resp.* Alios DD. asserere, alios negare, ut refert Tamburin *d. cap.* 1. §. 4. *à n.* 8. *& seqq.* & Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 8. *num.* 28. qui adhærent opinioni negativæ, non solùm, si Judex sit supremus Princeps; sed etiam si sit inferior, quia nunquam Jura permittunt, condemnare innocentem. Idem affirmant, si malefactor sit occultus; illum enim condemnare ad mortem, nullus Judex potest, neque Princeps, etsi certus de ejus reitate; nisi ex ejus vita ageretur de magno Reipublicæ damno.

22. *Quær.* An liceat privata auctoritate Tyrannum occidere? *Resp.* Cum distinctione. Si sit Tyrannus, qui per vim occupavit Regnum, licet. Si vero tyrannicè gubernat, non licet. Mastrius *d. disp.* 8. *num.* 27.

CAPUT LIX.

De Abortu.

1. *Quær.* An liceat prægnanti infirmæ pro tuenda vita sua procurare abortum? *Resp.*

Resp. Si fœtus sit inanimatus, potest procurari abortus non directè, sed indirectè ad sanitatem matris consequendam. Si verò sit fœtus animatus; alii dicunt, neque directè neque indirectè posse matrem pharmaca sumere ad recuperandam sanitatem, si inde abortus sit sequuturus; quia debet præferre salutem spiritualem prolis sanitati suæ corporali. Alii distinguunt; si matre abstinente à medicamentis spes probabilis sit, quòd proles sit viva nascitura, tenetur mater abstinere; at si hæc spes cesset, poterit mater ad conservationem suæ vitæ sumere pharmaca, quamvis sequuturus sit abortus; nam evitari non poterat, si mater mortua esset. Mastrius *d. disp.* 8. *num.* 30. *&* 31. & Tambur. *d. lib.* 6. *in Decalog. cap.* §. 4. Et novissimè Cardenas *in Crisi Theolog. Dissert.* 22. *n.* 21. *& seqq.*

2. *Quær.* Quo tempore fœtus sit animatus? *Resp.* Si fœtus humanus sit masculus, animatur anima rationali post quadraginta dies à conceptione; si verò sit fœmininus, post dies octoginta, secundùm Aristotelem *lib.* 5. *Animal. cap.* 3. *&* 9. Farinac. *q.* 122. *n.* 141. Cæsar de Panimoll. *Decis.* 68. *num.* 17. Porrò Cardenas *in Crisi Theolog. part.* 1. *tract.* 1. *disp.* 14. *cap.* 3. *n.* 28. *& seq.* auctoritate doctissimorum Medicorum docet, etiam prima, secunda, aut tertia die fœtum fieri animatum.

3. *Quær.* An liceat procurare abortum fœtus inanimati, ne puella gravida infametur, aut occidatur à suis parentibus? *Resp.* Olim opinionem affirmativam tanquam probabilem plures Moralistas docuisse, quos citat Diana Coord. *tom.* 5. *tract.* 6. *resol.* 44. *& resol.* 46. & Cardenas *in Crisi Theolog. d. Dissert.* 22. *cap.* 4. *cum tribus seqq.* Sed hodie hæc opinio est damnata à Sanctissimo Innocentio XI. *Propos.* 34. Quare sivè fœtus sit animatus, sivè inanimatus; non licet ejus abortum procurare; ea ratione, quia est intrinsecè malum, tum innocentem occidere, tum destruere generationis actum; & dispositionem jam incæptam ad vitam hominis. Tambur. *d. lib.* 6. *in Decal. cap.* 2. §. 4. *num.* 5. *&* 6. ac Philippin. *de Privil. Ignor. cap.* 10. *Privil.* 7. ubi tamen perperàm conatur excusare à censura ob ignorantiam procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto, quia ignorantia juris neminem excusat, si actio est manifestè mala, & peccaminosa, ac prohibita jure naturali, vel divino. Thesaur. *de Pœnis Eccl. part.* 1. *cap.* 15. *resp.* 3. *&* 4.

4. *Quær.* Quæ sint pœnæ inflictæ contra procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto? *Resp.* Esse sequentes. 1. Excommunicationem Papalem, si fœtus erat animatus, reservatam hodie locorum Ordinariis. 2. Si procurantes sint Clerici, incurrunt privationem privilegii Clericalis, ac beneficiorum; & fiunt inhabiles ad illa. 3. Non gaudent immunitate loci sacri, quia censentur homicidæ proditores. 4. Infamiam Juris. 5. Irregularitatem: Ita Thesaur. *de Pœnis part.* 2. *Verb. abortus procuratio.*

5. *Quær.* Quis possit absolvere à prædicta Excommunicatione ob abortum? *Resp.* Episcopi, & locorum Ordinarii, qui possunt facultatem delegare cuicunque Confessario. Regulares verò, habentes privilegium absolvendi à reservatis Sedi Apostolicæ, poterunt absolvere etiam ab hac censura; nisi Episcopi specialiter sibi reservaverint hunc casum; ut ubique fieri solet. Thesaur. *dict. Verb. Abortus Vers. Primo.* Et Lezana *tom.* 3. *eod. Verb. num.* 7. Quia Regulares nunquam possunt absolvere à peccatis per Episcopos reservatis, ut ostendi *de Pœnitentia decis.* 46. *num.* 16.

6. *Quær.* Quæ sint pœnæ contra procurantes abortum fœtus inanimati? *Resp.* Præter culpam mortalem esse pœnam Juris communis, videlicet, fustigationem mulieris, & condemnationem virorum ad triremes; vel ad carcerem, ut docent Criminalistæ, quos cumulat Cæsar. de Panimoll. *decis.* 68. *à num.* 7. *& seqq.*

7. *Quær.* An Irregularis occultus ob procurandum abortum possit dispensari à Sacra Pœnitentiaria? *Resp.* Affirmativè; sed debet exprimere, si fœtus erat à se genitus, aliàs gratia erit subreptitia. Thesaur. *dict. part.* 2. *cap.* 1. *Verb. Abortus, in fine.*

8. *Quær.* An incurrat pœnas antedictas, qui causat abortum, vel percutiendo mulierem gravidam, vel cum ea immoderatum coitum exercendo? *Resp.* Negativè, si non adverterit ad periculum abortus. Non tamen effugiet irregularitatem, abortu fœtus animati secuto. Lezana *tom.* 3. *in Sum. Verb. Abortus num.* 16.

9. *Quær.* An incurrat dictas pœnas, qui ratum, & gratum habet abortum ejus nomine factum? *Resp.* Negativè, si id sciverit post factum. Affirmativè, si antequam fieret, approbasset. Lezana *d. Verb. Abortus num.* 17.

10. *Quær.* An sit aliqua Propositio evitanda tanquam damnata circa abortum? *Resp.* Esse la 35. inter illas damnatas ab Innocentio XI. quæ sic asserebat: *Videtur probabile, omnem fœtum. quamdiu in utero est, carere anima rationali; & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* De iniquitate, né dicam bestialitate hujus Propositionis tractat Cardenas *in Crisi Dissertat.* 22. *cap.* 8. ubi eam vocat delirium.

CAPUT LX.

De Homicidio Casuali.

1. *Quær.* Quæ, & quot sint Regulæ ad cognoscendum, an Homicidium fuerit Voluntarium, vel Casuale? *Resp.* Esse quatuor Regulas. *Prima* est, cùm quis dat operam rei licitæ, ut si Murator cooperiat domum; & tunc, si posuerit signum, vel clamaverit; & viator ligno, vel saxo occidatur, homicidium erit casuale, & absque ulla culpa. Si verò Murator negligens fuerit in clamando, vel ponendo signum; erit culpa Venialis, si negligentia fuerit levis; at mortalis, si negligentia fuerit gravis.

Secun-

Secunda Regula est, cùm quis dat operam rei illicitæ, & tunc, nisi adhibeat omnem diligentiam, ne sequatur mors alterius, erit reus homicidii, etsi casualis. Exempli gratia, si quis ludat pugnis cum alio: Vel se inebriet, sciens fieri furiosum, & percussorem in ebrietate. Vel coeat cum uxorata, non adhibens omnem diligentiam, ne maritus eam occidat. *Tertia* Regula, qui non adimplet ea, ad quæ tenetur ex officio sivè per incuriam, sivè per ignorantiam, homicidia, quæ sequuntur, etsi casualia, sunt mortalia, & obligant ad restitutionem. Exempla sint. Si Medicus malè curet ægrotum. Advocatus non bene defendat clientem. Dux non coerceat milites. Prætor non insequatur latrones. Dominus non bene ligatas teneat feras. *Quarta* Regula: qui non impedit homicidium faciendo id, quod ex sola charitate facere debebat, est reus homicidii, sed non tenetur ad restitutionem, neque incurrit irregularitatem. Sit exemplum de eo, qui eleemosynam non dedit alicui in gravi necessitate constituto; vel qui non manifestavit insidias, ut fugeret mortem; seu qui dissuasit volentem manifestare. Tamburin. *dict. lib. 6. in Decalog. cap. 3. §. 1. num. 4. & seqq.* ubi DD. cumulat.

CAPUT LXI.

De Circumstantiis Homicidii.

1. *Quær.* Quot, & quas circumstantias Confessarius requirere debeat à Pœnitente homicida? *Resp.* Quinque circumstantias esse requirendas. *Prima* est de qualitate Pœnitentis, an sit Clericus, vel Sacerdos? ut sciat, utrùm factus sit irregularis, & an susceperit Ordines in irregularitate, vel Missam celebraverit, quia sunt nova peccata. *Secunda*, est circa personam occisam, an fuerit sibi consanguinitate conjuncta? quia esset aliud peccatum contra pietatem debitam parentibus. Vel an fuerit Clericus, vel Monachus? nam affectus esset excommunicatione *ex cap. Si quis suadente.* Vel an fuerit in Dignitate Ecclesiastica constituta, ut Episcopus, Nuncius, Cardinalis? Nam ligatus esset alia excommunicatione Papæ reservata; vel an esset persona petens Romam? ob aliam excommunicationem contra hujusmodi iter agentium occisores pariter fulminatam. Vel an occisus esset Pater familias, & reliquerit filios, vel filias pauperes; nam tenetur homicida ad restituenda damna; & providere eorum paupertati. *Tertia*, Circumstantia requirenda ab homicida est circa locum, ubi comisit homicidium: si enim fuit locus Sacer, commisit etiam Sacrilegium. *Quarta*, est circa auxiliatores: siquidem si alios socios assumpsit, tot alia peccata commisit. *Quinta*, tandem est circa tempus, an scilicet ex improviso hominem necaverit, vel diù meditatus est in corde de nece hominis; nam in tali casu multiplicavit numerum peccatorum, necessariò in Confessione exprimendum. Ita Tamburin. *dict. lib. 6. in Decal. cap. 3. §. 2.* per totum. Et ego in Decisionibus de Pœnitentia *decis. 27. num. 8.*

2. *Quær.* Quam Pœnitentiam Confessarius injungere debeat homicidæ? *Resp.* Ut à propinquis occisi veniam petat. Ut iisdem damna resarciat. Ut saltem per annum singulis hebdomadis unam Missam celebrare faciat, eleemosynam aliquam det, & Rosarium recitet pro anima occisi. Ut tota vita quotidie saltem unum Pater, & Ave pro ejusdem anima genibus flexis recitet; vel aliquam peregrinationem assumat. Comitol. *in Resp. Moral. lib. 4. quæst. 11. numer. 8.* Tamburin. *d. cap. 3. §. 3. & de Exped. Confess. lib. 4. cap. 3. & 4.*

CAPUT LXII.

De Restitutione ob Homicidium.

1. *Quær.* Si quis innocens condemnetur à judice ob homicidium occultum ab alio factum: An teneatur homicida resarcire damna ipsius innocentis? *Resp.* Negativè, quia non fuit causa moralis illius damni; nisi adhibuisset arma illius innocentis, ex quorum indicio condemnatus fuisset. Tambur. *dict. lib. 6. cap. 4. §. 1.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Just. & Jur. disp. 8. num. 82.* ubi id docent, quamvis homicida prævidisset, imò intendisset ex suo homicidio, aliquem innocentem fore condemnandum. Verum tamen est, quòd si occisor posuisset cadaver vel in agro, vel ad domum vicini, ex qua circumstantia vicinus à Justitia vexaretur, ipse occisor esset obligatus eidem damna resarcire; ut prædicti DD. notant. Porrò circa casum in quæsito propositum vide pulchrum contrarium exemplum in meis Decisionibus *de Pœnitentia decis. 27. numer. 26.*

2. *Quær.* An Pater teneatur ad restitutionem, si homicidium committatur à filio? *Resp.* Negativè, nisi in legitima damnetur. Tambur. *dict. lib. 6. cap. 4. §. 2. num. 6.*

3. *Quær.* An Dominus teneatur ad damna resarcienda, si homicidium committatur ab ejus servo, vel animali? *Resp.* Affirmativè, si Dominus fuit in culpa. Negativè, si absque ejus culpa. Verùm si sententietur ad resarcienda damna, tenetur vel resarcire, vel dare servum, aut animal pro noxa. Tamburin. *dict. §. 2. num 5.*

4. *Quær.* Quanta debeat esse restitutio pro homicidio injusto? *Resp.* Ad arbitrium boni viri, pensata ætate, & industria occisi. Tamburin. *dict. lib. 6. cap. 4. §. 3.* ubi advertit, restitutionem faciendam esse hæredibus occisi, cum quibus bonum est concordare, & transigere.

5. *Quær.* An ob homicidium sequutum in duello voluntario facienda sit restitutio? *Resp.* Negativè; nisi occisus fuisset deceptus, vel coactus. Tambur. *dict. §. 3. num. 2.*

6. *Quær.* Si occisus remisisset omne debitum homicidæ, an ejus uxor, & filii possint petere damna, quæ patiuntur? *Resp.* Affirmativè, quia remissio facta ab interfecto

habes

habet locum in damnis præteritis usque ad ejus mortem, non autem in subsequentibus. Emin. Card. de Lugo *de just. & jur. disp.* 11. *num.* 63. & Tambur. *dict. cap.* 4. §. 3. *num.* 10. & 11.

7. *Quær.* An homicida aliquid debeat creditoribus occisi? item pauperibus, quibus occisus eleemosynas facere solebat? nec non amicis, quibus ex liberalitate, vel gratitudine multa donabat? *Resp.* Negativè, nisi homicida eo animo, & intentione occidisset, ut supradictos iis bonis privaret; tunc enim, quia occisor contra justitiam peccaverit, ad resarcienda damna iisdem teneretur. Lessius *de just. & jure lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 154. Tamb. *dict. lib.* 6. *in Decalog. cap.* 4. §. 3. *num.* 12. & 13.

8. *Quær.* An hæredes homicidæ, qui fuit pœna personali punitus, teneantur resarcire damna filiis, uxori, & aliis descendentibus ab occiso? *Resp.* Affirmativè, si isti sint pauperes; secùs si sint divites; hi enim solent esse contenti pœna personali inflicta per Judicem. Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 4. *dub.* 6. Lessius *d. cap.* 9. *num.* 138. Tamburin. *d.* §. 3. *num.* 14.

9. *Quær.* An qui invasus excedit modum necessariæ defensionis, & invasorem occidit, teneatur ad restitutionem damnorum hæredibus occisi? *Resp.* Negativè, quia invasor aggrediendo alium videtur cedere suis damnis; & ad summum posset invasus condemnari in aliquam partem ad arbitrium prudentum virorum. Tambur. *d. lib.* 6. *in Decal. cap.* 4. §. 3. *num.* 15. & 16. ubi idem affirmat de eo, qui poterat fugere, & non fugit; sed aggressorem occidit.

10. *Quær.* Si quis excitet socios ad pugnam pro sui defensione, ut facere solent Scholares Patavii, dum rixam ineunt contra Satellites; & unus ex sociis occidatur; Utrùm, qui excitavit dictos socios, teneatur ad restituenda damna hæredibus occisi? *Resp.* Cum distinctione. Si pugna erat justa, ad nihil tenetur. Si autem injusta, tenebitur restituere damna, quia excitans operabatur contra justitiam. Eminent. Card. de Lugo *de just. & jure disp.* 12. *num.* 58. & Tamburin. *dict.* §. 3. *num.* 19.

11. *Quær.* An homicida teneatur facere restitutionem pro bonis spiritualibus, quæ occisus facere solebat, vel decreverat; exempli gratia Missam unam in hebdomada, vel aliam eleemosynam? *Resp.* Negare Lessium *de just. & jur. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 25. Affirmare Tambur. *dict.* §. 3. *num.* 20. & 21. quia ea opera spiritualia habent in se certitudinem.

12. *Quær.* An percussor pro cicatrice illata, vel mutilatione alicujus membri, præscindendo ab aliis damnis temporalibus, teneatur aliquid restituere? *Resp.* Negativè, quia bona altioris ordinis, qualis est vita, non compensantur bonis inferioris ordinis, qualis est pecunia. Lessius *de just. & jur. lib.* 2. *cap.* 9. *dub* 23. & Tamburin. *dict. lib.* 6. *in Decalog. cap.* 4. §. 3. *num.* 22. ubi advertit, contrarium docere plures Scotistas.

13. *Quær.* An teneatur ad restitutionem ille, qui volens occidere Petrum, occidit Paulum per errorem? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; alii enim negant teneri, quia occisio Pauli fuit involuntaria; ideò si Paulus esset Clericus, occisor non incurreret excommunicationem. Alii affirmant, quia occisor dabet operam rei illicitæ, cùm vellet occidere Petrum. Sanchez *de Matr. lib.* 9. *disp.* 32. *num.* 26. Tamburin. *dict.* §. 3. *num.* 23. & 24. Et Eminentiss. Card. de Lugo *de just. & jur. disp.* 7. *num.* 25. *ac etiam disp.* 17. *num.* 75.

14. *Quær.* Si tu infeciſti veneno vinum bibendum à tuo inimico, quod amicus superveniens bibat, & moriatur, erisne tu homicida, & irregularis? *Resp.* Negativè, si non poteras monere amicum absque periculo tuæ vitæ; fuit enim ejus mors tibi involuntaria. Eminent. Card de Lugo *de just. & jur. disp.* 8. *num.* 86. Tambur. *dict. lib.* 6. *in Decal. cap.* 4. §. 4. *num* 2. Sic obiit Alexander Papa VI. ut ait Platina *in ejus Vita.*

15. *Quær.* Si tu coactus à latronibus ostendisti domum Pauli, qui ab illis occisus fuit, & domus incensa, teneris ne tu ad restitutionem damnorum? *Resp.* Negativè, si coactus; at affirmative, si sine coactione. Eminent. Card. de Lugo *disp.* 41. *num.* 21. Tamburin. *dict.* §. 4. *num.* 3. Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 63. Quæ in Coordinato est *tom.* 8. *tract.* 5. *resolut.* 84.

16. *Quær.* An sit reus homicidii, qui consilium dedit alicui, ut hominem occideret? *Resp.* Si occisor erat omninò determinatus ad illum hominem occidendum, Consulens non est reus homicidii, neque est irregularis. Secùs autem si motus fuit illo consilio. Tambur. *dict. lib.* 6. *cap.* 4. §. 5. *num.* 2.

CAPUT LXIII.

De Irregularitate ex Homicidio.

1. *Quær.* Petrus consuluit tibi, ut homicidium faceres; Paulus tibi mandatum dedit de eodem homicidio faciendo. Petrus, & Paulus ante executionem revocant consilium, & mandatum; eruntne rei homicidii, & irregulares, si tu nihilominùs homicidium facies? *Resp.* Alios DD. asserere de consulente; negare de mandante; alios verò DD. de utroque docere, quòd non sint rei, neque irregulares, ut scribit Diana *par.* 3. *tract.* 5. *resolut.* 83. & *par.* 4. *tractat.* 2. *resol.* 14. Quæ in coordinato habentur *tom.* 5. *tract.* 2. *resol.* 41. & *tom.* 5. *tract.* 5. *res.* 114. & Tambur. *dict. lib.* 6. *in Decal. cap.* 4. §. 5. *num.* 3. & 4.

2. *Quær.* Petrum tuo nomine homicidium fecit; quod tibi significatum ratum habuisti: erisne tu irregularis, & obligatus ad damna resarcienda? *Resp.* Negativè, quia ratum habere non est mandare, neque consulere. Emin. Card. de Lugo *de just. & jur. disp.* 19. *num.* 32. Tamburin. *dict.* §. 5. *num.* 7. ubi tamen advertit, quòd qui ratam habet occisionem Clerici suo nomine factam, incurrit in excommunicationem; quia hoc specialiter est statutum in Jure per Text. *in cap. Cum quis. de Sentent. Excommunic. in* 6. quæ Constitu-

tio non se extendit ad irregularitatem, neque ad restitutionem damnorum.

3. *Quær.* An qui voluit Petrum occidere, sed tantummodò vulneravit, incurrat irregularitatem? *Resp.* Negativè, si Petrus sanus fiat; & dummodo ei aliquod membrum mutilatum non fuerit. Ugolin. *de Irregular. cap.* 4. §. 6. *num.* 2. *&* 3. Membra autem, ex quorum mutilatione insurgit irregularitas in mutilante, sunt ista: Oculi, Aures, Nares, Lingua, Manus, Genitalia, & Pedes. Idem Ugolin. *d. cap.* 4. §. 4. *pag.* 16.

4. *Quær.* An irregularis ob homicidium voluntarium dispensari possit ab Episcopo saltem circa minores ordines, seu beneficium simplex? *Resp.* Negativè. Fagnan. *in cap. Henricus num.* 43. *de Clericat. pugnan. in duello.*

5. *Quær.* An si irregularis ex homicidio de facto suscipiat Ordines, incurrat aliquam Censuram, vel novam irregularitatem? *Resp.* Negativè; & si celebret, tantummodò peccabit mortaliter: & ad obtinendam dispensationem satis est, exprimere suam irregularitatem, & nihil tenetur dicere de susceptione Ordinum. Pax Jord. *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *à num.* 389. *& seqq.* ubi *num.* 390. ait, id esse notatu pulchrum.

6. *Quær.* An irregularis quis evadat ob homicidium casuale; non autem voluntarium, neque deliberatum? *Resp.* Tres casus esse distinguendos. *Primus* casus est, quando occidens, vel mutilans dabat operam rei illicitæ; & in hoc casu fit irregularis, quia est voluntarium quo ad causam: Fagnan. *in cap. Ad audientiam num.* 19. *de Homicid. tom.* 6. *pag.* 263. ubi dat exempla de Clerico Venatore, qui credens telum immittere in feram, interfecit hominem; secùs si pellens porcos ex agro, inadvertenter cum lapide occidisset puerum. De Clerico, qui se inebriat, sciens in ebrietate se solitum esse furere, si quem ebrius occidat. De mandante verberare aliquem, si executor mutilet, vel occidat. De consulente capi castrum, vel machinam jactari. De associante illum, qui vadit ad aliquem occidendum. De eo, qui animum alicujus inflammavit ad vindictam, ex qua fecit homicidium. Ita Fagnan. *ibid. à num.* 20. *usque ad num.* 33. *Secundus* casus est, cùm quis dabat operam rei licitæ, sed non adhibuit debitam diligentiam: nam & hic fit irregularis. Fagnan. *in dict. cap. Ad audientiam à num.* 35. *& seqq.* ubi exemplificat de eo, qui scit, se in somnis arma sumere; & antequam vadat dormitum, ea non abscondit. De Chirurgo ignaro artis suæ, si infirmus moriatur. De illo, qui tenet ursos, aut leones non bene custoditos. De Clerico, qui cum fune misit puerum in puteum ad sumendam supellectilem, si fune fracto puer suffocetur. Et de illo, qui in Campanili attraxit funem Campanæ, ne quis eam pulsaret, licèt sentiret gravi pondere funem onustum, cumque descendisset, invenit puerum, qui manibus funem tenebat, illapsum, & mortuum; hunc enim Sacr. Congregatio declaravit irregularem. *Tertius* casus est, cùm quis dat operam rei licitæ, sed cum intentione nocendi; undè qui fenestram aperit, sciens aliquem, se projecturum ex ea, vel furem denunciat, aut tradit Judici cum intentione, ut morti tradatur, fit irregularis. Fagnan. *ubi supra num.* 45. & Tamburin. *de Irregularitate cap.* 15. §. 2. per totum, *&* §§. 3. 4. 5. *&* 6. ubi plenissimè agit de Irregularitate ex homicidio casuali.

7 *Quær.* An in jure sint expressi aliqui casus, in quibus incurritur Irregularitas ob homicidium casuale, & non voluntarium? *Resp.* Esse tres casus expressos. *Primus* est de Clerico Chirurgiam exercente, si ex sectione venæ, vel adustione sequatur mors. *cap. Tua nos. de Homicid.* ubi DD. *Secundus* est, de mandante aliquem verberari, cum prohibitione, ne occidatur, si nihilominùs mors eveniat. *cap. ult. de Homicid. in* 6. & ibi Barbosa. *Tertius* est, de Clerico colludente cum muliere prægnante, si ex ludo sequatur abortus fœtus animati, *cap. Sicut* 20. *de Homicid.* quem exornant Canonistæ super illo scribentes.

CAPUT LXIV.

De Bello.

1. *Quær.* Quid sit Bellum? *Resp.* Quòd est Regum, seu Principum, sive liberorum populorum discordia, arma sibi invicem inferentium. Calepin. *in Verb. Bellum*, ubi Festus ait, Bellum dici à belluis, eò quòd belluarum sit, mutuò se laniatu conficere: & differt Bellum à prælio, seu pugna, vel certamine; quia hæc dicuntur, quoties fit conflictus; Bellum verò est totum illud tempus, quo durat discordia inter Principes.

2. *Quær.* Quotuplex sit Bellum? *Resp.* Esse duplex. *Defensivum*, quando Princeps, vel Respublica vim sibi injustè illatam armis repellit. Et *Offensivum*, cùm ipse Princeps, vel Respublica justis de causis inimicos suos aggreditur: quod quidem est licitum Principibus, ut ostendit S. August. *lib.* 22 *contra Manichæos*, qui contrarium asserebant; & probat Mastrius *in Theol. Mor. disp.* 10. *num.* 106.

3. *Quær.* Quot sint conditiones ad Bellum justum requisitæ? *Resp.* Esse tres. *Prima*, est legitima auctoritas, quæ solùm residet in Principe, aut Republica non recognoscente alium Superiorem; nam si alium recognosceret, ad ipsum deberet recurrere, ut sibi jus faceret. *Secunda*, est justa causa, seu justus bellandi titulus; hæc autem generatim loquendo est injuria illata Principi, vel Reipublicæ; quæ debet esse gravis, ut tanta pœna puniatur; videlicet, ad recuperandum regnum, ad reprimendos subditos rebelles; & hæc causa debet esse Principi certa, & explorata, non autem dubia; & approbata à viris doctis, & timoratis. *Tertia* causa est recta intentio bellantium; ut scilicet non ex odio, sed pacis studio, & ut mali coerceantur, & boni subleventur, bellum fiat. Mastrius *in Theolog. Mor. dict. disp.* 10. *num.* 106. *& seq.* Lezana *in Summa tom.* 3. *Verb. Bellum*,

Bellum, *num.* 3. & ex Canonistis Gonzalez *in cap. Sicut* 29. *de jurejurando*; qui prædictas conditiones examinat, & exornat.

4. *Quær.* An subditi teneantur se informare de justitia belli, ut militent pro Principe? *Resp.* Negativè, sed satis est illis, si non constet de injustitia belli; quamvis etiam dubitarent de illa. S. Aug. *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 75. & Mastr. *d. disp.* 10. *num.* 107.

5. *Quær.* An sint aliqua observanda à Principibus etiam in bello justo? *Resp.* Duo esse servanda. *Unum*, ut antequam justum bellum moveatur, Princeps petat à suo Adversario, quod sibi debetur; si enim paratus sit, justam satisfactionem ei dare, à bello est abstinendum. *Alterum*, ut innocentes directè non occidantur, quales sunt pueri, mulieres, Religiosi, hospites, & peregrini; dicitur directè, quia, ut plurimum, indirectè & hi offenduntur, cùm ita sint immixti cum militibus, ut ab eis separari non possint in incendio Urbium, & eversione arcium, & murorum. Mastrius *d. disp.* 10. *num.* 108. Hinc Bellum sævam rem, & cumulum injuriarum appellavit Plutarchus *in Vita Camilli*, ut refert idem Gonzalez *in cap. Pisanis* 19. *de Restit. Spol. num.* 4. & ibi S. Augustinus miserias belli collacrymans, quem utinam non cogamur imitari.

6. *Quær.* An in bello liceat uti insidiis? *Resp.* Cum distinctione; Vel insidiæ continent mendacia, vel violationem fidei datæ, vel promissionis factæ hostibus? & hæ non licent; quia sunt intrinsecè malæ: vel continent industrias ad decipiendos hostes? & sunt licitæ; quia non tenetur Princeps patefacere suis hostibus consilia, & resolutiones, quas sumit ad eos debellandos. DD. quos allegat Mastrius *dict. disp.* 10. *num.* 110. ubi notat, dicta per Judith ad Holofernem non in omnibus ab Ecclesia approbari: etsi pro ejusdem mulieris zelo, & religiositate recitentur, & laudentur.

7. *Quær.* An peccatum sit, puguare in diè festo? *Resp.* Negativè; sicut enim in diebus festis licet ea facere, quæ concernunt sanitatem hominis privati: ita ea, quæ attinent ad salutem totius Reipublicæ. *Cap. Si nulla* 23. *q.* 8.

8. *Quær.* An sit licitum omnibus, pugnare in bello justo? *Resp.* Affirmativè, exceptis Ecclesiasticis, quibus de jure positivo id eis interdicitur. *Cap. Hortatu*, 23. *q.* 8. nisi in casu summæ necessitatis pro defensione Patriæ; vel pro eorum vita tuenda. Mastrius *dict. disp.* 10. *num.* 111. & Gonzalez *in cap. Petitio tua*, 24. *de Homicid.* qui *num.* 4. ex Historiis, & Conciliis demonstrat, quid Clerici agere possint, si sequantur exercitus.

9. *Quær.* An Clerici pugnantes in bello, & occidentes Hostes, incurrant irregularitatem? *Resp.* Affirmativè, secundùm Navar. *in sum. cap.* 27. *num.* 213. Negativè secundùm alios, quando pugnant pro necessaria defensione vitæ, vel Reipublicæ. Lezana *in Sum. d. tom.* 3. *Verb. Bellum*, *num.* 14. Mastrius *ibid. num.* 111.

10. *Quær.* An liceat Principi Christiano bellum justum gerenti assumere in auxilium sibi milites Hæreticos, seu Infideles? *Resp.* Affirmativè; si ita disciplinam militarem custodire faciat, ut ex dictorum militum consortio nullum infectionis periculum fideles subeant. Mastrius *d. num.* 111.

11. *Quær.* An inservientes in Bello injusto, vel spiritualiter ministrando Sacramenta, vel corporaliter prabendo obsonia, incurrant irregularitatem? *Resp.* Negativè, si abstineant à mutilationibus, & occisionibus. Summ. Dian. *Verb. Bellum*, *num.* 4.

12. *Quær.* An bona capta in Bello injusto, si aliis vendantur, possint ab emptoribus juste retineri? *Resp.* Negativè, & sunt veris dominis restituenda; præcipuè si hi sint Ecclesiastici. Sum. Dian. *d. Verb. Bellum*, *num.* 4. *ubi DD.*

CAPUT LXV.

De Odio.

1. *Quær.* Quid sit Odium? *Resp.* Odium esse nomen Verbale, institutum ad significandam nolitionem alicujus rei; propriè enim, qui alium odit, vellet, illum non esse, juxta illud Horat. *lib.* 1. *Epist.* 19. *Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi*; id est, adinvicem volentes, ut non essent. Eminentiss. Card. de Lauræa *in* 3. *Sent. tom.* 4. *disp.* 14. *n.* 1. Ideò Odium est malevolentia, qua quis vult malum alteri absolutè. Azor, *tom.* 3. *par.* 3. *lib.* 2. *cap.* 20.

2. *Quær.* Quotuplex sit Odium? *Resp.* Esse duplex. Unum abominationis, cùm nolumus aliquid tanquam nobis contrarium. Alterum inimicitiæ, cupientes aliquid non esse tanquam nobis invisum. Eminentiss. Card. de Lauræa *ibid. num.* 4. & *num.* 42. ubi advertit, Odium aliud esse internum, id est, retentum in corde; aliud externum esse, quod deducitur ad offensionem rei, quæ odio habetur.

3. *Quær.* Quale peccatum sit Odium proximi? *Resp.* Esse mortale, contra præceptum charitatis; quo jubemur, proximum etiam inimicum diligere; & per consequens prohibemur illum Odio habere; juxta illud *Levit.* 19. 17. *Ne oderis Fratrem tuum in corde.* Et Psalm. 33. *Qui oderunt justum, delinquent.* Et 1. Joan. 3. 35. *Qui odit Fratrem suum, homicida est.*

4. *Quær.* An detur Odium in proximum, quod non sit peccatum? *Resp.* Affirmativè, quando quis non odit personam, sed iniquitatem, quæ est in ipsa persona, juxta illud Psal. 100. *Facientes prævaricationes odi.* Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.* 14. *num.* 49.

5. *Quær.* An Odium sit peccatum non solùm mortale, sed etiam capitale? *Resp.* Affirmativè, quia ab eo tanquam à capite pullulant alia peccata: nam *Odium suscitat rixas*; Prov. 10. 12. Et Odium impulit

Cain in fratricidium; & Fratres Joseph in ejus venditionem.

6. *Quær.* Quæ, & quot sint peccata, quæ proveniunt ex odio? *Resp.* Cùm quis odit aliquem ob injuriam acceptam, provenit ira. Vel ob ejus eximias qualitates, & nascitur invidia; & hæc duo peccata sunt præcipuæ soboles Odii. Azor. *d. par. 3. lib. 2. cap. 20.*

7. *Quær.* An Odium in proximum sit semper peccatum mortale? *Resp.* Quòd non; siquidem, licèt ex natura sua sit mortale, quia opponitur præcepto charitatis, tamen potest esse veniale vel ex imperfectione deliberationis, vel ex levitate mali, quod desideratur ei, quem quis odit. Azor. *ibid. qu. 1.*

8. *Quær.* An aliquando liceat, velle malum temporale proximo suo? *Resp.* Affirmativè, scilicet ob bonum ejus spirituale; puta si diviti, & robusto peccanti cupias morbum, ac paupertatem; ut convertatur ad Deum. S. Thom. 2. 2. *qu. 36. art. 2.* Imò etiam mors potest ei desiderari, si sit profectura ad salutem animæ. Sotus *lib. 1. de Just. quæst. 12. artic. 7.* Eminentiss. Card. de Lauræa *in 3. Sent. tom. 4. disp. 11. num. 134.*

9. *Quær.* An naturalis antipathia, quam aliquis sentit contra alium, sit culpa mortalis? *Resp.* Negativè, quando voluntas non desiderat ei malum: nam à naturæ conditione, & temperamento oriuntur inclinationes quædam circa aliquos, & aversiones circa alios ob similitatem, vel contrarietatem temperamentorum; & istæ aversiones non sunt imputabiles ad malum; quia non sunt actus liberi: sicuti neque concupiscentia; quæ, licèt inclinet ad peccatum, & sit ex radice peccati, tamen ipsa peccatum non est, ex Trid. *sess. 5. de Peccato Orig. c. 5.* Quando verò ad eam aversionem naturalem accedit actus voluntatis, quæ sibi in ea complacet; & vult aliquod malum ei, circa quem avertitur, tunc est peccatum vel mortale, vel veniale juxta gravitatem, vel levitatem mali voliti. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom. 4. in 3. Sentent. disp. 14. num. 58.*

10. *Quær.* Inter peccata Odii erga proximum, quodnam sit majus peccatum? *Resp.* Odium erga parentes; nam major pœna imposita est pro odio Patris, & Matris, quàm pro odio aliorum, ut legitur in *Levit. 20. 9. Qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur* Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom. 4. disp. 10. num. 83.*

11. *Quær.* Quæ sint signa ad cognoscendum, quòd quis Odio habeat proximum suum? *Resp.* Signa esse, cùm incipit de suo proximo detrahere, calumnias inventare, actiones vilipendere, vias ei nocendi quærere, & cum displicentia ejus laudes, aut prosperitates sentire. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom. 4. in 3. Sentent. disp. 14. num. 66. & 70.*

12. *Quær.* Qua pœna sint puniendi fideles, qui ab odio inter se retrahi non possunt? *Resp.* Sunt excommunicandi, donec reconcilientur. Concil. Arelaten. 2. *cap. 31.* Eminentiss. Card. de Lauræa *in Epitome Canonum, verb. Odium.* Et non absque ratione; nam Odium est malum ita grave, ut ejus causa aliqui apostataverint à fide; ut fecit Sapritius Presbyter, qui cùm odio haberet Nicephorum, & captus esset à Tyrannis tanquam Christianus, dum duceretur ad Martyrium, negare potiùs fidem voluit, quàm se reconciliare cum Nicephoro. Eminentiss. Card. Baron. *Ann. 260. num. 32.*

13. *Quær.* Quos Auctores legere oporteat ad prædicandum contra peccatum Odii? *Resp.* Esse legendos S. Franciscum Salesium *in Philothea par. 3. cap. 8.* Rodriquez *in Exercit. Perf. par. 1. tr. 4. cap. 13. & 14.* Segnerium *in Christiano Instructo par. 1. Serm. 22.* & Franciscum Stadiera *Inganni della Vita Spirituale tract. 13. cap. 16.* ubi monet, cavendum esse ab odio; nam invadit etiam viros spirituales.

14. *Quær.* Cùm quis in confessione se accusat de peccato Odii, quas circumstantias debeat etiam explicare? *Resp.* Debet explicare qualitatem mali voliti, quia, si fuerit de occidendo, vel de bonis surripiendis, vel detractionibus infamandi, sunt peccata contra diversa præcepta, & hæ circumstantiæ mutant speciem; prout etiam, si proximus odio habitus fuisset Parens, vel Superior, aut Benefactor, ut docui de Pœnitentia *Decis. 27. n. 8.* ad quam studiosus recurrat.

CAPUT LXVI.

De Sexto Præcepto.

1. *Quær.* Quid sit Luxuria? *Resp.* Est inordinatus appetitus sensus venerei, qui fit cum commotione spirituum generationi servientium, circa partes corporis venereas. Mastrius *in Theol. Moral. disp. 11. num. 117.*

2. *Quær.* Quotuplex sit Luxuria? *Resp.* Duplex; alia perfecta, quando ordinatur ad habendos actus Venereos; & alia imperfecta, quando ultimus finis non est executio rei Venereæ, sed se continet in morosa delectatione sensitiva, seu sensitivorum. Tamburin. *lib. 7 in Decalog. in princ.*

3. *Quær.* Quot sunt species Luxuriæ perfectæ? *Resp.* Novem sunt species Luxuriæ perfectæ, quarum sex dicuntur secundùm naturam, & aliæ tres dicuntur contra naturam. Tambur. *in Methodo Exped. Confess. lib. 2. cap. 7.*

4. *Quær.* Quæ sint hæ novem Luxuriæ species? *Resp.* Quòd sunt sequentes, videlicet, Fornicatio, Stuprum, Raptus, Adulterium, Incestus, & Sacrilegium. Et hæc dicuntur secundùm naturam. Porrò aliæ tres contra naturam sunt: Mollities, seu Pollutio, Sodomia, & Bestialitas. Mastrius *d. num. 117*

5. *Quær.* Quid sit Fornicatio? *Resp.* Est con-

concubitus soluti cum soluta voluntarius. Tunc autem persona est soluta, quæ sit libera à Religione, à Voto, & à Matrimonio. Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 118. & est peccatum mortale, contrariumque asserere est hæresis. Clem. *Ad nostram, de Hæretic.* Et novissimè est damnata Propositio 48. ab Innocentio XI. de qua Cardenas *in Crisi Theolog. Dissert.* 29. *cap.* 1.

6. *Quær.* Quotuplex sit Fornicatio? *Resp.* Est duplex; Una ex concubitu vago, id est, modò cum una muliere, modò cum alia; & altera ex concubitu stabili cum eadem muliere ad hunc effectum electa; & dicitur Concubinatus. Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 118. Tamburin. *in Decalog. d. lib.* 7. *cap.* 1. §. 2.

CAPUT LXVII.

De Concubinatu.

1. *Quær.* Quæ requirantur ad inducendum Concubinatum? *Resp.* Requiri, ut mulier retineatur vel domi, vel extra domum, ac si esset propria Uxor, & cum illa vir habeat assiduam consuetudinem. Antonell. *de Regimine Eccles. milit. lib.* 6. *cap.* 29. *num.* 1.

2. *Quær.* Quid sit observandum in absolutione Sacramentali Concubinariorum? *Resp.* Quòd in primis, & ante omnia dimittatur Concubina, tollatur scandalum, & periculum reincidendi in peccatum. Mastrius *dict. disp.* 11. *num.* 118.

3. *Quær.* An Concubinarius possit absolvi, antequam expellat Concubinam, quando promittit, eam expellere, & ostendit signa contritionis? *Resp.* Quòd quamvis affirmativè respondeant aliqui DD. inter quos Sancius *in suis Select. disput.* 10. *num.* 4. tamen secundùm magis communem opinionem non est absolvendus, ut docet Castropalaus *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 9. §. 3. *num.* 18. Quia, licèt Confessarius tanquam judex non debeat negare contrito absolutionem; ea tamen tanquam Medicus dare non debet, ubi est proxima occasio, & periculum reincidentiæ in peccatum. Et ita tenent DD. plurimi, quos citat, & sequitur Cardenas *in Crisi Dissertat.* 40. *num.* 75. *& num.* 95. ubi quòd nec pro prima vice.

4. *Quær.* An Concubinarius cogendus sit ante absolutionem ejicere Concubinam, si ipsa facta sit deformis, aut infirma, vel conjuncta consanguinitate, ita, ut cessare videatur periculum reincidendi? *Resp.* Castropalaus, quòd in tali casu posset absolutio impendi; sed tutius est non absolvere, nisi ejecta Concubina; quod præcisè servandum est, ubi scandalum duraret. Tambur. *in Method. Confess. lib.* 3. *cap.* 3. Et nos in nostris Decisionibus de Eucharistia *decis.* 28. ubi plenè de hoc quæsito. Et Cardenas ubi supra.

5. *Quær.* An possit absolvi Concubinarius pœnitens, qui Concubinam non dimittit, vel quia in ejus gubernio est apta; vel quia perderet aliquam pecuniæ summam, vel quia nimis tristaretur, & promittit emendationem? *Resp.* Negativè, & contrarium asserere est opinio damnata ab Alexandro VII. Quamvis olim multi DD. ex modernis eam tenerent. Cardenas *in Crisi Dissert.* 40. *per totam.*

6. *Quær.* An dimissa Concubina licitum sit pœnitenti eam visitare vel ad alimenta ministranda, vel ad filios visendos, quos ipsa nutriret? *Resp.* Non licere, quia est periculum reincidendi, ut tenet Beja *par.* 1. *cap.* 14. ac etiam scandalum, à quo est cavendum. Summa Diana *Verb. Confessar. quo ad examen, num.* 32.

7. *Quær.* An Confessarius Concubinarius possit audire confessionem suæ Concubinæ? *Resp.* In jure nullam esse prohibitionem, undè rigorosè loquendo validè audiret, & absolveret, si esset dolor, & propositum emendationis; de quo tamen valde est dubitandum. Sancius *ubi supra disp.* 11. *num.* 16. & ideò non est laudabilis hæc opinio. Porrò in Provincia Mediolanensi hoc est per Concilia Provincialia interdictum. Bonacin. *tom.* 1. *de Pœnit. Sacramento disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 5. *num.* 10. *& seqq. pag. mihi* 231. & novissimè hic est casus prohibitus, ac reservatus Illustriss. ac Reverendiss. Vallaresio Episcopo Concordien. in sua Synodo Diœcesana, in qua egregius ejus zelus refulget.

8. *Quær.* Quæ pœnæ sint inflictæ de Jure in foro exteriori contra Laicos Concubinarios? *Resp.* Quòd de jure communi Canonico erant puniendi arbitrio Episcopi. Antonell. *dict. lib.* 6. *cap.* 29. *num.* 3. quia de Jure Civili Concubinatus non punitur. *toto tit. ff. & C. de Concubin.* At ex Sacro Concilio Trident. *sess.* 24. *de Ref. Matrim. cap.* 8. si post trinam admonitionem Laici Concubinarii non ejiciant Concubinas, debent ab Episcopis excommunicari; & mulieres, si ter admonitæ non paruerint, debent exilio mulctari. Novissimè Pignatellus *tom.* 9. *consult.* 139. ubi amplè agit de modo puniendi Concubinarios tam Laicos, quàm Clericos, & ponit multa Decreta, ac Responsa S. Congregationis.

9. *Quær.* Quæ sint pœnæ de Jure inflictæ contra Clericos Concubinarios? *Resp.* Quòd de Jure antiquo nullus debebat audire Missam Concubinarii, vel ab eo Sacramenta recipere. *cap. Nullus, & cap. Præter,* 32. *dist. cap. Fraternitatis, de Hæretic.* Item Concubinarii Clerici censebantur ipso Jure suspensi. *cap. Quæsitum, de Cohabit. Cleric. & Mulier.* Et celebrando fiebant irregulares. Garzias *de Benefic. part.* 7. *cap.* 14. *num.* 11. Gloss. *in cap. Cum dilectus, de Accusat.* At ex communi calculo Doctorum hodie hæ pœnæ non sunt ampliùs in usu: sed solùm attenditur dispositio Concilii Tridentini, in quo *sess.* 25. *cap.* 14. *de ref.* sancitum est, quòd Episcopi Concubinarii, vel suspectas mulieres habentes, si à Synodo Provinciali admoniti non se emendent, ipso facto sint suspensi: quòd si adhuc perseverent, deferenda est res ad Papam. Clerici verò inferiores, si moniti à Superioribus Concubinas non ejecerint, pro prima vice privantur ipso facto tertia parte fructuum beneficiorum, vel pensionum. Si

secundò admoniti non se emendent, fructus omnes amittunt, & sunt ab administratione beneficiorum suspensi. Si post tertiam monitionem non paruerint, beneficiis, & pensionibus perpetuò privandi sunt. Quòd si postquam eas dimiserint, intermissum consortium repetant, excommunicantur. Antonell. *dict. lib. 6. cap. 29. num. 3.* Thesaur. *de Pœnis Ecclesiasticis part. 2. verb. Concubinatus cap. 1.* & Pignatell. *d. consult. 139.*

10. *Quær.* Quomodo puniantur Clerici Concubinarii non habentes pensiones, aut beneficia? *Resp.* Puniendos esse carceris pœna, suspensione à Divinis, inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve pœnis juxta qualitatem delicti, & contumaciæ. Concil. Trident. *d. sess. 25. de ref. cap. 14.* & Pignatellus *ubi ante.*

11. *Quær.* Quomodo fieri debeant monitiones per Episcopos Clericis Concubinariis? *Resp.* Quòd fieri debent monitiones speciales, & personales, non autem generales per Edictum. Garzias *part. 11. cap. 10. num. 186.*

12. *Quær.* An debeant esse tres distinctæ monitiones, aut una, quæ dicatur valere pro tribus? *Resp.* Cum hac distinctione, Ad hoc ut procedatur ad primam, secundam, & tertiam pœnam statutam à Concilio, id est, privationem tertiæ partis fructuum, privationem omnium fructuum, & demùm ad privationem beneficiorum, non sufficere unam monitionem cum clausula, quòd debeat valere pro tribus; quia pro quacunque ex dictis pœnis infligendis, requiritur sua specialis monitio. Porrò, antequam infligatur unaquæque ex dictis pœnis, potest fieri vel trina monitio, vel una tantùm cum clausula, quòd deservire debeat pro prima, secunda, & tertia Canonica monitione, quod est diligenter advertendum in praxi. Thesaur. *de Pœnis part. 2. Verb. Judex cap. 2.* & Pignatellus *dict. tom. 9. consult. 139.*

13. *Quær.* Quantum tempus debeat intercedere inter supradictas monitiones, ac pœnarum inflictionem? *Resp.* Arbitrio Episcopi. Garz. *dict. part. 11. cap. 10. num. 186.*

14. *Quær.* An possint fieri dictæ monitiones ab Episcopo Clericis Concubinariis etiam verbaliter? *Resp.* Affirmativè, puta per verba reprehensiva. Saravia *de jurisdict. Adjunctor. qu. 16. num. 13.* Marta *de jurisdict. part. 2. cap. 36. num. 15.* Sed constare debet de monitione verbali facta ab Episcopo, vel per duos testes, vel per Instrumentum à Notario publico rogatum. Idem Saravia *dict. quæst. 16. num. 16.* & Marta *part. 3. cap. 3. num. 8.* Unde falluntur Episcopi, qui monent Clericos incontinentes secretò, & in cubiculo sine testibus, quia tunc non valet illa monitio ad elevandas pœnas statutas à Concilio. Scaccia *de Judic. lib. 1. cap. 9.* per totum.

15. *Quær.* An Clerici Concubinarii possint absque dictis monitionibus ab Episcopo puniri? *Resp.* Affirmativè, quando Episcopus non vult infligere pœnas statutas à Concilio Tridentino, sed intendit procedere ad alias pœnas, puta, carceris, seu pecuniarias; quia tunc absque dictis monitionibus potest Concubinarios coercere. Bellet. *tit. de Favor. Cleric. Real. §. 5. num. 48.* Antonell. *dict. lib. 6. cap. 29. num. 4.* & Pignatellus *d. tom. 9. Consult. 139.*

16. *Quær.* An dictæ monitiones sint necessariæ, quando Concubinatus est publicus, & notorius? *Resp.* Esse necessarias, ubi procedendum est ad pœnas statutas à Concilio. Antonell. *d. cap. 25. num. 5.*

17. *Quær.* An meretrices peccantes cum Clericis possint ab Episcopo puniri? *Resp.* Affirmativè, tam Excommunicatione, quam carceratione. Barbosa *de Jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 39. §. 2. num. 61.*

18. *Quær.* An meretrices possint expelli è propriis domibus, si habitent apud Ecclesias, vel apud Moniales? *Resp.* Affirmativè. Barbosa *ubi supra lib. 2. cap. 13. num. 57.*

19. *Quær.* An sint aliæ pœnæ in Jure contra concubinarios? *Resp.* Quòd si sint publici, & moriantur absque signis pœnitentiæ, sunt privandi Ecclesiastica sepultura. Decian. *tract. crimin. lib. 6. cap. 21. num. 26.* Pignatellus, qui alios DD. cumulat *dict. tom. 9. Consult. 139. num. 228.* ubi docet, quæ signa pœnitentiæ in tali casu sufficiant.

20. *Quær.* An polluatur Ecclesia, si in ea sepeliatur publicus Concubinarius impœnitens? *Resp.* Negativè. Layman. *lib. 3. tract. 5. cap. 12. de Sepultur. n. 12.* Sed si cognoscatur, erit exhumandus. *cap. Sacris, de Sepult.* Pignatellus *dict. num. 228.*

21. *Quær.* Quomodo cognoscatur, quòd moriens dederit signa pœnitentiæ? *Resp.* Si nomen Jesu invocaverit; si dixerit: *Miserere mei Deus.* Si manibus pectus tutuderit, Si Confessarium petierit. Pignatellus *ubi proximè*, & Thesaur. *de Pœnis dict. Verb. Concubinatus cap. 1. num. 5. ubi DD.* qui advertunt, super his sufficere unum testem.

22. *Quær.* An valeat legatum, seu donatio facta à Clerico Concubinæ? *Resp.* Non valere, prout non valet, si fieret à milite armatæ militiæ, neque ab Advocato, qui comparantur, juxta DD. quos allegat Antonell. *d. cap. 29. in fine.* & Thesaur. *de Pœnis, verb. Concubinatus, n. 6.* ubi ait, tale legatum, vel donationem neque in foro conscientiæ valere. Excipe, nisi Concubina fuisset emendata. Pignatell. *ubi sup. num. 234.*

23. *Quær.* An congressus cum alterius Sponsa sit simplex fornicatio, seu adulterium? *Resp.* Esse hinc inde opiniones. Canonistæ videntur tenere, quòd sit Adulterium. Theologi verò, quòd sit simplex fornicatio, quamvis cum hac circumstantia initorum Sponsalium aperienda in Confessione. Sanchez *de Matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 2. num. 6.* Diana *part. 1. tract. 7. resol. 5.*

CAPUT LXVIII.

De Stupro.

1. *Quær.* Quid sit Stuprum? *Resp.* Stuprum est defloratio Virginis ipsa invita. Dicitur invita, quia, si consentiat, erit tantùm fornicatio simplex, nec circumstan-

tia

tia in Confessione aperienda. Sanchez *de Matrimon. lib. 7. disp. 12.*

2. *Quær.* An Stuprum committi possit etiam cum muliere non Virgine? *Resp.* Affirmativè, sed largo modo dicitur Stuprum, nempè quando copula per vim habetur cum Vidua, seu alia muliere honestè vivente. Antonell. *d. lib. 6. cap. 30. num. 1.*

3. *Quær.* Quæ pœnæ sint inflictæ de Jure Civili contra committentes Stuprum? *Resp.* Quòd Stuprum commissum cum violentia punitur pœna mortis, si sit completum. *l. 1. §. fin. ff. de Extraordin. Crimin.* Gloss. *in cap. 2. verb. Plectendus, de Adulter. & Stupr.* At si completum non sit, pœna extraordinaria arbitrio Judicis punitur. Barbos. *in cap. 1. num. 6. de Adult.* Ubi verò non sit violenta, de Jure Civili non punitur, nisi Officialis prætextu Officii mulierem carnaliter cognoscat. Riccius *in Collect. par. 3. decis. 559.*

4. *Quær.* Quæ sint pœnæ de Jure Canonico? *Resp.* Stuprator Laicus, si Virginem seduxit, vel decepit, in foro contentioso tenetur eam dotare, & in uxorem accipere; quòd si nolit eam in uxorem accipere; data dote, ulteriùs punitur Judicis arbitrio. In foro conscientiæ, si nolit eam ducere, tenetur ad dandam dotem, & alia damna resarcienda. Antonell. *dict. cap. 30.*

5. *Quær.* An sint casus, in quibus stuprator non teneatur dare dotem? *Resp.* Esse sequentes: Si puella sponte in copulam consenserit, vel leviter rogata. Si Virgo non vivebat honestè, nec servato verecundiæ pudore. Si puella post stuprum patiatur se ab aliis carnaliter cognosci. Antonell. *d. cap. 30.*

6. *Quær.* Quæ sint pœnæ contra Clericos stuprum committentes inflictæ? *Resp.* Quòd damnatus de stupro Clericus efficitur infamis, & subindè irregularis evadit, ita, ut absque dispensatione ad ordines, & beneficia promoveri non possit, tam si fuerit factum stuprum cum violentia, quàm sine violentia. Majol. *de Irregular. lib. 5. cap. 40. num. 1.* Diaz *in Praxi cap. 85. num. 2.* Farinac. *quæst. 147. num. 62.* Ulteriùs tenetur iste Clericus puellam dotare, ac pœnam Judicis arbitrio subire. Farinac. *d. quæst. 147. num. 108.* Abb. *in cap. 1. & 3. de Adult.*

CAPUT LXIX.

De Raptu.

1. *Quær.* Quid sit Raptus? *Resp.* Raptus est abductio masculi, vel fœminæ, illata vi, libidinis causa. Dicitur illata vi, quia, si puella sponte discedat cum Amasio, dicitur fuga, & non raptus, & non additur circumstantia distincta à fornicatione. Diana *part. 1. tract. 7. resol. 37.*

2. *Quær.* Qualis vis requiratur ad hoc delictum constituendum? *Resp.* Sufficere etiam vim non absolutam; illam scilicet, quæ procedit ex suasionibus, importunis precibus, & blandimentis. Navar. *cons. 1. de Raptor.*

3. *Quær.* Quæ sit pœna de Jure Civili contra Raptores inflicta? *Resp.* Esse pœnam mortis, ubi raptus fit cum vi absoluta. Si verò non fuerit cum violentia absoluta, puniuntur pœna arbitraria. Bossius *de Rapt. Mulier. num. 7.* Quamvis Clarus in §. *Raptus*, teneat, semper esse inferendam pœnam mortis; sed intelligendus est, quando commissa sit copula carnalis.

4. *Quær.* Quæ sit pœna de Jure Canonico contra eosdem Raptores ordinata? *Resp.* Triplex est pœna. Primò, Sunt ipso Jure excommunicati, & si Clerici sunt, decidunt à proprio gradu. Secundo, Tenentur raptam mulierem dotare. Tertiò, Invalidum est matrimonium cum rapta, quamdiu ipsa in potestate Raptoris steterit. Ex Concil. Trident. *sess. 24 de Refor. cap. 6.* Antonell. *d. lib. 6. cap. 30. num. 7.*

5. *Quær.* An dictæ pœnæ locum habeant, si mulier rapiat adolescentem puerum ad libidinem explendam, vel ut ei nubat? *Resp.* Secundùm magis communem opinionem dictas pœnas locum non habere. Bonac. *de Matrim. quæst. 4. punct. 18. num. 7.*

6. *Quær.* An valeat Matrimonium cum puella, quæ invitis parentibus discessit cum Amasio, solis ejus precibus abducta, sine violentia? *Resp.* Esse hinc inde opiniones. Tutius autem existimari, matrimonium esse invalidum, & ideò solet priùs separari, & in loco tuto reponi. Antonell. *d. cap. 30. num 11.* & ita practicatur in hac Curia Patavina, in qua frequenter puellæ rusticorum ab Amasiis deducuntur à domibus Parentum recusantium eas illis concedere in Matrimonium. Unde separantur, & publicam Pœnitentiam agere coguntur, antequam ineant Matrimonium.

7. *Quær.* An sit alia pœna contra Raptores de Jure Canonico. *Resp.* Eosdem esse ipso Jure infames, & per consequens irregulares, & incapaces ordinum, & beneficiorum. Navar. *cons. 3. num. 5. de Raptoribus.* At depositio in Clericis ordinatis, & beneficiatis est ferendæ sententiæ. Thesaur. *de Pœnis Ecclesiasticis Verb. Raptus mulieris cap. 2. in fine.*

8. *Quær.* An excommunicatio lata à Concilio Tridentino contra Raptores, & auxilium dantes, sit latæ sententiæ, & reservata? *Resp.* Esse quidem latæ sententiæ, sed nulli esse reservatam. Thesaur. *ubi supra.* & Farinac. *q. 145. num. 21.*

CAPUT LXX.

De Adulterio.

1. *Quær.* Quid sit Adulterium? *Resp.* Est copula carnalis inter eos, quorum ambo, vel unus eorum est conjunctus matrimonio.

2. *Quær.*

2. *Quær.* An consentiente marito copulæ illicitæ uxoris suæ fiat adulterium? *Resp.* Affirmativè, quia licèt non fiat injuria marito, fit injuria Sacramento, & Præcepto Divino. Mastrius *dict. disp.* 11. *num.* 121.

3. *Quær.* An sit in Confessione exprimendum, quòd sit conjugatus tantùm ipse adulter, vel tantùm ipsa adultera, vel quòd uterque? *Resp.* Esse utrumque exprimendum; quia majus peccatum est, si mulier sit conjugata; maximum si uterque, id est, adulter, & adultera sint in matrimonio proprio constituti. Mastrius *ibidem.* Et probavi in meis Decisionibus de Pœnitentia *decis.* 27. *num.* 17.

4. *Quær.* Cujus fori sit delictum Adulterii? *Resp.* Quòd si agatur ad pœnam infligendam, est mixti fori. Si verò ad separationem thori, & ad dotem restituendam, & alimenta præstanda, pertinet ad Judicem Ecclesiasticum tantùm. Antonell. *d. lib.* 6. *cap.* 33. *num.* 1. Porrò ubi de Pœna sanguinis in adulterum agitur, judicium soli Judici Laico relinquitur.

5. *Quær.* Quæ sit pœna Adulterii de Jure Civili? *Resp.* Secundùm jura antiqua est pœna mortis. Sed hodie non videtur esse in usu; at ejus loco pœna arbitraria, vel fustigationis, vel carceris, vel pecuniæ. Clar. *in* §. *Adulterium.* Antonell. *d. cap.* 33. *num.* 3.

6. *Quær.* Quæ sit pœna de Jure Canonico? *Resp.* 1. Separatio thori. *cap. ex litteris, de Divortiis.* 2. Privatio dotis. *cap. Plerumque*, ubi Glos. *de donat. inter Vir. & Uxor.* 3. Infamia. *cap. Infames*, 6. *q.* 1. 4. Alia pœna Episcopi arbitraria. *cap. Pernicioſam, de Offic. Ordinar.*

7. *Quær.* An sint casus, in quibus adulteri non amittant Dotem? *Resp.* Esse sequentes. 1. Si uxor habeat filios ex primo marito. 2. Si maritus habeat concubinam, vel & ipse commiserit adulterium. 3. Si maritus occidat mulierem in adulterio deprehensam, (hoc enim ei non licet) 4. Si agatur de bonis paraphernalibus. 5. Si interceserint tantùm oscula, vel amplexus. 6. Si uxor cum consensu mariti deliquerit. Ita Antonellus DD. allegans *dict. lib.* 6. *cap.* 33. *num.* 5.

8. *Quær.* Quæ sit pœna contra Clericos adulterium committentes? *Resp.* Antiquitus erant deponendi, & in Monasterium detrudendi. *cap. Si quis Clericus:* 81. *dist.* Hodie hæc pœna non est in usu, & puniuntur arbitrio Episcopi. Antonellus *d. cap.* 33. *num.* 9.

9. *Quær.* Qua pœna puniuntur incurrentes Polygamiam, id est, conjuges, qui vivente alio conjuge, novas nuptias ineunt? *Resp.* Polygamiæ crimen secundùm aliquos spectare ad solos Inquisitores, quasi videantur male sentire de Sacramento Matrimonii. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 4. Sed verius est, esse delictum mixti fori, & puniri pœna arbitraria, vel triremium, vel ictibus funis, vel exilio, vel pecuniaria. Diana *ubi supra*, & Ferrus *quæst. moral. par.* 1. *q.* 59. *num.* 1. & 2. Clar. *in* §. *Fornicatio. Vers. Dicitur etiam*, ubi ait, morte damnatum fuisse quemdam, qui quatuor uxores habebat.

10. *Quær.* Qua pœna puniantur Clerici in Sacris ordinati, qui Matrimonium contrahunt? *Resp.* Pœna arbitraria, & ad Inquisitionem tanquam hæretici sunt deferendi. Barbos. *alleg.* 40. *num.* 43. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *res.* 5.

11. *Quær.* An causa Adulterii incurrantur de Jure Canonico aliæ pœnæ? *Resp.* Damnatus de Adulterio efficitur infamis, & per consequens irregularis. Qui, si sit Laicus, & à Principe restituatur ex gratia adversus hanc infamiam, erit etiam liber ab irregularitate, à qua multò magis Episcopus potest dispensare. *cap. At si Clerici*, §. *de Adulteriis. de Judic.* Ugolin. *de irregularit. cap.* 6. §. 5. *num.* 3.

12. *Quær.* An Clericus adulter fiat irregularis, si causa ejus adulterii maritus occidat uxorem? Affirmativè, quando nulla cautela adhibita commisit adulterium. Suarez *de Censur. disp.* 45. *sect.* 6. *num.* 5.

13. *Quær.* An Adulter perdat Jus petendi debitum cum conjuge innocente? *Resp.* Negativè, in foro conscientiæ; secùs autem si à conjuge innocente repellatur. Sanchez *de Matr. lib.* 10. *disp.* 9. *num.* 30. & *disp.* 12. *num.* 7.

14. *Quær.* Si conjugatus cadat in spurcitias carnales cum aliis personis, id est; oscula, tactus, mollitiem &c. An teneatur in Confessione manifestare, se esse conjugatum? *Resp.* Affirmativè, quia hæc est circumstantia necessariò exprimenda, ut dixi de Pœnitentia *d. decis.* 27. *num.* 17. ubi compilavi alia peccata in usu Matrimonii omninò explicanda, & à Confessariis scienda.

CAPUT LXXI.

De Incestu.

1. *QUær.* Quid sit Incestus? *Resp.* Est congressus cum consanguinea, vel affine usque ad quartum gradum, & quò gradus est propinquior, eò gravius est peccatum. Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 122.

2. *Quær.* An in confessione sit exprimendus gradus? *Resp.* Securius esse, illum exprimere; quamvis multi DD. dicant, non esse necessarium, quia non mutatur species per mutationem gradus. Mastrius *ibid.*

3. *Quær.* An, qui committit Incestum in primo gradu, teneatur declarare, an fuerit cum matre, vel cum filia, vel cum sorore? *Resp.* Alii DD. dicunt, non teneri; alii verò volunt, teneri, & certè tutius erit, hanc circumstantiam exprimere; sicut etiam illam, quando Confessarius rem habuisset cum filia Spirituali. Sanchez *de Matrim. lib.* 6. 7. *disp.* 55. Mastrius *dict. disp.* 11. *num.* 122. & 123. ubi advertit, etsi non sit necesse, exprimere gradum, esse tamen exprimendam speciem vel consanguinitatis,

vel

vel affinitatis, vel cognationis spiritualis, nam hæ differunt specie.

4. *Quær.* Quæ sit pœna de Jure Civili contra committentes Incestum, vel nuptias incestuosas? *Resp.* Est privatio dignitatum, & plectuntur ad arbitrium Judicis, Riccius *in collect. part.* 1. *decis.* 151. *& par.* 5. *decis.* 1869.

5. *Quær.* Quæ sint pœnæ de Jure Canonico contra patrantes Incestus delictum? *Resp.* Quòd fiunt infames. *Cap. Consanguineorum*, 3. *quæst.* 4. *cap. Infames*, 6. *q.* 1. Possunt excommunicari, *cap. Incestuosi*, 35. *quæst.* 8. Et privantur facultate contrahendi Matrimonium, *cap. In lectum*, *& cap. seq.* 34. *q.* 2. Quamvis si de facto contrahant, Matrimonium valeat. Navar. *cons.* 1. *num.* 52. *de Constit.*

6. *Quær.* Quæ sit inflicta pœna de Jure Canonico contra contrahentes incestuosas Nuptias? *Resp.* Qui scienter contrahunt in gradibus prohibitis, sunt ipso facto excommunicati, Clem. *Unica* ubi Glos. *de Consang. & Affinit. cap. Non debet, extra eod. tit.* Filii non sunt legitimi, nec parentibus succedunt, *cap.* 1. 35. *quæst.* 7. Secus si ignoranter contraxerint *cap. Inter, & cap. ex tenore. Qui filii sint legitim.* Incestuosus perdit Jus petendi debitum in primo, & secundo gradu.

7. *Quær.* An pœnas supradictas incurrat, qui non seminavit in vase debito mulieris, sed contra naturam coivit? *Resp.* Non incurrere. Navar. *in Manual. cap.* 22. *num.* 43.

8. *Quær.* Quam pœnam incurrant Clerici committentes incestum? *Resp.* Esse ab Ordinibus deponendos. Clarus *in §. Incestus, Vers. Sed quæro.* Et ipso Jure vacant eorum beneficia, Guid. Pap. *decis.* 239. Riccius *in collect. decis.* 1864. *part.* 5. Item Infames efficiuntur, & sic irregulares. Farinac. *quæst.* 149. *num.* 1. *& num.* 136. Intellige si nascatur sententia super veritate delicti.

9. *Quær.* An habentes copulam incestuosam, teneantur eam exprimere in obtinenda dispensatione pro contrahendo Matrimonio in gradu prohibito? *Resp.* Affirmativè, aliàs dispensatio erit surreptitia, & nulla. Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 5. *de Ref. Matrim.* Garzias *par.* 8. *cap.* 3. *num.* 36. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 25. *num.* 8. Imò si copula habita fuerit cum spe faciliùs obtinendæ dispensationis, id erit exprimendum. Garz. *ibid. num.* 93. *&* 97. Sanchez *num.* 38. Item litteræ dispensationis fiunt subreptitiæ, si copula habeatur post earum expeditionem, & antequam Commissarius eas exequatur. Garzias *ibidem num.* 69. Conrad. *in Praxi dispens. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 38. §. *Cæterùm.* Et ego dixi de Pœnitentia *Decis.* 48. *num.* 11. *Vers. Decimo quarto.*

10. *Quær.* Quid agendum, si gradus sit publicus, copula verò sit occulta? *Resp.* Posse peti in Dataria dispensationem gradus, & in Pœnitentiaria dispensationem copulæ incestuosæ. Sanchez *dict. disp.* 25. *num.* 11. *&* 12. Thesaur. *de Pœnis, verb. Incestus, par.* 2. *num.* 6. dicta mea *Decis.* 48. *ibidem.*

11. *Quær.* Quid Juris, si quis sponsalia secundò contrahat, primis legitimè non dissolutis? *Resp.* Efficitur ipso facto infamis, & subindè irregularis quo ad Ordines suscipiendos, vel beneficia habenda. Layman. *de Irregul. cap.* 4. *num.* 1. Thesaur. *Verb. Sponsalia, cap.* 1.

CAPUT LXXII.

De Sacrilegio, & filia spirituali.

1. *Quær.* Quid sit Sacrilegium? *Resp.* Est violatio per actum Venereum Rei Sacræ. Et est duplex, vel locale, quando actus venereus fit in Ecclesia, cæmeterio, aut loco sacro. Vel personale, quando exercetur cum persona voto castitatis consecrata. Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 125.

2. *Quær.* An sit in Confessione exprimendum, an persona fuerit adstricta voto simplici castitatis, vel Voto solemni? *Resp.* Modernos DD. tenere, quòd id non sit necessariò exprimendum; sed tutius erit exprimere, quia magna differentia est, aliquem habuisse copulam cum muliere voto simplici castitatis adstricta, & copulam habuisse cum Moniali. Tambur. *lib.* 7. *in Decal. cap.* 2. §. 1. *num.* 4. & Sanchez *in Decalog. cap.* 6. *num.* 14.

3. *Quær.* An mulier teneatur exprimere, se habuisse copulam cum Religioso Regulari, vel sufficiat dicere cum Religioso? *Resp.* Secundùm modernos sufficere, si dicat cum Religioso; quia peccatum est idem, eademque malitia. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 27. *num.* 27. *de Matrim.*

4. *Quær.* Quam pœnam incurrant mulieres ingredientes clausuram Regularium ad malum finem? *Resp.* Mulieres ipsas incurrere excommunicationem Papæ reservatam. Navar. *cap.* 27. *num.* 150. Quaranta *Verb. Monasteria.* Thesaur. *Verb. Clausuram Regularium, cap.* 2. *in fin.*

5. *Quær.* Qua pœna feriatur, qui rem habet carnalem cum Moniali ingrediendo Clausuram? *Resp.* Incurrit excommunicationem Papæ reservatam. Barbos. *alleg.* 50. *num.* 186. Si sit Clericus, est omninò deponendus. Diaz. *in Praxi cap.* 84. Farinac. *quæst.* 146. *num.* 26. Est ipso jure infamis, & irregularis, & pœna arbitraria punitur. Menoch. *de Arbitr. Judic. lib.* 2. *casu* 360. *num.* 58. At in Laicis statuta est pœna mortis. Farinac. *quæst.* 146. §. *Sacrilegium, num.* 3.

6. *Quær.* Quid agendum cum Confessario, qui in Sacramento Pœnitentiæ sollicitavit mulierem ad turpia? *Resp.* Ex Bulla Gregorii XV. est Sancto Officio denunciandus; & ideò Episcopi tenentur Confessarii in mandato Confessionis hanc obligationem inferere. Diana *part.* 4. *tract.* 5. *resol.* 31. ut dicimus infra *cap.* 126.

7. *Quær.* Quis teneatur talem Confessarium denunciare? *Resp.* Persona sollicitata, an quilibet alius, qui notitiam habeat sollicitationis saltem ex auditu personæ fide dignæ. Diana *par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 18

8. *Quær.* An mulier sollicitans Confessarium sit denuncianda? *Resp.* Negativè, quia cùm id tarò accidat, Bulla facta est non con-

tra pœnitentes, sed contra Confessarios. Riccius *part.* 3. *resol.* 67. *num.* 1.

9. *Quær.* An sit denunciandus Confessarius, qui sollicitaret ad turpia mulierem in Confessione non pro se, sed pro alio? *Resp.* Affirmativè, ob illa verba Bullæ *ad inhonesta sivè inter se, sivè cum aliis perpetranda.*

10. *Quær.* An sit denunciandus Confessarius, qui petit à muliere pœnitente domum, in quam conducat suam Concubinam? *Resp.* Affirmativè, ob verba Bullæ supradicta; & quia irrogat gravem injuriam Sacramento. Diana *par.* 4. *tr.* 5. *resol.* 45.

11. *Quær.* An debeat denunciari Laicus, vel Clericus non Sacerdos, qui fingens se Confessarium, sollicitaret in loco confessionis? *Resp.* Aut iste talis dat absolutionem pœnitenti? & est denunciandus tanquam malè sentiens de Sacramento. Aut non dat absolutionem? & non est denunciandus; quia Bulla lata est contra Sacerdotes Confessarios sollicitantes. Diana *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 15. Sanctarell. *de Hæretic. cap.* 46. *dub. unic. num.* 9.

12. *Quær.* An denunciationi subjaceat Sacerdos non approbatus ad Confessiones, qui in loco confessionis sollicitaret? *Resp.* Est opinio pro utraque parte; sed communior est affirmativa. Castropalaus *tract.* 4. *disp.* 9. *punct.* 9. *num.* 1. Diana *par.* 9. *tr.* 9. *resol.* 32.

13. *Quær.* An debeat ille denunciari, qui sollicitaret ad turpia in aliis Sacramentis præter Confessionem? *Resp.* Negativè, Diana *par.* 4. *tract.* 15. *res.* 16.

14. *Quær.* An veniat denunciandus, qui sollicitat ad alia vitia, non autem ad luxuriam? *Resp.* Negativè. Diana *par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 17.

15. *Quær.* An, si sollicitet masculum ad turpia? *Resp.* Affirmativè. Diana *part.* 4. *tract.* 5. *resol.* 33.

16. *Quær.* An, si ipse Confessarius sit sollicitatus à muliere, & idem consentiat? *Resp.* Esse hinc inde opiniones contrarias. *d. par.* 4. *tract.* 5. *res.* 42. ubi quòd debeat denunciari, est tutior sententia, quia turpes tractatus admittit in Confessione.

17. *Quær.* An sit denunciandus Confessarius sollicitans mulierem completa Confessione, non in Confessionario, sed aut domi, aut per viam, aut etiam in eadem Ecclesia? *Resp.* Negativè, quia actus debet esse proximus Confessioni, & talis non dicitur, quando mulier discesit à loco confessionis. Diana *par.* 1. *tract.* 4. *resol.* 14. & *par.* 4. *tract.* 5. *res.* 7. & sic multò minus, si sollicitaret per litteras amatorias, vel per lenones ad domum missos. Diana *par.* 1. *tract.* 4. *res.* 14.

18. *Quær.* An sit denunciandus, si chartam sollicitationis det mulieri in Confessione legendam extra, seu post Confessionem? *Resp.* Affirmativè, quia incipit causa sollicitationis in Confessione. Idem esset dicendum, si daret pœnitentiam mulieri, ut nuda ab eo aspiceretur; vel quid simile inhonestum. Summa Diana *in Verb. Denunciare Confessarium, num.* 13.

19. *Quær.* An veniat denunciandus ob parvitatem materiæ in sollicitando, id est, digitum mulieri stringendo, pedem premendo &c.? *Resp.* Affirmativè, tum quia in materia Luxuriæ parvitas materiæ non excusat à mortali: tum quia neque excusat in materia Religionis. d. Summa Diana *ubi supra num.* 16. Diana *par.* 9. *tract.* 9. *res.* 32. ubi ait denunciandum fore, si diceret in Confessione mulieri: *Se io fosse Secolare vi prenderei per moglie.*

20. *Quær.* An teneatur denunciare, qui scit sollicitationem sub secreto naturali? *Resp.* Affirmativè. Diana *part.* 9. *tract.* 8. *res.* 46. Non autem, si sub sigillo Sacramentali.

21. *Quær.* An committat Sacrilegium, qui concupiscit mulierem, dum Missam celebrat, vel aliis administrat Sacramenta? *Resp.* Affirmativè, ac hæ circumstantiæ sunt exponendæ in Confessione, ut docui de Pœnitentia *Decis.* 27. *num.* 15. ubi etiam dixi, esse Sacrilegium, si laicus mulierem concupisceret, statim ante, vel post Communionem.

CAPUT LXXIII.

De Luxuria contra Naturam.

1. *Quær.* Quæ sint Peccata contra Naturam? *Resp.* Jam dictum esse, quòd tria sunt: Pollutio; Sodomia, & Bestialitas.

2. *Quær.* Quid sit pollutio? *Resp.* Est voluntaria emissio seminis absque carnali copula, illud foras effundendo, ut in masculis; vel intùs in matricem diffluendo, ut ut fœminis, quod quidem est mortale; & ulteriùs in confessione aperienda est intentio, seu objectum, ad quod spectabat ipse polluens, quia peccatum sumit qualitatem speciei, quam haberet, si vere cum eo objecto copulam habuisset. Mastrius *dict. disp.* 11. *num.* 129.

3. *Quær.* An liceat ad tuendam sanitatem, vel aliam justam causam procurare pollutionem? *Resp.* Negativè, quia est res intrinsecè mala; & molles à regno cœlorum excluduntur, ut ait Apostolus 1. *Cor.* 6. Idem Mastrius *dict. num.* 129. Et asserere contrarium, est opinio damnata ab Innocentio XI. *la* 49. & de ea agit P. Cassianus à S. Elia in sua *Theol. Morali Verb. Mollities.*

4. *Quær.* An sit peccatum, non impedire pollutionem jam cœptam in somnis? *Resp.* Negativè, dummodo non consentiat in ipsam. Mastrius *ibid.*

5. *Quær.* Quando pollutio in somnis sit mortale peccatum? *Resp.* Quando ante somnum desiderata fuit; & quando post somnum eidem consensus datur. Tambur. *in Decal. d. lib.* 7. *cap.* 7. §. 2. *num.* 11.

6. *Quær.* An peccet, qui opus facit, ex quo scit, se passurum pollutionem? *Resp.* Si

Si opus est licitum, & suo officio conveniens; non peccat, dummodo non consentiat voluptati; ut audiendo confessiones mulierum, studendo, medendo &c. Si autem opus non sit licitum, vel sibi non conveniat, peccabit; ut legendo turpia ex curiositate, aspiciendo verenda, se inebriando, & similia faciendo, Tambur. *dict.* §. 2. Et nota, quòd pollutio mutat malitiam, & circumstantias juxta statum personæ, de qua se polluens delectatur. DD. apud Castian. *d. Verb. Mollities, num.* 14.

7. *Quær.* Quid sit Sodomia? *Resp.* Est nefandum, & abominabile scelus, quo ipsa natura violatur ob concubitum contrarium propagationi generis humani. Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 131.

8. *Quær.* Quotuplex sit Sodomia? *Resp.* Duplex. Perfecta, & imperfecta. Prima est congressus duorum ejusdem sexus, ut maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina. Altera est congressus cum debito quidem sexu, nempe maris cum fœmina, sed extra vas naturale. Porrò utraque species assumit malitiam aliorum peccatorum carnalium, nempe Incestus, Adulterii, Sacrilegii secundùm qualitatem personarum, tantum facinus patrantium. Mastrius *d. num.* 131.

9. *Quær.* Quæ circumstantiæ sint explicandæ in confessione hujus delicti? *Resp.* Secundùm magis tutam opinionem explicandum est, an quis fuerit agens, vel patiens; & an fuerit cognatio, seu affinitas inter ipsos delinquentes; gradum autem explicare, non videtur necessarium. Escobar. *de Actib. hum. Ex.* 2. *cap.* 6. Diana *par.* 6. *tract.* 6 *resol.* 36. Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 131. *&* 132.

10. *Quær.* Quæ pœnæ sint inflictæ de Jure Civili contra Sodomitas? *Resp.* Esse inflictam pœnam mortis. *l. Cum vir nubit. C. ad Leg. Jul. de Adulteriis.* Barbos. *alleg.* 44. *num.* 10. Et de consuetudine igne comburuntur, bona confiscantur, & remanent infames. Clar. *in* §. *Sodomia. Vers. Sed quæro.* Et testari non possunt; quod intelligitur, si facinus sit publicum, seu notorium.

11. *Quær.* Contra eosdem quas pœnas infligat Jus Canonicum? *Resp.* Fit separatio thori. Laici excommunicantur. Clerici degradantur. Sunt suspensi, infames, & irregulares; & secundùm Constitutionem S. Pii Quinti tràduntur Judici Seculari, ut moriantur. Quaran. *in Verb. Sodomia.* Quod intellige, si crimen sit consummatum, & multipliciter factum, aliàs punirentur pœna carceris, vel triremium. Antonellus *lib.* 6. *cap.* 27. *num.* 6. *& num.* 10. Pignatellus *tom.* 9. *consult.* 14. ubi in puncto notat, tanti sceleris reos non esse privandos Immunitate loci Sacri; quia Bulla Gregor. XIV. non excipit hoc crimen.

12. *Quær.* An pœnæ privationis beneficiorum ligent in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam? *Resp.* Negativè, quia sola censura ligat in conscientia sine declaratione; aliæ verò pœnæ, quamvis ipso jure incurrendæ, non ligant in conscientia, nisi prius Judex declaraverit, commissum fuisse delictum. Ita Prop. Augustt *in Addit. ad Quaran. Verb. Sodomia, limit.* 5. Barbos. *allegat.* 44. *num.* 28. *&* 29. Antonell. *d. cap.* 27. *num.* 6.

13. *Quær.* An iisdem pœnis puniantur pueri hoc facinus patrantes? *Resp.* Mitiori pœna eos puniendos, id est, ante annos 14. quos neque comprehendi sub casu reservato docet ex Paludano Diana *par.* 6. *tract.* 15. *resol.* 1.

14. *Quær.* Quid sit Bestialitas? *Resp.* Est coitus, in quo non servatur identitas speciei. Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 134.

15. *Quær.* An sit necesse, explicare bestiam, cum qua homo coivit? *Resp.* Negativè, quia differentia est tantùm materialis, & in generatione entis, non autem formalis, seu in generatione moris. Escob. *de Act. human. Ex.* 2. *cap.* 6. Mastrius *dict. num.* 134 Et meæ Decisiones de Pœnitentia *dec.* 27. *num.* 21.

16. *Quær.* An hujus facinoris sit alia specialis iniquitas? Esse, & illam, qua homo, aut mulier coit cum Dæmone, seu Succubo, seu Incubo, cui peccato superadditur malitia contra Religionem, & præterea etiam Sodomiæ, Adulterii, vel Incestus; Juxta affectum viri, vel mulieris coeuntis cum Dæmone. Bonacina *de Matrim. quæst.* 4. *punct.* 12. Et hoc loco notandum est, quòd eruditè dicit P. Segnerus *in Opusculo Pœnitentis Instructi cap.* 12. *num.* 4. videlicet, sic horrendum esse Sodomiæ crimen, ut nunquam legatur, Dæmonem illum passum esse à viris, quamvis aliàs vel formam mulieris patientis, id est, Succubi; vel Viri coeuntis, id est, Incubi non vereatur assumere.

17. *Quær.* Quibus pœnis plectantur bestialitatem committentes? *Resp.* Iisdem pœnis, quibus Sodomitæ. Antonell. *dict. cap.* 27.

18. *Quær.* An sit peccatum, aspicere coitum bestiarum, vel hominum, aut eorundem pudenda? *Resp.* Si sit periculum sensualitatis in aspiciente, esse quidem peccatum & ferè semper aspiciendo coitum hominum; secùs autem si quis esset prudentissimus, & ex abrupto tantùm aspiceret; Summ. Dian. *Verb. Luxuria num.* 2. Mastrius *dict. disp.* 11. *num.* 134.

19. *Quær.* An in rebus Venereis detur parvitas materiæ? *Resp.* Insignem esse disputationem Doctorum, à quibus utraque sententia defenditur; sed prævalet opinio docentium, non dari parvitatem materiæ in rebus venereis; & sic esse definitum à Clemente VIII. Quare, si quis ex levitate tangat verenda alterius, vel digitum, aut manum fœminæ ob delectationem carnalem; vel osculetur personas ob voluptatem sensualem, peccabit mortaliter, ut disputando firmat Diana *par.* 3. *tract.* 5. *resol.* 1. *&* 89. *& par.* 4 *tract.* 4. *resol.* 136. §. *Notandum, & part.* 5. *tract.* 5. *resolut.* 5. *&* 9. & Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 144. *&* 145. ubi plene de hac re.

20. *Quær.* An confricare pudenda brutorum ex curiositate videndi semen, sit peccatum mortale? *Resp.* Affirmativè, ex Diana *par. 9. tract. 8. res. 31.* ubi confutat contrarium tenentes.

21. *Quær.* An sint peccatum mortale inhonesti tactus inter conjuges? *Resp.* Eos esse mortale, si sint cum periculo pollutionis; secùs autem, si dictum periculum absit; prout eos non peccare, si venerem incipiant in vase indebito, at eam compleant in vase debito. Summa Diana *dict. Verb. Luxuria num. 4.* Tambur. *in Decalog. dict. lib. 7. cap. 3. §. 5.* Sed utrùm Maritus possit desistere à copula, antequam seminet? Vide meas Decisiones de Pœnitentia *dict. decis. 27. num. 18.* ubi alii casus de his materiis.

22. *Quær.* An peccent Pictores imagines nudas pingentes? *Resp.* Eos peccare mortaliter, cùm incitent homines ad Luxuriam; & idem est dicendum de mulieribus mamillas nudas deferentes. Diana *part. 11. tract. 4. resol. 32.*

23. *Quær.* An verba turpia, lectio obscænorum, spectatio Comœdiarum turpium, cantiones inhonestæ, litteræ, aut dona amatoria sint peccata mortalia? *Resp.* Cum distinctione; si fiant ex sola curiositate, sine periculo pollutionis, aut consensus in Venerem, sunt venialia. Secùs verò censentur mortalia. Busemb. *lib. 3. tract. 4. cap. 2. dub. 1. num. 8.*

24. *Quær.* An Choreæ sint peccata mortalia? *Resp.* Si fiant fine honesto, ut lætitiæ, civilis recreationis; non sunt peccata: At si extet periculum incitandi ad libidinem, vel cum alia circumstantia mala, non sunt immunes à culpa lethali, & de his intelligunt Sancti Patres, quando contra eas loquuntur. Cajetanus *Verb. Chorea.* Tambur. *in Decal. d. lib. 7. cap. 8. §. 7.*

25. *Quær.* Quid sit licitum Sponsis de futuro inter se ante contractum Matrimonium? *Resp.* Doctores non esse concordes, nam alii eis concedunt tactus, amplexus, & oscula, dummodò non incidant in pollutionem. Ita Sanch. *de Matrim. lib. 9. disp. 46.* Alii verò supradicta non concedunt, nisi sint juxta consuetudinem Patriæ, & sine offensione pudoris. Ita Coton. *lib. 1. Controv. 1. de Matrim. cap. 2. num. 55. & 56.*

CAPUT LXXIV.

De Septimo Præcepto.

1. *Quær.* Quid vetet hoc Præceptum? *Resp.* In eo prohiberi damnum, quod causatur proximo in bonis temporalibus. Mastrius *d. disp. 11. num. 149.*

2. *Quær.* Quot modis damnificetur Proximus in bonis temporalibus? *Resp.* Triplicitèr. Bona auferendo; Damna illata non reparando; & contractus iniquos perficiendo. Et in his modis præter labem culpæ extat obligatio restitutionis. Mastrius *ibidem num. 150.*

3. *Quær.* Quot modis bona auferantur? *Resp.* Dupliciter. Vel clam, & dicitur Furtum. Vel per vim, & dicitur Rapina; quòd si res sit sacra, vel in loco sacro ad custodiam deposita, insurgit alia species peccati, nempe Sacrilegium. Tambur. *in Decal. lib. 8. tract. 2. cap. 1.*

4. *Quær.* Quid sit Furtum? *Resp.* Est occulta, & injusta rei alienæ ablatio, invito domino, causa lucri faciendi facta. Tambur. *ibid.*

5. *Quær.* Quale peccatum sit Furtum? *Resp.* Est peccatum mortale, nisi excuset parvitas materiæ. Mastrius *d. disp. 11. num. 153.*

6. *Quær.* Quæ quantitas requiratur in furto, ut culpa sit mortalis? *Resp.* Eam non esse metiendam mathematicè, sed moraliter; & ex circumstantiis personæ, cui fit ablatio. Ideò tunc erit mortale peccatum, si grave damnum inferatur proximo, vel charitas Christiana graviter lædatur; ut si quis furaretur rem non magni valoris, sed valdè charam Domino, ita, ut gravem molestiam pateretur ex ejus ablatione, vel ei summè necessariam, ut acum sutori. Tambur. *dict. lib. 8. tract. 2. cap. 2.* & Mastrius *d. disp. 11. num. 156.*

7. *Quær.* An peccet Uxor pecuniam furripiendo marito, pro necessitatibus domus; Vel famuli faciendo eleemosynam de bonis Dominorum suorum? *Resp.* Negativè, quando nimia non sit quantitas, vel gravis lamentatio Domini, aut molestia ob rem ablatam. Tambur. *dict. lib. 8. tract. 2. cap. 3.*

8. *Quær.* An peccet, qui in extrema necessitate constitutus furatur? *Resp.* Negativè. Tamburin. *dict. lib. 8. in Decal. cap. 6. §. 1.*

9. *Quær.* An peccet, qui furatur, ut suum creditum sibi compenset? *Resp.* Negativè, quando absque magna difficultate non poterat suum creditum exigere. Tambur. *ibid. d. lib. 8. cap. 5. §. 1. 2. 3. & 4.*

10. *Quær.* Quale peccatum sit, multa minuta furta committere? *Resp.* Cum distinctione. Si quis furatur modicum, modò uti, modò alteri, ex accidenti, non peccat mortaliter. At si ex deliberata intentione ditescendi: licèt executio sit tantum ex se venialis, tamen talis intentio facit peccatum mortale; & sic non excusantur sutores, qui solent unicuique particulas panni furripere; neque mercatores, qui aliquid retinent in mensuris, vel in ponderibus in quacunque venditione. Tambur. *dict. lib. 8. tract. 2. cap. 3. §. 1. & 2.*

11. *Quær.* An supradicti excusentur à mortali in aliquo casu? *Resp.* Excusantur in tribus. 1. Si non ex usu, sed ex accidenti id faciant. 2. Si sic agant ad justum pretium consequendum, quod aliàs non possent obtinere. 3. Si sint in extrema necessitate. Tambur. *d. §. 2.*

12. *Quær.* An peccent mortaliter, qui plures committunt singulatim furta minuta, ex quibus grave damnum Domino resultet? *Resp.* Aut omnes conspirant in damnum Domini; & peccant mortaliter; ut si plures vadant in eandem vineam, ut uvam auferant. Aut non conspirant in hoc: sed quilibet vadit

dit de per se ; & tunc non censetur peccatum nisi veniale. Tambur. *dict. cap.* 3. §. 3.

13. *Quær.* Qualia peccata sint furta domesticorum, vel amicorum ? *Resp.* Si fiant in quantitate notabili; & res non consumetur in opere, ad quod aliàs ipse Dominus erat obligatus, vel obligandus, peccata mortalia erunt. Ideò talia censentur furta uxorum, filiorum, vel parentum, qui notabilem rem furripiunt, & malè expendunt. At non talia, si in re necessaria domus, vel suæ personæ eam convertunt. Tambur. *dict. lib.* 8. *in Decal. tract.* 2. *cap.* 3. *in fine.* Porrò, notandæ sunt tres Propositiones damnatæ ab Innocentio XI. & sunt la 36. 37. 38. quæ sic asserebant. *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Item: *Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occultè Heris suis furripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Item: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* De earundem falsa doctrina differit Cardenas in Crisi *Dissert.* 23. per totam,

14. *Quær.* Quid sit Rapina? *Resp.* Est acceptio rei alienæ per vim. *cap. Pœnale,* 14. *quæst.* 5. *leg.* 1. *C. de Vi bonorum raptor.*

15. *Quær.* In quibus rebus committatur Rapina? *Resp.* Secundùm Canonistas committitur in rebus mobilibus, non etiam immobilibus, aut personis, quorum raptores dicuntur Prædones. Abbas *in cap.* 1. *de Raptorib.* Sylvester *in Verb. Rapina.* At secùndùm Theologos hæc non distinguuntur in foro conscientiæ. Et hæc est differentia rapinæ à furto ; quod illa, præter damnum, operatur etiam contemptum in Dominum rei ablatæ. Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 150.

16. *Quær.* Quotuplex sit Rapina ? *Resp.* Duplex est, una explicita, quando cum armis, & violentia aufert quis rem Domino. Alia implicita, & tres sunt casus. 1. Si Potentes imponant injustas exactiones. 2. Si ipsimet cogant inferiorem ad inæqualem contractum secum ineundum. 3. Si aliquid postulent rogando, quod inferiores non audeant ob metum negare. *cap. Militare,* 23. *qu.* 1. *l. Qui cætu, ff. ad leg. Juliam de Vi publica.*

CAPUT LXXV.

De Restitutione.

1. *Quær.* Quid sit Restitutio ? *Resp. Est actus Justitiæ, quo reparatur damnum illatum proximo per injuriam ad æqualitatem rei.* Dicitur *Actus justitiæ*, quia hæc est radix restitutionis, & ideò damna illata contra charitatem non obligant ad restitutionem ; sed quæ inferuntur contra Justitiam, scilicet violando jus, quod proximus habebat in re, vel ad rem. Item dicitur *per Injuriam.* Quæ est duplex ; Aut Materialis tantùm, ut si quis domum destruat, rem auferat, credens id sibi licere. Aut formalis, cùm quis mala fide rem alienam furripit, vel damnum infert. Vel dici potest culpabiliter, & inculpabiliter. Dicitur *ad æqualitatem rei* ; quia si quis damnificavit in centum ; debet ea centum restituere. Mastrius *in Theol. Mor. disp.* 7. *num.* 3.

2. *Quær.* Quæ sit differentia inter injuriam materialem, & formalem ? *Resp.* Quòd qui intulit injuriam, damnumve materialiter tantum ; non tenetur restituere, nisi quod ex re aliena adhuc supereſt ; vel quantum ex ea ditior factus est. Qui verò formalem injuriam intulit, tantum tenetur restituere, quantum est damnum illatum. Tambur. *in Decal. d. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 2.

3. *Quær.* An præceptum Restitutionis sit Affirmativum, vel Negativum ? *Resp.* Esse Negativum, quia mandat, rem alterius non retineri, vel damnum in bonis temporalibus non fieri Proximo suo. Ita P. Cotonius *lib.* 2. *de Sacrament. Controv.* 9. *de restitut. cap.* 1. *num.* 6.

4. *Quær.* An ex furtiva ferarum Venatione in loco prohibito, facienda sit restitutio ? *Resp.* Affirmat Bonacina *de restitut. quæst.* 3. *punct.* 7. *num.* 22. Negat Diana *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 39. Quia licet quis possit prohibere Venationem in loco, tamen feræ sunt in nullius dominio. Et hæc videtur communior. Nisi essent feræ clausæ in loco murato, quia tunc essent in dominio domini illius loci. P. Coton. *dict. cap.* 1. *num.* 10.

5. *Quær.* An restituere teneatur, qui sine culpa damnum dedit, & non est ex eo factus ditior ? Puta si accidentaliter, & inculpabiliter aliquem offendit ? *Resp.* Aliquos affirmare, ex *tit. ff. de noxalib. Actionib.* & instit. *Si quadrupes pauperem fecisse dicatur.* At id intelligi, si condemnetur per Judicis sententiam. Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 52. P. Coton. *dict. cap.* 1. *num.* 11.

6. *Quær.* Qualis culpa requiratur ad inducendam obligationem restitutionis in conscientia ; id est, an debeat esse culpa mortalis, vel culpa venialis ? *Resp.* Quod si culpa est mortalis, absque dubio inducit obligationem restitutionis. Si sit venialis, distinguendum est: aut est venialis respectu materiæ, & obligat ad restitutionem sub pœna peccati venialis. Aut culpa est venialis respectu deliberationis ; & in hoc casu non obligat ad restitutionem, P. Coton. *dict. cap.* 1. *num.* 13.

7. *Quær.* Quæ, & quanta sint considerandà in materia restitutionis ? *Resp.* Novem circumstantias esse considerandas, ubi de restitutione agitur, quæ his duobus carminibus continentur:

Quis? Quid restituet? Cui? Quantum? Quomodo? Quando?
Ordine? Quovè loco? Quæ causa excuset iniquum?

Ita Tolet. *in Summ. lib.* 5. *cap.* 17.

8. *Quær.* Sub illo Verbo *Quis* ? Qui sint illi, in quos cadit obligatio restitutionis ? *Resp.* Non solùm ille, qui damnum dedit ; sed qui quovis modo fuit in causa, ut damnum daretur, juxta sequentes alios Versus:

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus.
Participans, Mutus, non Obstans, non Manifestans.

vide Tolet. *dict. lib.* 5. *cap.* 21.

9. *Quær.* Quomodo intelligantur, seu explicentur hæ voces? *Resp. Jussio* Significat illos, qui mandant fieri damna. *Consilium*, illos, qui consulunt, ut fiant damna. *Consensus*, illos, qui suffragantur in damno inferendo. *Palpo*, qui laudat inferentes damna, vel exprobratione ignaviæ excitat ad inferendum damnum. *Recursus*, qui receptat in sua domo inferentes damna, vel eorum instrumenta custodit. *Participans*, qui habet partem prædæ, aut furti; eò quia cooperatus est in eo. Reliqui tres, qui non impediunt damna aut voce, aut opere, cùm ex pacto, vel ex officio, vel ex stipendio ea impedire tenentur. De quibus omnibus infra particulares casus, & quæsita proponentur. Tolet. *ibid.*

10. *Quær.* Ad quid teneatur Adulter, si filius spurius educetur à Marito adulteræ tanquam legitimus? *Resp.* Tenetur ad refarcienda damna tum Patri in educatione, tum fratribus in hæreditate. Card. de Lugo *disp* 13. *sect.* 2. P. Coton. *dict. cap.* 1. *num.* 16. Talem obligationem habet etiam Mater adultera, quæ proinde curare debet, ut spurius Religionem ingrediatur.

11. *Quær.* An teneatur ad restitutionem, qui ex odio, & animo nocendi operatur, ne collator det beneficium personæ indebitum? *Resp.* Non teneri, quando non utitur fraude, aut vi in impediendo, quia non operatur contra justitiam, & malum est in affectu, non in effectu. Diana *part.* 11. *tract.* 4. *resol.* 36.

12. *Quær.* An restitutioni sit obnoxius, qui Romæ existens aperit per injuriam Litteras alterius, & cùm ex eis intelligat beneficium vacasse, & sibi procurare; præveniendo illud obtinet? *Resp.* Negativè secundùm Dianam *part.* 5. *tract.* 8. *resol.* 21. Affirmativè secundùm Coton. *d. cap.* 1. *num.* 23. Quia aperiendo Litteras operatur contra justitiam.

13. *Quær.* An Reus, qui se malis artibus defendit à condemnatione, teneatur in conscientia solvere fisco pœnam, quam de Jure erat soluturus; vel adultera dotem, quam maritus lucratus fuisset ex condemnatione? *Resp.* Negativè, quia nemo tenetur ad pœnam ante sententiam; & impediendo sententiam, impedit, ne alter acquirat Jus, non autem Jus quæsitum. Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 29. *& part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 35.

14. *Quær.* An debeat restituere, qui accipit eleemosynam, fingendo se mendicum, cùm talis non sit? *Resp.* Affirmativè in eleemosynis magnis, quæ dantur in sustentationem egenorum. At in exiguis, quæ dantur ostiatim, non videtur obligatio restitutionis. Diana *part.* 5. *tract.* 6. *resol.* 21. *&* 40.

15. *Quær.* An restitutioni se adstringat, qui accipit pecuniam pro faciendo opere, qui tenebatur ex Justitia? Puta ferre sententiam, dare legatum? *Resp.* Affirmativè; quia cùm ex Justitia teneretur, non potest absque offensione justitiæ accipere pecuniam. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *res.* 55. *& par.* 6. *tract.* 6. *resol.* 59. Aliqui id negant, si accipiat pecuniam à tertio, quasi obligando obsequium suum; sed hæc est opinio periculosa, ut ait P. Coton. *dict cap.* 1. *num.* 32.

16. *Quær.* An restituendum sit, quod acceptum est pro re turpi, ut à Meretrice pro carnali copula, ab Assassino pro interfecto homine, à Judice, pro sententia iniqua? *Resp.* Communis sententia est, non esse restituendum. Diana *par.* 2. *tract.* 16. *resol.* 38. Eò quia qui dedit, sponte dedit, pro re sibi grata, quamvis turpi.

17. *Quær.* Si quis mandat occidi Petrum, & per errorem mandatarius occidat Paulum, an mandans teneatur ad restitutionem damnorum hæredibus, vel filiis Pauli? *Resp.* Affirmativè, secundùm Dianam *part.* 11. *tract.* 6. *res.* 19. licèt alii DD. negativam defendant, quia mors Pauli est involuntaria in ipso mandante.

18. *Quær.* An Jussor, seu mandans teneatur ad restitutionem, si mandatarius excedat Jussionis terminos? *Resp.* Cum distinctione: aut erat facile, & sine periculo observare terminos Jussionis; ut, exempli gratia, quòd de quatuor inimicis unus tantùm verberaretur; & in hoc casu, si mandatarius excedat, non est obligatus Jussor, seu mandans ad restitutionem. Aut difficile erat servare terminos; exempli gratia, infligè vulnera, sed non mortalia; & in hoc casu si fiat excessus, Jussor tenetur. P. Coton. *dict. lib.* 2. *controv.* 9. *cap.* 2. *num.* 52.

19. *Quær.* Quando Consulens teneatur ad restitutionem? *Resp.* Quando Consilium est causa damni in substantia, non autem si in modo. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 47. Ideò si parato furari decem, consulas furari quindecim, teneris restituere quinque. Si autem parato furari quindecim, consulas furari decem, non teneris ad restitutionem. Hic autem notanda est Propositio damnata ab Innocentio XI. nempè *la* 39. quæ sic docebat: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Vide de ea Cardenam *Dissert.* 23. *cap.* 4.

20. *Quær.* An restituere teneatur Mandans, seu Consulens, si ante damnum illatum revocet mandatum, seu consilium? *Resp.* Non teneri mandantem. Sed circa Consulentem distinguendum est, an dedit consilium pro veritate; & cùm illud revocet tanquam priùs deceptus, non tenetur ad restitutionem; sed si consuluit pro utilitate, exempli gratia, dicendo mulieri, quòd fornicando, multum lucraretur; tunc non videtur liberare ab onere restitutionis sola revocatio consilii. Cardin. de Lugo *disp.* 19. *num.* 37. P. Coton. *dict. cap.* 2. *num.* 57. *lib.* 2. *Controv.* 9. Porrò quandocunque qui dedit consilium malum, fecit quantum potuit dissuadendo, ne fiat illud malum; si consultus fecerit ipsum malum, consultor non tenetur ad restitutionem. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 108. Salmanticenses *tom.* 3. *tract.* 13. *de restitut. cap.* 1. *num.* 117.

21. *Quær.* An si revocari mandatum, vel consilium non possit, debeat monere occidendum, ut sibi caveat, ad vitandum onus restitutionis? *Resp.* Diversas esse opiniones

Docto-

Doctorum; sed tutiorem esse affirmativam, quia ex sua causa occidendus est in illo periculo. Diana *par.* 4. *tract.* 2. *resol.* 14. quæ in Coordinato est *tom.* 5. *tract.* 5. *resol.* 114.

22. *Quær.* Quando consentiens teneatur ad restitutionem? *Resp.* Quando præbuit suum consensum ante damnum illatum, secùs autem si postea; undè qui solummodò ratum habet malum, non tenetur ad restitutionem, licèt esset Pater, aut Dominus illius, qui damnum intulit, dummodo nesciebat ejus propositum: nam si sciviſſet, tenebatur compescere. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 64. P. Coton. *lib.* 2. *Controv.* 9. *cap.* 2. *num.* 62. & 63.

23. *Quær.* Quando Participans teneatur restituere? *Resp.* Quando fuit causa delicti; id est, quando sine ejus cooperatione non fuisset factum delictum, ut si quis malitiosè indicaret hominem occidendum; nisi id faceret metu mortis. Diana *par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 63. Coton. *d. Controv.* 9 *num.* 64. *lib.* 2. Salmanticenses *d. tract.* 13. *de restitut. cap.* 1. *num.* 127.

24. *Quær.* An falsi testes, si sequatur sententia cum damno innocentis, teneantur ad restitutionem? *Resp.* Affirmativè; nisi eos excusaret ignorantia, vel bona fides; aut essent ex testibus posterioribus non necessariis. Diana *par.* 3. *tract.* 5 *resol.* 105.

25. *Quær.* Qui sint illi, qui restituere tenentur, si non obstent, aut non manifestent? *Resp.* Omnes illi, qui ex Justitia ad id tenentur vel ex officio, vel ex stipendio; ut Tutores, Curatores, Custodes, Judices, Advocati, Medici, Chirurgi, & similes respectu suorum correlativorum. Sed qui tenentur obstare ex sola charitate, aut obedientia, non obligati erunt ad restitutionem. Coton *dict. lib.* 2. *Controv.* 9. *num.* 68. Salmanticenses *dict. tract.* 13. *cap.* 1. *num.* 131. & 132.

26. *Quær.* An restituere teneantur testes, qui se abscondunt, & ex eorum negata testificatione nascitur iniqua sententia? *Resp.* DD. esse in diversa opinione, & magis inclinare in negativam, quia materialiter tantùm peccant, non formaliter. P. Coton. *dict. Controv.* 9. *num.* 70.

27. *Quær.* An restitutio sit imponenda illis, qui non revelant fures, quando publicatur Judicis monitorium? *Resp.* Negativè, quia hæc revelatio debetur ex lege obedientiæ, non Justitiæ. P. Coton. *ibid. num.* 70.

28. *Quær.* An famuli, qui non revelant furta domestica confamulorum, vel externorum, teneantur ad restitutionem? *Resp.* Negativè, nisi ipsis sit demandata custodia rei familiaris Dominorum. Coton. *ibidem num.* 71. Salmantic. *dict. cap.* 1. *num.* 134. ubi aliter docent, si extranei furentur res Dominorum suorum, nam ratione famulatus tenentur tueri res eorumdem Dominorum suorum.

29. *Quær.* An Principes, & Magistratus teneantur restituere damna illata à latronibus in viis publicis? *Resp.* Si sciant, vias infestari à latronibus, & non curent eos capi, tenentur restituere; quòd si morali diligentia utantur, non tenentur. Diana *par.* 8. *tr.* 7. *res.* 38. quæ in Coordinato est *tom.* 8 *tr.* 7. *res.* 37. & Coton. *ubi supra num.* 72.

30. *Quær.* An qui obligatus est obstare damno ob contractum, seu stipendium, teneatur id præstare cum mortis periculo, & cum majori sui ipsius jactura? *Resp.* Cum distinctione; si malum inferendum offendat Rempublicam, tenetur obstare; si verò agatur de privatorum bono, non tenetur cum tanta jactura. Sot. *lib.* 4. *de Just. qu.* 7. *art.* 3. *ad tertium.*

31. *Quær.* An possessor bonæ fidei, si incipiat dubitare, quòd res possessa sit aliena, possit eam vendere, & retinere sibi pretium reperto Domino rei? *Resp.* Posse vendere monendo emptorem de suo dubio; pretium verò esse reddendum vero domino, si venditor factus erat locupletior, id est, si gratis eam rem habuerat, vel pluris vendiderat, quàm emisset. P. Coton. *lib.* 2. *Controv.* 9. *de restit. cap.* 3. *num.* 78. & 79.

32. *Quær.* An accipiens falsam monetam bona fide, & illam expendens bona fide, teneatur ad restitutionem damnificato? *Resp.* Negativam sententiam tenet Sylvester *verb. Falsarii, quæst.* 6. Affirmativam tuetur Navarra *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 312. Diana dicit utramque probabilem, *par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 3. sed P. Coton. *dict. Controv.* 9. *cap.* 3. *num.* 90. amplectitur affirmativam, quia ignorantia excusat à restitutione ratione injustæ acceptionis; non autem circa justitiam contractuum; & certè qui per ignorantiam emeret vitrum pro gemma, non posset ipsum pro gemma alteri vendere.

33. *Quær.* An res inventæ, quarum ignoratur Dominus, post debitam diligentiam retineri possint, vel debeant tradi pauperibus? *Resp.* Utramque opinionem sustineri à DD. Et quòd possint retineri ab inventoribus, tuetur P. Coton. *dict. lib.* 2. *Controv.* 9. *cap.* 3. *à num.* 91. & *seqq.* Et hæc de primo Verbo circa restitutionem, nempè QUIS.

34. *Quær.* Circa verbum: *Quid restituet*; quænam Regula habeatur? *Resp.* Hanc esse regulam, quòd si Res aliena exstat in specie, ut dicunt Canonistæ, seu in Individuo, ut loquuntur Theologi, qualitercumque apud alium reperiatur, debet eademmet Res in specie restitui. Quòd si res usu consummatur, ut pecunia, triticum, debet tantumdem reddi, seu valor rei consumptæ, quando erat possessor malæ fidei; secùs si bonæ fidei possessor, Coton. *dict. lib.* 2. *Controv.* 9. *num.* 100.

35. *Quær.* Quid agendum in restitutione, si res melior, aut deterior inveniatur tempore restitutionis? *Resp.* Si melior facta sit, restitui debet, sicut invenitur, ut de pullo equino, qui factus sit equus perfectus; sed in hoc casu à bonæ fidei possessore detrahendæ sunt expensæ. Si autem res facta sit deterior, tunc si fuerit bonæ fidei possessor, satisfacit restituendo rem, sicut esse reperitur. Si malæ fidei possessor tenetur etiam ad lucrum cessans, & damnum emergens illius rei. Ita Card. de Lugo *de just. & jure disp.*

disp. 18. *num.* 117. P. Coton. *d. Controv.* 9. *de restit. num.* 102.

36. *Quær.* Ad quid teneatur Possessor bonæ fidei, qui rem alterius consumpsit? *Resp.* Tenetur restituere tantùm id, in quo factus est locupletior. Coton. *dict. lib.* 2. *Controv.* 9. *num.* 106.

37. *Quær.* Si quis emerit rem furtivam bona fide, & eadem bona fide eam vendiderit, an postea teneatur restituere pretium domino comparenti? *Resp.* Negativè. Quòd si pluris vendidisset, teneretur restituere excessum pretii, si provenisset à valore rei; secùs verò si ex sua industria. P. Coton. *dict. Controv.* 9. *num.* 109.

38. *Quær.* Ad quid teneatur Possessor malæ fidei, apud quem res non ampliùs exstat? *Resp.* Tenetur restituere rei valorem, & fructus, seu lucrum cessans, & damnum emergens. Coton. *ibid. num.* 110.

39. *Quær.* Quid juris, si res mala fide possessa à principio valebat decem, medio tempore quindecim, & tempore restitutionis valet solùm decem? *Resp.* Tutior opinio est, possessorem malæ fidei teneri restituere quindecim, quia per longiorem detentionem non eximitur ab obligatione valoris illius medii temporis. Diana *par.* 2. *tract.* 17. *resol.* 51. Card. de Lugo *de Just. & jur. disp.* 18. *num.* 118. Excipe, si verus dominus eam rem medio tempore non erat venditurus.

40. *Quær.* Quos fructus ex re aliena teneatur restituere bonæ fidei Professor? *Resp.* Fructus alii sunt naturales, ut *poma*; alii industriales, ut *mercatura*, *artificium*; alii mixti, ut *segetes*, *& grana*. Igitur debet restituere naturales, & mixtos, detractis tamen expensis; nisi esset transactum triennium, quia tunc ex usucapione eos præscripsisset. Industriales autem non tenetur restituere. P. Cotonius *d. controv.* 9. *num.* 120.

41. *Quær.* Quid Juris in Possessore malæ fidei? *Resp.* Tenetur iste restituere omnes fructus, quos dominus ipse erat percepturus ex re sua; licèt ipse fur ipsos fructus non percepisset. Ex fructibus tamen industrialibus poterit detrahere expensas, quas idem dominus fecisset. Coton. *ibid.*

42. *Quær.* Circa damna emergentia, & lucra cessantia ad quid teneantur malæ fidei Possessores? *Resp.* Teneri resarcire illud omne, quod offensus, vel ejus hæredes patiuntur, vel in damno emergenti, vel in lucro cessanti ex causa ipsius actionis injustæ; ideò mutilator, vel homicida tenetur ad expensas medicamentorum, & ad lucra cessantia ob infirmitatem offensi. P. Coton. *dict. cap.* 4. *controv.* 9. *num.* 126.

43. *Quær.* An Homicida teneatur restituere creditoribus occisi debita ipsius occisi? *Resp.* Affirmat Molina *tom.* 4. *tractat.* 3. *disp.* 83. *num.* 8. Negat Lessius *dub.* 26. *num.* 151. quia quoad creditores videtur occisio esse accidentalis; nam poterat debitor mori etiam naturaliter, & debebant creditores cautiùs agere in contrahendo. P. Coton. *d. cap.* 4. *controv.* 9. *num.* 129.

44. *Quær.* Circa verbum *Cui*; restitutio cui sit facienda? *Resp.* Illi, cujus est res ablata, vel illatum damnum, aut utilitas impedita per violationem justitiæ commutativæ sive formalem, sive materialem, non autem Justitiæ legalis; ideò non est restituenda pœna legalis, quam alter habuisset ex sententia Judicis, si ipsa sententia fuerit impedita. P. Coton. *de restitut. controvers.* 9. *cap.* 5. *num.* 130.

45. *Quær.* Cui facienda sit restitutio ex homicidio? *Resp.* Expensarum, titulo curationis, faciendam esse restitutionem hæredibus occisi, sive hæredibus necessariis, id est, filiis; sive non, id est, extraneis; ratio est, quia occisus ante mortem habebat jus ad illas, & jura realia transeunt ad hæredes. Diana. *part.* 5. *tract.* 4. *res.* 19. Expensarum autem, titulo alimentorum, esse faciendam restitutionem solùm hæredibus necessariis. Quòd si uxor æquè commodis nuptiis potiatur, nulla est ei facienda restitutio. P. Coton. *cap.* 5. *de restit. num.* 135. *d. controv.* 9.

46. *Quær.* Cui restituenda res habita à minore; vel religioso per modum illicitum, puta per ludum? *Resp.* Satis esse, si eidem minori, vel religioso restituatur. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *res.* 98. At donata à Religiosis sunt restituenda Monasterio ex Bulla Clementis Octavi, & Urbani Octavi. P. Coton. *ubi supra num.* 136. *d. controv.* 9.

47. *Quær.* Cui restituendæ eleemosynæ habitæ à paupere ficto? *Resp.* Sunt restituendæ vel dominis, qui eas dederunt, vel pauperibus. Dian. *part.* 5. *tr.* 8. *res.* 22.

48. *Quær.* Circa Verbum *Quantum*; si quis culpabiliter det damnum in seminibus, quantum debeat restituere? *Resp.* Alii distinguunt: aut messis erat matura, & totus valor debet restitui; aut adhuc deerat multum tempus à maturitate, & minus est restituendum. Porrò arbitrio prudentis viri erit calculandum damnum, & ab eo metienda restitutio. P. Coton. *d. cap.* 5. *num.* 142. *controv.* 9.

49. *Quær.* Quantum sit restituendum ex homicidio hominis utilis, puta medici, advocati, artificis plurimùm lucrantis? *Resp.* Pro vita hominis nihil est restituendum; sed pro damno filiorum calculanda utilitas, quæ eis cessat; & tempus, quod vivere poterat occisus, & sic stabilienda quantitas restitutionis; detrahendo tamen aliquid respectu incertitudinis longæ vitæ. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 4.

50. *Quær.* Quantum tempus sit calculandum, quod vixisset occisus? *Resp.* Vel juxta calculum præscriptum in *l. Hæreditatum ff. Ad l. Falcidiam.* Vel ad arbitrium prudentis viri, pensata fortitudine complexionis, & ætate ipsius occisi. Tamb. *lib.* 6. *cap.* 4. §. 3. *in Decal.*

51. *Quær.* An sit obligatus ad restitutionem, qui commisit homicidium casuale? *Resp.* Cum distinctione: vel fuit sine culpa, nempè adhibita omni diligentia; & non est obliga-

obligatus ad restitutionem. Vel fuit in culpa, quia non advertit, prout debebat; & in hoc casu tenebitur. P. Coton. *num.* 150.

52. *Quær.* Circa ly *Quomodo*, An debitum reale debeat restitui totum simul? *Resp.* Affirmativè, quia dividere ipsum in multas partes cum detrimento creditoris non licet. P. Coton. *cap.* 6. *num.* 154 *d. controv.* 9.

53. *Quær.* An restitutio fieri possit per alium? *Resp.* Affirmativè, puta per Confessarium; qui, si deficiat in restituendo, adhuc debitorem esse obligatum, alii tenent, alii verò, non esse ampliùs obligatum; quod probabile dicit Diana *part.* 10. *tract.* 16. *res.* 97. Quæ in Coordin. est *tom.* 8. *tract.* 4. *resol.* 71.

54. *Quær.* An, qui infamavit alterum per impositionem falsi criminis, satisfaciat se retractando, & asserendo, se falsum dixisse? *Resp.* Satisfacere, quamvis aliqui sint DD. qui requirunt ultra retractationem verbalem, etiam compensationem damnorum. P. Coton. *dict. cap.* 6. *num.* 156. 157. *controv.* 9.

55. *Quær.* An qui propalavit crimen alterius verum, sed occultum, satisfaciat, laudando diffamatum apud eosdem? *Resp.* Tutius esse, quòd se retractet, dicendo: se malè, & injustè locutum fuisse; & ulteriùs verbo, & officiis eundem honorando. Diana *par.* 11. *tract.* 6. *resol.* 56. P. Coton. *d. cap.* 6. *num.* 158. & 159.

56. *Quær.* Circa verbum *Quando*, Restitutio quando sit facienda? *Resp.* Cum primùm obligatus potest. Ideò non sunt absolvendi, qui, cùm possint statim restituere, volunt id committere suis hæredibus; nam sæpè sæpius videmus esse inutiles commissiones testamentarias. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *res.* 104.

57. *Quær.* Quo ordine sit facienda restitutio, quando plures sunt creditores? *Resp.* Debitorem his regulis esse dirigendum. Primò, debita certa sunt præferenda incertis. Secundò, si res aliena extat in specie, est suo domino restituenda. Tertiò, si creditor est hypothecarius, illi est tradenda res hypothecata. Quartò, si plures sunt creditores personales, vel plures hypothecarii, in hoc casu tres sunt opiniones; una, quòd antiquioribus sit priùs restituendum. Altera, quòd sufficiat solvere diligentiori. Tertia, quòd singuli pro rata sit satisfaciendum; & hæ omnes opiniones censentur probabiles. Coton. *dict. controv.* 9. Salmanticens. *dict. tract.* 13. *de restit. cap.* 1. *punct.* 12. per totum.

58. *Quær.* Quo loco sit restitutio adimplenda? *Resp.* In loco creditoris; quòd si creditor nimis distaret, & debitor rem ad illum mittendo nimias expensas esset facturus, tunc judicio viri prudentis poterat eam rem tradere, vel propinquis ejus, vel pauperibus. P. Coton. *d. cap.* 6. *num.* 171.

59. *Quær.* Quibus sit facienda restitutio rei alienæ, si ejus dominus, neque ejus hæredes reperiantur? *Resp.* Esse restituendam pauperibus, ut disputando ostendunt Salmanticenses *d. tract.* 13. *cap.* 1. *punct.* 11. §. 3.

ubi alia plura Quæsita; & præcipuè quòd si ipse debitor sit egenus, potest pro se retinere, vel suis consanguineis pauperibus dare. Ita *dict.* §. 3. *num.* 219.

60. *Quær.* An satis sit, si debitor restituat creditori ipsius veri domini, cui aliàs debetur restitutio? *Resp.* Esse hinc inde opiniones: sed affirmativam tanquam probabiliorem tenent Salmanticenses *d. tract.* 13. *cap.* 1. §. 4. *num.* 221. *& ibi DD.*

CAPUT LXXVI.

De causis excusantibus à restitutione.

1. *Quær.* Quæ causæ excusent à Restitutione? *Resp.* Causæ excusantes à restitutione sunt sequentes. Videlicet:

1. Condonatio, seu remissio debiti facta à creditore.
2. Damnum, quòd creditori, vel tertiæ personæ ex restitutione obveniret.
3. Impotentia debitoris.
4. Ejusdem extrema, vel gravis necessitas.
5. Ipsius debitoris notabile detrimentum,
6. Ignorantia ejusdem.
7. Æquale creditoris debitum.
8. Compensatio facta à debitore creditori suo.
9. Interitus Rei,
10. Præscriptio,
11. Compositio,
12. Spes restituendi omnibus creditoribus, si statim non restituat.

2. *Quær.* An excommunicatio creditoris liberet debitorem à restitutione? *Resp.* Negativè. P. Coton. *dict. lib.* 2. *controv.* 9. *cap.* 7. *num.* 178.

3. *Quær.* An cessio bonorum pariter à restitutione liberet? Negativè; quia liberat in foro exteriori à carcere, non autem in interiori, id est, in conscientia. P. Coton. *dict. num.* 178.

4. *Quær.* An condonatio, seu remissio facta ab occiso ante mortem, liberet à restitutione occisorem, si supersint filii pauperes? *Resp.* In conscientia censet liberare. Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 58. At contrarium tenet P. Coton. *ubi supra num* 180.

5. *Quær.* An stuprator Virginis sit liber à restitutione, si Virgo eam remittat, parentibus renuentibus? *Resp.* Esse liberum, quia injuria facta fuit puellæ, & ipsa potest eam remittere, Coton. *ibid. num.* 183.

6. *Quær.* Qualis necessitas excuset debitorem à restitutione? *Resp.* Necessitas extrema, ac etiam necessitas gravis, qualis est, si debitor decaderet penitùs à statu suo, nempè si vir nobilis deberet mendicare, vel in servitutem redigi. At si solùm cogeretur dimittere splendorem externum in famulatu, & vestibus, non excusaretur, quia non licet tenere statum solemnem de bonis alicujus; posset tamen in hoc casu concedi aliqua dilatio restitutionis, quæ non esset noxia creditori. P. Coton. *d. cap.* 7. *num.* 185. *controv.* 9.

7. *Quær.* An neceſſitas debitoris excuſet à reſtitutione, quando creditor eſt in eadem neceſſitate? *Reſp.* In hoc caſu tres eſſe opiniones. Prima eſt Scoti, qui ita diſtinguit. Aut ad extremam neceſſitatem priùs pervenit dominus, aut primò fur, aut ſimul uterque. Primo, & tertiò caſu reſtitutio eſt omninò facienda. Secundo, verò caſu fur eſt liber à reſtitutione, quia ratione neceſſitatis translatum eſt dominium in illum; quod eſſe non poteſt in primo, & tertio caſu, in quibus neceſſitas ſuperveniens domino, firmat in eo dominium rei debitæ; & hanc opinionem tenet etiam Sylveſter. *Verb. Reſtitut.* 5. *quæſ.* 2. & Vaſquez *cap.* 1. *de Eleem. dub.* 9. Coton. *ubi ſupra num.* 186. Secunda opinio eſt Bonacinæ *de Reſtitut. diſp.* 2. *quæſt. ult. punct.* 1. *num.* 31. qui tenet in quocunque caſu, debitorem liberari neceſſitate ſuperveniente, quia in neceſſitate omnia ſunt communia, & melior eſt conditio poſſidentis; & hanc ſequitur Diana *par.* 5. *tract.* 8. *reſol.* 11. *&* 12. *& par.* 11. *tract.* 2. *reſol.* 32. Tertia eſt P. Cotonii *d. cap.* 7. *num.* 188. qui ait, eſſe diſtinguendum; Vel res aliena reſtituenda extat in ſua ſpecie; vel agitur de debito perſonali, aut quia jam res aliena fuit conſumpta; & quidem primo caſu reſtitutio eſt facienda creditori, quia neceſſitas debitoris non poteſt in eum transferre dominium rei creditoris pariter egentis, & in eadem neceſſitate conſtituti. Secundo verò caſu, debitor reſtituere non tenetur, quia in pari neceſſitate licet præferre ſemetipſum in re ſua, quamvis culpabiliter eſſet obnoxius reſtituere; nam neceſſitas excuſat à reſtitutione.

Hæc intelliguntur in perſonis privatis, non quando ageretur de perſonis publicis, circa quas ordo charitatis aliud dictaret.

8. *Quær.* An ſi debitor veniat ad meliorem fortunam, reviviſcat in eo obligatio reſtituendi? *Reſp.* Et in hoc caſu tres eſſe opiniones. Prima Scoti, qui tenet, reviviſcere obligationem reſtituendi, nam debitum ob neceſſitatem non extinguitur, ſed ſuſpenditur; & ea ceſſante, adhuc viget. Secunda eſt Dianæ *par.* 11. *tract.* 5. *reſ.* 13. tenentis, quòd ſi res aliena conſumpta eſt in neceſſitate, nulla reviviſcit obligatio reſtituendi; quia eo tempore dominus rei obligatus erat, eam tibi indigenti concedere. Tertia eſt Cardinalis de Lugo *de juſtit. & jur. diſp.* 21. *num.* 1. quam ſequitur P. Coton. *ubi ſupra num.* 192. docentis, eſſe diſtinguendum, an res ſit accepta ante neceſſitatem, & conſumpta in neceſſitate, & hoc caſu eſt facienda reſtitutio pretii; quia jam res erat in ſua poſſeſſione. Aut res ablata eſt in ipſa neceſſitate, & conſumpta in neceſſitate, & in hoc caſu, non videtur reviviſcere obligatio reſtitutionis, quia neceſſitas extrema fecit ſurripientem dominum rei conſumendæ in neceſſitate. Porrò tutius erit reſtituere, juxta ſententiam illorum, qui docent, ſatis eſſe ſubvenire indigentibus per mutuum, aut per commodatum, id eſt, cum onere reſtitutionis.

9. *Quær.* Quale dubium debitoris excuſet à reſtitutione? *Reſp.* Si debitor ſit certus de debito, & dubius de reſtitutione, tenetur reſtituere; quia poſſeſſio ſtat pro creditore. Quòd ſi ſit dubius de debito, reſtituere non tenetur; quia poſſeſſio ſtat pro ipſo. P. Coton. *d. lib.* 2. *Controv.* 9. *cap.* 7. *num.* 194.

10. *Quær.* Qualis compenſatio liberet à reſtitutione? *Reſp.* In foro fori requiritur compenſatio cum credito liquido pecuniario, aut ejusdem ſpecici. In foro poli ſufficere, ut compenſatio ſit ob creditum pecunia æſtimabile; & ideò debitor diffamatus à creditore non poteſt deducere infamiam in compenſationem debiti, niſi damnum bonorum pateretur. Diana *par.* 3. *tract.* 5 *reſ.* 30.

11. *Quær.* An debitor ex homicidio, ſi condemnetur ad mortem, excuſetur à reſtitutione damnorum? *Reſp.* Aut condemnatur ad inſtantiam partis læſæ, nihil aliud petentis; & non erit alia reſtitutio facienda; aut ex officio Judex condemnat, & tunc, ſi pars læſa petat, erit facienda reſtitutio, ſecùs ſi taceat; quia videtur ſatisfacta ex morte homicidæ. P. Coton. *ubi ſupra num.* 197.

12. *Quær.* An compenſatio liberet in conſcientia, ſi debitor immemor debiti dederit creditori eamdem quantitatem titulo eleemoſynæ, & hanc velit poſtea compenſare pro ſuo debito? *Reſp.* Alios negare, ſed alios affirmare; quia præſumitur quisquam dando eleemoſynam priùs ſatisfacere cum ea obligationibus ſuis, quamvis de eis non recordetur; & videtur facta cum conditione, do tibi ex charitate, niſi debeam ex Juſtitia. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 94. Quæ in coordinato eſt *tom.* 8. *tract.* 2. *reſol.* 46.

13. *Quær.* An habens plura debita cum eodem creditore poſſit applicare ſolutionem, ſeu reſtitutionem pro debito ſibi melius viſo? *Reſp.* Affirmativè, quia debitor poteſt legem dicere rei ſuæ, eam tradendo. *l.* 1. 2. *&* 3. *ff. de Solut.* Diana *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 49. Quæ in Coordinato eſt *tom.* 6. *tract.* 3. *reſol.* 146.

14. *Quær.* Qualis compoſitio liberet à reſtitutione facienda? *Reſp.* Si eſt certus creditor, cum eo debet fieri compoſitio, quæ ſit ſpontanea; quòd ſi creditor ſit incertus, compoſitio poteſt fieri cum Sede Apoſtolica, aut cum Epiſcopo; & in Regnis Hiſpaniarum extat Bulla compoſitionis pro his debitis; per quam, qui ſolvit duos Reales in ſubſidium Cruciatæ aut belli contra infideles, liberatur à debito Realium quatuordecim de debitis incertis. P. Coton. *ubi ſupra num.* 201. *lib.* 2. *cap.* 7. *controv.* 9.

15. *Quær.* An facta compoſitione ſit iterum reſtituendum, ſi creditor certus evadat? *Reſp.* Alii negant, quia Papa eſt Dominus circa hanc compoſitionem ob bonum ſpirituale animarum: Quamvis alii doceant eſſe reſtituendum, quia Papa intelligit ſuffragari compoſitionem, ubi creditores ſunt incerti. Utraque opinio eſt probabilis. P. Coton. *num.* 204. *dict. controverſ.* 9. At nihil ampliùs eſſe reſtituendum vero domino, tenent Salmanticenſes *dict. tract.* 13. *cap.* 1. *num.* 217. Quia ſicut verus dominus amittit rem propriam per præſcriptionem alienam; ſic per eleemo-

eleemosynam ritè, & rectè pro eadem re pauperibus factam; ne res stent longo tempore in manibus Usurpantium.

16. *Quær.* An qui excusatur à restitutione ad tempus, teneatur ad damna emergentia vero domino, & lucra cessantia? *Resp.* Duæ sunt opiniones. Prima distinguit; aut dilatio fit ob gravem necessitatem, & non tenetur ad damna, & lucra supradicta. Aut ob alias minores causas, & tenetur. Secunda distinguit; Aut debitor est culpabilis, & tenetur ad dicta damna, & lucra; vel in eo non est culpa, & non tenetur. P. Coton. *d. cap. 7. num. 206. controv. 9. lib. 2.*

17. *Quær* Quæ, & quot sint causæ excusantes à restitutione famæ? *Resp.* Esse novem. Prima, condonatio ejus, cujus fama non redundat in alios. Secunda, Justa compensatio. Tertia, Si fama alia ratione fuerit reparata. Quarta, Si infamia prudenter existimatur abiisse in oblivionem. Quinta, Si crimen occultum alia via fiat publicum: Sexta, Si restitutio sit impossibilis. Septima, Si non possit restitui absque majori damno restituentis ratione majoris dignitatis. Octava, Si bona fide fuit facta diffamatio, credendo esse verum delictum, & resarciri non possit sine jactura sua. Nona, Si diffamanti non fuit præstita fides. Sed de hac materia alio loco erit loquendum.

CAPUT LXXVII.

De Contractibus in genere.

1. *Quær.* Quibus modis contrahitur obligatio? *Resp.* Quatuor modis, nempè vel ex contractu, vel ex quasi contractu, vel ex delicto, vel ex quasi delicto. §. 2. *Instit. de Obligat.*

2. *Quær.* Quid sit contractus? *Resp.* Est pactum, seu consensus duorum, quo scienter liberè, & legitimè vicissim se obligant, seu unus eorum obligatur. Nicol. *in Lucubr. utriusque Jur. tom. 1. lib. 3. tit. 14.*

3. *Quær.* Quot modis fiant contractus? *Resp.* Quatuor modis, nempè Re, Verbis, Litteris, & Consensu, *dict.* §. 2. *Instit. de Oblig.* Et hi modi talem denominationem recipiunt, non quia in omnibus contractibus non sint opus re, aut verbis, aut consensu; sed quia in contractibus, in quibus principaliter attenditur aut rei datio, aut verba, aut consensus, dicitur obligatio nasci Re, Verbis, aut Consensu.

4. *Quær.* Qui sint contractus, qui Re perficiuntur? *Resp.* Sunt quinque, nempè Mutuum, Commodatum, Pignus, Depositum, & Indebiti solutio. *Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio.* Nicol. *d. lib. 3. tit. 15.*

5. *Quær.* Quales sint contractus, qui verbis fieri dicuntur? *Resp.* Stipulatio, Assecuratio, Promissio, Fidejussio. Nicol. *d. l. 3. tit. 16.*

6. *Quær.* Quis sit contractus ex Litteris perficiendus? *Resp.* Ille est, in quo aliquis fatetur syngrapha, seu chirographo se accepisse ab alio pecuniam restituendam. *Instit. de Litterar. oblig.* Nicol. *dict. lib. 3. tit. 22.*

7. *Quær.* Qui sint contractus, qui Consensu existunt? *Resp.* Tales sunt, Emptio, & Venditio, Locatio, & Conductio, Societas, & Mandatum. Nicol. *dict. lib. 3. tit. 24.*

8. *Quær.* Quales sint quasi contractus? *Resp.* Sunt isti, nempè Negotiorum gestio, Tutela, & Cura, Hæreditatis communio, & Hæreditatis aditio. *Instit. de Oblig. quæ quasi ex contractu nascuntur*; de quibus omnibus nonnulla quæsita magis necessaria formabimus, & etiam aliquid de Ludo, ne Confessarius ea ignoret.

CAPUT LXXVIII.

De Mutuo.

1. *Quær.* Quid sit Mutuum? *Resp.* Est contractus, quo dominium alicujus rei, constantis numero, pondere, aut mensura, à mutuante in mutuatarium transfertur, cum obligatione restituendi consimilem rem specie, vel bonitate. Nicol. *dict. lib. 3. tit. 15. num. 2.*

2. *Quær.* Quæ sit differentia inter mutuum, & alios contractus reales? *Resp.* Hæc est differentia, quòd in mutuo transfertur dominium, in aliis usus tantùm transfertur, non etiam dominium. *Instit. d. tit. 15.*

3. *Quær.* Quomodo peccare possint, qui dant res suas mutuo? *Resp.* Dupliciter. Uno modo, si non moneat mutuatarium de vitio, quod forsan est in re mutuata. Altero modo, si lucrum accipiant causa mutui, tunc enim committunt Usuram. Tambur. *in Decalog. lib. 8. cap. 8. §. 1.*

CAPUT LXXIX.

De Usura.

1. *Quær.* Quid sit Usura? *Resp. Est lucrum immediatè proveniens ex mutuo*; quia cùm res non sit ampliùs mutuantis, sed dominium transierit in mutuatarium, non licet ampliùs ex ea lucrum recipere. Hinc regula datur ad cognoscendam Usuram: nempè, *Omne pactum, vel gravamen, sivè onus additum mutuo, præter id, quod ei proprium, & intrinsecum est, reddit contractum Usurarium.* Ita Bonac. *de contract. disp. 3. quæst. 3. punct. 3.* Tambur. *d. lib. 8. cap. 8. §. 2.* Decisiones meæ *de Usuris.*

2. *Quær.* Quotuplex sit Usura? *Resp.* Est duplex, Mentalis, & Realis; & hæc subdividitur, quòd alia est explicita, alia palliata. Nicol. *dict. lib. 3. tit. 15. num. 11.*

3. *Quær.* Quæ sint species prædictæ Usuræ? *Resp.* Mentalis Usura est, cùm quis mutuum dat, sperans in sua mente recipere lucrum. Realis explicita est, cùm quis pacisci tur de lucro habendo. Palliata Usura est; cùm quis, ut lucrum ex Usura colligat, fingit alios contractus, de quibus Tolet. *lib. 5. cap. 31.* Salmanticenses *de contractib. tract. 14. cap. 3. num. 12.*

4. *Quær.* An sit Usura, recipere aliquid à mutuatario titulo gratitudinis? *Resp.* Non esse usuram; at si daretur tanquam debitum, esset usura, & obligatio restituendi?

Nicol. *d. lib. 3. tit. 15. num. 9.* Ideò est Propositio damnata ab Innocentio XI. asserere, quòd sit licitum exigere aliquid ultra sortem tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine; ut *in Propos. 41. & 42.* de quibus latè agit Cardenas *in Crisi Dissert. 25.*

5. *Quær.* An sit Usura, mutuare ad captandam amicitiam, seu benevolentiam? *Resp.* Negativè, etiamsi ex illa amicitia aliquod beneficium esset proventurum; quando id non deducitur in pactum, vel principaliter non intenditur. Tolet. *dict. cap. 31.*

6. *Quær.* An sit Usura obligare mutuatarium, ut recipiat à te partem pecuniæ in mercibus, quibus non eget? *Resp.* Affirmativè. Cardenas *in Crisi Dissert. 25. num. 59.*

7. *Quær.* An sit Usura obligare eundem mutuatarium, ut exigat pecuniam tuam à tuis creditoribus? *Resp.* Esse usuram, si difficilis sit exactio, aut dispendiosa. Tolet. *d. lib. 5. tit. 30. num. 2.*

8. *Quær.* An liceat aliquo in casu lucrum ex mutuo recipere? *Resp.* Licere in tribus casibus. Primò, ob lucrum cessans. Secundò, ob damnum emergens. Tertiò, ob difficultatem, seu expensas in repetendo mutuo. Tamburin. *in Decal. lib. 8. cap. 8. §. 3. & 4.*

9. *Quær.* Quid sit lucrum cessans? *Resp.* Est illud lucrum, quod percepisses ex negotiatione illius pecuniæ, quam mutuò das petenti: Et ad hoc, ut sit licitum tale lucrum, tria debent intervenire. Unum, quòd verè volueris cum ea pecunia negotiari. Alterum, quòd non habeas aliam pecuniam ad negotiandum. Tertium, quòd minùs exigas, quàm lucrari poteras ratione Incertitudinis, & deductis expensis, ad arbitrium scilicet prudentis viri. Bonacina *dict. quæst. 3. punct. 4.* Tolet. *d. lib. 5. tit. 32.* Salmanticenses *dict. tractat. 14. de contractib. cap. 3. punct. 9.*

10. *Quær.* Quid sit damnum emergens? *Resp.* Est illud, quod provenit ex privatione illius pecuniæ mutuatæ; ut si volebas reficere domum, quæ corruit. Vel solvere publicas gravedines, & ex dilatione in pœnam incidisti, Tolet. *d. lib. 5. cap. 32. num. 2.*

11. *Quær.* Quomodo intelligatur illud lucrum ratione difficultatis, seu expensarum in repetendo mutuum? *Resp.* Si mutuans timeat difficultatem, vel fraudem mutuatarii in restituendo mutuum, potest pacisci, quòd si non restituat tempore præfixo, solvat aliquid loco pœnæ; sed necesse est, ut moraliter mutuans sciat, solutionem seu restitutionem eo tempore posse fieri; nam ubi certò sciret, mutuatarium restituere non posse eo tempore, esset usura. Tolet. *lib. 5. cap. 32.* Bonac. *dict. qu. 3. punct. 7.*

12. *Quær.* An sit Usura emere credita difficilis exactionis minori summa? *Resp.* Negativè, ob difficultatem in exigendo. Nicol. *dict. tom. 1. lib. 3. tit. 15. num. 12. in limit. 2. pag. 264. col. 1.*

13. *Quær.* An sit Usura dare pecora Rustico æstimata, cum pacto, ut restituat ea cum eadem æstimatione cum aliquo lucro? *Resp.* Negativè, juxta Leotardum *de Usuris qu. 31. à num. 7. & seq.* quod tamen intelligendum est; ut detrimenta, & mortes, absque culpa rustici in pecoribus futuræ, sint æqualiter dividendæ; nam hic censetur contractus Societatis, seu Negotiationis, in quo damnum debet esse commune; nisi rusticus assumat in se etiam damnum ob parvam summam lucri solvendi domino pecudum.

14. *Quær.* An in Usura parvitas materiæ excuset a peccato mortali? *Resp.* Diversas esse DD. opiniones. Summa Dianæ *Verb. Usura num. 2.* At quòd etiam in minutissimo lucro usura sit mortale, tenet Leo *par. 1. resol. 7. num. 37.* Quòd non sit mortale, dixi in meis Decisionibus Anni 1685. *Mense Septembr. quæs. 1. de Usuris.*

15. *Quær.* An peccet, qui recipit mutuum cum pacto solvendi Usuram? *Resp.* Si mutuatarius petat cum hoc animo inducendi mutuantem ad committendam Usuram, peccat peccato scandali; at cessante in eo hoc animo, non peccat neque petendo, neque usuras solvendo. Summ. Dian. *Verb. Usura num. 4. & 5.*

16. *Quær.* An Principes possint dare licentiam positivam Judæis exercendi usuram? *Resp.* Negativè. Diana *part. 9. tr. 9. resolut. 14.*

17. *Quær.* An sint Usurarii contractus, qui vulgò vocantur *Stocchi*; nempè, quando quis egens pecunia emit merces à mercatore pacto pretio centum librarum, & statim eas vendit eidem mercatori pretio nonaginta librarum in pecunia numerata? *Resp.* Moralistæ, non esse Usuram, tribus concurrentibus. Primò, quòd mercator ad hoc non cogat emptorem. Secundò, quòd pretium, quo ipse vendit ei merces, non sit majus summo. Tertiò, quòd pretium, quo eas redemit, non sit minus infimo. At si obliget ex pacto illi revendere minori pretio, est *Mohatra*, & Usura, Cardenas *in Crisi Dissert. 24.* Decisiones meæ *dict. Anni 1685. Mense Octobris Cas. 1.* ubi concludi, quòd hodie tales contractus sunt illiciti; stante *Propos. 40.* damnata ab Innocentio XI. quæ asserebat, quòd *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri.*

18. *Quær.* An sit licitus contractus, qui nominatur vulgò *darèa godere*? E. gr. Ego trado tibi domum meam ad fruendum; & tu tradis mihi pecuniam, quam cum restituero tibi, tu quoque restitues mihi domum? *Resp.* Esse licitum; sed duo requiri, unum, quòd fructus domus, seu prædii correspondeant fructui, quem ex pecunia mercator potest trahere. Alterum, quod ponatur certum tempus, in quo domus, seu prædium, & pecunia sit adinvicem restituenda; & interim nullus molestetur, quia tunc est venditionis contractus ad tempus. Ita Homobon. *part. 2. tract. 9. cap. 15. quæst. 42.* & Diana *part. 1. tract. 8. resol. 28.* Quæ in Coordinato est *tom. 6. tract. 1. resol. 29.*

19. *Quær.* An licitus sit contractus, qui dicitur *Lotto*? *Resp.* Affirmativè, quia est fortuitus; debent tamen cessare fraudes; & pretia rerum debent esse proportionata earum

rum valori, computatis expenſis, & laboribus ministrorum. Dian. *part.* 1. *tract.* 8. *reſol.* 81. Quæ reſidet in opere Coordin. *tom.* 6. *tract.* 3. *reſol.* 125.

20. *Quær.* An ſit Uſura, dare magnam pecuniam mercatori ad negotiandum, cum hoc pacto, ut tibi ſolvat ſex, aut octo pro centenario absque alio damno, vel utili illius negotiationis? *Reſp.* Non eſſe uſuram, ſi intendas facere ſaltem implicitè tres contractus una vice; nempè unus ſocietatis, aliud aſſecurationis, tertium venditionis lucri incerti pro lucro certo: oportet tamen, ut ſex illa, vel octo pro centenario ſint intra limites juſtitiæ ad arbitrium boni viri, computatis utilitatibus negotiationis, expenſis, damnis, & periculis. Bonac. *de Controv. diſp.* 3. *q.* 3. *punct.* 11. *n.* 2. & Diana *par.* 1. *tr.* 8. *reſ.* 30. quæ in Coordin. eſt *tom.* 6. *tr.* 3. *reſ* 49. Salmanticenſes *de Contractib. tr.* 14. *cap.* 3. *punct.* 11. ubi plenè diſputant, & examinant hoc Quæſitum.

21. *Quær.* An ſit differentia inter Uſurarium occultum, & Uſurarium manifeſtum? *Reſp.* Affirmativè, quia contra Uſurarios occultos nulla pœna latæ ſententiæ reperitur in jure; undè cum illis Confeſſarius poteſt procedere in foro conſcientiæ, ſicut cum aliis obligatis ex delicto. Theſaur. *de Pœnis Eccleſ. par.* 2. *Verb. Uſurariorum pœnæ cap.* 1. An contra Uſurarios manifeſtos multæ pœnæ inflictæ ſunt à jure.

22. *Quær.* Quis dicatur Uſurarius occultus, & quis Uſurarius manifeſtus? *Reſp.* Uſurarius occultus cenſetur ille, de cujus crimine uſuræ non habetur notitia neque ex notorietate juris, neque ex notorietate facti. Et è contra manifeſtus Uſurarius cenſetur. Primò notorietate facti, ut ſi publicè habeat menſam ad fœnerandum expoſitam, vel ita frequenter fœneretur, ut res ſit notoria majori parti civitatis, vel oppidi, vel paræciæ, ſeu viciniæ. Gloſſ. *in cap.* 1. *verb. Manifeſti de uſuris in* 6. Menochius *de Arbitr. Judic. caſu* 235. *num.* 9. Secundò notorietate juris, quando in Judicio fuit de uſura confeſſus, aut condemnatus. Menoch. *ubi ſupra num.* 12. Maſcard. *Concluſ.* 1425. *num.* 8. Clarus *Verb Uſura num.* 5.

23. *Quær.* Quæ, & quot ſunt pœnæ, quas ipſo jure incurrunt Uſurarii manifeſti? *Reſp.* Sunt ſeptem.

Prima eſt, quòd Sacramenta ſunt eis deneganda, donec realiter, & plenariè reſtituerint uſuras, vel idoneam cautionem præſtent de reſtituendo pro viribus patrimonii ſui. *cap. Quia in omnibus, de Uſuris. cap. Quamquam, eod. tit. in* 6. ubi quòd non ſufficit, mandare in teſtamento, reſtitutionem eſſe ab hæredibus faciendam, ſed ſaltem cautionem pignoratitiam, aut juratoriam eſſe dandam. Leſſius *de Juſt. & jure lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 187. Theſaur. *d. cap.* 1.

Secunda pœna eſt, quòd ante reſtitutionem Uſurarius manifeſtus non eſt permittendus intereſſe Miſſæ. *d. cap. Quia in omnibus, de Uſuris.* Et Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *in Decreto de obſerv. & vitand in celebrat. Miſſar.* Ugolin. *de Uſur. cap.* 24. *num.* 4.

Tertia eſt, quòd non admittatur ad oblationes tam in Sacrificio Miſſæ, quàm extra. *d. cap. Quia in omnibus.* Si tamen haberet onera realia ſolvendi legata Eccleſiæ, ſunt recipienda etiam à publico Uſurario; à quo etiam eleemoſynas pauperes non prohibentur accipere. Suarez *de Cenſuris diſp.* 31. *ſect.* 2. *num.* 6.

Quarta eſt, ut non admittatur ad Eccleſiaſticam ſepulturam, etiamſi pœnitens deceſſerit, niſi prævia reſtitutione, vel ſaltem præſtita cautione ab ipſo, vel ab hæredibus de reſtituendo, quamprimùm fieri poterit. *d. cap. Quamquam, & cap. Quia in omnibus*, ubi Gloſſ. *& in Clem.* 1. *verb. Manifeſtos, de Sepult.* Adeò, ut non ſufficiat contritio, aut Confeſſio Sacramentalis, niſi ſequatur reſtitutio, vel cautio de reſtituendo. Sylveſt. *verb. Uſura*, 9. *qu.* 4. Quòd ſi Uſurarius mortuus impœnitens ſit ſepultus in loco ſacro, venit exhumandus, & ejiciendus de loco ſacro ad ſepulturam Aſini. Abb. *conſ.* 81. Card. *conſ.* 2. & habetur 4. *Reg.* 23.

Quinta eſt, quòd non poſſit facere teſtamentum, & ſi faciat, ſit ipſo jure nullum in utroque foro. *d. cap. Quamquam, de Uſuris*, etiamſi factum ſit ante commiſſum crimen uſuræ. Surdus *de Aliment. tit.* 7. *quæſt.* 41. *num.* 18. & idem eſt de codicillis, & de donatione cauſa mortis. Clarus §. *Donatio, quæſt.* 7. & Cevall. *Commun. contra commun. quæſt.* 11. *num.* 12. Valebit autem, ſi ipſe Uſurarius pœnitentiam agendo reſtituat, vel cautionem det de reſtituendo. Secùs autem, ſi ipſi hæredes vellent reſtituere, & ipſe Teſtator eſſet mortuus impœnitens. Lauren. de Rodulph. *tract. de Uſura part.* 2. *quæſt.* 99. Leſſius *cap.* 20. *n.* 188. *de Juſt. & jure.*

Sexta pœna eſt, infamia juris. *cap. Inter dilectos, de Exceſſib. Prælator. cap. Infames*, 3. *quæſt.* 7. *& cap. Infames*; 6. *qu.* 1. *l. improbum fœnus. C. Ex quib. cauſ. inf. irr.* Hinc

Septima pœna eſt Irregularitas ad Ordines, & inhabilitas ad beneficia, *d. c. Inter dilectos.* Majol. *de Irregular. lib.* 5. *cap.* 29. *num.* 1. Porrò Deciſiones meæ *d. Ann.* 1685. *Menſ. Februar. quæſ.* 1. ponunt duodecim pœnas, ideò alias quinque require ibi, ubi egi de Uſuris.

24. *Quær.* An dictæ pœnæ incurrantur ipſo jure, vel opus ſit ſaltem ſententia declaratoria ſuper notorietate criminis? *Reſp.* Alios DD. tenere, quòd ſit neceſſaria ſententia declaratoria delicti. Menoch. *Caſu* 335. *num.* 12. *&* 13. Clarus §. *fin. q.* 9. *in fine.* Alios verò, eam non eſſe expectandam, defendunt. Maſcard. *verb. Uſurarius Concluſ.* 1425. *num.* 6. Theſaur. *d. verb. Uſurarii pœna cap.* 1. *col.* 4. ita, ut ſufficiat notorium facti.

25. *Quær.* An Uſurarius Clericus, ſi ſit manifeſtus, poſſit obtentis beneficiis privari? *Reſp.* Affirmative. Abb. *in d. cap. Inter dilectos, num.* 6.

26. *Quær.* An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum Uſurario publico, ut poſſit ad Ordines promoveri, & beneficia obtinere? *Reſp.* Affirmative, ſi correctus, & emendatus fuerit.

rit. Abbas *ubi supra.* Ugolin. *de Usur. c.* 26. *num.* 7. Diaz. *in Praxi cap.* 91. & ibi Salzedo *in Addit. lit. A.*

27. *Quær.* Ad quem Judicem spectet judicium de Usura? *Resp.* Quòd si agatur in genere, an talis contractus sit Usurarius? spectat ad Judicem Ecclesiasticum, an verò illa persona commiserit Usuram, est crimen mixiti fori. Diana *tract.* 2. *resol.* 77. Ceval. *Commun. contra comm. quæst.* 11. *num.* 9. Marta *de jurisd. part.* 2. *cap.* 7.

28. *Quær* Quomodo sit facienda restitutio Usurarum? *Resp.* Usuræ certorum dominorum iisdem sunt restituendæ. Si autem sunt incertorum, in foro externo sunt restituendæ pauperibus eligendis ab Episcopo; in foro autem interiori pauperibus ad arbitrium Usurarii, vel hæredum ejus. *cap. Cùm tu, de Usuris.* Rota *Decis.* 152. *par.* 1. *rec.*

29. *Quær.* An sufficiant legata pia pro restitutione Usurarum? *Resp.* Affirmativè, si domini sint incerti; secùs verò, si certæ sint personæ, à quibus habitum est lucrum improbum. Glossa *in cap.* 2. *verb. Facultates, de Usuris.*

30. *Quær.* An, qui donationes recepit ab Usurario mortuo impœnitente, possit licitè res donatas tenere? *Resp.* Negativè, quia tenetur eas vel certis dominis, vel pauperibus restituere, etiam ante sententiam. *cap. Quamquam*, & ibi Gloss. *de Usur. in* 6.

31. *Quær.* An Usurarius mentalis tantùm teneatur restituere; ille scilicet, qui mutuavit non cum pacto explicito de fœnore sibi solvendo, sed spe lucrum reportandi, quod postea reportavit? *Resp.* Esse hinc indè opiniones DD. quorum aliqui distinguunt, ut teneatur restituere in foro conscientiæ, non autem in foro exteriori; nisi solitus esset recipere lucrum ab omnibus mutuatariis; quia tunc Usurarius manifestus præsumeretur. Abb. Innoc. Host. & Ancharan. *in cap. Consuluit, de Usuris.*

32. *Quær.* An hæredes Usurarii sine pœnitentia defuncti afficiantur aliqua pœna? *Resp.* Irregulares sunt donec restituant. Hostien. *in cap. Tua nos, de Usuris.* Majol. *lib.* 5. *cap.* 29. *num.* 4. quòd si repudiaverint hæreditatem, liberant se ab hac irregularitate. Abb. *in cap. de oblig. ad ratiocin.*

33. *Quær.* An Parochus occasione Usuratii manifesti Parochiæ suæ incurrat aliquam pœnam? *Resp.* Incurrit in suspensionem à Divinis ipso jure, si eum tradat Ecclesiasticæ sepulturæ, vel ab eodem oblationes recipiat. *cap. Quia in omnibus, de Usuris.* An autem sit suspensus, si illum admittat ad communionem Altaris, est opinio diversa Doctorum. Nam affirmat Sayr. *de Censur. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 5. Negat Suarez *disp.* 32. *sect.* 2. *num.* 6. & Bonac. *de Suspens. part.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 6. *num.* 1. & Filliuccius *tract.* 17. *num.* 100. Thesaur. *dict. loco cap.* 3 ubi hanc opinionem tenet etiam in admittente ad Sacramentum Pœnitentiæ.

34. *Quær.* An dicta pœna Suspensionis incurratur in admittente oblationes cujuscunque Usurarii, vel tradente sepulturæ? *Resp.* Nonnullos Doctores tenere, quòd dictus Usurarius debeat esse denunciatus propter *Extravag. Ad evitanda.* Ita Bonac. *de Censur. in particulari disp.* 3. *qu.* 3. *punct.* 6. *num.* 7. Sed alios sustinere, quòd ad incurrendam à Parocho dictam pœnam suspensionis sufficiat; si Usurarius sit notorius notorietate facti. Navar. *cap.* 17. *num.* 280. Alterius *tom.* 2. *disp.* 11. *cap.* 2. *in fine.*

35. *Quær.* An Usurarius pœnitens possit tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, antequam facta sit restitutio Usurarum? *Resp.* Negativè, quia debet præcedere restitutio, vel saltem cautio idonea de restitutione facienda pro viribus hæreditatis. *dict. cap. Quamquam, de Usuris, in* 6.

36. *Quær.* An Episcopus, seu Parochus possit restringere, vel diminuere aliquid de legitima quantitate restituenda Usurarum? *Resp.* Negativè, imò si in hoc culpa aliqua laboraverint; ipsi de suo erunt obnoxii ad restitutionem supplendam, etiam in foro conscientiæ, Glos. *in d. cap. Quamquam, in verb. Teneatur.*

37. *Quær.* An Laici tradentes sepulturæ Ecclesiasticæ Usurarium impœnitentem, incurrant aliquam pœnam? *Resp.* Incurrere in pœnam excommunicationis latam *in Clement.* 1. *de Sepultur.* quæ pœna extenditur etiam ad Clericos, & cumulatur cum pœna suspensionis supra notata. Abb. & Carden. *in d. cap. Quia in omnibus, num.* 3. *de Usuris.*

38. *Quær.* An sit alia pœna, quæ occasione Usurariorum se extendat in alios? *Resp.* Extat pœna excommunicationis latæ sententiæ *in Clement. Unica. de Usuris* contra Judices, & Rectores, qui approbant usuras, aut statuta illas permittentia non revocant. Salmanticenses *d. tract.* 14. *cap.* 3. *num.* 117.

39. *Quær.* Quam pœnam incurrat, qui affirmat, Usuras esse licitas? *Resp.* Incurrit crimen hæresis, & pœnas contra hæreticos inflictas. *Clem.* 1. §. *fin.* & ibi Glos. *in verb. Hæreticum, de Usuris.* Barbos. *ibid. num.* 12. & 13. Gratus *Cons.* 49. *num.* 24. *p.* 2.

40. *Quær.* An incurrat aliquam pœnam, qui domus suas locat publicis Usurariis? *Resp.* Quòd hi locatores, si sunt Episcopi, vel Episcopis Superiores incurrunt pœnam suspensionis; si Clerici inferiores, plectuntur pœna excommunicationis: si Universitates, vel Collegia, afficiuntur pœna interdicti; & hi omnes ipso jure. Si verò sint Laici, sunt ab Ordinario excommunicandi juxta Textum *in cap.* 1. *de Usuris in* 6. Thesaur. *dict. Verb. Usura cap.* 7.

41. *Quær.* An suspensio in Episcopos, & Superiores supradicta sit ab officio, & beneficio simul? *Resp.* Affirmativè, nam Textus loquitur generaliter, & suspensio absolutè prolata intelligitur tam ab officio, quam à beneficio. Sayr. *de Censur. lib.* 4. *cap.* 12. *n.* 48. Suarez. *disp.* 31. *sect.* 5. *n.* 15. *de Censuris.*

42. *Quær.* An pœna illa interdicti lata contra Universitates afficiat Universitates Laicas, vel Ecclesiasticas? *Resp.* Afficere Ecclesiasticas Universitates tantùm. Navar. *cap.* 27. *num.* 136. Azor. *tom.* 3. *lib.* 5. *de Usuris.*

sura cap. 18. *Vers. Tertia Pœna.* Quamvis contrarium dixerint Archidiac. & Ancharan. *in d. cap.* 1. *de Usuris.*

43. *Quær.* An dictæ pœnæ contra locantes domus suas publicis Usurariis habeant locum etiam contra locantes domus Judæis? *Resp.* Plurimos Doctores tenuisse, eas procedere etiam contra eos, qui locant domus etiam Judæis, si ipsi non sint admissi ex licentia Papæ saltem tacita. Bonac. *de Censur. particul. disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 1. *num.* 2. At contrarium communiter tenent Moderni, ut ait Azor. *d. tom.* 3. *lib.* 5. *tract. de Usura cap.* 18. §. *Tertia Pœna.* Clarus §. *Usura, vers. Hæc autem.* Imò sic fuisse declaratum ab Eugenio VI. ait Tabiena *verb. Usura* 1. *quæst.* 5. *vers.* 8.

44. *Quer.* An dicti locatores, qui domus publicis Usurariis ad fœnerandum locant, alia pœna se adstringant? *Resp.* Se adstringunt ad onus restitutionis Usurarum, si, & quatenus ab ipso Usurario restitutio non fiat, nam directè cooperantur ad Usuras. Tabiena *verb. Usura* 1. *quæst.* 1. Sylvest. *Verb. Usura* 9. *quæst.* 22.

45. *Quær.* An publicus Usurarius, qui est ad pœnitentiam conversus, & fecit restitutionem, remaneat irregularis? *Resp.* Non remanere, sed irregularitatem per pœnitentiam, & restitutionem, seu cautionem de restituendo auferri. Salas *de Usur. disp.* 47. *num.* 1. Cevall. *comm. contra comm. qu.* 11. *num.* 5.

46. *Quær.* An etiam Testamentum Judæorum Usuras exercentium sit ipso jure nullum? Negativè, quia nullitas testamenti afficit Usurarium fidelem, non infidelem. Ita Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *qu.* 15.

47. *Quær.* Quam animadversionem Episcopus teneatur adhibere contra hoc fœnoris crimen? *Resp.* Tenetur Usurarios à tanto crimine compescere per viam excommunicationis. *cap. Præterea, & cap. Tuas. de Usuris.*

48. *Quær.* Qua ratione sint cohibendi Judæi ab iniquo Usurarum exercitio? *Resp.* Prohibendo Christianis, ne cum eis commercium habeant sub pœna excommunicationis. *cap. Post miserabilem* 12. *cap. Quanto* 18. *de Usuris.*

49. *Quær.* An licitè Judæi exerceant Usuras cum Christianis, & absque peccato? *Resp.* Negativè, nam nullo pacto permissum est eis, usuras imponere Christianis, ut disputant, & tenent Theologi, quos refert Marquard. *de Judæis cap.* 11. *num.* 3. *part.* 1. Farinac. *in Fragment. litter. I. num.* 667. Honorat. Leotard. *de Usuris qu.* 100. *num.* 32. & Rota *part.* 5. *recent. decis.* 301. *à num.* 31. *& seqq.* ubi copiosè agit de hoc Quæsito. Illud autem, quod scriptum est in *Deut.* 23. *Non fœnerabis fratri tuo &c. sed alieno*; interpretationem recipit de Chananæis, qui erant finitimi ipsis Judæis procedentibus ad Terram promissionis, nam cùm Dominus Deus permiserit Hebræis devastationem terræ Chananæorum ob eorum iniquitates, etiam ad usuram eis aliquid dare poterant; erant enim adepturi omnia bona Chananæorum. Cæterùm, non ita est de Christianis, qui eorum proximi sunt, nam eundem Deum colunt, in eos faciunt misericordiam, illos apud se permittendo; & ideò non possunt absque peccato usuras cum Christianis inire, ut doctè probat Marquard. *d. part.* 1. *cap.* 11. *per totum.* Et his patet gravitas hujus facinoris Usurarii.

CAPUT LXXX.

De monte Pietatis.

1. *QUær.* Quid sit Mons Pietatis, *Resp.* Est quædam summa pecuniæ, seu alterius rei usu consumptibilis, deputata ad subveniendum pauperibus, quibus ex ea mutuum datur, accepto ab ipsis pignore ad certum tempus cum pacto, ut mutuatarius pro rata temporis, quo pignus non reluerit, solvat aliquid pro sustentatione Ministrorum deputatorum ad hoc opus, & aliis expensis necessariis. Et si Mutuatarius non solverit tempore præfixo, pignus sub hasta venditur, de cujus pretio satisfit Monti, ac Ministris; & si quid est reliquum, domino pignoris restituitur. Nicol. *in Elucubrat. utriusque Juris tom.* 1. *tit.* 15. *num.* 13. *lib.* 3. *pag.* 264.

2. *Quær.* An Montes Pietatis, in quibus pro mutuata pecunia aliquid nomine expensarum exigitur, sint liciti? *Resp.* Affirmativè, si pro necessariis tantùm expensis exigatur. Leotard. *de Usur. qu.* 22. *num.* 33. & sic statutum à Leone X. in Concil. Lateranen. *sess.* 10.

3. *Quær.* An committant Usuram Gubernatores Montium Pietatis aliquid magis recipientes ex pecunia mutuata? *Resp.* Negativè, nam illud magis recipitur ratione expensarum. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 38. *num.* 7.

4. *Quær.* An liceat aliquid parvum ultra necessarias expensas exigere saltem pro ipsius Montis augmento? *Resp.* Negativè, & si exigatur, restitutionis est obligatio, ut omnes DD. testantur apud d. Leotard. *d. qu.* 22. *num.* 33.

5. *Quær.* Quam pœnam incurrant Officiales Montis Pietatis distrahentes pecuniam in alios, quàm pauperum usus, ad quos destinata est? *Resp.* Incurrunt in excommunicationem Papæ reservatam per Bullam Pauli V. de anno 1615. incipit *Onerosa.* Quòd si distrahentes fuerint Cardinales, vel Episcopi, incidunt in suspensionem, *ut Constitut.* 82. Nicol. *dict. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 15. *de Monte Pietatis. num.* 13.

6. *Quær.* An possit aliquid ultra sortem exigi à pauperibus mutuatariis, si Mons habeat alios reditus, quibus possit solvere mercedem Ministris? *Resp.* Negativè, ut respondit Sac. Congregatio anno 1604. Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 15. *pag.* 264. *col.* 2. *sub num.* 13.

7. *Quær.* Quantum possit exigi pro expensis Montis? *Resp.* Tria pro centenario, vel quatuor ad summum. Sac. Congregatio apud Nicolium *ubi supra*, quæ etiam

etiam respondit, esse attendendam solam expensarum necessitatem, adeò, ut alicubi non liceat exigere nisi unum, aut duo pro centum.

8. *Quær.* Quid faciendum de pecunia, quæ in fine anni supereſſet ex exactionibus prædictis? *Resp.* Danda est in eleemosynam pauperibus. Sac. Congregatio 1615. *ibidem apud* Nicolium.

9. *Quær.* An liceat alicui diviti mutuare pecuniam Monti, ut ab ipso Monte aliquod utile recipiat? *Resp.* Negativè. Sac. Congregatio, *ubi supra apud* Nicol. *sub. d. num.* 13.

10. *Quær.* An statim post annum sint pignora vendenda? *Resp.* Esse expectandum per alium mensem, & facta venditione terminus octo dierum est concedendus domino pignoris ad illud redimendum. Sac. Congregatio *ubi supra.* Quod hic Patavii ad amussim servatur.

11. *Quær.* Ad quem spectet confirmatio Officialium Montis? *Resp.* Spectare ad Episcopum, vel ejus Vicarium generalem; nam & causæ, quæ contra dictos Officiales intentantur occasione Montis, spectant ad forum Ecclesiasticum privativè, Sac. Congregatio 28. *Januar.* 1640. *apud.* Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 10. *pag.* 265. Quòd Paduæ non servatur, quamvis leges Montis in ejus Institutione recognoverint præcipuam Episcopi auctoritatem, in cujus exercitio, quo Jure nescitur, tunc deficit Episcopus.

12. *Quær.* Quæ, & quot sint peccata, quæ committi possunt à Ministris Montium Pietatis? *Resp.* Esse videndas meas Decisiones *d. Anni* 1685. *Mense Majo quæsito* 3. ubi explicavi materiam Montium Pietatis abundanter.

CAPUT LXXXI.

De Commodato.

1. *Quær.* Quid sit Commodatum? *Resp.* Est alicujus rei ad certum usum concessio, absque translatione dominii, seu possessionis cum spe, ut eadem res in specie, non autem alia ejusdem generis, restituatur ad præfixum diem. Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 18. *pag.* 266. Gonzalez *in Comment. ad cap. Unic. num.* 1. *de Commodato.*

2. *Quær.* Si in commodato non sit præfixa dies ad restituendum, quando sit facienda restitutio? *Resp.* Finita occasione, ob quam fuit res data in commodatum: quòd si ex natura rei non posset cognosci finis occasionis, tunc petente domino restitutio erit facienda. Nicol. *ubi supra num.* 18.

3. *Quær.* Quanto tempore commodatarius possit detinere dolium commodatum, si de tempore non fuit facta mentio? *Resp.* Per annum. Nicol. *ubi supra num.* 18. nam per tantum tempus servatur vinum.

4. *Quær.* An commodatarius possit cogi ad restituendam rem commodatam ante tempus permissum? *Resp.* Negativè, quia juvari nos convenit beneficiis, non autem decipi. *cap.* 1. *de Commod.*

5. *Quær.* An pro re commodata lucrum possit recipi? *Resp.* Affirmativè, sed non erit amplius commodatum, sed locatio, aut contractus innominatus, do, ut des. *l.* 1. §. *Si quis servum. ff. Depos. l. Naturali* 5. *ff. de Præscript. Verbis.*

6. *Quær.* In quibus differat mutuum à commodato? *Resp.* In quatuor. Primo, quia in mutuo transfertur dominium, & possessio rei. Secundò, præstatur casus fortuitus. Tertiò, eadem res in specie non redditur. Quartò, res datæ usu consumuntur: At totum contrarium servatur in commodato.

7. *Quær.* An Commodatum stare possit in re, quæ usu consumitur? *Resp.* Negativè regulariter. An in uno casu stare potest, quando res illa accipitur ad pompam, non ut consumatur; ut si sponsus accipiat pecuniam ostendendam affinibus suis. *lib.* 3. §. *fin. ff. Commodati.*

8. *Quær.* Si res commodata pereat, de qua culpa commodatarius teneatur? *Resp.* Teneri de dolo, lata, levi, & levissima culpa, non tamen de casu fortuito; nisi mora, culpa, vel pactum præcesserit. *l. In rebus*, 18. *ff. Commodat. cap.* 1. *eodem.* Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 21. Gonzalez *in d. cap. Unico, num.* 2. *de Commodato.*

9. *Quær.* Si Commodatarius promisit, servare indemnem ipsum commodantem de re commodata, an teneatur ad casum fortuitum? *Resp.* Negativè, quia iste casus non venit sub verbis generalibus, sed est præcisè deducendus in pactum. Nicol. *ubi supra d. num.* 21.

10. *Quær.* Cujus debeat esse damnum rei pereuntis ex casu fortuito, quando contractus initus est in gratiam utriusque partis? *Resp.* Damnum esse dividendum pro medietate. Dian. *par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 10. Quæ in Coord. est *tom.* 6. *tract.* 3. *resol.* 121.

11. *Quær.* Quæ regula sit in Jure ad cognoscendam culpæ obligationem in accipientem? *Resp.* Si contractus est in gratiam dantis tantùm, accipiens tenetur solùm de dolo, & lata culpa. Si in gratiam utriusque; de lata, & levi culpa tenetur. Si in gratiam accipientis tantùm; de lata, levi, & de levissima. *l. In rebus, & l. Si ut certo*, §. *Nunc videndum. ff. Commodati.* Casus autem fortuitus non obligat, nisi ex pacto, culpa, aut mora accipientis. Navarr. *cap.* 17. *num.* 178. Gonzalez *ubi supra num.* 7.

12. *Quær.* An incendium præsumatur ortum fortuitò, vel ex culpa? *Resp.* Præsumi ortum ex culpa levissima inhabitantium; undè ipsi tenentur ad restitutionem rerum, quæ ex contractu in gratiam ipsorum tantùm acceperunt, V. g. commodato. Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 23. Quòd si probent incendium ortum fortuitò, vel absque eorum culpa levissima, ad nihil tenentur. Barbos. *de Off. & Potestate Episcopi alleg.* 51. *num.* 75.

13. *Quær.* An Commodatarius possit retinere rem commodatam pro aliquo alio credito suo contra commodantem? *Resp.* Nega-

Negativè, nisi creditor factus sit ratione expensarum magnarum in re commodata factarum. *l. In rebus*, 18. §. *Possunt*, *ff. Commodati.*

14. *Quær.* An sit Commodatum præstare rem non ad certum usum, vel tempus, sed quousque Domino placuerit? *Resp.* Non esse commodatum, sed precarium, & potest quandocunque revocari; nisi esset cum damno accipientis. *l. Cum precario*, 12. *ff. de Precario.*

15. *Quær.* Ad quid teneatur accipiens ad Precarium? *Resp.* Teneri de dolo, & lata culpa tantùm; & ratio est, quia dominus potest ad sui libitum rem revocare. *l. Quæsitum*, §. *illud*, *ff. de Precario.* Bonacin. *de Contract. disp.* 3. *qu.* 1. *punct.* 6. *num.* 5. *tom.* 2. Gonzalez *in d. cap. Unico*, *num* 8. *de Commodato*, ubi alias differentias notat inter Commodatum, & Precarium.

16. *Quær.* An qui commodat alteri pecuniam suam non ad usum, sed ad pompam, possit ex hoc accipere lucrum? *Resp.* Affirmativè; quia non est mutuum, aut commodatum; sed locatio illius materialis pecuniæ. Leotard. *de Usur. qu.* 34. *à num.* 8. *& seqq. ubi DD.*

17. *Quær.* An Commodatarius teneatur restituere lucrum, quod ex re commodata percepit? *Resp.* Affirmativè, quia domino rei cedere debet: ideò, si eam locasset alicui, vel partus natus esset, ad dominum rei spectabit. *l.* 13. §. *Si quem quæstum. ff. Commodati.* Leotard. *de Usur. d. qu.* 34. *num.* 20.

18. *Quær.* An Commodatarius teneatur restituere lucrum habitum ex negotiatione pecuniæ in commodatum ad pompam acceptæ? *Resp.* Non teneri, quia illud lucrum provenit ex sua industria, ut probat ipse Leotard. *de Usuris d. quæst.* 34. *num.* 21. aliàs dictus Commodatarius esset deterioris conditionis, quàm fur, qui ob rem furtivam non tenetur restituere lucrum habitum ex sua Industria. Idem Leotard. *tota qu.* 96.

CAPUT LXXXII.

De Pignore.

1. *Quær.* Quid sit Pignus? *Resp.* Est res mobilis, vel etiam res immobilis à debitore creditori tradita pro securitate, donec ei de debito satisfiat. Nicol. *dict. lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 38.

2. *Quær.* In quo differat Pignus ab Hypotheca? *Resp.* In hoc propriè differre, quòd Pignus plerumque consistit in rebus mobilibus, & traditur creditori; Hypotheca verò stat in rebus immobilibus, & remanet penes debitorem. Bonacin. *de Restit. disp.* 1. *quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 3. Et est Tex. *in cap. Cum contra*, 6. *de Pignoribus*, & ibi Gonzalez *num.* 6.

3. *Quær.* Quæ res prohibeantur pignori dari? *Resp.* 1. Res Ecclesiasticæ, pupillorum, & minorum. *cap.* 1. *de Pignor.* 2. Liber homo. *cap.* 2. *de Pignor. l. Qui filios.* 6. *C. Quæ res pign.* Potest tamen dari obses causa belli evitandi. Bonacin. *de Contract. disp.* 3. *quæst.* 10. *punct.* 1. *num.* 4. 3. Res litigiosa. *lib.* 1. *ff. Si res pignor.* 4. Instrumenta ad agriculturam deputata. *l. Pignorum* 8. *cum auth. seq. C. Quæ res pignor.* 5. Servitutes urbanorum prædiorum, si aspectus Urbis, ex iis deformetur. *l. Si iis*, §. *fin. ff. de Pignor.* Et 6. Res aliena. Secùs si sit communis, quia debitor rem pro parte sua obligare posset. *lib.* 1. §. 1. *ff. de Pignorib.* Nicol. *ubi supra num.* 39.

4. *Quær.* Ad cujus favorem cedat fructus rei Pignori datæ? *Resp.* Ad favorem debitoris; & non solùm fructus percepti, sed etiam fructus percipiendi, & ex negligentia creditoris etiam non percepti. *l.* 1. *C. de Distract. Pignor.*

5. *Quær.* Si debitor majorem partem debiti solvit, an possit repetere suum pignus? *Resp.* Si pignus consistit in re indivisibili, non potest. *l. Quandiu*, *C. de distract Pignor.* Secùs si pignus consistat in pluribus rebus divisibilibus. Rota apud Cencium *decis.* 69. *num.* 7.

6. *Quær.* Ad quam culpam teneatur creditor circa Pignus? *Resp.* Teneri ad levem culpam, nisi ex pacto se obligasset ad levissimam, & ad casum fortuitum. Nicol. *ubi supra num.* 44. *dict. lib.* 3. *tit.* 15.

7. *Quær.* Quando creditor possit vendere Pignus? *Resp.* Quatuor sunt casus distinguendi. 1. Quando fecit pactum cum debitore, ut si intra tantum tempus non solverit, possit vendere; & in hoc casu, transacto tempore, vendere potest absque alia licentia, quia dies interpellat pro homine. *l. Magnam*, 12. *C. de Contrab. stipul.* 2. Si de venditione non fuit conventum, debet à Judice sibi assignare facere tempus ad vendendum. *l. fin.* §. *Sin autem nulla pactio C. de Jure dom. impetr.* 3. Si pactum fuit de non vendendo, nihilominùs, debitore non solvente, poterit sibi assignare facere terminum, in quo possit vendere, à Judice, *d. l. fin.* 4. Quando creditor non reperit emptorem, & tunc petet à Judice, ut pignus sibi judicet insolutum. Sed quod supra creditum suum est, solvet debitori, *dict. l. fin.* §. *Sed & si quidem minus.*

8. *Quær.* An valeat pactum Legis Commissoriæ in Pignore; videlicet, quòd nisi debitor solvat intra certum tempus, pignus statim fiat ipsius creditoris irrevocabiliter? *Resp.* Regulariter non habere locum in Pignore tale pactum. At si absque fraude tale pactum apponeretur in pœnam, & Pignoris pretium non excederet multam summam debiti, valeret; aliàs secus, quia excessus valoris pignoris esset debitori restituendus. *l. Si fundus*, §. *fin. ff. de Pignor.* Navar. *cap.* 17. *num.* 217. Bonacin. *de Contract. disp.* 3. *qu.* 3. *punct.* 8. *num.* 2. Nicol. *lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 27.

9. *Quær.* An creditor possit aliquando sibi retinere fructus pignoris? *Resp.* Affirmativè, quando scilicet ex dilata solutione damnum patitur, & de hoc fecit pactum cum debitore. Salas *de Usuris dub.* 28. *num.* 2. Leotard. *d. Usur. qu.* 98. *num.* 45.

CAPUT LXXXIII.

De Depoſito.

1. *Quær.* Quid ſit Depoſitum? *Reſp.* Eſt contractus, quo ſola rei cuſtodia traditur. *l.* 1. *ff. Depoſiti.* Nicol. *dict. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 29.

2. *Quær.* Quotuplex ſit Depoſitum? *Reſp.* Eſt duplex. Judiciale, & Privatum. Judiciale verò ſubdividitur; aliud enim eſt Activum, quando debitor offert pecuniam creditori, & eo recuſante accipere, illam deponit in loco publico ex Judicis decreto. *l. Acceptatam* 19. *C. de Uſuris*; & hoc depoſitum liberat debitorem à caſu fortuito, & ab omni intereſſe; nam habet vim liberationis, & ſolutionis. *l. Obligatione* 9. *C. de ſolut.* Rota *coram Ludoviſ. deciſ.* 146. Aliud Judiciale depoſitum vocatur Paſſivum, dum res litigioſa deponitur apud ſequeſtratarium, donec ex cauſæ cognitione conſtet, cui debeatur: & interim neque Actor, neque Reus poſſidet. *l. Propriæ*, 6. *ff. Depoſiti. l. Licet*, 17. *ff. eod.* Item Judiciale depoſitum dividitur, quòd aliud ſit voluntarium, dum partes concorditer rem litigioſam ſub ſequeſtro deponunt; & aliud neceſſarium, quando Judex decernit, rem ſequeſtrandam; & hoc jubere non debet niſi ex juſta cauſa, quia nemo invitus debet ſua poſſeſſione privari. *l. Unica. C. de Prohibita ſequeſtrat. pecun.* Nicol. *ubi ſupra num.* 31.

3. *Quær.* Quæ ſit juſta cauſa decernendi ſequeſtrum? *Reſp.* Timor dilapidationis, vel ſi debitor vergit ad inopiam. *l. Si cum dotem.* 22. §. *Sin autem. ff. Solut. Matrim.*

4. *Quær.* Quando ſit revocandum ſequeſtrum Judiciale? *Reſp.* Ubi datur cautio de ſolvendo in caſu ſuccumbentiæ, præterquam in lite ſuper beneficiis; nam tunc ſequeſtrum debet ſtare usque ad finem litis. Otthobon. *deciſ.* 69.

5. *Quær.* Quale ſit Depoſitum Privatum? *Reſp.* Quando quis ſponte rem ſuam deponit apud aliquem, & tria requiruntur, ut ſit depoſitum. *Primò*, ut eadem res reſtituatur; aliàs eſſet mutuum, & periret damno depoſitarii. *Secundò*, ut cauſa cuſtodiæ tradatur; aliàs eſſet commodatum. *Tertiò*, ut ſit gratuitum; aliter eſſet locatio, & conductio. *l.* 1. §. *Si veſtimenta*, *ff. Depoſiti.* Rota *coram Ludoviſ. dict. deciſ.* 146 *num.* 16.

6. *Quær.* An depoſitarius poſſit uti re depoſita? *Reſp.* Negativè, & ſi utatur, furtum committit. *l. Si ſacculum*, 29. *ff. Depoſiti. l.* 2. *C. eod.*

7. *Quær.* An depoſitarius poſſit retinere ſibi depoſitum titulo compenſationis alicujus ſui crediti? *Reſp.* Negativè adeò, ut etiam latroni ſpolia depoſita ſunt reſtituenda. *l.* 1. §. *Si prædo. ff. Depoſiti.* Secùs tamen eſſet in foro conſcientiæ ex Diana apud Nicolium *d. lib.* 3. *tit.* 15. *ſub num.* 33.

8. *Quær.* De qua culpa teneatur depoſitarius? *Reſp.* De culpa lata, quæ æquiparatur dolo. *l.* 1. §. *Quoniam. ff. Depoſiti.* Nicol. *d. tit.* 15. *num.* 34.

9. *Quær.* An depoſitarius teneatur aliquando de leviſſima culpa? *Reſp.* Affirmativè. 1. Quando ſe obtulit depoſito. *l.* 1. §. *Sæpè evenit*, *ff. Depoſit.* 2. Quando fuit in mora reſtituendi. Imò tenetur de caſu fortuito, ſi ſe obligavit ad illum, vel culpa præcesſit caſum. Ludoviſ. *dict. deciſ.* 146.

10. *Quær.* An Sacerdotes Sæculares poſſint eſſe depoſitarii pecuniæ, vel ærarii publici? *Reſp.* Affirmativè, dummodo non faciant officium exactoris. Sac. Congregat. apud Nicolium *ubi ſupra numer.* 35.

11. *Quær.* An Moniales poſſint recipere in depoſitum bona ſæcularium? *Reſp.* Affirmativè, de licentia tamen Epiſcopi. Sac. Congregat. apud Nicolium *ubi ſupra num.* 35.

12. *Quær.* An Capuccini poſſint tenere in depoſitum pecuniam alicujus perſonæ? *Reſp.* Negativè, quia eis prohibitus eſt contractus pecuniæ non ſolùm moralis, ſed etiam phyſicus. *cap. Exiit*, *qui ſeminat.* §. *Ad majorem autem*, *de Verbor. Signific. in* 6. Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 35.

13. *Quær.* Ad quid teneatur depoſitarius recuſans ſolvere depoſitum? *Reſp.* Si negavit depoſitum, & convincatur de eo, condemnatur in duplum. *l.* 1. §. 1. *&* §. *Quæ depoſitis*, *&* §. *Item Pomponius ff. Depoſiti.* Et ulteriùs efficitur infamis. *l. Qui Depoſitum*, 10. *C. Depoſiti.*

14. *Quær.* An depoſitarius poſſit aliquid prætendere pro cuſtodia depoſiti? *Reſp.* Negativè, niſi expenſas neceſſarias, quas feciſſet pro conſervatione rei depoſitæ *l. Actione* 23. *ff. Depoſit.* Leotard. *de Uſur. quæſt.* 37.

CAPUT LXXXIV.

De Solutione Indebiti.

1. *Quær.* Quid ſit ſolutio indebiti? *Reſp.* Eſſe, quando alicui per errorem ſolvitur tanquam debitum, quod re vera non debetur. Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 14.

2. *Quær.* Quot modis aliquid dicatur indebitum? *Reſp.* Quatuor modis.

Primò, quod eſt indebitum civiliter, ſed debitum naturaliter; ut ex nudo pacto, vel teſtamento minùs ſolemni. Et tunc non datur repetitio, niſi ſolvens eſſet pupillus, aut miles, aut minor, aut ruſticus, aut alia perſona, quam Juris ignorantia excuſaret. *l. Cum quis* 10. *& ibi Gloſſ. C. de juris*, *& facti ignoran.*

Secundò, quod eſt indebitum naturaliter, ſed debitum civiliter; ut in debito chirographi cum ſpe futuræ remunerationis facti, & in quocunque alio debito poſt pactum de non petendo. Et hoc indebitum, ſi ſolvatur, ſive per errorem juris, ſive per errorem facti, ſemper repeti poteſt. Gloſſ. & DD. *in l.* 1. *ff. de Condit. indebiti.*

Tertiò, quod eſt indebitum naturaliter, & civiliter, ut ſi ſolvam tibi decem, credens, Patrem meum illa tibi debuiſſe, quod

cùm

cùm reperiam, non esse verum, semper datur repetitio: *DD. in d. l. 1.*

Quartò, quod est indebitum ope exceptionis: ut si verè ego sim tuus debitor, sed habeam aliquam exceptionem, qua possim me tueri, ne solvam. Nicol. *d. lib. 3. tit. 15. num. 15.*

3. *Quær.* Quæ, & quotuplex sit hæc exceptio? *Resp.* Est quadruplex.

Prima est exceptio temporis, ut si debeam tibi centum, sed tantummodo post annum, nam possum recusare solutionem; sed si solvero ante tempus, non datur repetitio. *l. in diem 10. ff. de Cond. indeb.*

Secunda est exceptio perpetua, quæ, si est favorabilis, ut Senatus Consulti Vellejani, per quod mulier fidejubendo non obligatur; &, si per errorem solvat, potest repetere. Quòd si sit odiosa, nempè S. C. Macedoniani, per quod filius familias mutuum accipiens non tenetur; si solvat, repeti non potest. *l. Qui exceptionem 40. ff. de Cond. indebiti.*

Tertia est exceptio dubia, ut si debeam sub conditione; nam si ante conditionem solvero, possum repetere, secùs si conditio supervenerit. *l. Sub conditione. ff. eod.*

Quarta est exceptio Epistolæ Divi Adriani, per quam, si plures sint fidejussores unius debitoris, nemo tenetur, nisi pro sua portione; at si unus totum solverit, non potest repetere à creditore, cui solvit, sed à confidejussoribus suis. Item qui à jure habet privilegium, ne conveniatur ultra id, quod facere potest, ut maritus pro dote, donator pro donatione, Sacerdos, aut Doctor pro quocunque debito. At, si hi totum solverint per errorem, repetere non possunt. *l. Quod nostræ 8. ff. de Condit. indeb.* Nicol. *l. d. lib. 3. tit. 15. num. 15.*

4. *Quær.* Ad quid teneatur, qui recepit indebitum? *Resp.* Si à sponte offerente recepit, tenetur conditione indebiti ad restitutionem: si verò simulavit se creditorem, & exegit instando, & urgendo, tenetur furti. Bart. *in l. Falsus 53. ff. de Furtis.* Nicolius *d. lib. 3. tit. 15. num. 17.*

CAPUT LXXXV.

De Stipulatione.

1. *Quær.* Quid sit Stipulatio? *Resp.* Est contractus juris civilis nominatus, & stricti juris, ad cujus substantiam, ultra consensum, requiritur quædam verborum solemnitas, ut scilicet interrogatio præcedat, & sequatur responsio. *l. 1. ff. de Verb. Oblig.* Nicol. *tom. 1. lib. 3. tit. 16. num. 1.*

2. *Quær.* Quæ requirantur ad Stipulationem? *Resp.* Novem requiri. 1. Consensus. *l. 1. §. 3. ff. de Pactis.* 2. Ut præcedat interrogatio, & sequatur responsio *d. l. 1. ff. de Verb. Oblig.* 3. Ut uterque contrahentium loquatur; ob id mutus, & infans stipulari non potest. *l. 1. §. Si quis, ff. eod.* 4. Ut partes se audiant, & intelligant, vel per se, vel per interpretem, ut si unus loquatur Græce, alter Latinè. *d. l. 1.* 5. Ut responsio fiat incontinenti, aut post modicum intervallum. *d. lib. 1.* 6. Ut responsio sit conformis interrogationi. *d. lib. 1. §. Si quis simpliciter.* 7. Ut fiat inter præsentes. *§. Item verborum. Inst. de Inutilib. Stipul.* 8. Ut stipulatio contineat aliquid fieri, vel dari. *l. 2. ff. eod.* 9. Ut quis promittat factum suum, non alienum. *l. Stipulatio ista 38. ff. de Verb. Obligat.* Ita Nicol. *d. tit. 16. num. 3.*

3. *Quær.* An ad validitatem Stipulationis sit necessaria scriptura? *Resp.* Negativè; sed solùm ad majorem comprobationem, *l. 1. C. de Usuris.*

4. *Quær.* Quot modis fieri possit Stipulatio? *Resp.* Tribus modis, nempè pura, in diem, & sub conditione. *§. Omnis stipulatio. Inst. de Verb. Oblig.*

5 *Quær.* An debitor, adveniente die solutionis, statim sit adstringendus ad illam? *Resp.* Posse concedi aliquem terminum Judicis arbitrio, quia nemo debet stare cum sacco paratus. *l. Quod dicimus 105. ff. de Solution.* Decius *in l. In omnib. ff. de Reg. Jur.*

6. *Quær.* An sint termini assignati à jure ad solvendum? *Resp.* Tres esse terminos. Primus decem dierum simplici Promissori. *l. Promissor. 21. §. 1. ff. de Constit. pecunia.* Secundus unius anni in restitutione dotis. *l. 1. §. Cum autem, de rei uxor. act.* Tertius quatuor mensium ad solvendum id, in quo quis fuit per sententiam condemnatus. *l. ultim. §. fin. C. de Usur. rei jud.* sed hic terminus ex justa causa potest à Judice vel prorogari, vel coarctari. *cap. Quod ad consultationem 15. de Sent. & re judic.*

7. *Quær.* Si quis promisisset mihi, solvere centum Anno 1697. quando possim ea petere? *Resp.* Prima die Anni 1698. quia totus annus 1697. est ad favorem debitoris. *l. Eum qui certarum 138. ff. de Verb. Obligat.* Nisi fortè promissio esset ad piam causam, quia statim solvi debet. Tiraquell. *de Privileg. Piæ causæ. Privileg. 22.* At si annua sit solutio facienda; puta promittis mihi decem solvere singulis annis, donec vivam? In hoc casu debentur semper in principio uniuscujusque anni. *§. At si ita. Inst. de Verb. Obligat.* Unde versus memoriæ tenendi:

Anno si debes, in fine teneberis anni.
Annua si debes, tunc inspicies caput anni.

8. *Quær.* An Vidua possit consequi legatum relictum ei à marito sub hac conditione, si non nupserit? *Resp.* Affirmativè, sed præstita cautione, quæ Mutiana appellatur, de non nubendo. *Auth. Cui relictum. C. de Ind. vid. toll.* Rota *coram Ludov. decis. 187.*

9. *Quær.* Cùm sæpè in stipulationibus partes teneantur ad interesse; quotuplex sit interesse? *Resp.* Interesse est triplex, *Conventum, Commune, & Singulare.* Interesse conventum est, quod inter partes à principio taxatum, & conventum est; quod propriè pœna dicitur. Commune est, quod ab omnibus communiter æstimatur. *l. Pretia rerum 63. ff. ad Leg. Falcidiam.* Singulare est, quoties una res plus valet uni personæ, quàm

quàm aliis omnibus propter certam illis rei qualitatem; & hoc interesse singulare est duplex: Unum simplicis actionis, ut si quis habeat collare donatum ab Amasia, quod valet unum Julium, sed æstimatur ab habente respectu illius, quæ dedit, centum Julios; & in hoc casu attenditur valor verus rei, non æstimatio domini. *l. Pretia rerum. & l. Si servum* 33 *ff ad Leg. Aquil.* Aliud est interesse actionis ob utilitatem, ut liber proprio calamo scriptus valeret decem Julios, sed ob diligentiam, laborem, & studium Auctoris, qui scripsit, eum æstimat centum Julios, & in hoc casu augetur æstimatio interessis communis ad duplum. Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 16. *num.* 26.

10. *Quær.* Quomodo probetur interesse à petente? *Resp.* Si petat interesse ratione delicti, aut agit contra delinquentem, & statur juramento petentis; & sic, si quis agat contra furem, qui furatus est ei crumenam; aut contra cauponem, cui fuit consignata Valisia clausa, & eam restituit apertam; statur juramento petentis circa summam pecuniæ, quæ erat in bursa, aut rerum, quæ erant in Valisia. Aut agit contra alios, qui tenebantur impedire delictum; & tunc oportet probare concludenter summam interessis. *l. Aliquando* 9. *C. Unde vi, & cap. fin. de his, quæ vi.* Porrò Menochius docet, in his habere locum arbitrium Judicis circa modum probationis, attentis circumstantiis. *De Arbitrar. Jud. cas.* 120.

11. *Quær.* An sint casus, in quibus valeat Promissio, & Stipulatio de facto alieno? *Resp.* Esse septem casus. 1. Quando talis promissio facta est sub pœna. 2. Si promittat, quis factum sui hæredis. 3. Si promittat, quòd nemo inquietabit emptorem fundi. 4. In stipulationibus Prætoriis, quando quis spondet, vel quòd reus se præsentabit ad carceres, vel stabit Judicio. 5. Quando promisit factum alterius cum Juramento. 6. Quando promisit aliquid faciendum ab alio, quod ipse erat facturus. Et 7. quando promittit expresse se curaturum, ut alter faciat: & in hoc casu, dum fecit, quantum potuit, liberatur, nisi sit pœna adjecta; nam eam solvere tenetur. §. *Versa Vice. Inst. de Inutilib. Stipulat.* Nicol. *ibid. dict. lib.* 3. *tit.* 20. *num.* 4.

CAPUT LXXXVI.

De Assecuratione.

1. *Quær.* Quis, & qualis contractus sit Assecuratio? *Resp.* Est contractus, quo quis ob pretium, vel aliud interesse suscipit in se periculum rei alienæ in totum, vel in partem; obligando se ad reddendam illius æstimationem, si res tota perierit; vel ad restitutionem partis, juxta conventionem factam. Nicol. *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 21. *num.* 19.

2. *Quær.* Quæ requirantur ad Justitiam hujus contractus Assecurationis? *Resp.* Tria requiruntur. *Primum*, Justum pretium. *Secundum*, Admonitio de veris periculis. *Tertium*, quòd re vera res assecurata existat in periculo. Nicol. *ubi supra* ubi Bonac. *punct.* 3. *de contract. disp.* 3. *qu.* 9. *tom.* 2.

3. *Quær.* An Assecurans teneatur ad damnum, si tempore initæ Assecurationis, dominus rei sciebat, jam illam periisse? *Resp.* Negative, quia res non erat ampliùs in periculo, Rota *coram Ludovis. decis.* 126.

4. *Quær.* Quale dicatur justum pretium in Assecuratione? *Resp.* Illud dici pretium justum, quod est taxatum à lege, vel à communi hominum æstimatione, consideratis periculis, quantitate, & qualitate rei. Ideò majus pretium accipi potest in Assecuratione navis ob majus periculum naufragii, quàm in Assecuratione capitalis in mercatura. Bonacin. *ubi supra num.* 3.

5. *Quær.* An liceat obligare mutuatarium ad Assecurationem pecuniæ mutuatæ, & in mercaturam expens[illegible]? *Resp.* Negative, quia Assecuratio debet esse voluntaria, non necessaria; alias committitur usura. *cap. Navigantì, de Usuris*, Navarr. *in Manual. cap.* 17. *num.* 283.

6. *Quær.* An possit Assecurationem inire ille, qui per Astrologiam scit hoc tempore non esse futuras tempestates in mari: vel per litteras amicorum certus factus est, mare esse expurgatum à Piratis; eodem pretio, quo faciunt alii, qui talem cognitionem non habent? *Resp.* Affirmativè, quia ejus scientia non debet illi obesse. Lessius, & Azorius apud Bonacin. *ubi supra.* Sed contrarium tenet ipse Bonacina; quia, ait: Assecuratio est contractus Sortis, & qui certus est de eventu, non se exponit periculo, & non innititur sorti.

7. *Quær.* An possit Assecuratio fieri de vita hominis? *Resp.* Affirmativè: & ideò, si ego mutuavi centum Titio per quinquennium; possum inire Assecurationem cum alio; ita, ut si Titius vivat, ego solvam Assecuratori quinque, aut decem pro centenario annuatim. At si moriatur; ille solvat mihi vel partem illius mutui, vel totum, juxta conventionem. Bonac. *ubi supra num.* 6.

CAPUT LXXXVII.

De Promissione cum obligatione in forma Cameræ.

1. *Quær.* Quid sit Promissio in forma Cameræ, seu cum obligatione Cameræli? *Resp.* Est obligatio, quam aliquis assumit ex quocunque legitimo contractu; sed cum quadam formula verborum, composita ex multis juridicis cautionibus, juxta diuturnum Romanæ Curiæ usum; vigore cujus formulæ debitores facilius per Judicem cogi possunt ad complenda promissa. Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 14. *num* 33. ubi exemplum, & formulam Obligationis Cameralis ponit per extensum.

2. *Quær.* Qualis sit clausula principalis hujus obligationis Cameralis? *Resp.* Quòd promittens se obligare censetur sub juramento, ex quo creditor habet executionem paratam;

tam; & ex sola interpellatione extrajudiciali facta debitori potest ab eo petere omnia damna, & interesse. Rota *apud Galles, & Zacchiam de Obligat. Cameral. decis.* 31. *num.* 7.

3. *Quær.* An possit dari absolutio ab hoc juramento ad effectum impugnandi contractum? *Resp.* Affirmativè; imò juxta stylum conceditur absque partis citatione. Galles *qu.* 25.

4. *Quær.* An alia vis insit huic Camerali obligationi? *Resp.* Inesse hypothecam omnium bonorum, tam præsentium, quàm futurorum. Rota *coram Othobon. decis.* 156.

5. *Quær.* Qualis sit effectus præcipuus hujus obligationis Cameralis? *Resp.* Reddere executionem paratam, sine mora formandi processum ordinarium. Zacchias *in Addit ad Galles quæst.* 2. *num.* 1. Quod idem est cum guarentigia, seu instrumento guarentigiato; illo scilicet, in quo Notarius exprimebat, qualiter debitor assumebat in se judicium, seu sententiam voluntariam, ita, ut creditor posset facere executionem absque alio judicio. Nicol. *ubi supra num.* 49. *dict. lib.* 3. *tit.* 14.

6. *Quær.* An contra obligatum in forma Cameræ possit executivè procedi ad carcerationem, non facta bonorum excussione? *Resp.* Affirmativè. *l. Abstinendum C. Quorum appellat. non recip.*

7. *Quær.* An obligato in forma Cameræ, & confitenti debitum debeat assignari terminus ad solvendum? *Resp.* De Jure ei competere terminum unius Mensis. Gallesius *qu.* 36. *num.* 35. Quem Judex potest restringere ad viginti, & etiam ad decem dies, si agatur de parva summa. *ibid. num* 36.

8. *Quær.* An obligatio Cameralis extendatur contra Tertium bonorum possessorem? *Resp.* Negativè, & ideò contra eum executivè procedi non potest. Rota *decis.* 47. *num.* 3. *& decis.* 96. *num.* 2. apud Gallesium.

9. *Quær.* Ubi possit convenirì debitor in forma Cameræ? *Resp.* In omni loco, & coram quocunque Judice. Zacchias *qu.* 7. *num.* 1. & sic non potest opponere exceptionem declinatoriam fori.

10. *Quær.* An Clerici obligati in forma Cameræ possint carcerari non excussis bonis? *Resp.* Affirmativè, ac etiam Episcopi, & alii in dignitate constituti; sed cum mandato A. C. Nicol. *in* 2. *tomo tit. de Solut. lib.* 3. *tit.* 23. *num.* 4. *Lucubrat. Canonicarum.*

11. *Quær.* Quas exceptiones possit opponere obligatus in forma Cameræ? *Resp.* Tres tantùm exceptiones. *Primam*, Nullitatis, seu Falsitatis. *Secundam*, Quietationis. *Tertiam*, Solutionis. Zacchias *quæst.* 17.

12. *Quær.* An in hac obligatione possit dari exceptio non numeratæ pecuniæ intra biennium? *Resp.* Negativè; & ideò etiam intra biennium mutuatarius debet probare, sibi pecuniam non fuisse solutam; & interim vel debet facere depositum, vel executio non retardatur. Zacchias ad Gallesium *qu.* 20. *num.* 2.

13. *Quær.* Quomodo admittatur exceptio nullitatis, seu falsitatis? *Resp.* Si ea resultet ex ventre Instrumenti, & Contractus, vel si incontinenti debitor eam probet. E. gr. si pupillus, vel minor se obligasset sine solemnitatibus. Gallesius *qu.* 3. *num.* 5.

14. *Quær.* Quomodo Quietationis exceptio intret? *Resp.* Si ex alio liquido credito debitor statim doceat, quietationem sibi à creditore deberi. *l. Debitor.* ubi Gloss. *in verb. mihi ff. de Neg. gest.* & præcipuè, si hoc creditum esset privilegiatum. Zacchias *qu.* 18. *num.* 15.

15. *Quær.* An detur appellatio à sententia contra obligatum in forma Cameræ? *Resp.* Dari ad effectum devolutivum, non autem suspensivum. Zacchias *qu.* 37. *num.* 47. nisi debitor confessus debitum suscepisset terminum ad solvendum; nam in hoc casu ad nullum effectum admittitur amplius appellatio. Zacchias *ibidem num.* 48.

16. *Quær.* An in aliquo casu detur appellatio etiam quoad effectum suspensivum? *Resp.* Affirmativè, quando Judicium fuit intentatum via ordinaria, quando Judex intulisset notorium gravamen, vel fecisset excessum in exequendo. Zacchias *d. qu.* 37. *num.* 35. 36. *&* 38.

CAPUT LXXXVIII.

De Fidejussione.

1. *Quær.* Quot sint genera personarum, quæ pro aliis fidejubere, id est, fidem suam interponere solent? *Resp.* Sunt quinque. 1. Mandator, ut si ego scribam tibi, ut des centum Petro, remaneo obligatus apud te pro illis centum, si Petrus ea non tibi restituat. *l. Si mandato meo*, 14. *ff. de Fidejussor.* 2. Constitutor, ut si ego constituam, etiam nudo pacto, me soluturum, quod alius debet. §. *De constituta* 9. *Instit. de Actionibus.* 3. Sponsor, qui sponte, & non rogatus pro alio fidejubet. *l. Qui patitur*, 18. *ff. Mandati.* 4. Expromissor, qui intercedit pro eo, qui non est efficaciter obligatus. *l. Si stipulationem* 5. §. *Satis acceptio, ff. de Verb. Oblig.* 5. Fidejussor, & proprie est ille, qui rogatus pro alio principaliter obligato intercedit, & accessoriè obligatur, *ut toto tit. de Fidejuss.*

2. *Quær.* In quibus obligationibus possit intervenire Fidejussor? *Resp.* In quacunque obligatione, tam naturali tantùm, quàm civili tantùm, nec non naturali, & civili simul. *l. Marcellus.* 25. *l. Ex persona* 33. *ff. de Fidejussor.*

3. *Quær.* An teneatur Fidejussor in contractu alienationis rei Ecclesiæ inito sine solemnitatibus? *Resp.* Negativè, quia cùm nullus sit contractus ipso jure, nulla quoque est promissio Fidejussoris. *l. Cum lex*, 47. *ff. eod.*

4. *Quær.* An Fidejussor recipiatur pro persona Rei à carceribus relaxanda ante sententiam? *Resp.* Negativè, ubi pœna corporalis venit infligenda. *l. Divus, ff. de Custod. & exhib. reorum.*

5. *Quær.* An sit auferenda pœna à Fidejussore, si sequestratus, pro quo fidejussit, discedat domo, sed statim revertatur? vel

Reus positus sub Fidejussione extra carceres, ut dicunt ad largam, discedat, sed revertatur statim? *Resp.* Negativè, ut respondit Sac. Congregat. apud Nicol. *tit.* 31. *num.* 4. *de Fidejuss.* Quod accidit in Episcopatu Paduæ in duobus carceratis pro Sancto Officio, qui aufugerunt; & cùm Fidejussores urgerentur ad pœnam Ducatorum 500. operati sunt, ut Rei reverterentur, qua facta reversione, fuerunt absoluti à pœna pecuniaria; sed Rei in arcta custodia clausi, paulò post fuerunt condemnati, & missi ad triremes.

6. *Quær.* Quot beneficia sint à jure introducta ad favorem Fidejussorum? *Resp.* Tria. *Unum* ordinis, seu excussionis. *Alterum* Epistola Divi Hadriani. *Tertium* cedendarum Actionum. Nicol. *dict. lib.* 3. *tit.* 21. §. *Si plures. Institut. de Fidejussorib.*

7. *Quær.* Quale sit beneficium ordinis, seu excussionis? *Resp.* Beneficium ordinis, seu excussionis est, quod creditor non potest convenire Fidejussorem, neque eum excutere, nisi priùs excutiat debitorem principalem; & eum non solvendo repererit. *Auth. Præsente. C. de Fidejussor.*

8. *Quær.* In quibus casibus cesset hoc beneficium excussionis? *Resp.* Cessat in octo casibus. Primò, quando Fidejussor illi renunciavit, ut communiter fieri solet. Gloss. in Auth. *Hoc ita, C. de Duob. reis. l. Si quis in conscribendo.* 19. *C. de Pactis.* Et non solùm expressè, sed etiam tacitè; nempe quando se obligavit vel cum juramento, vel in forma Cameræ. Zacchias apud Cencium *de Censib. qu.* 32. *num.* 3. Secundò, quando debitor est absens, & in termino assignato Fidejussor eum non conducit. *dict. Auth. Præsente.* Vel debitor obiit ante solutionem. *l. Fidejussor.* 16. ubi Gloss. *in* §. *fin. de Fidejuss.* Tertiò, quando notorium esset debitorem non esse solvendo. *dict. Auth. Præsente.* Quartò, quando constat principalem debitorem esse rixosum, præpotentem, & difficilem nimis, qui possit excuti, quod notandum est pro iis, qui fidejubent pro dominis potentibus. *l. Si quis stipulatus*, 12. §. *fin. ff. de Verb. Oblig.* Quintò, si creditor sit debitor Fidejussoris, & velit compensare suum debitum cum illo. Bald. *in l. Exceptione*, 11. *C. de Evict.* Sextò, quando principalis non est obligatus civiliter, sed naturaliter tantùm. *l. Marcellus.* 25. *ff. de Fidejuss.* Septimò, quando negavit, se fidejussorem, & fuit convictus de mendacio. *arg. cap. Si dubitet.* 11. §. *Ita demum. ff. de Fidejussor.* Octavò, si ante litem contestatam fidejussor hoc beneficium non petiisset. *DD. in d. Auth. Præsente.*

9. *Quær.* Quale sit beneficium Epistolæ divi Hadriani? *Resp.* Quia de jure, licèt plures sint confidejussores pro uno, & eodem debito, tenentur omnes in solidum pro toto debito, Divus Hadrianus Imperator concessit Fidejussoribus beneficium divisionis, quo creditor compellitur petere à quolibet Fidejussore tantùm suam partem contingentem. *l. Non rectè, & l. Fidejussor.* 10. *C. de Fidejussorib.*

10. *Quær.* In quibus casibus cesset hoc beneficium divisionis? *Resp.* In novem casibus. Primò, quando huic beneficio renunciavit; ut communiter fit. *l. Si quis in conscribendo.* 29. *C. de Pactis.* Secundò, si ante divisionem actionis unus ex confidejussoribus desit esse solvendo. *d. l. Fidejussor.* 10. *C. de Fidejussor.* quòd si ad inopiam verget post divisam actionem, periculum spectat ad creditorem. *l. Liberum.* 16. *C. eod.* Tertiò, quando quis negavit se Fidejussorem expressè; secùs si generaliter negavit narrata prout narrantur. *l. Si dubitet*, §. *Ita demum*, ubi Bart. *ff. eod.* Quartò, si agatur de Fidejussore Fidejussoris, nam tunc primus Fidejussor reputatur debitor principalis. *l. Si plures.* 27. §. *fin. ff. eod.* Quintò, in Fidejussoribus tutorum, nam favore pupillorum hoc beneficium non datur iisdem Fidejussoribus. *l. Si plures*, 12. *ff. Rem pupil. sal. fore.* Sexto, Si aliquis confidejussor non sit efficaciter obligatus; ut si sit mulier, vel minor. *l. Si Titius.* 49. *ff. eod.* Septimò, quando diversis temporibus fidejusserunt. Vinc. de Franchis *decis.* 55. *num.* 11. Octavò, quando plures Fidejussores intervenerunt non pro tota summa, sed pro certa quantitate; quia tunc quilibet tenetur juxta suam promissionem aut majorem, aut minorem. Ita Sac. Cong. apud Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 21. §. *Si plures*, *n.* 6. *in fin.* Et Nono, quando fidejussor conventus neglexit opponere hanc exceptionem. Gloss. *in d.* §. *Si plures. in Verb. partes.*

11. *Quær.* Quale sit beneficium cedendarum Actionum? *Resp.* Cùm nulla actio de jure competat Fidejussori contra alios confidejussores, potest obligare creditorem principalem, antequàm solvat debitum, ut sibi cedat actionem suam contra eosdem confidejussores, ad hoc, ut possit agere ad suum levamen contra ipsos. *l.* 14. *&* 15. *ff. eod.* Abb. *in cap.* 2. *fidejussor.*

12. *Quær.* An Fidejussor possit obligari in plus, quàm debitor principalis? *Resp.* Negativè, neque in quantitate, neque in qualitate, neque in tempore. §. *Fidejussor. Inst. eod.* quamvis efficacius possit. Rota *apud Cencium decis.* 197. *num.* 7.

13. *Quær.* Quænam actio conferatur Fidejussori contra debitorem principalem? *Resp.* Actio mandati pro toto debito, expensis, damnis, & interesse. Rota apud *Gallesi.* 20. *num.* 11.

14. *Quær.* An, & quando Fidejussor agere possit contra debitorem principalem, ut eum liberet à Fidejussione, antequam à creditore conveniatur? *Resp.* Potest in sex casibus. Primò, quando Fidejussor fuit condemnatus ad solvendum. *C. fin. eod.* Secundò, quando principalis incipit dilapidare bona sua. *d. cap. fin. & l. Lucius*, 38. *ff. Mandat.* Tertiò, quando Fidejussor diu stetit in obligatione, quod remittitur arbitrio Judicis. *dict. cap. fin. & ibi* Gloss. *l. si pro ea, C. Mand.* & per spatium novem annorum solet dici diu stetisse. Rota apud *Cencium decis.* 195. *num.* 9. Quartò, si fidejussit pro promissione de evictione, & jam evictio facta est. Rota *apud Coccin. decis.* 100. Quintò, quando tempus solutionis adest. *cap. Constitutus eod.* & Sextò, quando Fidejus-

jussor, vel debitor vult se conferre ad longinquas partes. Abb. *in d. cap. fin.*

15. *Quær.* Quando Fidejussio expiret ipso facto? *Resp.* Quando facta fuit vel ad tempus, vel sub conditione, vel debitor principalis solvit, aut à debito fuit liberatus. Nicol. *ubi supra Civil. Lucubr. d. lib.* 3. *tit.* 21. *num.* 11.

16. *Quær.* Quæ personæ prohibeantur fidejubere? *Resp.* Personæ prohibitæ fidejubere sunt: Milites, Clerici prò Laicis (at si fidejubeant, obligantur *c.* 1. *& cap. fin. eod.*) Pupilli, Minores curatorem habentes, quòd si non habeant curatorem, possunt se obligare, præterquàm in alienatione immobilium. Rota *part.* 1. *recent. decis.* 674. *num.* 2. Filiifamilias, Pauperes, Regulares, & Mulieres. Nicol. *in* §. *fin. Inst. de Fidejuss. num.* 13.

17. *Quær.* An sit efficaciter obligata mulier, si fidejubeat? *Resp.* Negativè, nisi in certis casibus, resistente Senatus Consulto Vellejano? Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 21. *num.* 14.

18. *Quær.* Quid sit Senatus C. Vellejanum? *Resp.* Est dispositio legis ad favorem mulierum, quæ facit eas promittendo non obligari. *l. Antiquæ* 25. §. 6. *C. ad S. C. Vellejan.*

19. *Quær.* In quibus casibus mulier obligetur eo S. Consulto non obstante? *Resp.* Primò, si renunciet dicto Vellejano. Secundò, si fidejubeat pro suo creditore. *l.* 3. *ff. eod.* Tertio, si pro dote alterius mulieris. *l.* 12. *& l fin. C. eod.* Quartò, si pretium accepit pro fidejussione. *l. Antiquæ.* 23. *C. eod.* Quintò, si decipiendi animo interceserit. *l. Fœminis* 18. *C. eod.* Et quod dictum est de renunciatione Vellejani, debet esse vel coram Judice, vel cum juramento. Bonacin. *de Contr. disp.* 3. *qu.* 9. *punct.* 2. Farinac. *in Repet. de Contract. in fragm. Verb. Mulier num.* 35.

20. *Quær.* An mulier juvetur S. Consulto Vellejano, si dederit pignora pro debito alterius? *Resp.* Affirmativè, & ideò potest petere pignorum restitutionem. Gratian. *decis.* 118. *num.* 2. & est Tex, *in l. Si qua mulier. C. ad Vellejan.*

CAPUT LXXXIX.

De Syngrapha, seu Litterarum Obligatione.

1. *Quær.* Quomodo contrahatur obligatio litteris, seu Syngrapha? *Resp.* Quando quis spe futuræ numerationis scribit, se recepisse pecuniam, quàm verè non accepit, & in hoc casu, creditor intra biennium tenetur, probare, numeratam fuisse pecuniam; transacto biennio probatio cadit in debitorem, qui, si non probet, pecuniam non fuisse numeratam, tenetur ad solutionem, *toto tit. Instit. de Litter. Obligat. lib.* 3. *tit.* 22.

2. *Quær.* An possit opponi exceptio de non numerata pecunia in tota quantitate expressa in chirographo, si partem tantùm debitor recepisset? *Resp.* Posse *l.* 2. *C. de non numer. pec.*

3. *Quær.* An hæc exceptio extendatur aliquando ultra biennium? *Resp.* Extendi favore Ecclesiæ, vel causæ piæ. Auth. *Hoc Jus porrectum. C. de Sacrosanct. Eccles.* Bald. *in cap. In præsentia.* 8. *De Probat.*

4. *Quær.* Quando cesset hæc exceptio non numeratæ pecuniæ? *Resp.* In sex casibus cessat. Primò, Si confessio receptæ pecuniæ fiat in Testamento. Gloss. *in l.* 1. *verb. Error. C. de Falsa causa adject.* Secundò, Quando intervenit geminata Confessio ex intervallo. Jas. *in l. Si pecuniam*, 30. *num.* 3. *ff. Si cert. petat.* Tertiò, Si facta sit in aliis contractibus præter mutuum, & dotem. *l. Generaliter*, 13. *C. de non num. pecun.* Rota *apud Cencium decis.* 291. *num.* 4. quæ ait non competere in eo, qui fassus est, se recepisse pecuniam causa depositi; nisi statim deponens promisisset relinquere ei dictam pecuniam loco mutui. Nicol. *dict. tit.* 22. *Institut. de lit. Oblig. n.* 1. Quartò, Quando confessio facta esset per manum publici Notarii, quia ei credendum est, donec contrarium probetur. Bonacina *de Contract. disp.* 3. *quæst.* 11. *punct.* 11. *num.* 5. Et Quintò, Si mutuatarius se obligaverit in forma Cameræ. Nicol. *dict.* 22. *num.* 1. *Vers. Sextò.*

5. *Quær.* An mutuatarius possit renunciare huic exceptioni? *Resp.* Esse hinc inde opinionem; sed negativam reputari æquiorem; nisi renunciasset ei ex intervallo. Nicol. *in d. tit.* 22.

6. *Quær.* An renunciatio hæc teneat, si fiat cum Juramento? *Resp.* Negativè. *l. fin. C. de non num. pecun.* Bonacina *ubi supra.*

7. *Quær.* Quæ cautio sit adhibenda à mutuante? *Resp.* Quòd exbursetpecuniam coram testibus. Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 22. *num.* 3.

8. *Quær.* Debitor qui confessus est, se recepisse pecuniam mutuò, quàm verè non accepit, quam cautionem habere potest? *Resp.* Statim agat judicialiter contra creditorem, ut restituat sibi suum chirographum, vel pecuniam numeret. *l. Si intra*, 8. *C. eod.* Aliàs transacto biennio, si ipse debitor non probaverit, pecuniam numeratam non fuisse, tenebitur ad ejus solutionem. Nicol. *d. tit.* 22. *num.* 3. *in fine.*

CAPUT XC.

De Emptione, & Venditione.

1. *Quær.* Quot modis contrahatur Emptio, & Venditio? *Resp.* Duobus modis. In scriptis, & sine scriptis. Emptio sine scriptis solo consensu perficitur, statim ac inter partes de pretio, & de mercede conventum est; licèt adhuc non intervenerit traditio aut rei, aut pretii, aut arrharum. Nicol. *tit.* 24. *Inst. de Emption. in princ.*

2. *Quær.* An datis arrhis possint à contractu Emptionis, ante rei traditionem, partes resilire? *Resp.* Cum distinctione; Vel arrhæ datæ sunt in partem pretii, & resilire non possunt, nisi communi dissensu. Vel datæ sunt in argumentum contractus initi, & tunc si Em-

si Emptor vult resilire? potest, sed amittit arrhas; si Venditor? duplices arrhas restituere cogitur. Nicol. *ubi supra dict. lib. 3. tit. 24. num. 2.*

3. *Quær.* Quid Juris, ubi Emptio fit per scripturam? *Resp.* Si partes contraxerunt, ut emptio non valeret, nisi confecta scriptura, possunt à contractu resilire, ante scripturæ subscriptionem. Nicol. *ubi supra num. 4.*

4. *Quær.* Quomodo per scripturam possit contrahere, qui nescit scribere? *Resp.* Potest tenere typum sui nominis, & cognominis, & illud in scriptura imprimere; & valet, ac si scripsisset. Rota *part. 1. rec. Decis. 486. num. 6.* Nicolius *ubi supra*, qui etiam subdit, sufficere, si signum Crucis faciat cum calamo.

5. *Quær.* Quot sint substantialia venditionis? *Resp.* Tria, Consensus, Pretium, & Merx. *l. Quod sæpè, 35. de Contr. Empt.*

6. *Quær.* An possit venditio fieri sub pretio ad arbitrium alterius? *Resp.* Si ille alter specificè designetur, potest sic fieri venditio; secùs si in incertum relinquatur, vel ad arbitrium emptoris pretium remitteretur. *l. Item si unus, 17. §. Principaliter, ff. de Receptis arbitr.*

7. *Quær.* An pretium solvi possit in alia re, quàm pecunia? *Resp.* Ex consensu Venditoris potest: sed si ab initio conventum est de alia re, quàm pecunia, loco pretii, non erit emptio, sed permutatio. Nicol. *ubi supra, § Item pretium, num. 7.*

8. *Quær.* Qualis contractus sit, si ego dem tibi domum meam, & tu des mihi domum tuam; sed quia minoris valoris est, addidisti etiam ducatos centum? *Resp.* Erit contractus ille, quem partes esse voluerint, & nominaverint; id est, vel permutationem, vel emptionem; quòd si nihil expressérint, attenditur major valor vel domus, vel pecuniæ, ad denominandum contractum. *l. Quæritur. 10. ff. de Statu hominum.*

9. *Quær.* In quibus differat Venditio à Permutatione? *Resp.* Differre in tribus. 1. Quia in permutatione non datur pecunia, sed res. *l. 1. C. de rer. permut.* 2. Emptio solo consensu perficitur, sed permutatio requirit rei traditionem. *l. 1. §. Ita emptio, ff. de rer. permutat.* 3. In venditione non potest Venditor rem venditam, & traditam repetere, si Emptor non solvit pretium; sed debet agere ad pretium consequendum, non sic in permutatione. *l. In civile, 12. C. de rei vindicat.*

10. *Quær.* Quando rescindi possit contractus ex capite læsionis? *Resp.* Quando quis ultra dimidium pretii moderati, seu medii læsus est. *l. 2. & l. 8. C. de Rescind. Vendit.* Imò si læsio sit infra dimidium justi pretii, implorare poterit officium judicis, ut ei subveniat. Bonacina *tom. 2. de Contract. disp. 3. quæst. 2. punct. 4. num. 6.* Quod habet locum etiam in subhastatione. Rota *part. 1. recent. Decis. 648. num. 1.* & quod dictum est de læsione, habet locum etiam in rescindenda transactione. Rota *apud Otthobon. Decis. 25.*

11. *Quær.* Ad quem spectet periculum, & commodum rei venditæ, antequam emptori tradatur? *Resp.* Spectare ad emptorem. *l. 1. C. de Peric. & com. rei vendit.* Sed excipiuntur hi casus. 1. Si venditio facta sit in genere, ut decem modiorum frumenti postea mensurandorum. *l. Quod si, 14. ff. eod.* nam genus perire non potest. *l. Interdum, 11. C. Si cert. pet.* Si emptio facta sit sub pacto conficiendæ scripturæ, nam ante confectam scripturam, spectat periculum, & commodum ad venditorem. 3. In venditione sub conditione, si res tota pereat, periit periculo Venditoris; si deterioretur, periculo Emptoris. *l. Necessariò, 8. ff. de Peric. & comm. rei vend.* 4. In venditione alternativa, ut si vendo tibi aut Stichum, aut Pamphilum, interitus unius est venditoris, interitus utriusque afficit Emptorem, & Venditorem; nam emptor tenetur solvere pretium unius. *l. 34. §. Si emptio. ff. de Contrah. empt.* 5. Si venditoris interfit dolus, vel lata culpa. *l. Cum res, §. fin. ff. de Leg. 1. 6.* Si Venditor promisit custodiam, nam & de levissima culpa tenetur. *l. custodiam, 3. ff. de Peric. & com. rei vend.* Sed non de casu fortuito, nisi expressè illum promisisset. 7. Si Emptor, aut Venditor fuit in mora recipiendi, vel tradendi; nam ultima mora nocet suo Auctori. *leg. 4. C. de act. empt.* Bonacin. *dict. disp. 3. q. 2. punct. 8. n. 4. tom. 2.* & Nicol. *d. tit. 24. num. 10.*

12. *Quær.* Cujus fiat res empta, si ematur ab aliquo non pecunia sua, sed pecunia alterius? *Resp.* Regulariter fit Emptoris; sed excipiuntur. 1. Si pecunia erit Ecclesiæ, nam acquiritur res empta ipsi Ecclesiæ, *cap. Fixum, 12. q. 5. cap. Inquirendum, 4. de Peculio Clericor.* 2. Si pecunia sit pupilli, vel militis, nam eorum erit res empta, *l. 8. C. de rei vindic.* Nicol. *ubi supra num. 11. 3.* Si nomen Emptoris sit appositum simulatè, vel pro persona nominanda, quia in hoc casu erit res empta ejus, cujus est pecunia. Nicol. *ubi supra d. num. 11. in fine.*

13. *Quær.* Ad quem spectent fructus rei venditæ? *Resp.* Ante traditionem spectare ad Venditorem; post traditionem ad Emptorem, nisi venditor sibi illos reservasset, vel conditionem, aut diem adjecisset super contractu venditionis; quia tunc pacta facta erunt servanda. Nicolius *ubi supra num. 12. dict. libr. 3. tit. 24.*

14. *Quær.* An Emptor possit agere contra bona debitoris, cujus fundum emit à Judice per subhastationem, si fundus ei fuerit evictus? *Resp.* Affirmativè. *l. Si ob causam 13. C. de Evict.* Bonac. *disp. 1. quæst. 1. punct. 1. num. 16. de Contr. tom. 2.*

15. *Quær.* Si in venditione Venditor fecit pactum, ut non teneretur de evictione, si res evincatur, an teneatur restituere pretium Emptori? *Resp.* Affirmativè; quia pactum eum liberat ab expensis litis, à damno, & interesse; sed non à pretii restitutione. *l. Qui libertatis. 69. ff. de Evict.* Rota *part. 1. recent. decis. 525. num 8.*

16. *Quær.* An in contractibus gratuitis, ut in donatione, possit agi de evictione? *Resp.* Nega.

Negativè. Nicolius *Institut. libr. 2. tit. 7. num. 23.*

17. *Quær.* An teneatur de evictione creditor, ad cujus instantiam res fuit subhastata, & vendita per Judicem, si dicta res evincatur? *Resp.* Non teneri, dummodo monstret, se fuisse verum creditorem. Rota *par. 1. recent. decis. 370. num. 4. 5. & 6.*

18. *Quær.* Quæ res prohibitæ sint vendi? *Resp.* Res Spirituales, res Ecclesiasticæ sine solemnitate, liber homo, res offensivæ, ut venena, de quibus est *Constitutio 29. Cum officio, &c. Gregor. XIII.* Bona verò stabilia Status Ecclesiastici non possunt vendi, neque alienari in personas; quæ non habitent in Statu Ecclesiastico, sine licentia Sedis Apostolicæ, exceptis locis montium, & domus in Urbe, ac bona in districtu per decem milliaria. Vide *Constit. Sixti V. la 3. Clementis VIII. la 78. & Pauli V. la 108.*

19. *Quær.* An aliquando quis possit compelli ad vendendam rem suam? *Resp.* Affirmativè in pluribus casibus, & præcipuè, 1. Tempore caritatis annonæ, qui multum triticum habet, potest cogi vendere pretio statuto à Magistratu. *l. 1. §. Cura carnis. ff. de Offic. Præsid. Urbis.* 2. Pro causa pia, ut pro ædificando Monasterio, Hospitali, Scholis publicis, Palatio Principis, vel via publica decoranda. Nicol. *ubi supra dict. tit. 24. sub num. 19. lib. 3. Instit.* 3. Romæ per Jus congrui vicinus tenetur vendere domum suam vicino volenti fabricare ad ornatum Urbis. *Gregor. XIII. Constit. 22.* nisi & ipse vellet ædificare, quo casu ei terminus præfigitur ad fabricandum. Coccin. *decis. 2.* & dummodo, qui vult emere, jam inceperit fabricare. Rota coram Merlin. *decis 437. num 15.*

20. *Quær.* An liceat venditoribus decipere infideles in pondere, vel pretio? *Resp.* Negativè, ut habetur *Prov. 20. 23.* & respondit Sac. Congreg. de Propaganda Fide *die 16. Junii 1636.* Nicol. *dict. tit. 24. num. 21. lib. 3.*

21. *Quær.* An sit licita emptio, & venditio cum pacto retrovendendi? *Resp.* Affirmativè; sed quia in hoc casu solet committi Usura palliata, quatuor sunt conditiones servandæ. Primò, Ut verè partes intendant vendere, & emere. Secundò, Ut fructus rei venditæ spectent ad emptorem, simulque damna, & pericula. Tertiò, Ut in contractu servetur æqualitas. Quartò, Ut detur justum pretium. Nicol. *ubi supra dict. lib. 3. tit. 24, num. 22.* Rota *decis. 349. part. 4. recent. tom. 2.*

22. *Quær.* Quotuplex sit justum pretium? *Resp.* Est triplex, infimum, mediocre, & rigorosum. Et unum debet parùm distare ab altero; puta, si decem sit justum pretium medium; octo, vel novem erit infimum; undecim, vel duodecim erit rigorosum. At in subhastationibus datur major amplitudo. Diana *part. 1. tract. 8. resol. 55.* Qui etiam *part. 4. tract. 4. resolut. 12.* tenet, in subhastationibus esse semper pretium justum, quod sponte offertur absque dolo, & fraude. Nicol. *dict. lib. 3. tit. 24. num. 22.*

23. *Quær.* In quot casibus liceat pluris rem vendere, quam sit pretium commune? *Resp.* In quinque casibus. *Primò*, Ob multitudinem Emptorum. *Secundò*, Ob affectum vendentis ad rem vendendam. *Tertiò*, Ob lucrum cessans, vel damnum emergens. *Quartò*, Ob periculum amittendi pretium, vel recuperandi cum expensis. *Quintò*, Propter modum vendendi, ut si res minutatim vendatur. Nicol. *ubi supra num. 22.*

24. *Quær.* In quot casibus liceat minoris rem emere? *Resp.* Pariter in quinque casibus. *Primò*, Ob multitudinem mercium. *Secundò*, Ob inopiam pecuniæ, & paucitatem emptorum. *Tertiò*, Si merces ultrò offerantur, & venditor roget emptorem, quia tunc res pro tertia parte vilescit. *Quartò*, Si res vendatur cum pacto de retrovendendo. Et *Quintò*, quando debitor est multis debitis implicitus. Rota *part. 1. rec. decis. 648. num. 2.* Nicol. *ubi supra num. 22.*

25. *Quær.* Si dominus committat Factori suo, ut vendat frumentum, prout est taxa, si ille vendat supra taxam, an possit illud plus retinere sibi? *Resp.* Negativè, quia totum pretium est domini. Salmanticenses *tractat. 14. de Contract. cap. 2. punct 8.* Secùs autem, si alicui proxenetæ vulgò *Revendigolo* dixisset, vende talem rem meam, sed non minoris centum. Tunc enim censetur concedere ipsi, si plus illam vendat, titulo suæ mercedis, ut sibi illud plus retineat. DD. *d. punct. 8. num. 71.*

CAPUT XCI.

De Monopolio.

1. *Quær.* Quid sit Monopolium? *Resp.* Est collectio unius, ejusdemque speciei bonorum ab uno, vel pluribus unitim facta, hoc animo, ut ab ipsis tantùm, non autem ab aliis dicta bona vendantur. Et est delictum punibile. *l. Unic. C. de Monopol.* Vide *Constit. 118. S. Pii V.*

2. *Quær.* An Princeps possit concedere Monopolia; id est, ne aliqua res vendatur, nisi ab uno tantùm? *Resp.* Affirmativè tribus concurrentibus. *Primò*, Ne bona sint de necessariis usui humano, ut Triticum, Vinum, Oleum. *Secundò*, Ut pretium justum à Principe pro re vendenda statuatur. *Tertiò*, Ne Ecclesiastici graventur. Diana *part. 6. tract. 8. resol. 1.* Bonac. *de Contract. disp. 3. quæst. 2. punct. 5. num. 9. tom. 2.*

CAPUT XCII.

De Censibus.

1. *Quær.* Quid sit Census? *Resp.* Est Jus percipiendi certam pensionem ex re alterius frugifera, sivè illa pensio sit fructuaria, sivè pecuniaria. Nicol. *dict. lib. 3. Instit. tit. 24. num. 23.* & ideò, qui pensionem solvit, appellatur Censuarius, qui vero eam exigit, dicitur Censualista, seu Censitor. Tuscus *concl. 186. tom. 1.*

2. *Quær.* Quotuplex sit Census? *Resp.* Plures esse Census divisiones, sed hæ sunt præ-

c puæ. Primò, Alius est *Reservativus*, alius *Consignativus*. Census *Reservativus* est, quando trado tibi dominium utile rei meæ, cum reservatione annuæ pensionis, & in effectu est emphyteusis, locatio ad longum tempus, seu venditio cum hoc onere: & in eo potest apponi pactum legis Commissariæ, quia de ea non loquitur Bulla Pii V. *Consignativus* est, quando quis vendit alteri Jus percipiendi pensionem annuam super rebus, aut persona sua. Nicol. *ubi supra num.* 23.

3. *Quær.* Quotuplex sit Census consignativus? *Resp.* Est triplex: *Realis*, qui fundatur in re, ut domo, fundo. *Personalis*, qui ponitur in persona, quatenus apta est per industriam, vel artem suam aliquid acquirere. Et *Mixtus*, quando in re, & persona simul fundatur. Nicolius *dict. lib.* 3. *tit.* 24. *sub num.* 23.

4. *Quær.* Quæ sint aliæ Census divisiones? *Resp.* Quòd alius est fructuarius, alius pecuniarius. Item quòd alius est perpetuus, alius temporalis. Item alius vitalitius, & alius non vitalitius. Nicol. *sub d. num.* 23.

5. *Quær.* Quænam conditiones sint necessariæ pro justitia Census? *Resp.* Alias conditiones esse necessarias ex natura rei, seu contractus; alias verò ex Constitutionibus Pontificiis.

6. *Quær.* Quæ sint conditiones servandæ ex natura contractus? *Resp.* Esse quinque. *Prima*, ut sit intentio emendi, & vendendi, aliàs esset dare pecuniam ad Usuram. *Secunda*, ut adsit justum pretium. *Tertia*, ut fundetur super re frugifera. *Quarta*, ut si res censita pereat absque culpa censuarii, Census cesset. Diana *par.* 1. *tract.* 8. *res.* 44. Rota apud Cencium *decis.* 4. *Quinta*, ut qui imponit Censum super aliqua re, sit dominus ejus, & habeat illius liberam administrationem. Hinc Pupillus, Maritus, & Clericus non possunt Censum imponere super fundis respectivè vel uxoris, vel Ecclesiæ, quia non sunt domini absoluti. Azor. 3. *part. lib.* 10. *de Censib. cap.* 7. Nicol. *ubi supra num.* 27. Sic neque Regulares, neque feudatarii, neque fideicommissarii possunt Census constituere.

7. *Quær.* Quæ sint Constitutione Pontificia servandæ conditiones in Censu? *Resp.* Constitutio Pontificia principalis in hac materia est illa S. Pii V. 1968. 14. *Kal. Febr. incipit*, *Cum onus*. Ex qua desumuntur sequentes conditiones pro justitia, & validitate Census. 1. Ut Census imponatur tantùm super re immobili, quæ sit frugifera; undè damnantur Census personales, & mixti. 2. Ut res certis limitibus sit designata; eaque sit præsens, non futura. 3. Ut non celebretur Census nisi in pecunia numerata coram Notario, & testibus in actu celebrationis instrumenti; unde non sufficit, fateri eam fuisse solutam, vel debita præcedentia computare, aut alias res pro pretio dare. Quamvis in foro conscientiæ aliter sentiat Dian. *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 44. Excipitur tamen creatio Census, & ejus consignatio occasione dotis. *Pius V. declarat. in Constitut.* 7. *incipit Et si Apostolica*, §. 9. 4. Ne venditor, seu Censuarius obligetur ad casus fortuitos, nempè si res censita periret; quia in hoc casu debet esse liberatus à Censu. 5. Ne restringatur libertas Censuarii, quin rem suam alii vendere possit cum dicto onere Census, quando eam censualista emere noluit. 6. Ne fiat pactum, ut si Censuarius prompte non solvat, teneatur ad interesse lucri cessantis, vel ad aliquam pœnam. 7. Ne augeatur Census ex pensionibus non solutis, quod vulgariter est, *che i Prò non diventino Capitale*. 8. Ut semper possit Censuarius redimere Censum, restituendo pretium, non obstante quavis præscriptione, vel pacto. 9. Quòd Censuarius non cogatur redimere Censum, nisi intra annum post denunciationem. Et 10. conditio est, ut pretium Census semel constitutum, ex nulla circumstantia possit aut minui, aut augeri. Hæc ex Bulla S. Pii V. quæ quidem censetur esse in usu per totum Orbem Christianum, neque de non usu potest contra eam allegari. Rota apud Cencium *decis.* 80. *num.* 6. *& seqq.*

8. *Quær.* An sint aliæ circa Census Pontificiæ Constitutiones; *Resp.* Unam esse Sixti V. & aliam Clem. VIII. quæ mandant Communitates status Ecclesiastici non posse recipere pecuniam ad Censum, nisi ex justa utilitatis causa, & de licentia Sedis Apostolicæ, Rota *ibid. decis.* 123. *in Addit. num.* 5.

9. *Quær.* An instrumentum sit de substantia Census? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; at magis probabilem esse negativam, quia scriptura adhibetur ad faciliorem probationem, non ad substantiam contractus. Nicol. *ubi supra num.* 72. *lib.* 3. *tit.* 24.

10. *Quær.* Quot modis finiatur Census? *Resp.* Finiri multis modis. Primò, pereunte fundo, super quo fuerat impositus: quòd si pereat pro parte, etiam Census pro rata peribit, juxta opinionem Rotæ coram Millino *in una Romana Census* 30. *Octobris* 1602. Et quid juris, si fundus destruatur, puta si per alluvionem fiat paludosus, vel infructuosus, & post multos annos redeat ad culturam, an revivisceat Census? est hinc inde opinio, ut notat Nicol. *dict. lib.* 3. *instit. tit.* 24. *num.* 104. & 105. Secundò, finitur Census extinctione, seu redemptione. Cenc. *quæst.* 3. Tertiò, si dominus Census acquirat fundum Censitum. Rota *par.* 1. *recent. decis.* 571. Quartò, si per Sententiam Judicis declaretur nullus. Cencius *qu.* 6. Quintò, præscriptione, si cum bona fide cessavit solutio per annos triginta. *l. Omnes, & l. Sicut. C. de Præscrip.* 30. *vel* 40. *annor.* Rota apud Cencium *decis.* 303. *num.* 11.

11. *Quær.* An fructus soluti ob Censum initum contra formam Bullæ S. Pii V. sint computandi in sortem? *Resp.* Affirmativè. Quia ille contractus est contractus mutui, unde quod solutum est, debet haberi pro parte capitalis, & computari in sortem. *Speculator in Rubr. de Usuris in princip.* Nicol. *ubi supra num.* 111.

12. *Quær.* An supradictæ conditiones requirantur etiam in Livello? *Resp.* Negativè, ut docuimus in nostris decisionibus anno 1685. & dicetur infra in cap. *de Livello*; quia licèt livellus sit contractus valde simi-

lis

lis Censui; est tamen omninò diversus à contractu Census.

CAPUT XCIII.

De Cambiis.

1. *Quær.* Quid sit Cambium? *Resp.* Est permutatio Negotiatoria numismatis pro numismate, seu pecuniæ pro pecunia. Et ideò, qui dat pecuniam ad Cambium, vocatur Campsor; qui verò eam recipit dicitur Campsarius. Nicol. *dict. lib.* 3. *tit.* 24. *num.* 116.

2. *Quær.* Quotuplex sit Cambium? *Resp.* Est duplex: Siccum, & Reale. Cambium est Siccum, quando quis fingit dare pecuniam solvendam in loco distanti, ubi non est dicta pecunia, quæ ibidem sub hoc nomine exbursatur. Et verè est contractus mutui; ideòque utilitas sub nomine Cambii est Usura; & hoc Cambium Siccum damnatum est per Constitutionem S. Pii V. *Incip. In eam pro nostro.* Et est in Bullario *Constit.* 118. Et eam refert Quaranta *in Verb. Usura*, & Navar. *in Man. cap.* 17. *num.* 300. Cambium reale est, cùm pecunia realiter cum alia commutatur. Nicol. *d. num.* 116.

3. *Quær.* Quotuplex sit Cambium Reale. *Resp.* Est duplex. Unum dicitur Cambium per minutum, quando scilicet commutantur nummi aurei pro argenteis, vel argentei pro æreis. Et aliud Cambium locale, quando pecunia exbursatur Venetiis, ubi dantur litteræ ad hoc, ut ipsa habeatur Romæ. Nicol. *ubi supra dict. lib.* 3. *tit.* 14. *Institut. Civil. num.* 117.

4. *Quær.* An litteræ sint de substantia Cambii localis? *Resp.* Negativè. Quia possent fieri etiam per Nuncium. Nicol. *ibid.*

5. *Quær.* Quæ, & quot sint conditiones necessariæ ad hoc, ut licitum sit Cambium? *Resp.* Quatuor. *Prima*, ut litteræ pro habenda pecunia in loco distanti non sint fictitiæ, & inanes; sed verè in dicto loco extet pecunia. *Secunda*, ut non fiat pactum, quòd Campsarius solvat aliquid pro lucro cessante, vel damno emergente, si non restituerit Campsori receptam pecuniam tempore determinato. Quamvis post transactum dictum tempus Campsor possit agere ad damnum emergens evitandum, vel lucrum cessans repetendum. *Tertia*, ne Campsor det terminum ad protrahendam restitutionem pecuniæ faciendam à Campsario ob pactum recipiendi lucrum; nisi cum dilatione temporis concurreret aliquis justus titulus, vel periculi, vel damni emergentis, aut lucri cessantis. Et *Quarta*, ne dentur termini longiores ad restituendam pecuniam, quàm distantia locorum permittat. Nicol. *dict. lib.* 3. *tit.* 24. *num.* 119. & ibi *Constitutio S. Pii V.* Quæ est in ordine la 118. *Incip. In eam pro nostro.*

6. *Quær.* Quando liceat creditori ob Cambium recipere recambia ob moram debitoris in solvendo? *Resp.* Quando de hoc præmisit protestationem, & intimationem debitori: & quando re vera creditor accipit pecuniam ad recambium, id notificat ipsi debitori, ut sciat sibi currere usuras. Rota *par.* 1. *rec. decis.* 52. & apud Eminent. Othobon. *decis.* 92.

7. *Quær.* Undè proveniat Justitia Cambii, & qui sint tituli justè accipiendi lucrum ex cambio? *Resp.* Provenire justitiam cambii, *Primò*, A damno emergente, & lucro cessante Campsoris. *Secundò*, A labore numerandi. *Tertiò*, A commoditate Campsarii habendi pecuniam translatam in alio loco. *Quartò*, Ab æstimatione pecuniæ purioris, puta aureæ, antiquæ, & similium. Bonacin. *tom.* 2. *de contract. disp.* 3. *q.* 5. *punct. Unico*, *de Cambiis.* Nicol. *ubi supra num.* 120.

8. *Quær.* Quando Mercatores, ad quos diriguntur litteræ cambii, teneantur eas solvere? *Resp.* Quando eas acceptarunt. Quod fit dupliciter: Vel tacitè, cùm eas retinent apud se. Vel expressè, quando scribunt à tergo, eas acceptasse, vel coram Testibus promiserunt, se eas soluturos. Nicol. *ubi supra num.* 122.

9. *Quær.* An regulares possint recipere pecuniam ad Cambium, vel ad Censum? *Resp.* Negativè, nisi priùs obtineant licentiam à Sacra Congregatione, ut ipsa decrevit 21. Maji 1626. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 223. & Nicol. *ubi supra num.* 124.

10. *Quær.* Quid dicendum de Praxi Romanorum, qui exbursant pecuniam alicui indigenti, & illam petenti sub prætextu ponendi illam ad Cambium per se, vel per alium, cum promissione solvendi annuatim quatuor pro centenario exbursanti eamdem pecuniam; quamvis illam recipiens non recambiet eam, sed consumat in suis necessitatibus? *Resp.* Hoc esse Cambium Siccum, & Usurarium, quia est merè mutuum. Reginald. *lib.* 25. *num.* 399. Comitolus *lib.* 3. *qu.* 14. 15. & 16. Nisi dans pecuniam verè credat, eam esse ponendam ad Cambia, quia tunc bona fides eum excusat. Rota apud Navarium *in Summa Bullar. decis.* 18. *num.* 9. & 14. ac Eminentiss. Card. de Luca *de Cambiis disc.* 3. *num.* 6. & 7. atque *disc.* 23. *num.* 9. ubi ait, hanc Praxin approbatam esse in Tribunalibus Urbis Romæ.

CAPUT XCIV.

De Locatione, & Conductione.

1. *Quær.* Quid sit Locatio? *Resp.* Est personæ, vel rei ad usum facta concessio, pro mercede constituta, in pecunia numerata. Dicitur *pro mercede*, ad excludendum commodatum. Dicitur *in pecunia numerata*, quia, si alia res detur, erit contractus innominatus. Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 25. *num.* 1.

2. *Quær.* Quot sint contractus innominati? *Resp.* Quatuor. *Do, ut des. Do, ut facias. Facio, ut facias. Facio, ut des.* Et in dubio contractus præsumitur innominatus. *l.* 1. *ff. de æstim. action.*

3. *Quær.* In quot, & quibus Locatio conveniat cum emptione? *Resp.* In pluribus. Quia uterque est bonæ fidei, juris gentium, requirit pretium in pecunia numerata, &

solo consensu contrahitur. Nicolius *d. lib. 3. tit. 25. num. 2.*

4. *Quær.* In quo differat Locatio ab emptione? *Resp.* Quia in locatione periculum rei spectat ad locatorem, nisi ex dolo, lata, & levi culpa conductoris succedat. *l. Ex conducto, 15. ff. Locati.* In locatione non transfertur rei dominium. *l. Non solet, 39. ff. eod.* & in locatione locator potest à contractu resilire, si velit ipse uti re locata, vel in eo conductor male versetur. *l. 3. C. Locati.* Nicolius *dict. lib. 3. tit. 25. num. 3.*

5. *Quær.* Quotuplex sit Locatio? *Resp.* Est duplex, *Rei, & Personæ.* Locatio rei, quando locantur domus, prædia, equi. Personæ locatio, quando persona locat operas suas. Porrò, si artifex ultra operas ponat etiam materiam, tunc erit venditio, secus si materia detur à petente, quia erit Locatio, & Conductio. Nicol. *ubi supra in §. Item quæritur num. 10.*

6. *Quær.* Quis teneatur ad expensas rei conductæ? *Resp.* Teneri locatorem, dummodo sint necessariæ, ut fenestræ, vel ostia domus; & ei ab inquilino, seu conductore facta sit intimatio rei necessariæ. *l. Si merces,* ubi Castren. *§. Si vicino, ff. Locati.*

7. *Quær.* An tempore Pestis, qui conduxerat antea domum, possit illam deserere sine solutione pensionis? *Resp.* Affirmativè, si domino id denuncietur, & renuncientur claves. Mascard. *de Probat. concl. 820. num. 34.* Ego *de Euchar. decis. 61. num. 17.*

8. *Quær.* An dominus debeat solvere salarium famulo, qui cœpit servire absque pactione salarii? *Resp.* Affirmativè. *S. Congregat. 17. Novembris 1614. Episcopo Cremonæ.*

9. *Quær.* An, qui defendit litem alterius sine conventione salarii, possit illud petere? *Resp.* Affirmativè. Rubeus *in Singularib. Rotæ tom. 1. pag. 430. ad decis.* Coccini.

10. *Quær.* An salarium Militis, vel Doctoris publicè legentis possit sequestrari? *Resp.* Negativè. Everard. *in Locis legalib. loc. 56. num. 13.*

11. *Quær.* An dominus, licentians famulum ante tempus absque ejus culpa, teneatur ad integrum salarium? *Resp.* Affirmativè. Quòd si famulus recedat sine causa ante tempus, Herus nihil tenetur dare in foro exteriori; quamvis in foro conscientiæ teneatur ad ratam temporis mercedem, seu salarium solvere. Diana *part. 3. tract. 6. resol. 15.*

12. *Quær.* An famulo infirmo debeatur salarium? *Resp.* Affirmativè, saltem de æquitate; & maximè, si talis est loci consuetudo, prout est Romæ, etiam de rigore, & idem est de Officiali, & de Capellanis mercenariis. Sac. Cong. apud Nicol. *d. lib. 3. tit. 25. sub num. 25. ad tertium.*

13. *Quær.* Si quis vespere conducat operam alicujus pro die sequenti, & summo manè postea eum certiorem faciat, quòd non eget amplius illius opera, An teneatur solvere mercedem illius diei? *Resp.* Secundum *Jo. Valer.* relatum à Diana *part. 3. tract. 6. resol. 14.* non teneri: quod est intelligendum, si pro eo die non erat inventurus alios, qui eum ducere vellent.

14. *Quær.* Quibus modis finiatur Locatio? *Resp.* Finiri Primò, per lapsum termini constituti; quia conductor prior non habet jus, ut præferatur posterioribus (nisi sint prædia locanda Communitatis, vel fisci) & augmentum Pensionis ab aliis oblatum solvere velit. *l penult. & fin. C. de Locat. præd. civil. lib. 11.* Et hoc de æquitate Canonica servandum est in prædiis Religionum, Hospitalium &c. *arg. cap. 1. De dolo, & contum.* Rota apud Farinac. *part. 1. decis. 692. num. 11.* Et Romæ de hoc est statutum in omni re locata, & vocatur Jus Inquilinatus. Rota *d. decis. 692. num. 9.* Secundò, ex consensu partium. Tertiò, si conductor Pensionem non solvat. *l. Quæro. 56. §. Inter locatorem, ff. Locati.* Quartò, si Locator velit habitare ipse domum locatam. *l. 3. C. de Locato.* Quintò, quando conductor male utitur re conducta. *d. l. 3. C. de Locato.*

15. *Quær.* Quando dicatur Conductor male uti re conducta? *Resp.* In tribus casibus. Primò, si rem deteriorem faciat. Secundò, si in ea fœnus, & Usuras exerceat, *Cap. 1. de Usuris in 6.* Tertiò, si in ea Meretrices ponat. Gloss. *in l. Non aliter, ff. de Usu, & habitatione.*

16. *Quær.* Si quis conduxerit prædium per quinquennium, & finito tempore perseveret in Conductione, per quantum tempus durare in ipso prædio possit? *Resp.* In prædio rustico poterit durare per solum annum. In urbano prædio ad libitum domini. Nicol. *ubi supra num. 12.*

17. *Quær.* An Successor in dominio rei locatæ teneatur stare eidem locationi? *Resp.* Si est Successor particularis, ut emptor, legatarius, vel donatarius, & hic stare non tenetur. Vel est Successor Universalis, ut hæres: & hic tenetur stare. *l. Qui fundum 33. ff. Locati, l. Emptorem. 9. C. eod.*

18. *Quær.* Qua cautela uti possit Conductor, ne ante tempus expeliatur? *Resp.* Faciat sibi in instrumento locationis promitti, quòd dominus eum non expellat, & quòd durante locatione, rem alteri non alienabit. Jas. *in l. Quoties, C. de re vend.* Othobon. *decis. 59. num. 3.*

19. *Quær.* An bona Ecclesiastica possint locari anticipatis solutionibus? *Resp.* Negativè, & si pensiones fuerint anticipatè solutæ, & beneficiarius moriatur, damnum erit conductoris, qui statim à Successore poterit expelli. Ita Sac. Concilium Tridentinum *sess. 25. de ref. cap. 11.* Quem casum ego inveni, quando habui Mansionarium S. Bellini, in qua Prædecessor meus anticipatum affictum exegerat à conductore, & oportuit litigare pro expellendo conductore, & consequendo affictu; & obtinui pro me sententiam favorabilem. Et circa hunc casum exstat lex Excellentiss. Senatus Veneti *diei 27. Martii 1617.* prohibentis quibuscunque Ecclesiasticis hypothecare fructus Ecclesiarum, aut eos anticipatis solutionibus, vel eorum vita durante vendere

re ſub graviſſimis pœnis tum contrahentium, tum Notariorum ſcribentium hujusmodi contractus.

20. *Quær.* An conductor poſſit ſublocare rem conductam? *Reſp.* Affirmativè; niſi ſibi per pactum prohibeatur. *l. Nemo 6. C. Locat.*

21. *Quær.* An quis cogi poſſit ad locandam domum ſuam? *Reſp.* Affirmativè. Primò, pro commoditate Doctoris, ſeu Scholaris penes ſtudium publicum. Auth. *Habita. C. Ne Fil. pro Patr.* Secundò, ad repellendum impedimentum ſtudentibus: undè Fabri, & alii ſtrepitum facientes poſſunt longè repelli à domibus Doctorum, quod etiam ab Eccleſiis intelligendum eſt. Nicol. *ubi ſupra num.* 16.

CAPUT XCV.

De Emphyteuſi.

1. *Quær.* Quid ſit Emphiteuſis? *Reſp.* Eſt locatio rei immobilis facta vel in perpetuum, vel ad longum tempus, pro annua penſione, cum hac lege, ut quamdiu Emphyteuta penſionem ſolvat, ea privari non poſſit. Nicol. *dict. lib. 3. tit. 25. num. 4.*

2. *Quær.* Quibus modis fiat Emphyteuſis? *Reſp.* Tribus modis. Vel ad longum tempus, ut ad decennium. Vel usque ad tertiam, vel quartam generationem. Vel in perpetuum; & ſi agatur de bonis Eccleſiaſticis, ſemper requiritur licentia Papæ. Nicol. *ubi ſupra.*

3. *Quær.* Quæ ſint proprietates, & de ſubſtantia Emphyteuſis? *Reſp.* 1. Quòd utile dominium tranſeat in Emphyteutam, directo remanente apud dominum. 2. Quòd fiat in ſolis rebus immobilibus. 3. Quòd requiratur ſcriptura. 4. Quòd periculum rei ſpectet ad dominum, ſi res tota pereat; Si verò pro parte, ad Emphyteutam ſpectet; juxta illud carmen:

Si res perit tota, nihil dabit Emphyteota.
Si non tota perit, non ita ſalvus erit.

4. *Quær.* An Emphyteuſis acquiſita, ſeu relicta pro ſe, Filiis, & Nepotibus tranſeat ad fœminas? *Reſp.* Negativè, quia in contractibus fœminæ non veniunt nomine filiorum. Rota *in una Imolen. bonorum* 18. *Junii* 1618. *coram Coccino.* Quæ eſt *in rec. part.* 4. *tom.* 2. *deciſ.* 107.

5. *Quær.* An tranſeat ad fœminas, ſi ſit acquiſita usque ad tertiam generationem? *Reſp.* Affirmativè, quia & fœminæ ſub hoc nomine comprehenduntur. Bonac. *tom.* 2. *de Contract. d.* 3. *q.* 7. *punct.* 2. *num.* 34. Niſi fuiſſet dictum pro filiis maſculis.

6. *Quær.* An acquiſita Emphyteuſi usque ad tertiam generationem, ipſe acquirens faciat primum gradum? *Reſp.* Negativè, quia nemo generat ſe ipſum, ut ex Rota notat Nicol. *ubi ſupra ſub num.* 4. *ad ſeptimum d. lib.* 3. *tit.* 25.

7. *Quær.* An Emphyteuſis Eccleſiaſtica, conceſſa pro hæredibus, & ſucceſſoribus, tranſeat ad hæredes, & ſucceſſores extraneos? *Reſp.* Negativè, ſed ad illos ſanguinis. Rota *coram Cerro in una Cajetana bonorum* 3. *Novembris* 1646. Quæ eſt *in rec. part.* 9. *tom.* 2. *deciſ.* 427.

8. *Quær.* Quando poſſit Emphyteuta privari re Emphyteotica? *Reſp.* In tribus caſibus. Primò, ſi rem deteriorem reddat; ut arbores cædendo, domum extirpando. Auth. *Qui rem. C. de Sacroſ. Eccleſ.* Secundò, ſi canonem per biennium non ſolvat. *cap. Potuit.* ubi Gloſſ. *extr. de Locato.* Tertiò, ſi rem irrequiſito domino vendat. Nicol. *ubi ſupra num.* 5. & in dictis caſibus non ſolùm perdit rem, ſed etiam melioramenta. Gloſſ. *in l. 2. C. de Jure Emphyteot.*

9. *Quær.* Quando poſſit retinere rem Emphyteoticam ſolvendo debitum decurſum? *Reſp.* Quando dominus non proceſſit ad privationem, & canonem recepit. Ludoviſ. *deciſ.* 148. quia tunc purgatur mora, & cenſetur caducitas remiſſa. Item quando debitum erat de parva ſumma. Nicol. *ubi ſupra num.* 5.

10. *Quær.* An incurratur caducitas, ſi alienatio fiat cum clauſula, dummodo dominus conſentiat? *Reſp.* Negativè, quia domino non conſentiente nulla eſt alienatio. Othobon. *deciſ.* 13. *num.* 7.

11. *Quær.* Si quis Emphyteuta alienet irrequiſito domino partem rei, an cadat à tota re? *Reſp.*, Negativè, ſed tantùm ab illa parte alienata: niſi tacuiſſet, quòd illa res tota erat Emphyteotica, quia tunc caderet à tota. Rota coram Ludov. *deciſ.* 219.

12. *Quær.* An res Emphyteotica poſſit impunè donari, domino irrequiſito? *Reſp.* Affirmativè, ſed antequam donatarius capiat poſſeſſionem, debet requirere conſenſum domini, & laudemium ei ſolvere. Ludoviſ. *deciſ.* 520. Clarus *in §. Emphyteuſis quæſt.* 15.

13. *Quær.* Quid juris, ſi in eo caſu dominus nollet conſentire? *Reſp.* Debet donatarius adire Judicem, qui eum obligabit ad conſentiendum. Rota apud Ludoviſ. *d. deciſ.* 520. *num.* 4. *& par. 1. rec. deciſ.* 280.

14. *Quær.* An alienatio apud manum mortuam, id eſt, Eccleſiam, vel Univerſitatem, quæ nunquam moritur, poſſit fieri? *Reſp.* Negativè, quia dominus directus amitteret ſpem devolutionis, & laudemii in perpetuum. Rota coram Ludoviſ. *d. deciſ.* 520. *& deciſ.* 529.

15. *Quær.* An prohibens alienationem in Eccleſias, vel Univerſitates Eccleſiaſticas per viam ſtatuti, aut legis generalis faciat contra libertatem Eccleſiaſticam? *Reſp.* Affirmativè, ut mordicùs defendit Diana *part. 1. tract. 1. reſol.* 103. *part. 3. tract. 1. reſol.* 14. *& par. 4. tract. 1. reſol.* 57.

16 *Quær.* An domino volente poſſit de jure Eccleſia acquirere Emphyteuſim? *Reſp.* Affirmativè, ut Beltram. *in Addit. ad Ludoviſ. deciſ.* 520.

17. *Quær.* An in caſu lineæ finitæ poſſit dominus directus propria auctoritate capere poſſeſſionem rei Emphyteuticæ? *Reſp.* Negativè; ſed jure mediante, ad hoc ut

hæres possit consequi melioramenta de jure bonificanda. Ludovis. *decis.* 105. *num.* 11.

18. *Quær.* An finita linea, si dominus velit iterùm dare rem illam in Emphyteusim, debeat anteferre cæteris descendentes à primo investito? *Resp.* Affirmativè, ut probat Genuens. *in Praxi cap.* 82.

19. *Quær.* Quando præsumatur Emphyteusis, & non simplex locatio? *Resp.* Secundùm Legem Venetam præsumitur Emphyteusis, quando eadem pensio soluta est per 40. annos. At si constaret de initio simplicis locationis, non præsumeretur Emphyteusis. Jacob. Menoch. *cons.* 291. *num.* 11. Quod tamen malè in praxi servatur ob ignorantiam judicum, Nam celeberrimus Vicarius Prætorius Dominus Comes Belisarius à Sancto Flore Seravalensis testatus est mihi, se judicasse pro simplici locatione ad favorem Ecclesiæ, quamvis ipsa recepisset eamdem pensionem ultra 40 annos; quia constabat ab initio, bona fuisse concessa titulo simplicis locationis.

CAPUT XCVI.

De Livello.

1. *QUær.* Quid sit Livellus, sive contractus Libellaticus? *Resp.* Est contractus similis emphyteusi, in quo datur fundus sub certa pensione in perpetuum, vel ad longum tempus, cum translatione utilis dominii in Libellarium, & retentione directi in Libellante. Nicol. *d. lib.* 3. *tit.* 25. *num.* 8. Leotard. *de Usuris qu.* 89. *num.* 1.

2. *Quær.* An contractus Libelli sit licitus? *Resp.* Pugnare inter se Doctores, tam Theologos, quàm Juristas; quorum plurimi tenent, hunc contractum esse illicitum, tanquam Usurarium; quia qui Libellum facit, in rei veritate mutuat pecuniam cum lucro quinque vel sex pro centenario; & non intendit vendere suum fundum, seu illum emere. E contra alii tenent, esse contractum licitum, quia per totam ferè Europam practicatur; ut scribit Mantica *de Tacit. & ambiguis convent. lib.* 22. *tit.* 3. & Leotard. *ubi supra num.* 3. *& seqq.* Et ego *in Decis. de anno* 1685. *Mense Decembri*, ubi plenè examinavi materiam Livellorum.

3. *Quær.* Quid in puncto juris, & in puncto conscientiæ sit dicendum circa Justitiam hujus contractus? *Resp.* Posse responderi, quòd sit licitus; si pacta duriora non imponantur accipienti pecuniam; si fundus verè existat, qui venditur, & retroceditur ad Livellum; si in pacto restituendi pecuniam, nempe affrancandi Livellum, cautè procedatur, & non ponatur ad libitum Livellantis; quia illud est signum evidens fœnoris. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 122. *num.* 19. & Leotard. *d. quæst.* 89. *num.* 18. Quòd latiùs à me fuit disputatum *in dd. Decisionibus Anni* 1685. *d. Mense Decembri*, quas legisse quemlibet juvabit.

4. *Quær.* In quo differat Livellus à Censu? *Resp.* In hoc potissimùm differre, quòd in Livello dominium directum fundi frugiferi remanet penes Livellantem; in Livellarium verò transit tantummodo dominium utile. At in sensu resignativo utrumque dominium transit in Censuarium. Et in Censu consignativo utrumque dominium pariter remanet in Censuario; quia censualista acquirit solum jus exigendi annuam pensionem; ut scripsi *in dictis meis Decisionibus Anno* 1685. *quæstio* 1. *Mensis Decembris.*

5. *Quær.* Quotuplex sit Livellus? *Resp.* Quòd est duplex. Unus pecuniarius, quando pro Livello solvitur annua pecunia. Alter fructuarius, quando pro eo solvitur granum, vel vinum. Item alius est francabilis, & alius perpetuus; de quibus *d. Anno* 1685. *Mense Decembri.*

6. *Quær.* Quot conditiones sint necessariæ pro justitia hujus contractus Livellarii? *Resp.* Quinque. 1. Quòd fundus, super quo fit Livellus, sit in rerum natura. 2. Quòd sit in dominio ejus, qui vult eum dare ad livellum. 3. Quòd non sit prohibitus alienari. 4. Quòd sit frugiferus. 5. Quòd Pensio Livellaria correspondeat fructibus ejusdem fundi. Ita *in iisdem Decis. Anni* 1685. *Mense Decembri in tertio quæsito* ubi DD.

7. *Quær.* An in Livello necesse sit exprimere individualiter confines camporum, super quibus formatur? *Resp.* Negativè, nam sufficit eos generaliter nominare; ut fit, quando constituitur livellus, E. gr. super quatuor campis de corpore Unius possessionis camporum centum in tali Villa existentis. Menoch. *cons.* 287. *à num.* 8. *& seqq.* Rota *par.* 4. *rec. Decis.* 636. *num.* 3. Adden. *ad Ludovis. Decis.* 355. *num.* 6. & ad Burattum *Decis.* 50. *num.* 29.

8. *Quær.* Quanta summa pensionis annuæ possit imponi pro Livello? *Resp.* Si Livellus sit perpetuus, non debet Pensio excedere quatuor pro centenario. Si Pensio sit libera ab omni gravedine, non debet excedere quinque cum dimidio pro omni centenario. Si non sit libera ab omni gravedine, non debet excedere sex pro centenario. Ratio est, quia in hac materia talis est consuetudo, & lex Serenissimæ Reipublicæ, ut in nova impressione Statuti Paduani de Anno 1682. pag. 329. Ut ego scripsi *in d. Decis. Anno* 1685. *Mense Decembri.* Et docet Matta *cons.* 126. *num.* 35. Salas *de Censib. dub.* 22. Cardin. de Lugo *de Just. & jur. disp.* 27. *num.* 44. & Decian. *vol.* 5. *resp.* 23. *num.* 25.

9. *Quæri* An ex Livellis sua die non solutis, & ob moram debeatur interesse? *Resp.* Negativè. *l.* 2. *ff. de Admin. rerum ad Civit. pertinent. l. Neque eorum, ff. de Usuris.* Leotard. *ubi supra num.* 21.

10. *Quær.* An Livellarius super re, quam tenet ad Livellum, possit censum constituere, seu pecuniam accipiendo aliud Livellum super ea constituere? *Resp.* Affirmativè; dummodo id sibi prohibitum non fuerit à domino directario. Item, quòd non sit in præjudicium primi Livelli; & quòd fundus, vel domus sit capax constitutionis hujus secundi Livelli. Leotard. *de Usuris quæst.* 52. *num.* 21. Igitur ego accepi in Livellum domum, quàm habito pro Ducatis 30. annuis.

Feci

Feci in ea multa melioramenta. Si vellem accipere ab aliquo pecuniam ad Livellum super hac domo, possem; dummodo nihil præjudicaretur primæ pensioni Livellariæ.

CAPUT XCVII.

De Feudo.

1. *Quær.* Quid sit Feudum? *Resp.* Est contractus juris civilis, quo quis tradit Vasallo rem suam immobilem quoad dominium utile, cum onere obsequii, seu servitii. Nicol. *dict. lib. 3. tit. 25. num. 9.*

2. *Quær.* An sit antiquus iste contractus? *Resp.* Esse antiquissimum; nam de eo mentio habetur 1. *Machabæor. 7. 8.* De Bacchide feudatario Regis Demetrii, ubi vocatur fidelis Regi; nam idem est esse fidelem Regi, & vasallum Regis; ut *ex Tito Livio* probat Nicol. *in Floscul. Verb. Feudum num. 3.*

3. *Quær.* Quotuplex sit Feudum? *Resp.* Feudum est Triplex. Primum ex Pacto, & Providentia; & hoc transit in descendentes Agnatos, licet non sint hæredes primi acquirentis. Secundum Hæreditarium; & hoc transit etiam ad extraneos, dummodo sint hæredes primi acquirentis; quamvis de fœminis dubitet Peregrin. *in Decis. Patavinis decis. 151. num. 37.* Tertium est Feudum mixtum, quod transit ad legitimos descendentes, dummodo etiam sint hæredes primi acquirentis. Monald. *tom. 2. cons. 17. à num. 19. & seqq.* ubi scribit de Feudis Episcopatus Paduani.

4. *Quær.* Quale censendum sit Feudum, si in dubio simus circa prædictas species? *Resp.* Quòd in dubio præsumitur Feudum ex pacto, & providentia. Menoch. *consil. 160. num. 30.* Ludovis. *decis. 418. num. 13. & ibi Add. num. 18.*

5. *Quær.* An sit Feudum illud, in quo non est impositum onus obsequii, seu servitii? *Resp.* Illud esse Feudum improprium, & esse transitorium ad quoscunque hæredes. Othobon. *decis. 265.* Rota *part. 12. rec. decis. 237.* & Menoch. *cons. 65.*

6. *Quær.* Quæ sint conditiones Feudi propriè sumpti? *Resp.* Sunt quinque. *Prima*, ut sit onus obsequii, seu servitii, puta defendendi dominum in bello cum tot armatis, sumptibus Vasalli. *Secunda*, ut dominium directum stet apud dominum, utile verò apud Vasallum. *Tertia*, ut sit de re immobili, & cui sit annexa Jurisdictio civilis, vel criminalis. *Quarta*, ut Vasallus non alienet Feudum sine consensu domini. *Quinta*, ut Vasallus præstet servitium debitum, cùm à domino requiritur. Si deficiat prima aut tertia conditio, Feudum est potiùs Emphyteusis, quàm Feudum. Nicol. *d. lib. 3. tit. 25. sub num. 9.*

7. *Quær.* An Feudum transeat in Monasterium, si Feudatarius fiat Monachus? *Resp.* Affirmativè, ejus vita durante, dummodo servitium præstandum possit honestè præstari à Monasterio. Fagnan. *in cap. Quæ in Ecclesiarum num. 58. de Constitut.*

8. *Quær.* An Feudorum liber sit liber Authenticus? *Resp.* Affirmativè, exceptis his, quæ repugnant Ecclesiasticæ libertati. Fagn. *ibid num. 94. & seqq.*

9. *Quær.* An linea finita, & Feudo ad dominum revertente, possit ultimus hæres petere à domino pretium melioramentorum rei Feudalis? *Resp.* Affirmativè. Nicol. *lib. 4. tit 6. de Actionibus num. 303. tom. 1.*

10. *Quær.* Quando Feudum dicatur hæreditarium, & transeat ad hæredes etiam extraneos? *Resp.* Quando in prima investitura Feudum concessum fuit pro se, suis, & hæredibus quibuscunque. Monald. *tom. 2. cons. 17 num. 19.*

11. *Quær.* Quodnam sit Feudum ex Pacto, & Providentia? *Resp.* Esse illud, quod fuit acquisitum pro se, & filiis, descendentibusque ab eis. nulla facta mentione de hæredibus. Monald. *ibid. num. 20.*

12. *Quær* Quale sit Feudum mixtum? *Resp.* Quando obtentum fuit pro se, filiis, ac hæredibus. Monald. *ibid. num. 21. & 22.*

13. *Quær.* Si plures sint consortes Feudatarii in eodem Feudo; an, finita linea unius ex consortibus, Feudum devolvatur ad dominum, an ad alios consortes? *Resp.* Si à principio fuit acquisitum à pluribus consortibus pro se, suisque descendentibus; tunc una linea extincta, Feudum devolvitur ad dominum. At si ab uno tantùm fuit acquisitum, & postea descendentes ab eo divisissent Feudum in tot portiones; in hoc casu, si una linea extinguatur, devolvitur ad alios consortes. Menoch. *cons. 464.* Seraphin. *decis 1023.* Tondut. *tom. 2. quæst. Canon. cap. 177.*

14. *Quær.* An linea extincta, per quam Feudum devolvitur ad dominum, sit necessaria sententia declaratoria super devolutione, an verò possit dominus absque alia sententia investire novem Vasallum? *Resp.* Posse investire absque alia sententia super devolutione. Monald. *cons. 96. num. 9. tom. 1.* ubi scripsit ad favorem Comitis Leonelli Clericati Nob. Vicentini mei Consanguinei.

15. *Quær.* An Feuda Episcopatus Paduani transeant etiam ad fœminas in defectu Masculorum? *Resp.* Affirmativè, nisi in investituris sint per expressum exclusæ. Silvaticus *in suis Consiliis tom. 2. cons. 56. num. 60.*

16. *Quær.* Qua de causa Episcopi Paduani, & ferè omnes Episcopi, dederint in Feudum tot, & tantas Decimas personis Laicis, quæ aliàs sunt incapaces Decimarum? *Resp.* Causam fuisse, ut defenderent Episcopum, & Ecclesiam ab Hæreticis, & aliis oppressoribus. Vide Glossam *in cap. Quamvis. 17. in Verb. Concesserit, de decim.*

17. *Quær.* Quando fuerit prohibitum Episcopis dare Decimas Laicis in Feudum? *Resp.* Fuisse prohibitum in Concilio Lateranensi, ut *cap. Prohibemus. 19. de Decimis.*

18. *Quær.* Quo tempore, & sub quo Pontifice celebratum fuerit dictum Concilium Lateranense, & facta prohibitio infeudandi

dandi Decimas? *Reſp.* Lateranenſe Concilium, in quo Feuda fieri de Decimis prohibitum fuit, non illud Generale fuiſſe, quod ſub Innocentio III. celebratum fuit anno 1215. à quo tot, & tanti Canones leguntur deſumpti per Gregorium Nonum; ſed fuiſſe Concilium in Laterano celebratum ab Alexandro Tertio de Anno 1179. quod non dicitur generale, ſed vocatum ad hoc, ut prohiberentur Feuda Decimarum, ut ex DD. probat Moneta *de Decimis, cap. 5. quæſt. 3. num. 67. & 68.*

19. *Quær.* An dictum Concilium Lateranenſe damnaverit etiam conceſſiones Decimarum ante factas? *Reſp.* Negativè. Et licèt contrarium videatur innuere dictum *cap. Prohibemus 19. de Decimis*; tamen illud eſt intelligendum vel de Decimis obtentis ſine legitimo infeudationis jure; vel de Laicis non exhibentibus Eccleſiæ debita obſequia, & ſervitia, quæ ratione Feudi exhibere tenentur, ut ex DD. probat Moneta *de Decimis dict. cap. 5. quæſt. 3. numer. 66. & 67.*

20. *Quær.* An Papa poſſit dare in Feudum aliqua bona, aut jurisdictionem Eccleſiæ Romanæ? *Reſp.* Negativè, ſtante Bulla prohibitoria S. Pii V. 35. Incip. *Admonet nos*, Cujus Bullæ obſervantiam jurant omnes Cardinales in aſſumptione Pilei, ſub pœna perjurii, & perpetuæ infamiæ; quam Bullam confirmavit Urbanus VIII. per Conſtitutionem ſuam Incip. *Sacroſancti. Anno* 1623. ut notat Theſaur. *de Pœnis Eccleſ. part. 2. in Verb. Alienatio cap. 3. in fine.* Illuſtriſs. Baptaglin. *in Annal. Sacerdotii & Imperii Anno* 1623. *num.* 11.

21. *Quær.* An Judices Laici poſſint judicare cauſas Feudorum Epiſcopalium conceſſorum ante Concilium Lateranenſe? *Reſp.* Secundùm modernos DD. affirmativè; quia docent, Decimas habitas in Feudo ab Epiſcopis ante Concilium Lateranenſe effectas eſſe bona allodialia, & in commercio Laicorum; adeò, ut ab eis poſſint vendi, dari in dotem, & alienari, tanquam res profanas. Nicolaus Noalis *conſ.* 60. *num.* 9. *per totum.*

22. *Quær.* Quando probentur Feuda Decimarum facta ante Concilium Lateranenſe? *Reſp.* Quando poſſeſſa ſunt à Laicis per tempus immemorabile, & de cujus initio non conſtat, tunc enim præſumuntur facta ante Concilium Lateranen. Nicol. Noalis *conſ.* 81. *num.* 1. *&* 2. *ubi DD.* Quod procedit, quamvis exhibeantur plures inveſtituræ, quando de prima inveſtitura non conſtat. Rota *part.* 15. *recent. deciſ.* 375. *num.* 7.

CAPUT XCVIII.

De Societate.

1. *Quær.* Quid ſit Societas? *Reſp.* Eſt duorum, pluriumve conventio, honeſtè contracta, ad uberiorem quæſtum, & commodiorem uſum. Nicol. *lib.* 3. *tit.* 26. *in princ.*

2. *Quær.* An ſit aliquis prohibitus, inire Societatem, vel contrahere cum aliquo? Eſſe prohibitos, 1. Medicos cum Aromatariis. *Greg. XIII. Conſt.* 29. *Incip. Officii noſtri.* 2. Eosdem Medicos cum Infirmo, durante Infirmitate. *l.* 3. *ff. De Var. & Extraord. cognit.* 3. Advocatus cum cliente; durante lite. *l. Quiſquis 6. C. de Poſtul.* & 4. Carceratos cum Judicibus, ſeu è contra. *l. Qui carcerem*, 22. ubi Gloſſ. *ff. Quod metus cauſa.*

3. *Quær.* Quot modis fieri poſſit Societas? *Reſp.* Duobus modis. Aut generaliter de omnibus bonis Sociorum. Aut ſpecialiter de aliqua re, negotio, vel individua ſpecie Mercaturæ. Nicol. *ubi ſupra d. lib. 3. tit. 26. num.* 2.

4. *Quær.* Quomodo dividantur lucra, & damna inter Socios? *Reſp.* Servandas eſſe ſequentes Regulas. *Prima* eſt, ſi factum ſit pactum, quòd unus habeat duas partes lucri; intelligitur, quòd habere debeat etiam duas partes damni. *Secunda* eſt, Si quis poſuit duas partes capitalis, & alter unam partem; primus habebit duas partes lucri, alter unam tantùm partem. *Tertia* eſt, ſi unus ponat induſtriam, & alter ſortem, tunc lucrum erit æquale. Quæ procedunt, ubi expreſſè conventum non ſit inter Socios de lucro, & damno. Nicol. *ubi ſupra num.* 3.

5. *Quær.* An conventio valeat, ut unus habeat partem lucri ſine damno? *Reſp.* Affirmativè, ſi plus contribuat in ſorte, vel in induſtria. Porrò, quòd unus habeat totum lucrum, alter verò totum damnum, conveniri non poteſt, quia eſſet Societas Leonina. *§. De illa. Inſt. eod. tit.*

6. *Quær.* Quot modis finiatur Societas? *Reſp.* Finiri per renunciationem, per mortem, & finito negotio, ſeu tempore, in quo fuit conventum, ut duraret Societas. Nicol. *ubi ſupra num.* 4.

7. *Quær.* An Socius teneatur de leviſſima culpa? *Reſp.* Negativè, ſed tantùm de dolo lata, & levi. *§. Fin. Inſt. de Societate.*

8. *Quær.* An Socius poſſit paciſci cum Socio, ut ſibi det certam ſummam lucri liberam ab omni damno, & ab omni periculo? *Reſp.* Affirmativè, ſi in eo contractu alium contractum, qui *Aſſecurationis* vocatur, ineant; & illa ſumma ſit multò inferior, quàm ſi vellet ſtare etiam periculo. *cap. Per veſtras, 7. de Donat. inter virum, & uxor.* Navar. *in Man. cap.* 17. *num.* 255.

9. *Quær.* Quot modis poſſint Animalia dari ad Societatem? *Reſp.* Tribus modis. Primò, cùm unus dat Animalia ad laborandum, & alius ponit induſtriam. Secundò, cùm dantur Animalia ad cuſtodiam, & alter ea ſervat, & fœtus venduntur. Tertiò, cùm ſub ſtatuta mercede Animalia ad opus traduntur. In quibus caſibus Animalia debent ſemper ſtare periculo conferentis. Nicol. *ubi ſupra d. lib. 3. tit. 25. num.* 7.

10. *Quær.* Quomodo fieri poſſit Societas officiorum? *Reſp.* Romæ eſſe communiſſimam hanc Societatem inter Curſores, Notarios, & ſimiles; & fieri præcipuè duobus modis. Uno, quando duæ perſonæ de communi

muni pecunia emunt illud officium; nam fructus, & emolumenta illius officii æquis portionibus dividuntur. Altero modo, quando unus dat pecuniam in emendo officio, alter ponit industriam in eo exercendo. Nicol. *ubi supra num.* 10. & 11.

11. *Quær.* An in fine Societatis, si extent credita exigenda, possint assignari uni ex Sociis pro minori summa, quam sint in effectu ratione laboris, & difficultatis in exigendo? *Resp.* Affirmativè, dummodo habeatur respectus ad id, quod interest in exactione facienda, cessent fraudes, & alii Socii consentiant. Petr. de Ubald. *de duobus Fratrib. part.* 11. *num.* 103. Leotard. *de Usuris qu.* 31. *n.* 33. & de hac societate officiorum videantur discursus XII. Eminent. Cardin. de Luca *in suo Theatro Veritatis.*

CAPUT XCIX.

De Mandato; & de Procuratoribus.

1. *Quær.* Quid sit Mandatum? *Resp.* Est contractus, quo quis aliquod officium gratuitò expediendum suscipit; & hoc vel expressè, vel tacitè, ut si quis præsens patiatur negotia sua ab alio fieri, tenetur ei actione mandati. *l. Si numerandi*, 6. §. *Si passus, ff. Mandati.*

2. *Quær.* Quibus modis fieri possit iste contractus? *Resp.* Sex modis. Primò, mea tantùm gratia. Secundò, tua tantùm gratia. Tertiò, aliena tantùm gratia. Quartò, mea, & aliena gratia. Quintò, tua, & mea gratia. Sextò, tua, mea, & aliena gratia. Sed secundus modus strictè loquendo non est mandatum, sed consilium; ideò, ex eo non oritur actio Mandati. *cap. Nullus ex consilio, de Reg. Jur. in 6.* Nisi dedisset consilium delinquendi, vel committendi aliquam fraudem. Nicol. *Instit. Civil. lib.* 3. *tit.* 27. *num.* 1.

3. *Quær.* An si ego commendavi tibi Titium per litteras meas, ut in his, qui ei poteris favere, id facias; & tu mutuaveris ei centum à me repetere actione mandati? *Resp.* Negativè. *l. Si verò* 12. §. *Cum quidam, ff. Mandati.* Tribus tamen casibus exceptis. Primò, si in litteris dictum sit, ut Titio credas, meo periculo. *l. Lucius* 25. *ff. de Fidejussor.* Secundò, si Titius esset filius, famulus, aut institor scribentis. Bart. *in d. l. Lucius.* & Tertiò, si litteræ expressè dicerent de illo etiam juvando per mutuum. Bart. *ibid.*

4. *Quær.* An valeat Mandatum de re turpi? *Resp.* Negativè, licèt cum juramento susceptum; & si exequatur, actio competit læso tam contra Mandantem, quàm contra Mandatarium. *d. l.* 6. §. *Si passus, ff. Mandati.*

5. *Quær.* Si Mandans rogaverit sibi emi talem equum centum scutis, & Mandatarius ex sua industria illum emat nonaginta; an possit consequi centum à Mandante? *Resp.* Negativè, quia Mandatum debet esse gratuitum. *l. Idemque*, 10. §. *Si mandavero. ff. Mand. cap. Locupletari, de reg. jur. in 6.*

6. *Quær.* Si ego mandavero, rem meam vendi viginti scutis, & Mandatarius eam vendat viginti quinque, an possit illa quinque sibi retinere? *Resp.* Negativè. *l. Ex Mandato* 20. *ff. Mandati.* Excipitur, nisi priùs Mandatarius emisset illam rem pro se pretio præscripto; & postea alteri vendidisset pluris. Vel nisi Mandans cederet illud plus Mandatario pro labore. Nicol. *ubi supra num.* 5. Et nos supra *cap.* 90. *num.* 25.

7. *Quær.* An Sartores, qui pro aliis emunt pannum à mercatoribus sibi benevolis minori pretio, quàm aliis vendant, possint sibi retinere illud plus, quod ipse, pro quo emunt, expendisset? *Resp.* Affirmativè, quia non fit ei injuria. Bonacina *tom.* 2. *de Restit. disp.* 1. *qu.* 2. *punct.* 7. *num.* 13. & *seqq.*

8. *Quær.* An Mandatarius possit substituere in eodem negotio aliam personam? *Resp.* Cum distinctione: aut loquimur de Mandatario, seu Procuratore ad Judicia, & hic ante contestationem litis substituere non potest, postea verò sic, quia factus est dominus litis. *cap.* 1. *de Procur. in* 6. Vel de Mandatario ad negotia, & hic semper potest substituere, nisi appareat, fuisse electam industriam suæ personæ. *cap. Is qui*, 3. *de Procurator. in* 6.

9. *Quær.* Quænam sit differentia inter Procuratorem ad litem, & Advocatum? *Resp.* Quòd Advocatus exponit ea, quæ juris sunt: Procurator verò, quæ consistunt in facto, undè non oportet, ut Procurator sit Doctor. Nicol. *Instit. Can. lib.* 1. *tit.* 38. *num.* 1. & 2.

10. *Quær.* An filius familias possit esse Procurator in Judicio sine consensu Patris? *Resp.* Affirmativè. *cap. Qui generaliter.* §. 1. & *cap. penult. de Procur. in* 6.

11. *Quær.* An Cancellarius, vel Magister actorum possit in eodem Tribunali facere officium Procuratoris? *Resp.* Negativè. *l. Domesticus*, 4. *C. de Assessor.* Sac. Cong. apud Nicol. *ubi supra num.* 4.

12. *Quær.* An Laicus possit esse Procurator in causis spiritualibus? *Resp.* Affirmativè. *cap.* 1. *de Procurat. in* 6.

13. *Quær.* An Clerici possint exercere Procuratoris officium coram Judice sæculari? *Resp.* Negativè, si in sacris sint, vel beneficiati; nisi agant pro Ecclesia sua, aut conjunctis, vel miserabilibus personis. *cap.* 1. & *fin. de Postulando.* Domi tamen consulere possunt tam verbo, quàm scriptura. Sacra Congreg. quam allegat Nicol. *Instit. Canon. lib.* 1. *tit.* 37. *num.* 2. ubi, quòd Clericis in minoribus non beneficiatis respondit, non esse prohibendum, quin coram Judice Laico officium Procuratoris, seu Advocati exerceant. Quæ responsio non est contraria *cap.* 1. *de Postul.* quia ibi dicitur, nisi stipendiis Ecclesiasticis sustententur.

14. *Quær.* An conjunctus sanguine, seu frater Vicarii possit esse Cancellarius, vel Notarius in eodem Episcopatu? *Resp.* Negativè. Sacra Congreg. *in una Spoletana* 23. *Augusti* 1652. Nicol. *dict. tit.* 37. *in fin. in Elucubrat. Canonicis.*

15. *Quær.* In qua ætate possit quis esse Procurator? *Resp.* Quo ad negotia annorum 17. Quo ad judicia annorum 25. completo.

pletorum, *cap. Qui generaliter. §. fin. de Procur. in 6.*

16. *Quær.* An acta facta in Judicio per Procuratorem, qui non exhibuit Mandatum tum Procuræ sint valida, vel nulla? *Resp.* Aut pars contraria protestata est, quod doceat de Mandato procuræ? & si non doceatur, acta sunt nulla. Rota apud Gales. *decis.* 128. *num.* 1. Aut pars id non requisivit, sed eum agere permisit? & acta valent. Othob. *decis.* 85.

17. *Quær.* An Mandatum Procuræ necessariò fieri debeat per Notarium? *Resp.* Negativè, quia sufficit, si fiat per privatam Scripturam, ac etiam per Epistolam tantùm, *l.* 1. *ff. de Procur.*

18. *Quær.* An aliquando quis possit agere sine Mandato nomine alterius? *Resp.* Posse agere sine Mandato filius pro patre, servus pro domino, & Monachus pro suo Monasterio. Othobon. *decis.* 208.

19. *Quær.* Qui sint casus, in quibus non sufficit Mandatum procuræ generale, sed requiritur speciale? *Resp.* Plures esse casus in jure; sed principaliores, & magis usitatos esse sequentes. Primò ad præstandum juramentum in judicio; transigendum, vel paciscendum. *cap. Qui ad agendum* 4. *de Procur. in 6.* Secundò, ad petendum restitutionem in integrum. *cap. Coram, de Restit. in integr. cap. Suscitata, de Procur.* Tertiò, ad petendum rescriptum Apostolicum. *cap. Nonnulli, & cap. Ex parte, de Rescript.* Quod eo magis procedit ad resignanda Beneficia, & consentiendum Pensionibus. Quartò, ad faciendum exemplari Instrumentum jam consumptum. *cap. fin. de fide Instrument.* Quintò, ad agendum quodcunque negotium grave, seu litem Universitatis, seu Capitulorum, à quibus propterea non esse faciendos Procuratores generales ad omnes lites, seu negotia; sed tantùm secundùm casus particulares, qui dietim succedere possunt, respondit Sacra Congr. *in una Sanctæ Severinæ* 27. *Sept.* 1641. Sextò, ad petendam absolutionem à censuris. *cap. Quod de iis in fine, de Sent. Excommunicationis.* Gloss. *in d. cap.* 4. *Verb. Speciale Mandatum, de Procur. in* 6. & Septimo, ad contrahendum Matrimonium.

20. *Quær.* Quot conditiones requirantur, ut Matrimonium contrahi possit validè per Procuratorem? *Resp.* Tres conditiones requiri. Primò, ut Procurator contrahat coram Parocho, & testibus. Secundò, ut habeat speciale Mandatum exprimens in individuo personam, cum qua est contrahendum. Et Tertiò, ut voluntas Mandantis perseveret usque ad perfectam celebrationem; nam si Mandans retractet suam voluntatem ante celebrationem, licèt Procurator notitiam non habeat, Matrimonium non tenet. *cap. fin. de Procur. in* 6.

21. *Quær.* An Procurator ad Matrimonium contrahendum factus possit alium substituere? *Resp.* Negativè, nisi id expressè ei permittatur. *d. cap. fin. in* 6.

22. *Quær.* In quibus casibus non sit permittendum, ut quis agat per Procuratorem, sed personaliter, & per semetipsum? *Resp.* In jure plures casus adnotari, quos refert Fabius Golinus *in suo tractatu de Procuratoribus par.* 2. *cap.* 1. *pag. mihi* 57. Sed unus nobis est ediscendus, nempe in causa criminali, quando delictum requirit pœnam corporis afflictivam; tunc enim Reus non est audiendus per Procuratorem, sed debet personaliter comparere. Gloss. *ubi supra num.* 29. Nicol. *Instit. Canon. lib.* 1. *tit.* 38. *num.* 13. ubi allegat responsa Sacræ Congregationis.

23. *Quær.* An fidei professio à beneficiatis Canonicis, & aliis de jure eam emittere obligatis, fieri possit per Procuratorem? *Resp.* Esse controversiam apud Doctores, pluresque in utramque sententiam descendere; prout videre est apud Barbosam *de Offic. & Potest. Episcopi allegat.* 61. *num.* 19. Opinio affirmativa est probabilior; negativa vero est magis tuta. Diana *part.* 5. *tractat.* 14. *resol.* 19. At Nicol. *Instit. Canon. lib.* 1. *tit.* 1. *sub num.* 11. advertit, quod solet peti licentia à Sac. Congregatione, quæ eam facilè indulget absentibus, præcipuè causa studii, dummodo reversi eam personaliter iterùm emittant.

24. *Quær.* Hoc loco qui teneantur facere Professionem fidei? *Resp.* Primò, promovendi ad Episcopatum. Secundo, Provisi de Parochialibus, aut Dignitatibus vel Canonicatibus in Cathedrali; non autem in Collegiatis, neque si coadjutores facti sint, donec vivat principalis. Tertio, Provisi de Monasteriis, Conventibus, Domibus, & aliis quibuscunque locis Regularibus, etiam Militiarum; quamvis circa hos Usum esse contrarium dicat Diana *par.* 3. *tract.* 2. *resol.* 78. Quarto, Promovendi ad gradum Doctoratus. Quinto, Magistri Grammatices, Sexto, Concionatores. Septimo, Lectores Sacræ Scripturæ, & Theologiæ. Octavo, Medici, & Jureconsulti, si publicè scientias suas profiteri velint. Nono, Impressores Librorum. Decimo, Omnes alii, à quibus periculum esse possit errorum disseminandorum. Nicol. *dict. lib.* 1. *tit.* 1. *in fine.* Sed heu, quàm negligentes sunt Episcopi in exigendo hoc debito! Oh utinam S. Carolum imitarentur; qui nullo detinebatur respectu in officio suo adimplendo.

25. *Quær.* An Procuratori debeatur salarium? *Resp.* Affirmativè, etiamsi de eo conventum non sit. Rota apud Farinac. *par.* 1. *decis.* 238. id est *par.* 1. *rec.*

26. *Quær.* An Procurator, vel Advocatus possit paciscì de quota litis, id est, de tantum habendo, victa lite? *Resp.* Negativè, ne ansam arripiat per fas, & nefas vincendi. Vincent. de Franchis *decis.* 265. Barbos. *alleg.* 79. *num.* 28. Nicol. *in Flosculis verb. Advocatus num.* 2.

27. *Quær.* An Procurator habens facultatem substituendi, si alium substituat, possit postea revocare substitutum? *Resp.* Negativè, nisi habeat id expressè in suo Mandato. *cap. Is qui, 3. de Procur. in* 6.

28. *Quær.* An actus nullus convalidetur ex præsentia Procuratoris in præjudicium principalis? *Resp.* Negativè. Nicol. *ubi proximè num.* 23.

29. *Quær.*

29. *Quær.* An dominus possit quandocunque revocare Procuratorem? *Resp.* Negativè circa Procuratorem ad lites, quando lis est contestata, nisi ex rationabili causa suspicionis, vel inhabilitatis; sed affirmativè quo ad Procuratorem ad negotia. *cap.* 2, *de Procurat. in* 6.

30. *Quær.* An Procurator post litem contestatam possit renunciare officio suo, & nolle ampliùs tanquam Procuratorem intervenire? *Resp.* Negativè, quia jam factus est dominus litis. Othob. *decis.* 226. *num.* 6.

31. *Quær.* An gesta per Procuratorem revocatum, antequam habeat notitiam revocationis, valeant? *Resp.* Affirmativè, excepto contractu Matrimonii. *cap. Mandato*, 13. *de Procuratoribus.*

32. *Quær.* An Procuratores generales Ordinum possint etiam esse Superiores in Conventibus Ordinis, qui sunt in Urbe? *Resp.* Affirmativè ex Sacra Congr. quam citat Nicol. *ubi supra num.* 30.

33. *Quær.* Quæ sit differentia inter Procuratorem, & Syndicum? *Resp.* Quòd Procurator gerit negotia particularis personæ; Syndicus verò Universitatis. Glos. *in Cap. Coram*, 7. *de in integr. restitutione.*

34. *Quær.* Quot modis Mandatum finiatur? *Resp.* 1. Revocatione. 2 Morte mandantis, nisi Mandatarius deputatus sit non proprio nomine, sed nomine dignitatis; vel nisi Mandatum esset factum cum clausula, *duret, donec ego revocavero*, & mortuus sit Mandans sine revocatione. Bonac. *de restit. disp.* 1. *quæst.* 2. *p.* 7. *num.* 24. & 3. Morte Mandatarii. *l. Si quis*, 27. §. *Morte*, *ff. Mandati.*

35. *Quær.* An dispensationes Matrimoniales directæ Vicario Episcopi, si ante expeditionem moriatur Episcopus, possint expediri à Vicario Capitulari? *Resp.* Negativè. Barbos. ad Concil. Trident. *sess.* 7. *de ref. cap.* 10 *num.* 6. *&* 7. & *sess.* 24. *de ref. Matrim. cap.* 5. *num.* 26.

36. *Quær.* An Vicarius Episcopi possit substituere sibi Vicarium alium, vel causas alteri delegare? *Resp.* Negativè, si id velit generaliter facere: at per paucas dies potest Pro-Vicarium loco sui substituere; & unam, vel duas causas alteri delegare. Pax Jordan. *tom.* 1. *pag.* 232. *num.* 16. *&* 17.

37. *Quær.* An Mandatarius teneatur de casu fortuito in damnum Mandantis, vel è contra? *Resp.* Negativè de rigore juris, nisi de eo expressè promisisset. *l. A Procuratore*, 13. *C. Mandat.* At ex æquitate, si Mandatarius damnum patiatur, puta si in Latrones incidit, & ab eis spoliatus fuit, dum iret pro executione Mandati, Mandans teneretur ad damna resarcienda. Nicol. *Institut. Civil. dict. lib.* 3. *tit.* 27. *num.* 10.

CAPUT C.

De Obligationibus, quæ ex quasi contractu nascuntur.

1. *Quær.* Quæ sint Obligationes proveni-entes ex quasi contractu? *Resp.* Esse sex, Prima, ex negotiorum gestione, quando quis aliena negotia in absentia domini gessit utiliter, vel utiliter gerere cœpit; ut si Medicus filium infirmum curare cœperit absente patre; nam licèt moriatur, potest petere salarium. *l. Sed an ultrò*, 11. §. 1. *ff. de Neg. gest.* Secunda ex tutela, vel cura inter tutorem, & pupillum; minorem, & curatorem, actio circa administrationem, quæ ex quasi contractu ducitur. Tertia, inter hæredes, & legatarios. Quarta, inter hæredes volentes hæreditatem dividere. Quinta, inter socios rem communem volentes pariter dividere. Sexta, solutione indebiti, nam qui recipit indebitum, est obligatus ad restitutionem, si ignoranter fuit solutum. *l. Donari*, *ff. de Reg. Jur.*

2. *Quær.* An præsumatur solutum, seu remissum debitum per redditionem, seu cancellationem chirographi? *Resp.* Affirmativè, *l.* 2. *ff. de Pactis.* Nisi debitor esset domesticus, quia præsumeretur propria auctoritate illud arripuisse, vel cancellasse. *l. Pecuniæ*, 14. *C. de Solut. l.* 1. *C. de Donat.* Rota apud Farinac. *par.* 1. *decis.* 443. *num.* 9.

CAPUT CI.

De Ludo.

1. *Quær.* Quid sit Ludus? *Resp.* Est contractus, quo ludentes rem suam exponunt periculo, propter spem acquirendi rem alterius. Nicol. *Institut. Civil. lib.* 3. *tit.* 21. *num.* 20.

2. *Quær.* Quot requirantur, ut ludus licitè possit haberi, & lucrata in eo retineri. *Resp.* Sex. Primò, ut ludens non utatur fraudibus. Secundò, ut unus non compellat alterum ad ludendum per vim, dolum, vel convitia. Tertiò, ut ludens possit disponere de re, quam exponit in ludo. Quartò, ut sit æqualis conditio ludentium quo ad peritiam, vel vires. Quintò, ne ludus fiat propè Ecclesiam, vel in viis publicis, si sit periculum offendendi transeuntes: ut in ludo pilæ, pilonis, vel rotulationis caseorum ligneorum. Et Sextò, ut ludus non sit prohibitus, qualis est Alearum, & taxillorum. Nicol. *ubi supra.* Quamvis DD. apud Dianam *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 65. dicant, hodie prohibitionem Alearum non esse in usu, & ideò non obligare. *l. Alearum. C. De religios. & sumpt. funer.* Salmanticenses *tract.* 14. *de Contract. cap.* 4. *punct.* 3.

3. *Quær.* An perdens aliquid ludo prohibito teneatur in foro externo solvere? *Resp.* Negativè, imò potest solutum repetere. *d. l. Alearum.* Salmanticenses *d. punct.* 3. *num.* 62. ubi DD.

4. *Quær.* Quæ sit pœna mutuantis pecuniam ad ludendum? *Resp.* Quod nulla detur actio ad repetendum; & omnes actus, & instrumenta facta occasione ludi nulla sint, imò Notarius possit puniri. *d. l. Alearum*, & Ludovis. *decis.* 47. Imò si quis domi teneat publicum alearum ludum, & percutiatur ratione ludi, impunè percutitur. Grammat. *decis.* 40, *num.* 5. Riccius *resol.* 119. *num.* 1. *&* 3.

5. *Quær.* An ſit peccatum mortale, ludere Aleis, aut taxillis? *Reſp.* Quo ad Laicos communiter cenſeri, non eſſe mortale peccatum ob deſuetudinem legis prohibitoriæ. Navar. *in Man. cap.* 20. *num.* 11. Sanchez *Opuſc. Moral. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 25. *num.* 5. Sed quo ad Clericos communiter cenſetur mortale peccatum, non obſtante contraria conſuetudine, (quæ corruptela eſt) dummodo id frequenter faciant. *cap. Epiſcopus*, 35. *diſt.* Sanchez *ubi ſupra dub.* 28. *num.* 7. Theſaur. *de Pœn. Eccleſ. par.* 2. *de Luſu aleæ. cap.* 4. Illuſtr. Sarnell. *Epiſt.* 25. *tom.* 2.

6. *Quær.* An inter laicos Victus in ludo prohibito poſſit retinere in conſcientia, quod promiſit? *Reſp.* Eſſe hinc indè opinionem probabilem; & pro utraque ſtare plurimos Doctores, ut videre eſt apud Filliucium *tract.* 37. *num.* 72. & apud Dianam Coord. *tom.* 6. *tract.* 4. *reſol.* 27. & Salmanticenſes *d. cap.* 4. *punct.* 3 *num.* 62. qui notant, quòd qui juravit ſolvere, non poteſt retinere.

7. *Quær.* An ſi Clericus perdiderit in ludo prohibito, teneatur in conſcientia ſolvere? *Reſp.* Negativè. Sanchez *dict. lib.* 1. *conſil. cap.* 8. *dub.* 1. *num.* 8.

8. *Quær.* An Victor Clerici poſſit in conſcientia retinere, quod vicit, licèt pecunia habita ſit ex fructibus beneficiorum? *Reſp.* Alios Doctores dicere, quòd tutò poteſt retinere, donec fuerit condemnatus, eam reſtituere. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 43. Sanchez *lib.* 2. *conſil. cap.* 2. *dub.* 38. *num.* 14. Alios autem docere, quòd teneatur reſtituere etiam ante ſententiam. Menoch. *de Arbitr. Judic. caſ.* 399. *num.* 4. Layman. *lib.* 4. *tract. de Beneſ. cap.* 3. *num.* 3. §. *ad Alteram.*

9. *Quær.* Quid juris in ſimili caſu cum Regularibus ludentibus? *Reſp.* Circa Regulares perdentes in ludo prohibito; certum eſt, reſtitutionem eſſe omninò faciendam Monaſterio; niſi aliquid leve luſerint, honeſtæ recreationis cauſa, de licentia Superiorum. Suarez *de Religion. tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 16. *num.* 25. Quod etiam de Religioſis militibus S. Joannis intelligitur. Rota coram Buratto *deciſ.* 2. *num.* 11. Diana *part.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 14. Intellige, ſi Religioſus non habebat licentiam ludendi. Bordon. *de Paupertate Rel. cap.* 19. *num.* 47. Card. de Lugo *de juſt. & jur. diſp.* 3. *num.* 142. *cap.* 145.

10. *Quær.* Ad quid teneantur in foro conſcientiæ ſuſceptores Aleatorum, id eſt, qui dant paratum locum colluſoribus alearum? *Reſp.* Eſſe in ſtatu peccati mortalis ob rixarum, & blaſphemiarum occaſiones; & tenentur in ſubſidium ad omnia damna, quæ ibi convenientes patiuntur. Theſaur. *ubi ſupra de Pœnis Eccleſ. cap.* 4. *ſub num.* 2. *in fine.* Summ. Diana *verb. Ludus num.* 22. ubi DD.

11. *Quær.* Quæ ſint pœnæ juris in foro externo contra alearum luſores? *Reſp.* Quòd frequentantes ludum alearum habentur perſonæ viles, & infames infamia facti; à qua non liberantur, niſi per triennalem conſtantem vitæ emendationem; & propterea dicta infamia durante repelluntur à teſtimonio. Rol. à Valle *conſ.* 34. *num.* 2. & 4. Non ſunt promovendi ad ordines. Gloſſ. *in cap. Clerici* 15. *verb. Ad aleas. De Vit. & honeſt. Cleric.* Majol. *de Irregular. cap.* 1. *num.* 7. Et ſunt incapaces beneficiorum. Abb. *in cap. Inter dilectos num.* 6. *& ibi* Barboſ. *de Exceſſibus Prælator.*

12. *Quær.* An collatio beneficii facta Clerico publico alearum luſori ſit ipſo jure nulla, vel per ſententiam irritanda? *Reſp.* Utramque opinionem eſſe probabilem. Theſaur. *ubi ſupra num.* 3. *in fine*: ubi advertit, quòd ſi agatur de conferendo beneficio, certè debet collatio impediri; & ſic de jam collato agatur, ubi Clericus non ſe emendet, eſt deponendus, & beneficiis ſpoliandus. Diaz *in Praxi Criminal. cap.* 73. *num.* 2. *& ibi adden.*

13. *Quær.* An Clericus dictis pœnis afficiatur, ſi ludat non ex lucro, ſed recreationis cauſa? *Reſp.* Affici, dummodo frequenter ludat, quia canones ludum prohibent indiſtinctè. Sanchez *Opuſc. Moral. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 24. *num.* 3. Summa Diana *verb. Ludus. num.* 2.

14. *Quær.* An Regulares ludentes aleis, vel taxillis in foro interno peccent mortaliter? *Reſp.* In Religionibus obſervantibus abſque dubio eſt peccatum mortale; in aliis verò largioribus moderatus ludus excuſandus videtur à mortali. Diana *part.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 4. Quæ in Coord. eſt *d. tom.* 6 *tract.* 4. *reſ.* 12. & ibi alii DD.

15. *Quær.* An Laici aleis, vel taxillis continuò ludentes quoad conſcientiam mortaliter peccent? *Reſp.* Quamvis vigore legum abrogatarum contraria conſuetudine non videantur peccare mortaliter; tamen quia ſæpè blaſphemant, dilapidant bona domus, uxorum, filiorum, & pejerant, non poſſunt excuſari à peccato mortali. Summa Diana *verb. Ludus num.* 4. *ubi DD.* Salmanticenſes *d. tract.* 14. *cap* 4. *num.* 52. ubi Luſorum infelicitatem animæ, & corporis demonſtrant.

16. *Quær.* An ludens animo lucrandi magnam quantitatem pecuniæ peccet, & faciat contra decimum Decalogi præceptum? *Reſp.* Negativè, quia prohibetur ibi concupiſcere res alienas modis illicitis aſſequendas; qualis non eſt ludus, in quo non interveniat fraus; aut ex eo magnum detrimentum non reſultet uxori, aut familiæ ludentium. Summa Diana *dict. verb. Ludus num.* 5.

17. *Quær.* An ſit illicitum ludere ſalutationem Angelicam, Pſalmos &c. *Reſp.* Negativè, ſi abſque irreverentia fiat, & ex honeſta recreatione. Diana *part.* 7. *tract.* 9. *reſ.* 41. Quæ in Coord. eſt *d. tom.* 7. *tract.* 4. *reſ.* 4.

18. *Quær.* An ſi quis ludat cum filiofamilias. & lucretur, poſſit lucrum retinere, vel ad reſtitutionem ſit obligatus? *Reſp.* Si filiusfamilias expoſuerit in ludo id, quod à Patre ſibi conceditur pro ſuſtentatione in ſcholis, vel in curia; & alibi habet filius, quo ſe ſuſtentet, victor non tenetur ad reſtitutionem. At ſi nullam habeat filius adminiſtrationem, & ludat de propria pecunia Patris, victor reſtituere tenetur. DD. quos allegat Summa Diana *ubi ſupra num.* 11. 12. *& 13.* Et Salmanticenſ. *ubi ſupra num.* 54.

19. *Quær.* An ſi filiusfamilias ludendo vincat, retinere poſſit? *Reſp.* Aut colluſor ſciebat

sciebat, eum esse filiumfamilias, & potest retinere; aut nesciebat, & retinere non potest, quia contractus est inæqualis, & nullus. Summa Diana *ibid. dict. num.* 12. Salmanticens. *ibid. num.* 55.

20. *Quær.* Quid juris, si quis luserit, & vicerit cum minori; an in conscientia iste teneatur solvere; & victor retinere? *Resp.* Esse hinc inde opiniones. Porrò, si minor recusaret solvere; vel si victor restituere recusaret, uterque poterit à Confessario absolvi. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 44. *& par.* 7. *tract.* 9. *resol.* 13. Quæ est in Coord. *d. tom.* 6. *tract.* 4. *resol.* 15. ubi DD. referuntur.

21. *Quær.* An ludens cum Uxore alterius, & vincens possit retinere pecuniam, quam vicit? *Resp.* Affirmativè in septem casibus. Primò, si uxor habeat bona paraphernalia. Secundò, si maritus ei concedat libertatem, pecuniam aliquam expendendi. Tertiò, si pariter eidem dederit ad sui ornatum; & ipsa restrictiùs expendat. Quartò, quando maritus consentit, & ludat. Quintò, quando uxor administrationem domus habet. Sextò, si uxor sua industria, & labore aliundè pecuniam acquirat. Et Septimò, quando perdit eam tantùm summam pecuniæ, quam aliæ fœminæ suæ conditionis solent ludere. Summa Diana *ubi supra verb. Ludus num.* 16. & ibi DD.

22. *Quær.* An liceat fraudes adhibere in ludo alearum, ad vincendum? *Resp.* Aliæ sunt fraudes licitæ ex natura ludi, quæ potiùs industriæ vocantur; nempè qui inferiores chartas habet, fingere optimas habere; augere sponsionem, ut alius timeat; & desistat; vel si habens optimas chartas, simulatè dicat: *Vada à monte*, ut alter animosè augeat sponsionem, ludat, & perdat, & his fraudibus uti, non est peccatum. At qui fraudibus injustis uteretur, aut auferendo, vel mutando chartas colludori non advertenti, peccaret; & teneretur ad restitutionem. Summa Diana *dict. verb. Ludus. num.* 18. 19. *&* 20. Salmanticens. *d. cap.* 4. *num.* 56.

23. *Quær.* An qui ludendo vicit *sù la parola*; si ei solvatur à perdente, possit licite solutum retinere? *Resp.* Affirmativè; quia licèt non possit de jure petere, quod vicit; potest de jure retinere, quod sibi solutum fuit; etiam si solvens ignoraret, se non esse obligatum solvere. Summa Diana *ubi supra num.* 25. Salmanticens. *num.* 61.

24. *Quær.* An qui ludit, animo non solvendi, si perdat; possit licitè retinere, si vincat? *Resp.* Esse hinc inde opinionem. Summa Diana *ibid. num.* 26.

25. *Quær.* Si lusor paciscatur cum alio pecuniam conferente, quòd si perdat, damnum sit æquale; si vincat, non possit petere, nisi tertiam partem lucri, an id licitè fieri possit? *Resp.* Affirmativè; tum quia lusor ponit etiam industriam; tum quia consensus privatorum in re propria est attendendus. Sanchez *in Opuscul. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 23. *num.* 2. & 3.

26. *Quær.* An in conscientia qui perdidit ludendo, teneatur solvere? *Resp.* Probabiliorem esse opinionem negativam in ludo prohibitò, quia ubi non datur actio ad petendum, eò magis datur exceptio ad non solvendum. Ideò si ludentes renunciarent legis beneficio concedentis repetitionem soluti in ludo, tenerentur etiam in conscientia solvere, quod perdidissent. Sà *verb. Ludus. num.* 9. Diana *part.* 7. *tract.* 9. *resol.* 21. *&* 23. *& in Summa num.* 32. Salmanticens. *d. tract.* 14. *cap.* 4. *num.* 62.

27. *Quær.* An qui pecuniam vicit, teneatur in conscientia restituere, si dubitet, se viciisse per fraudem? *Resp.* Restituere debere, quia in dubio non potest acquirere. Summa Diana *d. verb. Ludus, num.* 34.

28. *Quær.* An teneatur restituere lucrum ex ludo prohibito, qui per vim, aut fraudem fecit; ne judex decerneret restitutionem? *Resp.* Affirmativè. Non autem, si impedierit condemnationem absque vi vel fraude. Molin. *de just. & jur. tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 514. Diana *part.* 7. *tract.* 9. *resol.* 27.

29. *Quær.* An obligatus sit restituere colludori, qui excellit in peritia ludendi? *Resp.* Esse hinc inde opiniones. At non esse obligatum, omnes tenent, quando nota erat colludori peritia alterius. Summa Diana *d. verb. Ludus, num.* 36.

30. *Quær.* An in ludo liceat uti fraudibus ad lucrandum, utpotè chartas signando, luffurando, signis notando, veritatem punctorum alterando, & similibus? *Resp.* Negative, & qui sic faciendo lucratur, tenetur ad restitutionem. Summa Diana *ubi supra num.* 38. *& ibi Theologi.* Salmanticens. *ubi supra num.* 48.

31. *Quær.* Si quis ludendo lucretur pecuniam, quam quis furatus erat, an possit eam retinere, vel debeat vero domino restituere? *Resp.* Si pecunia illa sit in specie, quam fur arripuerat, tenetur vincens eam vero domino restituere; secus autem, si eam confudisset cum sua pecunia, vel eam cum altera permutasset. Bonacin. *de Restit. disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 18.

32. *Quær.* Si teneàris restituere mihi centum ex aliqua obligatione, & ludendo mecum lucro prohibito amittas centum, ita, ut ea ego sim à te lucratus, an possit hæc centum computare pro prædicta alia obligatione: & teipsum liberum reputare à restitutione antedicta? *Resp.* Negativè, quia durat in te illa obligatio, & ea non resolvitur ex hoc lucro. Quòd si restitutio illa esset à te facienda pro fraude commissa in eodem lucro; adhuc plures Doctores tenent, quòd duret obligatio restituendi: quamvis alii putent, eam cessare; quasi censeatur una, & eadem actio, quicquid in eodem ludo hinc inde fit, donec non est licentiatus, & finitus ludus. Sanchez *in Opuscul. Moral. lib.* 1. *tom.* 1. *cap.* 7. *dub.* 20. & Summ. Dian. *num.* 45. *Verb. Ludus.*

33. *Quær.* Quando quis juravit, vel vovit, non ludere; an detur parvitas materiæ, quæ eum excuset à mortali peccato, si contra votum, vel juramentum de non ludendo durat? *Resp.* Dari parvitatem materiæ, quæ excusat à mortali. Porrò hæc parvitas materiæ erit desumenda à fine principali,

ob quem talis iste juravit non ludere. E. gr. si juravit non ludere, ut se privet à delectatione, parvitas materiæ erit parva delectatio. Si, ut non consumeret, tempus in vanum, parva materia erit parva mora; si, ut vitaret jacturam pecuniæ, parva pecunia exposita in ludo erit parvitas materiæ; si ut rixas, aut blasphemias fugeret; parvitas materiæ desumenda erit ex occasione, in qua se exposuit, talium peccatorum. Sanchez *in Sum. tom. 1. lib. 3. cap. 18. num. 2. & 3.* Diana *part. 5. tract. 5. resol. 38.*

34. *Quær.* An possit dispensari juramentum non ludendi ad tollendum periculum mortalis peccati in eo, qui nisi difficillimè potest à ludo abstinere? *Resp.* Plures Doctores negant. Alii tamen benigniori sententia id concedunt; eòque magis volunt, posse commutari in aliquod pium opus. Diana *part. 6. tract. 9. resol. 55.* & in Summ. Diana *verb. Votum num. 49.*

Tandem, quia hæc scribimus etiam ad instruendum eum, quem futurum speramus Episcopum.

35. *Quær.* An poterit juramentum de non ludendo dispensari, vel commutari ab Episcopo, quando jurans, vel vovens, addit, & quòd ab eo juramento, vel voto dispensari non possit, nisi per Papam? *Resp.* Secundùm Trullench. *in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 11. dub. 5. num. 2.* Episcopum posse dispensare, & commutare, quia iste casus non est de illis quinque reservatis Papæ; nec posse jurantem, vel voventem auferre ab Episcopo auctoritatem, quam dedit ei jus commune; idque tenet etiam Diana *part. 7. tract. 9. resol. 59.* quæ reposita est in opere Coordinato *d. tom. 6. tract. 4. resol. 69.*

CAPUT CII.

De Testamentis, & Legatis.

1. *Quær.* Quid sit Testamentum? *Resp.* Est legitima significatio voluntatis propriæ de eo, quod quis de universo patrimonio suo fieri vult post mortem cum institutione hæredis. DD. *in l. 1. ff. de Testam.*

2. *Quær.* Quotuplex sit Testamentum? *Resp.* Est duplex: aliud Militare, quod à militibus in castris fit; aliud Paganicum. Hoc autem pariter est duplex. Unum solemne, seu in scriptis, per quod secretò Testator disponit de rebus suis. Alterum nuncupativum, & sine scriptis, in quo Testator palam coram testibus nominat hæredem; at nihil prohibet, quin & hoc Testamentum à Notario redigatur in scriptis ad majorem comprobationem; sed in hoc non est necessaria scriptura, prout in solemni. DD. *in l. consultissima. C. de Testamen.*

3. *Quær.* Quæ sint necessaria pro validitate Testamenti? *Resp.* De Jure civili, supposita habilitate Testatoris in testando, & hæredis pro hærede faciendo, in Testamento solemni requiruntur septem testes rogati uno, & eodem tempore; & quòd subscripserint, & obsignaverint Testamentum. In Testamento autem nuncupativo requiruntur septem testes rogati, qui intelligant testamentariam dispositionem. *dict. l. Hac consultissima. C. de Testamentis.* At de jure Canonico in utroque testamento, quando testator facturus testamentum est infirmus, sufficit præsentia duorum testium, & Parochi, seu Sacerdotis, cui totius curæ administratio data est. *cap. Cum esses, de Testament.* Imò, si testamentum sit ad pias causas, sufficit, si duo tantum testes sint præsentes. *cap. Relatum in primo de Testam.* Ita Antonellus *de Regimine milit. Ecclesiæ lib. 1. cap. 10. num. 27. & seqq.* ubi plurimos allegat. Guid. Pap. *decis. 543. num. 11. & 12.* ubi advertit, quòd si infirmus ex illa infirmitate convalescceret, testamentum hujusmodi non valeret, saltem ultra annum.

4. *Quær.* Quale sit Testamentum ad pias causas? *Resp.* Esse illud, in quo pia causa est hæres, vel immediatè, vel mediante substitutione. Diana *part. 7. tract. 6. resol. 1.* Antonell. *ubi supra num. 1.* Quamvis Adden. ad Burat. *decis. 475. num 17.* advertat, testamentum ad pias causas dici, quando pia causa fuit primo loco instituta; secùs si in remotum, & in certum futurum successum substituta.

5. *Quær.* Quæ dicantur Legata pia? *Resp.* Ea esse, quæ præcipuè relicta sunt ob Dei, & Sanctorum honorem, vel spiritualem animæ salutem; qualia sunt relicta Ecclesiis, piis locis, pupillis, pauperibus, & miserabilibus personis; Item Hospitalibus, Confraternitatibus, & aliis piis operibus, de quibus plenè Antonell. *ubi supra à num 2. & seqq.* & ibi DD.

6. *Quær.* Quæ sit differentia inter legata pia, & quæ talia non sunt? *Resp.* Quòd exequutio piorum Legatorum non differtur durante tempore inventarii; & fructus debentur à die mortis testatoris. Antonell. *ubi supra num. 9. 10. & 11.*

7. *Quær.* An testamenta sine solemnitatibus à jure statutis facta sint adimplenda in foro conscientiæ? *Resp.* Esse hinc indè opiniones contrarias. Negat Sotus *de justitia, & jure lib. 4. quæst. 5. art. 3.* & Covaruv. *in dict. cap. Cum esses, num. 16. de Testam.* Asserit Mantica *de Conject. ult. volun. lib. 2. tit. 12.* & Antonell. *num. 32.* alios DD. cumulans.

8. *Quær.* An sint attendendæ solemnitates Juris Civilis, vel solemnitates Juris Canonici pro validitate testamenti? *Resp.* In terris Ecclesiæ servare sufficit solemnitates Juris Canonici. Extra verò Ecclesiæ Statum temporale servandæ sunt solemnitates Juris Civilis, seu statutorum particularium; nisi testamenta essent ad pias causas, vel fuissent condita à Clericis, quia in his duobus casibus etiam extra Terras Ecclesiæ sufficiunt solemnitates Juris Canonici. Valasc. *decis. 74. num. 13.* Antonell. *dict. lib. 1. cap. 10. num. 29. 30. & 31.*

9. *Quær.* An sint alia testamenta, quæ sustineantur sine solemnitatibus juris civilis? *Resp.* Sustineri testamenta militum, & testamen-

menta Patris inter liberos, in quibus sufficit præsentia duorum tantùm testium; imò absque testibus sola subscriptio testatoris. Diana *part. 7. resolut. 17. tractat. 6.* Antonell. *ubi supra num. 41. & 42.*

10. *Quær.* An fœminæ possint esse testes in testamento? *Resp.* De jure civili non posse. Covaruv. *in dict. cap. Cum esses. num. 14. de Testam.* De jure verò Canonico pariter negat Clarus *in §. Testamentum. q. 57. num. 2. in fine.* At affirmat Abbas *in dict. cap. Cum esses, num. 3.* & sic de Jure Canonico fœminas posse adhiberi tanquam testes in testamento, communiter docent Doctores, ut probat Jo. Crotus *in tract. de Testib. tit. Qui testes prohibentur esse in testam. quivè non. num. 18. 19. & 20.* & alii, quos citat, & sequitur Antonell. *dict. lib. 1. cap. 10. num. 37. & 38.* ubi hanc opinionem eò magis habere locum ait, si testamentum sit ad pias causas.

11. *Quær.* An de Legatis piis detrahatur Falcidia, seu Trebellianica? *Resp.* Regulam esse negativam. Antonell. *ubi supra num. 64.* sed excipiuntur ab ea nonnulli casus, in quibus detrahi potest. Primus casus est, quando Testator detractionem concessit. *Auth. Sed cum Testator. C. Ad l. Falcidiam.* Secundus est, quando Ecclesia est hæres, & legatum relictum est alteri Ecclesiæ; nam una Ecclesia detrahit falcidiam in solutione legati facienda alteri Ecclesiæ. Abbas *in cap. Cum causam, num. 2. de Præb.* Antonell. *ubi supra num. 69.* ubi quòd dissentit de hoc Mogonius *decis. Floren. 139. num. 10.* Tertius casus est, quando testator plus legavit, quam habebat. Gabr. *Comm. conclus. tit. ad Trebell. lib. 4. conclus. 11. num. ult.*

12. *Quær.* An filiusfamilias possit testari ad pias causas? *Resp.* Posse de peculio castrensi, vel quasi. At non posse de aliis peculiis, nisi de expresso consensu Patris. Antonell. *ubi sup. num. 73. 74. & seqq.*

13. *Quær.* An circa Testamenta, & Legata pia possit Episcopus dispensare, ita, ut relicta ad unum usum convertantur in alium? *Resp.* Regulam esse negativam, etiamsi hæredes consentirent, & mutatio fieret in melius, *per text. in Clem. Quia contingit.* ubi Gloss. & DD. *de Relig. domib.* & in Concil. Trident. *sess. 7. cap. ult. & sess. 25. cap. 8. de reform.* Pax Jordan. *lib. 9. tit. 1. num. 541. tom. 2.* Antonell. *ubi supra num. 77.*

Porrò aliqui sunt casus, in quibus Episcopus potest dispensationem, & commutationem concedere. Primus est, si res legata deservire non possit pro usu destinato propter impedimentum juris, vel facti. Jordan. *ubi supra num. 544. & seqq.* Secundus est, si legatum absque dispensatione fieret caducum, ut si quis pro salute animæ suæ legasset centum Bertæ Virgini monachandæ, quæ, si monialis non fiat, vel moriatur, poterit alteri puellæ applicari, quæ monialis fieri velit. Jordan. *ibid. num. 552.* Tertius casus est, si commutatio non sit perpetua, sed temporalis ex justa, & legitima causa. Jordan. *num. 554.* Et sic Eminentissimus D. meus Cardinalis Barbadicus Episcopus Paduanus, me proponente, in Congregatione coram Eminentia Sua, dispensando concessit, ut legatum annuum relictum pro ornamentis Altaris Deiparæ in Ecclesia Parochiali Baptaleæ, posset per decem annos expendi pro ornamentis Altaris Sanctissimi Sacramenti, attento, quòd Altare Deiparæ erat ditissimè ornatum, Altare verò Sanctissimi Sacramenti erat ornamentis omninò destitutum; & nulla erat facilior via providendi illius nuditati. Et quartus est casus; quando testator non expresserit sufficienter, quomodò sit expendendum legatum; nam Episcopus id declarare poterit. Jordan. *ubi supra num. 558.*

14. *Quær.* An relicta pro nubendis puellis, debeantur iisdem, si Moniales fiant? *Resp.* Affirmativè. Barbos. *de Offic. & potest. Episcopi alleg. 83. n. 27.*

15. *Quær.* An relicta, ut dispensentur pauperibus, possint retineri à dispensatore, si ipse sit pauper? *Resp.* Affirmativè, dummodò scandalum cesset. Navar. *in Summ. cap. 25. num. 122.* Jordan. *ubi supra n. 559. in fine.*

16. *Quær.* An facultas dispensandi, quam habet Episcopus in Legatis piis, transeat ad Capitulum Sede vacante? *Resp.* Affirmativè. Diana *part. 8. tract. 4. resol. 34.*

17. *Quær.* An in dispensatione, vel commutatione ab Episcopo, vel Capitulo facienda, causa debeat esse justa, & necessaria simul; vel sufficiat, quòd sit vel justa, vel necessaria? *Resp.* Sufficere vel justam esse, vel necessariam esse. Comitol. *resp. Moral. lib. 9. quæst. 9.* Antonell. *d. lib. 1. cap. 10. num. 82.*

18. *Quær.* An Rectores Ecclesiarum possint repudiare legata, vel hæreditates suis Ecclesiis relictas, absque beneplacito Apostolico, & sine incursu pœnarum, de quibus *in Extravag. Ambitiosæ, de rebus Eccles. non alienand.*? *Resp.* Esse controversiam inter DD. sed probabilem esse opinionem, quòd non incurrant; & sic quòd possint renunciare, quando nondum acceptatum fuit legatum, nec adiverunt hæreditatem. Antonell. *dict. lib. 1. cap. 11. per totum.*

19. *Quær.* Quis sit Judex competens in Legatis piis? *Resp.* De jure esse Episcopum etiam respectu Laicorum, & contra Laicos. *cap. Nos quidem. cap. Si hæredes, & cap. Tua nobis, de Testament.* Concil. Trident. *sess. 22. de Reform. cap. 8.* Antonell. *d. lib. 1. cap. 10. num. 15.* ubi subdit, Episcopum esse etiam de jure piarum voluntatum executorem, ubi alius executor non sit à testatore ordinatus, vel nisi prohibitus fuerit à testatore sub pœna nullitatis, seu caducitatis legati, vel testamenti. Vulpes *in Praxi Judic. cap. 10. num. 11.*

20. *Quær.* Quid possit agere Episcopus, si executores Testamentarii, vel hæredes sint negligentes in solvendis legatis piis? *Resp.* Debet Episcopus eos cogere per censuras Ecclesiasticas, præfigendo terminum ei benè visum vel unius anni, vel sex mensium; quo transacto potest devenire ad declarationem censurarum, & eisdem inter-

terdicere administrationem hæreditatis. Thesaur. *de Pœn. Eccles. part. 2. Verb. Testamenta cap. 1.*

21. *Quær.* An Episcopus habeat eamdem facultatem circa legata non pia? *Resp.* Habere, dummodo non sit præventus à Judice Laico, quia circa legata profana compulsio hæredum, seu executorum testamentariorum est mixti fori. Abb. *in cap. Si hæredes, num. 7. & in cap. Cum esses, n. 33. de Testam.* Thesaur. *d. cap. 1. num. 3.* Et cum his finem ponamus septimo Præcepto, in quo actum est de rebus proximorum; & ad octavum transeamus, famam proximi concernens.

CAPUT CIII.

De Octavo Præcepto.

1. *Quær.* Quæ sint peccata præcipua, quibus hoc Præceptum octavum violatur? *Resp.* Esse sex: Detractionem, Contumeliam, Derisionem, Susurrationem, Judicium temerarium, & Libellus famosus.

CAPUT CIV.

De Detractione.

1. *Quær.* Quid sit Detractio? *Resp.* Est *occulta, & injusta denigratio, seu læsio famæ propriæ, vel alienæ.* Et dicitur *occulta* ad differentiam contumeliæ, quæ fit in faciem ejus, cui detrahitur honor, ut si quis appellat Titium furem eo audiente; tunc enim contumeliam in eum committit. Si verò eo absente, detractionem facit. Bonacin. *tom. 2. de restit. in genere, disp. 2. quæst. 4. punct. 1. num. 1. & 2.* Ubi notat, differre detractionem, & contumeliam, sicut Furtum, & Rapinam.

2. *Quær.* An detractor sit, qui peccatum proximi revelat Superiori, ut illum puniat, vel de eo loquitur cum persona habente notitiam ejusdem peccati? *Resp.* Negativè, quia hæc locutio non est injusta, neque cum læsione. Bonac. *ubi supra num. 3.*

3. *Quær.* Quid sit fama, & honor? *Resp.* Fama est bona opinio de aliquo circa ejus aliquod bonum. Honor verò est actus exterior, quo quis verbis, vel factis testatur bonam opinionem, quam habet de alicujus excellentia. Reginald. *lib. 10. num. 83.*

4. *Quær.* Quotuplex sit detractio? *Resp.* Est duplex, formalis, & materialis. Prima est, quæ fit animo auferendi famam proximo. Secunda, quæ fit absque dicta intentione. Utraque tamen est peccatum mortale, quando est graviter læsiva, & committitur cum advertentia. Bonacin. *ubi supra num. 5.*

5. *Quær.* Quot modis committatur Detractio? *Resp.* Octo modis; quorum quatuor dicuntur directi; & quatuor indirecti, & his versibus continentur:

Imponens, Augens, Manifestans, in mala vertens.
Qui negat, aut minuit: reticet, laudatve remisse.

Imponens. Cùm imputatur alicui crimen falsum.

Augens. Cùm amplificatur crimen alicujus verum.

Manifestans. Cùm crimen occultum, quamvis verum, revelatur.

In mala vertens. Cùm quod bona intentione ab aliquo fit, interpretatur in malam partem. His modis directè aufertur proximi fama. Indirectè verò,

Qui negat; Id est, negando rectè facta, & bona alterius.

Aut minuit: Id est, diminuendo laudes, & opera bona.

Reticet. Cùm non vult loqui super bonis operibus proximi sui; & talis reticentia accipitur pro tacita vituperatione, & opprobrio.

Laudatve remisse. Quando ita frigidè laudat, ut potiùs ab audientibus formetur contra laudatum opinio siniſtra. *S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 1. ad tertium.*

6. *Quær.* Quando detractio possit excusari à peccato mortali? *Resp.* Quando defectus manifestatus est levis, vel manifestatio facta fuit ex inadvertentia. Bonacin. *d. disp. 2. quæst. 4. punct. 1. de restit. in genere num. 7.*

7. *Quær.* An in detractione concurrant circumstantiæ mutantes speciem, & necessariò exprimendæ in Confessione? *Resp.* Affirmative. Nempè detractio contra Sacerdotes, quæ habet circumstantiam malitiæ oppositæ erga reverentiam. Vel contra patrem, quia est malitia contra pietatem; vel ex odio, quia est malitia odii, *Cap. Sacerdotes, 6. qu. 1.* Reginald. *lib. 24. num. 72.*

8. *Quær.* Quando reputetur defectus levis in detractione ad excusandum detractorem à peccato mortali? *Resp.* Quoties non graviter lædit famam proximi. Ideò attendenda est qualitas personæ, de qua quis locutus est; nam, qui de milite dixerit esse blasphemum, non peccabit mortaliter, aut quòd puellam deceperit. Non ita, si de probo viro, aut religioso idem asseveraſſet. Bonacin. *ubi supra punct. 2.*

9. *Quær.* An sit mortale peccatum, detrahere famam alicujus defuncti? *Resp.* Affirmativè, & esse restituendam famam, vel revocando maledicta, vel satisfaciendo damnis evenientibus illius familiæ, vel suffragia faciendo pro anima defuncti. Bonac. *d. punct. 2. num. 3.*

10. *Quær.* An sit mortale peccatum detrahere alicui per verba generalia; videlicet, asserendo, aliquem esse avarum, superbum, ambitiosum, iracundum, ignarum? *Resp.* Negativè per se loquendo, quia homines prudentes per hæc verba non formant opinionem de peccato mortali. Cæterùm, si ille, à quo detrahitur, esset Prælatus, vel vir bonæ opinionis in morali vita, esset mortalis culpa: & talis censetur de quocunque, quando asseritur, esse aliquem mendacem, dummodo persona non

sit

sit omninò vilis. Filliuccius *tract.* 32. *cap.* 9. *qu.* 2. *num.* 232.

11. *Quær.* An sit mortale peccatum, manifestare defectus naturales, videlicet, quòd quis sit gibbosus, claudus, parvi judicii, inflexibilis opinionis, nimiæ credulitatis &c. *Resp.* Negativè, nisi aliquod damnum insurgeret illi personæ; ut privatio alicujus honoris, vel magna contristatio per eundem, audiendo hæc, assumeretur. Filliuc. *tract.* 40. *cap.* 4. *qu.* 6. *num.* 97.

12. *Quær.* An sit mortale peccatum, dicere in tali Claustro, seu Monasterio, Collegio, vel Universitate esse aliquos malos homines, seu Religiosos in genere? *Resp.* Esse hinc indè opinionem. Alii negant, si non resultet infamia totius Collegii, seu Monasterii. Alii affirmant, quia videtur impossibile, quòd non denigretur fama eorum, qui degunt in eo Cœnobio. Bonacin. *dict. punct.* 3. *num.* 10. Ideò in praxi esse bene attendendam formalitatem verborum, opinionem, seu famam Collegii, & personarum ejus.

13. *Quær.* An, si quis revelet, aliquem esse spurium, bastardum, vel descendentem à Judæis, seu Hæreticis, peccet mortaliter? *Resp.* Affirmativè, si id occultum esset, & persona foret boni nominis, & opinionis, ex qua revelatione vel valdè contristaretur; vel diminueretur ejus honor. Reginald. *lib.* 24. *num.* 79. & Lessius *libr.* 2. *cap.* 9. *dub.* 3. *num.* 15.

14. *Quær.* Si quis de gravi culpa sui proximi occulta loquatur cum duobus, vel tribus viris prudentibus, silentium servaturis, an peccet mortaliter? *Resp.* Negare Reginald. *lib.* 24. *num.* 75. quia censetur leve detrimentum famæ; quale est etiam, si quis in Confessione revelet complicem peccati. Affirmare Salon. 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. & hanc esse probabiliorem dicit Bonacin. *de restit. in genere disp.* 2. *qu.* 4. *punct.* 3. *num.* 2. qui *punct.* 4. advertit, Pœnitentem non posse nominare complicem in confessione, quando ex hoc resultaret eidem gravis aliqua jactura; sed debere confiteri apud Confessarium, qui complicem non cognoscat, quando non posset bene confiteri, nisi eum nominando, vel tacere illud peccatum, donec apud alium Confessarium possit confiteri, dummodò habeat in præsenti necessitatem confitendi. Et de hoc videat Studiosus, quæ scripsi *de Pœnitentia decis.* 23. *num.* 14.

15. *Quær.* An si quis receperit ab alio injuriam, vel injustitiam, peccet mortaliter, illam referendo, & dictitando amicis suis? *Resp.* Peccare, si animo detrahendi faciat. Non peccare; si, ut solatium, levamen, vel consilium reportet, dictam injustitiam referat. Bonac. *ubi supra punct.* 3. *num.* 3.

16. *Quær.* An mortalem culpam committat, qui scribit habitantibus Venetiis delictum publicum commissum Romæ? *Resp.* Ex magis communi opinione non committere, quia, qui perdidit famam Romæ, amisit jus ad famam retinendam alibi; & ideò historici absque culpa narrant, quæ commissa sunt in partibus longinquis. Reginald. *lib.* 24. *num.* 85. Bonacin. plures allegans ubi supra *d.* 2. *qu.* 4. *punct.* 6. ubi *num.* 7. subdit, quòd si ex manifestatione, de qua in quæsito, quis perderet officium, vel beneficium, manifestans non teneretur ad restitutionem; nam non peccavit contra Justitiam, licèt esse possit, ut peccet contra charitatem.

17. *Quær.* An ad sublevandum aliquem innocentem licitum sit manifestare delictum ab aliquo occultè, & clam perpetratum? *Resp.* Affirmativè, quando alia meliori via non potest subveniri innocenti. Sotus *lib.* 5. *de justit. quæst.* 7. *art.* 1. Bonacin. *de restitutione in particulari disputat.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 8. ubi subdit, licitum esse, si Medicus, vel Advocatus sit imperitus, commonere de hoc illos, qui ad eos recurrunt. Item posse defectus proximi manifestari illis, qui capiunt informationem pro contrahendo matrimonio, introducendo aliquem in collegium, vel ad dignitatem, vel ad suum famulatum; & quotiescumque ex taciturnitate periculum est, ut proximus incurrat aliquod damnum spirituale, vel temporale.

18. *Quær.* An mortaliter peccet, qui infamat seipsum? *Resp.* Esse hinc indè opiniones. Negativam esse magis communem, quia quilibet est dominus suæ famæ, sicut & bonorum; & quemadmodum potest res prodigere, sic & famam. Dummodò tamen non inferatur præjudicium familiæ suæ, vel officio, aut dignitati, quibus fungitur. DD. apud Bonacin. *ubi supra dict. quæst.* 4. *punct.* 10. *sub num.* 2. qui notat id fecisse plures Sanctos viros humilitatis causa, ut St. Augustinus in suis confessionibus.

19. *Quær.* An, qui sibi imposuit crimen falsum ad evitanda gravia tormenta, ex quo sibi mors sit inferenda, teneatur illud retractare? *Resp.* Negativè, quia non est vita custodienda cum tanto cruciatu. Bonacin. *ubi supra num.* 7. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 66.

20. *Quær.* An peccet filius, qui pro liberando Patre, vel amico à morte, imponit sibi delictum falsum cum periculo vitæ propriæ? *Resp.* Si Judex ritè procedit contra patrem, vel amicum, peccare mortaliter, quia non debet impedire justitiam. Quòd si injustè, vel non ritè procederet, non peccaret; nam liceret hoc pacto eripere à morte patrem, vel amicum suum. Bonac. *ubi supra num.* 9.

21. *Quær.* An, ad effugienda tormenta gravia, liceat manifestare delictum secretum, quando quis promisit secretum servare? *Resp.* Licere, exceptis duobus casibus. Unus est, si illud esset secretum Confessionis. Alter, si in damnum publicum manifestatio resultaret. Sotus *lib.* 5. *de just. quæst.* 10. *art.* 2. Ego ipse *de Pœnitentia decis.* 49. per totam.

22. *Quær.* Quale peccatum committat, qui detractorem audit? *Resp.* Qui movet detractorem ad detrahendum, peccat mortaliter contra charitatem, quia est causa peccandi ipsi detractori: & contra justitiam, quia facit, ut auferat famam per detractionem proximi sui. Qui autem non movet ad detrahendum, sed solùm delectatur gravi detractione, peccat mortaliter contra charitatem. Qui verò audit tantùm ex curiositate, ut potè

rem novam audiendo ; ex hoc non videtur peccare mortaliter ; nisi teneretur ad correctionem fraternam, quam omittendo, posset mortali culpa adstringere seipsum. Bonacin. plures allegans *De restit. tom. 2. dict. disp. 2. quæst. 4. punct. 11.*

23. *Quær.* Quando non corrigens detrahentem, non committat mortale peccatum? *Resp.* Primò, quando commodè non potest corrigere. Secundò, quando grave damnum non provenit ex detractione. Tertiò, quando non speratur fructus ex admonitione. Quartò, quando sibi timet aliquod grave damnum corrigendo ; vel habeat magnam verecundiam ; ut si audiens sit famulus, vel nullius auctoritatis. Quintò, quando detractio esset de re notoria. Bonacin. *ubi supra num. 6. 7. & 8.* ubi addit, audientem, qui corripere non potest detractorem, debere saltem discedere, aut sermonem interrumpere, vel tristem vultum ostendere, juxta illud : *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentis. Prov. 25.*

24. *Quær.* Cùm detractor teneatur ad restitutionem famæ, quando excusandus sit ab hac restitutione? *Resp.* Excusari. Primò, si infamatus vel famam non amisit, vel eam recuperavit. Secundò, quando detractio abiit in oblivionem. Tertiò, quando infamatus vel condonat, vel compensat, eò quia & ipse infamaverat suum detractorem. Quartò, si periculum vitæ immineret se retractanti de infamia ; dummodò simile periculum non immineat infamato. Quintò, quando impossibile est, restituere famam ob notorietatem, quæ transivit ad omnes. DD. apud Bonac. *ubi supra punct. 12.* & Summa Diana *verb. Detractio num. 11. & 12.* Vide Carmina Lohneri relata à me *de Pœnitentia decis. 27. num. 28.*

25. *Quær.* An, qui non potest restituere famam verbis, teneatur eam compensare, seu resarcire pecuniis? *Resp.* Esse hinc indè opiniones, & affirmativam esse magis probabilem. Summa Diana *ibid. num. 12.*

26. *Quær.* Quomodo sit facienda restitutio famæ? *Resp.* Qui falsum crimen imposuit, tenetur declarare, se falsum dixisse. Qui verò verum delictum propalavit, quod erat occultum, tenetur laudare, & commendare eum, de quo locutus est ; & etiam dicere, se non rectè de eo locutum fuisse. Bonacin. *ubi supra punct. 15. num. 4. & 5.* quo loci advertit, qui publicè famam abstulit, publicè restitutionem facere debere ; & qui detraxit in uno genere virtutis, non posse satisfacere laudando infamatum de alio genere virtutis, quia nemo tenetur recipere aliud creditum pro credito suo. Turrian. *disp. 53. dub. 3. num. 4.*

27. *Quær.* An subsistat obligatio restituendæ famæ, quando detractor restituere eam non potest, nisi cum jactura suæ famæ? *Resp.* Non subsistere, quia justitia non obligat ad restitutionem cum tanta jactura. Bonacin. *ubi supra punct. ult. num. 12.*

28. *Quær.* An hæres detractionis teneatur ad restitutionem famæ ; quam testator facere debebat, & non fecit? *Resp.* Non teneri, quia est obligatio personalis. Navar. *cap. 18. num. 46.* Bonac. *ibid. num. 15.* Porrò ad restitutionem damnorum teneretur, si ea resultasset ex detractione.

29. *Quær.* An mortuo infamato cesset obligatio restituendæ ejus famæ? *Resp.* Cessare, dummodo ex detractione damnum non irrepserit in familiam, aut hæredes infamati, Bonacin. *ubi proximè num. 16.*

30. *Quær.* Qualia damna sint reficienda per detractorem? *Resp.* Ea damna, quæ infamatus passus est vel ob impactionem criminis falsi, vel apertionem criminis veri, sed occulti. Et ideò, si quis ex tali detractione impeditus est consequi aliquod officium, vel beneficium, debet restitui ad arbitrium boni Viri, quantum valebat spes illius consecutionis ; Quòd si fuit privatus officio, vel beneficio, restitutio est facienda omnium damnorum juxta vires dicti officii, vel beneficii ; nam detractio est causa efficax illorum damnorum. Bonacin. *ibid. punct. 16. per tot.* & pro conclusione hujus materiæ est menti tenendum, peccatum detractionis esse cæteris magis periculosum, & difficile pro absolutione rite, & rectè impendenda, ut demonstravi *d. decis. 27. de Pœnitentia num. 28. & 29.*

31. *Quær.* An liceat occidere illum, quem cognoscimus velle detrahere nostræ famæ, & imponere nobis graves calumnias ad eas impediendas? *Resp.* Negativè, & asserere contrarium, est opinio 17. & 18. damnata ab Alexandro VII. Anno 1665.

32. *Quær.* An ad salvandum proprium honorem liceat imponere alteri falsum crimen? *Resp.* Negativè, est enim contraria opinio damnata ab Innocentio XI. *num. 44. Anno 1679.*

CAPUT CV.

De Contumelia, & Derisione, ac Susurratione.

1. *QUær.* Quid sit *Contumelia? Resp.* Est injuria, qua in præsentia alicujus probi viri eidem objicitur aliquod crimen, vel defertur. Bonacin. *de Restit. in particul. disp. 2. quæst. 5. punct. 1. num. 2. tom. 2. pag. 529.*

2. *Quær.* An contumelia sit peccatum mortale? *Resp.* De suo genere esse mortale ; sed ex levitate materiæ non excedere culpam venialem, prout etiam, si Superiores sint, vel Patres, qui subditos, vel filios reprehendendo, eos objurgant, & appellant duros, asinos, indignos &c. Bonac. *ubi supra num. 4.* ubi subdit, excusari posse à mortali convicia, quæ proferuntur à mulierculis, & ab hominibus infimæ sortis ad invicem contra seipsos, quia tales se parum lædunt in honore, cùm nullus eis magnam existimationem præbeat.

3. *Quær.* An contumeliæ sint ejusdem speciei, & an sit aliqua circumstantia circa ipsas in confessione exprimenda? *Resp.* Communiter censeri ejusdem speciei, undè non sit necesse exprimere, an appellaverit aliquem adulterum, vel furem, vel ebrium. At si ille, qui contumelia afficitur, sit Pater, vel Mater, aut Superior, id debet exprimi ; nam habet specialem malitiam oppositam pietati,

&

& reverentiæ debitæ suis majoribus. Bonac. *ubi supra num. 6. & 7.*

4. *Quær.* Quid sit *Derisio*? *Resp.* Est actus, quo quis violat honorem alterius verbis, vel factis, cum intentione inducendi erubescentiam, & confusionem in proximo irriso. Et differt à contumelia, nam illa fit seriò ad injuriam inferendam; hæc ex joco ad confusionem causandam. Differt etiam à subsannatione; nam ista fit non verbis, sed signis; ut naso rugato, vel labiis extensis, quod vulgariter dicitur, *fare di sberleffo.*

5. *Quær.* Quando derisio, & subsannatio censenda sit peccatum mortale? *Resp.* In tribus casibus. Primò, Quando adest intentio graviter confundendi proximum. Secundò, Quando manifestatur gravis aliquis defectus. Tertiò, Quando derisus graviter tristatur. Et ideò, licet in honesta recreatione nullum sit peccatum, deridere aliquem ex sociis, tamen est cautè agendum, quia, si ille graviter tristetur, poterit derisio esse peccatum mortale. Ita S. Thomas 2. 2. *quæst.* 75. *art.* 2.

6. *Quær.* Ad quid teneatur Derisor, vel Subsannator? *Resp.* Quòd tenentur ad restitutionem honoris, & etiam ad satisfactionem. Bonacin. *ubi supra punct.* 2. *numer.* 1. & 2.

7. *Quær.* Quo pacto fiat dicta honoris restitutio, vel etiam satisfactio? *Resp.* Fit principaliter per petitionem veniæ, vel invitando ad mensam, proximum irrisum, eumdem salutando, & honorificè tractando, ac aliàs ad boni Viri arbitrium, pensata qualitate irrisi, & irrisoris. Idem Bonacina *num.* 5.

8. *Quær.* Quid sit *Susurratio*? *Resp.* Est peccatum linguæ, quo quis manifestat alterius defectum ad seminandas discordias. Navar. *in Man. cap.* 18. *num.* 13.

9. *Quær.* In quo differat Susurratio à Contumelia, & Derisione? *Resp.* In eo differre; quòd Contumelia, & Derisio intendunt diminuere honorem; Susurratio verò tendit seminare discordias, & dirimere amicitias. Salon. *super Summ.* 2. 2. *quæst.* 74. *art.* 1. Et in susurratione potest inesse detractio, & contumelia, quando infligitur delictum, aut falsum, aut occultum in absentia, vel in præsentia.

10. *Quær.* Quale peccatum sit Susurratio? *Resp.* Esse mortale suo genere, & quidem gravius detractione, & contumelia; nam lacerat famam, & spoliat amicitia; & tamen scriptum est, *Amico fideli nulla est comparatio, Eccl.* 6. Porrò non erit mortale, si ex inadvertentia procedat, vel fiat ad dissolvendas amicitias pravas, nempè si ad impediendam continuationem in concubinatu alterius defectus alteri enarretur. Bonacina *ubi supra quæst.* 6. *punct.* 2. *num.* 4. & 5. Et hìc notandum est, quòd, si ex susurratione aliquod aliud malum succedat, utpotè adulterium, vel homicidium, hoc erit in confessione enarrandum. Bonacina *ubi supra num.* 1.

11. *Quær.* An aliquis possit dirimere amicitiam aliquorum, ut eam sibi conciliet? *Resp.* Affirmativè, dummodò hoc non faciat modis illicitis. Sotus *lib.* 5. *de just. & jure quæst.* 11. *art.* 1.

12. *Quær.* An Susurratio obliget ad restitutionem? *Resp.* Affirmativè, quia est peccatum contra Justitiam. Bonac. *ubi proximè num.* 7.

CAPUT CVI.

De Judicio Temerario, & de Suspicione.

1. *Quær.* Quid sit *Judicium temerarium*? quidvè *Suspicio*? *Resp.* Judicium temerarium est, cùm quis ex levibus indiciis credit malum de proximo suo. Suspicio verò est, quando ex levibus indiciis suspicatur, sed non firmiter credit malum de suo proximo. Bonacin. *d. disp.* 2. *quæst.* 7. *punct.* 1. & 2. ubi notat, non esse judicium temerarium, quando indicia, & signa sunt probabilia, & sufficientia; & talia censentur, quæ moverent hominem prudentem ad sic credendum, & judicandum.

2. *Quær.* Unde desumantur indicia, & conjecturæ probabiles? *Resp.* De his latè tractare Menochium, & Alciatum in eorum amplissimis tractatibus de Præsumptionibus. Porrò quoad rem nostram, in qua agimus de quadam summariissima juris instructione, dicendum est, eas desumi ex quinque fontibus. Primò, *A tempore*; Ut si de nocte quis videatur cum scala, potest argui de furto. Secundò, *A loco*; Ut si quis in domo meretricis reperiatur, de fornicatione potest notari. Tertiò, *Ex qualitate personæ*; si solita sit, malè agere. Quartò, *Ex bona opinione ejus, qui aliquid refert de altero*, nam attento tali dicto, non censetur relatio, aut judicium temerarium; Et Quintò, *Ex Circumstantia famæ*, si communiter ita sentiatur ab omnibus. Quamvis sæpè sæpius quælibet ex supradictis conjecturis fallax esse soleat; & summa cautela sit agendum, antequam malum de aliquo credatur. Bonacin. *ubi supra num.* 3.

3. *Quær.* Quale peccatum sit Judicium temerarium? *Resp.* Esse mortale, si sit de re gravi, & firmiter credatur. Hinc veniale erit, si de re levi judicium sit, vel de gravi sola suspicio sit, nisi esset adeò temeraria, ut & ipsa transiret in culpam mortalem, utpotè, si de sanctissimo Prælato quis suspicaretur adulterium. Bonac. *ibid. sub num.* 4.

4. *Quær.* An liceat ei, qui ex sufficientibus indiciis judicavit malum de aliquo, narrare alteri judicium suum? *Resp.* Negativè. Quia si verum at occultum delictum sit, non licet referre, nam est detractio; multò minùs judicium, quod verum esse non potest. Id tamen intelligitur, nisi conjecturæ adeo manifestæ sint omnibus, ut quilibet sic judicare possit. Bonac. *ibid. num.* 9.

5. *Quær.* An Judicium temerarium sit contra justitiam? *Resp.* Affirmativè, quia proximus habet jus, ut de eo bona opinio teneatur. Cæterùm non obligat ad restitutionem, quia ex actu interno restitutio non debetur, sed sola opinio mala est deponenda;

da; nisi manifestatum fuisset judicium alicui tacitis levibus indiciis; tunc enim deberet se retractare, & admonere eum, cum quo locutus esset, ut & ipse deponeret malam opinionem. DD. apud Bonac. *ibid.*

6. *Quær.* An teneamur dubia in meliorem partem explicare, & actiones, quæ fieri possunt tam in bonum, quàm in malum finem, credere, eas fuisse factas in bonum finem? *Resp.* Tenemur explicare dubia in meliorem partem, sed negativè, non autem affirmativè, vel positivè; id, quod fit, suspendendo judicium, ita, ut si non eliciamus opinionem bonam, abstineamus à mala. Exempli gratia, si videro Cajum benè comedentem, & bibentem; & judicavero in corde meo, ipsum sic comedere, & bibere ex necessitate; explicavero dubium in meliorem partem affirmativè, & positivè. Quòd si suspendero omne judicium, & non judicavero neque ex necessitate, neque ex gula comedere, & bibere, explicavero dubium in meliorem partem negativè. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 4. *punct.* 4. & alii apud Bonac. *d. disp.* 2. *q.* 7. *punct.* 3. *num.* 2. ubi reddit hanc rationem, dicens, quia proximus non habet jus, ut de ipso bene positivè judicemus; sed ne de ipso malè opinemur, quando res est dubia.

7. *Quær.* An dentur casus, in quibus liceat in dubio interpretari actionem proximi in pejorem partem? *Resp.* Affirmativè, nempè quando agitur de damno evitando, vel de remedio adhibendo ad præcavendum malum; & hoc non judicando proximum esse malum positivè; sed per quàndam suppositionem. Exempli gratia: si Advena hospitetur in domo mea, possum claudere cubiculum, quasi dubitem, illum esse furem, quamvis, non judicem, nec credam, eum esse furem. Item Maritus videns adolescentem deambulare ante fenestras Uxoris su.., potest eam removere, vel custodire, ac si ille intenderet amorem pravum, & adulterum. Item Prælatus potest corrigendo arguere aliquem Clericum, de quo aliqua suspicio detur, quamvis nulla sit certitudo de malo opere; procedendo tamen cum summa prudentia, & abstinendo à mala opinione erga dictum subditum, quia reputari malus non debet ex sola suspicione. Filliuccius *tract.* 40. *cap.* 1. *quæst.* 12. *num.* 21. & alii apud Bonacin. *ubi supra num.* 3.

CAPUT CVII.

De Libellis famosis.

1. *Quær.* Quid sit Libellus famosus? *Resp.* Esse signum, vel Scripturam, qua quis prætendit infamiam alicujus publicam facere, sivè ea vera sit, sivè non vera. Sylvest. in Summa *verb. Libellus.* Bonacin. *de Restitut. in particulari disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 9. *num.* 1. *tom.* 2. *pag.* 521. Unde colligitur, quòd non est libellus famosus Epistola privata alicui missa cum manifestatione delicti alicujus, quia est potiùs detractio, neque si delictum antea publicum quis exprimat per scripturas.

2. *Quær.* An liceat certiores reddere Superiores de delicto alicujus subditi per litteras sine nomine, vulgò *lettere orbe*? *Resp.* Negativè, quia per eas Superior non potest devenire ad Inquisitionem, neque ad Processus formationem. *cap. Inquisitione.* §. *tertio, De Accusationibus.* Thesaur. *de Pœn. verb Libelli famosi*, & dictæ litteræ censentur libelli famosi, quia mittuntur, ut delicta alterius publica fiant. Bonac. *ubi supra num.* 5.

3. *Quær.* Quale peccatum sit, Libellum famosum conficere? *Resp.* Esse peccatum mortale; & conficientem teneri ad famæ restitutionem. Sylvest. *Verb. Libellus.* Zechius *de Casibus reservat. casu* 17. Quæ quidem famæ restitutio est facienda, vel per aliam publicam scripturam contrariam, vel per vocem præconis, aut concionatoris. DD. apud Bonacin. *ubi supra num.* 8.

4. *Quær.* An signis tantùm dicantur confici Libelli famosi? *Resp.* Affirmativè, exempli gratia, si quis appenderet cornua ante ostium alicujus viri ad indicandum, ejus Uxorem esse adulteram. Graffius *de Casibus reser. lib.* 1. *c.* 19. *num.* 21.

5. *Quær.* Quæ sint pœnæ statutæ de jure in foro exteriori contra conficientes Libellos famosos? *Resp.* Reus libelli famosi, sequuta sententia condemnatoria, efficitur de jure infamis. *l. Ob carmen. ff. de Testib. cap. Si testes.* 4. *quæst.* 3. & subindè remanet irregularis. Majol. *de Irregular. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 15. Secundò assumenda est inquisitio judicialis contra formantes Libellos famosos, & litteras orbas scribentes. Gloss. *in dict.* §. *Tertia. Verb. in Occulto. De Accusat.* Roderic. *quæst. regul. lib.* 6. *art.* 10. *tom.* 2. Tertiò compelli possunt per censuras Ecclesiasticas, seu monitoriis ad propalandum seipsos, ut vel crimen probent, vel famam restituant diffamatis, ut fecit S. Gregor. Magnus *in cap. Quidam maligni.* 5. *quæst.* 1. ex quo textu Doctores notant, non esse excommunicationem aliquam latam contra tales delinquentes, quia ille est casus particularis, non lex Universalis Menoch. *de Arbitrar. cas.* 263. *num.* 34. & 35.

6. *Quær.* An, qui diffamavit aliquem per litteras, ut dicitur, *orbas*; sasisfaciat se retractando, per consimiles litteras orbas? *Resp.* Negativè, quando jam delictum invaluit in mentes hominum. Suarez *de Censur. disp.* 4. *sect.* 4. *num.* 16. Thesaur. *de Pœnis Verb. Libelli famosi.*

7. *Quær.* An in aliquo casu particulari sit aliqua censura lata ipso jure contra conficientes dictos Libellos famosos? *Resp.* Affirmativè, nempè si facti sint contra Religionem Prædicatorum, vel Minorum ex Bulla Alexandri Quarti, *Incipit: Ex alto.* Et contra institutum Societatis Jesu: Ex Bulla Gregor. XIII. *Incipit: Ascendente Domino*; Quæ extenduntur per participationem Privilegiorum ad omnes alios Ordines. Thesaur. *de Pœnis ubi supra*; qui notat, non incurri censuram, si libellus sit contra unum Religiosum particularem, non contra Religionem. Novissimè Pignatellus *tom.* 4. *consult.* 118. *num.* 19.

8. *Quær.* An, qui prætendit, se injuste ex-

com-

communicatum, id significare possit per manifestas, seu publicas scripturas? *Resp.* Negative, nisi injustitia esset omninò evidens. Thesaur. *De Pœn. part.* 1. *cap.* 22. Debet enim uti remedio appellationis.

CAPUT CVIII.

De Nono, & Decimo Præcepto Decalogi.

1. *Quær.* Quid prohibeant hæc duo Præcepta? *Resp.* Prohibent desideria mala, & actus internos non rectos; illosque præcipuè, qui sunt contra sextum, & septimum Præceptum; ideòque prohibitæ sunt omnes concupiscentiæ internæ, & delectationes voluntariæ tam circa mulieres, quàm circa bona aliorum. *Ita DD. communiter hic.*

2. *Quær.* An Ecclesia possit imponere pœnas, & censuras pro peccatis, & desideriis criminosis, in corde tantùm existentibus; & pro actibus, & delictis internis? *Resp.* Varias esse Theologorum, & Canonistarum opiniones super hoc quæsito. Alii negant, quia Ecclesia non judicat de occultis, sed ea soli Deo reservantur. *Cap. Consuluisti.* 2. *quæst.* 5. *cap. Erubescant.* 32. *dist. & ibi Gloss.* Ita Salas *de Legib. disp.* 9. *sect.* 2. *num.* 3. *&* 6. Alii affirmant, eò quia actus internus refertur ad externum, & cum eo componit unum in genere mortis; & ob pravam intentionem, agentis, actus externus censetur dignus punitione. Ita S. Thom. *p.* 2. *quæst.* 20. *art.* 2. Sayr. *lib.* 3. *Clavis cap.* 6. *in fine.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 10. §. *In hac itaque.* Alii distinguunt, & dicunt, vel etiam actus externus est de se malus; vel est de se bonus, & indifferens. Primo casu potest Ecclesia infligere pœnas, & censuras super ista intentione mala, & actu interno. Secundo casu non potest. Ita Navar. *in cap. Mandato, num.* 20. *de Simoniâ.* Vasq. 1. 2. *disp.* 160. Suarez *de Censur. disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 19. *& seqq.*

3. *Quær.* Quæ sit tutior opinio in dicta materia? *Resp.* Quòd Ecclesia possit ferre pœnas, & censuras etiam super actu interno malo, quando est de substantia actus externi; & hoc, quando pœna, seu censura lata est per modum legis, seu pœnæ conditionalis; ut tenet Azor. *ubi supra*, & docet Thesaur. *de Pœnis Ecclesiastic. part.* 1. *cap.* 5. *per tot.*

4. *Quær* Qui sint casus, in quibus de Jure Canonico inflictæ sunt Censuræ, & pœnæ ob actus malos internos, & occultas intentiones pravas? *Resp.* Esse plures casus; sed hic referuntur nonnulli magis periculosi, & quos scire decet Ecclesiasticum virum. Primus est *in cap. Commissa.* §. *Cæterum, de Elect. in* 6. Ubi statuitur, quòd si quis obtineat Parochiale beneficium, non intendens ad Sacerdotium promoveri, talis non faciat fructus suos, nisi intra eundem annum pravam mutaverit voluntatem, & se fecerit promoveri. Vide Garziam *part* 3. *cap.* 4. *num.* 58. *de Benefic.* & Thesaur. *par.* 2. *Verb. Beneficium. cap.* 4. Secundus est *in Clement.* 1. §. *Quia verò, de statu Monachor.* ubi ipso facto excommunicantur Monachi, & Canonici Regulares se conferentes ad Curias Principum Sæcularium hoc animo, ut suis Prælatis, aut Monasteriis damnum aliquod inferant. Thesaur. *de Pœnis Ecclesiast. 2. part. 2. Verb. Curiâ, cap.* 10. Tertius est in decreto Concilii Trident. *sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 5. ubi juxta stylum Curiæ, qui copulam incestuosam committunt cum intentione futuri matrimonii, seu facilioris dispensationis, non possunt legitimam dispensationem obtinere, nisi exprimant dictam intentionem. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 25. *num.* 38. Garzias *part.* 8. *cap.* 3. *num.* 93. Guttierez *de Matrim. cap.* 124. *num.* 13. *&* 14. Quartus est *in Clement.* 1. §. *Verum quia nimis, de Hæret.* ubi Episcopus afficitur pœna suspensionis per triennium, Inquisitor, & alii plectuntur pœna excommunicationis, si omiserint procedere in Officio Sanctæ Inquisitionis, ubi fuerit procedendum, causa odii, amoris, gratiæ, vel lucri temporalis. Thesaur. *ubi supra verb. Inquisitor. cap.* 5. Quintus est in bulla 12. Pauli Quarti; *incipit: Inter cæteras*, ubi sunt excommunicati ipso facto; & aliis pœnis affecti illi, qui in Romana Curia procurant beneficia vel pro se, vel pro aliquo etiam ignorante, cum spe, aut animo lucrandi pensionem in resignatione, vel recipiendi aliquod commodum temporale. Gonzal. *gloss.* 15. *num.* 89. & Garzias *de Benefic. part.* 11. *c.* 3. *num.* 191. Thesaur. *par.* 2. *Verb. Simonia cap.* 5. Alii plures casus possent adduci, quos ex brevitate omittimus, & passim legentibus occurrunt.

5. *Quær.* Quando sint mortalia peccata actus interni turpes, seu de re mala? *Resp.* Quando de eis homo morosè delectatur. Bonacin. *De iis, quæ pertinent ad usum Matrim. qu.* 4. *punct.* 8. *num.* 1. *tom.* 1. *pag.* 366.

6. *Quær.* Quid sit *Morosa delectatio*? *Resp.* Delectatio morosa est, quando homo advertenter delectatur de re mala, seu turpi. Et ideò delectatio morosa talis non dicitur à mora temporis, eò quòd aliquis in ea immoretur; sed à mora rationis; tunc scilicet, quando homo advertit rem, quam cogitat, esse turpem, seu malam, & nihilominus vult ea delectari. Undè, qui de re mala delectatur, non advertens ad malitiam ejus, non censetur peccare, saltem mortaliter. Bonac. *ubi supra.*

7. *Quær.* Quale peccatum sit Delectatio morosa de re mala, seu turpi? *Resp.* Si ea sit cum actu efficaci, id est, cum deliberatione exequendi illam rem turpem, seu malam, est peccatum mortale. Si verò sit cum actu inefficaci, id est, non cum desiderio exequendi, sed solùm ex delectatione rei turpis, seu malæ in abstracto; hoc in casu erit mortale, si sit de gravi damno proximi, vel cum periculo consensus in grave peccatum. Erit autem veniale tantùm, si sit absque periculo consensus, vel ex levi otiositate. Bonac. *ubi supra num.* 5. 6. *&* 7. ubi *num.* 10. *&* 11. subdit, eos peccare venialiter, qui delectantur de re turpi, aut mala, non quatenus tali, sed vel ex ingenio, industria, seu fortitu-

tudine, cum quibus eam commiserunt; prout etiam, qui delectantur de facto jejunio, non ut de fractione, sed ob gustum ciborum.

8. *Quær.* An peccent mortaliter conjuges, qui in absentia alterius conjugis delectantur de copula carnali habita, vel habenda cum illo? *Resp.* Affirmat Navar. *in Man. cap.* 16. *num.* 10. Negat Sanchez, & cum eo plurimi DD. *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 45. *num.* 41. quam opinionem tenet Bonacina *ubi supra num.* 12. Quia delectatio sumit qualitatem à motivo; & in hoc casu motivum non est mortale, quia copula inter conjuges est licita; Porrò quando delectatio est in appetitu sensitivo, excusari non potest à culpa mortali, ut disserit Cardenas *in Crisi Theol. tract.* 5. *disp.* 41. *cap.* 3. *art.* 4.

9. *Quær.* An liceat morosa delectatio copulæ præteritæ in vidua? vel futuræ in sponsa? *Resp.* Si copula apprehendatur tanquam res venerea, non licere; si ob alium honestum finem, ut commoditatis, status proprii firmitatis, & similia, licere. Cardenas *ubi sup.*

10. *Quær.* An venerea delectatio excusari possit à peccato mortali ob parvitatem materiæ? *Resp.* Alii negant, ob lubricam materiam, & periculum effusionis seminis. Filliuc. *tr.* 30. *cap.* 9. *qu.* 1. *num.* 166. Alii affirmant, quos citat, & sequitur Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 46. *num.* 9. & hæc opinio est probabilior speculativè; prima verò est securior in praxi. Bonacin, *ubi supra num.* 17.

11. *Quær.* An delectatio venerea sit ejusdem speciei cum opere externo? *Resp.* Affirmativè; & ideò in confessione est explicanda circumstantia personæ, circa quam fuit delectatio; id est, an fuerit virgo, conjugata, consanguinea, vel monialis. Quamvis ab hac obligatione nonnulli Doctores eximant, quando delectatio fuit non principaliter circa illam personam, sed circa rem carnalem, etsi in illa persona; sed hæc opinio, quamvis speculativè posset teneri, practicè tamen non est secura; & ideò non amplectenda. Bonac. *d. qu.* 4. *punct.* 8. *num.* 19. *&* 20. Vide dicta per me *de Pœnitentia decis.* 27. *num.* 9.

12. *Quær.* An sit peccatum mortale delectatio morosa de re turpi, seu mala cum conditione ista, si ea non esset turpis, seu mala; & si liceret? *Resp.* Secundùm aliquos, non esset mortale, quando non esset efficax motivum, seu voluntas, rem illam patrandi, sed tantùm aliqua velleitas, seu desiderium in abstracto. Porrò in praxi cautè est agendum ob periculum liberi consensus. Bonac. *ubi supra num.* 21. qui *num.* 22. *& seqq.* excusat à mortali delectationem in his casibus, & cum his conditionibus; videlicet, occiderem inimicum meum, nisi esset offensa Dei. Vellem habere copulam cum Berta, si uxor mea foret. Ederem carnes die Sabbati, nisi esset ab Ecclesia prohibitum; & ego Sacerdos ducerem uxorem, si id mihi per Sacros Canones vetitum non esset.

13. *Quær.* An peccaret Religiosus, qui diceret, nisi essem Religiosus, vellem fornicari, vel homicidium committere? *Resp.* Affirmativè; quia conditio non tollit malitiam operis. Bonac. *ubi supra numer.* 27. *&* 28. ubi tamen notat, quòd in dicto casu peccatum haberet malitiam simplicis fornicationis, non autem Sacrilegii.

14. *Quær.* An esset excusandus à mortali culpa, qui diceret, nisi esset Infernus, vel timerem supplicium, adulterarer, ac furarer? *Resp.* Negativè. Bonacin. *ubi supra num.* 29. Qui tandem *sub num.* 33. observat, in delectatione carnali non sufficere, si quis in ea delectetur cum hac conditione, si licita esset; quia venerea delectatio non solùm est mala ob motivum, cum quo illa exequi non potest; sed ulteriùs ob causalitatem, quam habet ad libidinem explendam, id est, ob periculum consummationis actus, ex concursu materiæ, & spirituum libidini inserventium, ex sola delectatione, & cogitatione; & ideò attenta hac causa, & periculo consummationis libidinis, dicta delectatio censeri non potest immunis à culpa mortali. Graff. 1. *par. lib.* 2. *cap.* 78. *num.* 9. Valentia *par.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 4. *punct.* 4.

15. *Quær.* An oscula, & amplexus sint reputandi liciti, vel illiciti? *Resp.* Quando fiunt causa amicitiæ, & secundùm consuetudinem Patriæ, sunt liciti. Si verò fiant causa delectationis carnalis, seu animo fruendi delectatione venerea, sunt peccata mortalia illius speciei, ad quam ordinantur; & in confessione exprimenda est qualitas personæ, cum qua habiti fuerunt. Bonac. *ubi supra quæst.* 4. *punct.* 10. *num.* 2. 3. *&* 4. ubi notat, duplicem esse delectationem in osculis, & amplexibus. Unam, quæ in solo sensu tactus existit, & honestatem non offendit: altera, quæ carnales motus excitat, & abhonestate discedit. Primam licitam appellat. Secundam criminosam. Sed est advertendum à SS. Alexandro VII. *die* 18. *Martii* 1666. damnatam fuisse Propositionem XL. quæ asserebat: *Esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, qua ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

16. *Quær.* An tactus proprii corporis in quacunque parte sit licitus? *Resp.* Si tactus fiant ob carnalem delectationem, non sunt liciti, & sunt peccata mortalia. Si ob levitatem, vel curiositatem, sunt venialia. Si ob aliquam honestam, & justam causam, nempè ad medendum, lavandum, calefaciendum manum, erunt liciti, & absque peccato. Bonacin. *ubi supra num.* 8. *&* 9.

17. *Quær.* An fœmina peccet, non se retrahendo, quando advertit ab aliquo tangi, vel oscolari ex carnali delectatione, licèt ipsa id honestè agat juxta morem patriæ? *Resp.* Si actus sunt impudici, debet omninò se retrahere. Si actus sunt honesti extrinsecùs, sed ex mala intentione advertit eos fieri, tunc si in secreto est, tenetur etiam se retrahere; si verò in publico, non peccat, si ipsa non se retrahat; sed eos admittat juxta morem patriæ. Ita Sà *verb. Luxuria num* 14. & Graffius *dict. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 75. *num.* 12. & Bonac. *ubi supra num.* 10.

18. *Quær.*

18. *Quær.* An sit mortale levis tactus manuum, vel vellicatio, aut digitorum intorsio, quæ præcipuè in choreis inter mares, & fœminas fieri solet? *Resp.* Alii negant, tanquam res levis: alii affirmant, ob periculum consensus in delectationem veneream; & ideò Bonacina dicit, esse caute respondendum, ne relaxentur habenæ in materia tàm lubrica, *ubi supra num.* 11.

19. *Quær.* An liceat osculari pueros, & puellas parvulas, quando ex sincero affectu osculantur? *Resp.* Licere; quia delectatio illa non est ob malum finem, sed ob innocentiam illius teneræ ætatis. Rebell. *lib.* 3. *de Matrim. q.* 19. *sect.* 3.

20. *Quær.* An aspectus fœminæ, vel aliarum personarum ob pulchritudinem, sit peccaminosus? *Resp.* Si fiat ob simplicem curiositatem, absque delectatione venerea, & in partibus non impudicis, non erit mortalis. Bonac. *d. quæst.* 4. *punct.* 10. & diximus supra in sexto Præcepto.

21. *Quær.* An aperienda sit in confessione circumstantia personæ, circa quam quis habuit delectationem veneream in aspiciendo? *Resp.* Affirmativè. Bonac. *ubi supra num.* 16. d. mea *Decisio* 27. *num.* 9. *de Pœnitentia.*

22. *Quær.* An peccet puella, quæ se præbet aspiciendam ei, à quo scit amari turpi amore? *Resp.* Eam peccare mortaliter peccato scandali, quia præber proximo suo occasionem spiritualis ruinæ. Porrò, si id faceret, ut uteretur sua libertate exeundi domo, vel stando ad ostium, vel fenestram, posset excusari à peccato; quod ego intelligerem, si staret ad fenestram, vel ad ostium ex aliqua honesta causa; secùs, si hac sola ratione; quia vult uti sua libertate. Bonacin. *ibid. num.* 17.

23. *Quær.* An Turpiloquium sit peccatum mortale? *Resp.* Negativè, si fiat absque affectu venereo, & absque scandalo. Secùs verò, si cum aliquo ex dictis affectibus. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 14. Cajet. 2. 2. *qu.* 148. *art.* 5. Bonac. *ubi supra num.* 18.

24. *Quær.* An Clerici comœdiis interessentes, peccent mortaliter? *Resp.* Negativè, cessante scandalo & contemptu Superiorum; quamvis ab illis debeant abstinere tanquam in jure prohibitis. *cap. Non oportet.* 2. *de Consecr. dist.* 5. *c. Clerici* 2. *De vita, & honest. Cleric.* Bonac. *ubi supra num.* 22. qui *num.* 24. notat, eos peccare mortaliter, si choreas ducant.

25. *Quær.* An qui fucat faciem, utitur odoribus, vel alienis capillis, peccet? *Resp.* Si id agat ob malum finem, peccat mortaliter. Si ex levitate tantùm, peccat venialiter; Si ob justam aliquam causam, vel ob morem patriæ, nihil peccat. Bonac. *ubi supra num.* 25. *& 26.*

CAPUT CIX.

De Præceptis Ecclesiæ.

1. *Quær.* Quæ, & quot sint Præcepta Ecclesiæ, fidelibus omnibus, communiter servanda, proposita? *Resp.* Esse quinque; nempe audire Sacrum diebus festis de præcepto; Jejunium diebus debitis servare. Confiteri, & Communicari in Paschate. Non celebrare nuptias diebus prohititis. Decimas solvere.

2. *Quær.* Cum de Præcepto audiendi Sacrum actum sit supra in tertio Præcepto Decalogi, An, qui Missam audiunt cum distractione voluntaria; vel etiam Officium Divinum sic recitant, satisfaciant Præcepto Ecclesiæ? *Resp.* Hanc quæstionem latè examinari à Domino Fagnano *in cap. Dolentes. num.* 17. *& seqq. de Celebrat. Missarum. tom.* 5. *pag.* 306. Ubi refert plures DD. dicentes, satisfieri, dummodo distractio non proveniat ob opus externum incompatibile cum attentione interna; quale est scribere, confabulari, dormire; sed eos refutat, dicendo, quotiescunque distractio est voluntaria, & homo se talem cognoscit, tenetur revocare mentem, & redire ad cor, ad hoc ut satisfaciat præcepto Missæ audiendæ, vel officii recitandi. Quamvis concedat cum auctoritate plurium Theologorum, & Canonistarum, quòd sufficiat devotio, seu attentio virtualis, & necessaria non est actualis continua, quam sine speciali gratia Dei in hoc mundo habere non possumus, juxta illud Psalmistæ, *Cor meum dereliquit me.*

3. *Quær.* An qui detinentur domi ob infirmitatem, & habent in ea Oratorium, cum facultate celebrare faciendi, teneantur celebrare facere, & audire Missam in die festo? *Resp.* Negare Suarez 3. *part. disp.* 88. *sect.* 6. & Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 80. *& par.* 9. *tract.* 1. *resol.* 19. At affirmare Card. de Lugo *disp.* 22. *num.* 14. Quod intelligendum est, si Missa ibi celebretur, vel commodè eam possint facere celebrare; & hanc opinionem affirmativam docui in meis decisionibus *De Eucharistia decis.* 8. *num.* 52.

4. *Quær.* An sit audienda Missa in die Parasceves, si in eo incidat festum Annunciationis? *Resp.* Negativè secundùm Gavant. *part.* 3. *tit.* 29. *num.* 24. ubi testatur, sic respondisse Sac. Congregat. *die* 19. *Febr.* 1622. Quia illa Missa non est verè Sacrificium, eo quia in illa non fit consecratio.

5. *Quær.* An, qui non poterit citiùs accedere ad Missam, nisi cùm Sacerdos recitat *Præfationem*, seu *Sanctus &c.* teneatur reliquum Missæ audire sub mortali, vel possit impunè recedere, & abire? *Resp.* Posse abire, docuisse Jo. Sanchez *disp.* 15. *num.* 5. Sed non posse, tutiùs scribit Tamburin. *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 2. §. 1. *num.* 5.

6. *Quær.* An impleatur Præceptum audiendo dimidium Missæ ab uno Sacerdote, & dimidium ab altero: *Resp.* Secundum auctoritatem Doctorum affirmativè, quos cumulat Diana *par.* 2. *tract.* 17. *resol.* 18. *& part.* 5. *tract.* 14. *res.* 52. *& par.* 10. *tract.* 15. *resol.* 3. At contrarium docet Card. de Lugo *disp.* 22. *num.* 10. & Tambur. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 2. §. 1. *num.* 5. Advertendum, quòd *Anno* 1679. à SS. Innocentio Papa XI. *in Proposit.* 53. damnatum fuit, asserere, *quòd satisfacit Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.* Quare nunc est legendus Cardenas *in Crisi Dissert.* 33. *cap.* 6. *&* 7.

qui

qui notat, esse cavendum à dicta opinione damnata.

7. *Quær.* An satisfaciat præcepto, qui audit Missam stando ad fenestram domus contiguæ Ecclesiæ, inter quam tamen & domum prædictam extat è medio via? *Resp.* Affirmativè, etiamsi esset platea, dummodo tamen è fenestra videri possit Sacerdos celebrans. Tambur. *lib.* 4. *cap.* 2. §. 1. *num.* 14. & Cotonius *controvers.* 14. *cap.* 3. *num.* 32.

8. *Quær.* An, qui recitat horas Canonicas audiendo Missam, satisfaciat utrique præcepto? *Resp.* Affirmativè. Diana *part.* 2. *tract.* 12. *resol.* 2. *& part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 61. Imò idem asserunt Doctores de eo, qui confitetur peccata sua, si cito se expediat, videlicet saltem ab initio Missæ usque ad Evangelium. Coton. *ubi supra num.* 42. Secùs, si longiori tempore protraheret suam homologesim, *ubi supra cap.* 47. *num.* 16.

9. *Quær.* An omissa Missa ob finem furandi, vel adulterandi, talis finis sit explicandus in confessione? *Resp.* Affirmativè, licèt effectus non sequatur, ut docui *de Pœnitentia Decis.* 27. *num.* 6.

CAPUT CX.

De Jejunio Ecclesiastico.

1. *Quær.* Quid sit Jejunium? *Resp.* Est abstinentia ab his, quæ gustu percipiuntur. Cotonius *d. lib.* 1. *Controvers.* 17. *cap.* 1. *num.* 1. ubi id de naturali jejunio intelligit, quod necessarium est ad sumendam Eucharistiam. Porrò jejunium Ecclesiasticum esse, ait *Abstinentiam à carnibus, & duplici comestione in eodem die.*

2. *Quær.* Quibus diebus sit obligatio jejunandi? *Resp.* Per totam Quadragesimam, exceptis Dominicis: Quatuor anni Temporibus per tres dies; & aliis Vigiliis Sanctorum ab Ecclesia statutis. Coton. *ubi supra num.* 9. *Controv.* 17.

3. *Quær.* Quibus diebus sit à carne abstinendum? *Resp.* Dictis diebus jejuniorum, & insuper singulis sextis feriis, & Sabbatis. *cap. ult. de Observ. jejun. & cap. Quia dies, de Consecrat. dist.* 5. nisi in eis acciderit dies Natalis Domini. Cotonius *ubi supra num.* 6. 7. 8. 9. *&* 10. ubi observat, eos dicto die Natalis Domini non posse carnes comedere, qui Voto sunt adstricti ad jejunium in quocunque die Veneris, vel Sabbati; prout etiam ii, qui ob Regularem observantiam dictis diebus jejunare tenentur. Molin. *tom.* 2. *disp.* 272. *num.* 3. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *resol.* 22. Quæ in Coordinato Opere est *tom.* 4. *tract.* 6. *resol.* 61.

4. *Quær.* An diebus jejuniorum liceat comedere ova, & lacticinia? *Resp.* Negativè, quoad jejunium Quadragesimale ex S. Gregor. Papa *dist.* 4. *cap.* 6. Quò verò ad alia jejunia vigiliarum servandas esse consuetudines regionum. Coton. *ubi sup. num.* 13. Nicolius *Institut. Canonic. lib.* 3. *tit.* 46. *num.* 2. Fagnan. *in cap. Consilium, num.* 54. *de Observat. jejun. tom.* 5. *pag.* 347. & novissimè Pignatell. *in suis Consult. Canonic, consult.* 15. *tom.* 1.

5. *Quær.* An diebus Dominicis Quadragesimæ liceat comedere ova? *Resp.* Plures fuisse Doctores, qui affirmativam sententiam conati sunt defendere, quia tunc non est præceptum Jejunii; sed eorum reprobatur sententia ob contrariam inveteratam Ecclesiæ consuetudinem, ut pluribus citatis hinc indè tenet Coton. *dict. Controv.* 17. *num.* 25. *&* 26. ubi notat, mortiferum esse, comedere ova, & lacticinia diebus Dominicis Quadragesimæ saltem in Italia; quod *num.* 27. extendit etiam ad alios dies Jejunii intra annum. Hinc *Anno* 1666. ab Alexandro Papa VII. fuit damnata hæc Propositio: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima, obliget.* Ut in Propos. 32.

6. *Quær.* An comedens carnem, vel ova in die jejunii teneatur ampliùs eo die jejunare? *Resp.* De comedente ova, & lacticinia communem esse opinionem, quòd teneatur jejunare. De comedente carnem, esse hinc indè opiniones; ideò, qui dispensantur à cibis vetitis, consulant Viros doctos. Coton. *ibid. num.* 29.

7. *Quær.* An in esu carnium, vel ovorum in die jejunii detur parvitas materiæ? *Resp.* Affirmativè. Leo *quæst. moral. de Chocolat. part.* 3. *num.* 3. Diana *par.* 5. *tr.* 5. *resolut.* 32. *& par.* 10. *tract.* 14. *resol.* 59. Coton. *dict. lib.* 1. *Controvers.* 17. *cap.* 2. *num.* 30 ubi notat, non peccare coquos, & dapiferos in die jejunii gustantes jus, & pulmentum ad vadimonium, & gustum Principum; & ideò, qui absque causa parum quid sumeret, peccaret venialiter tantùm.

8. *Quær.* An in die jejunii liceat comedere placentulas, seu mustacea confecta cum ovo, vel butyro, ut sunt *li savojardi, ò buzzolati*? *Resp.* Attendendam esse consuetudinem regionis, ut docet Coton. *ubi supra num.* 31. Qui dat exemplum de diversis regionibus; & nos addere possumus exemplum *del Mandolato*; quod propè festa Natalitia conficitur Venetiis, & Patavii cum albugine ovorum, & tamen comeditur ex consuetudine in die jejunii.

9. *Quær.* Quando incipiat dies jejunii? *Resp.* A media nocte antecedenti, & durat usque ad mediam noctem subsequentem. Coton. *ubi supra num.* 32.

10. *Quær.* An, qui dubitat, utrùm media nox præcedens jejunium, vel subsequens jejunium transacta sit, possit cœnare? *Resp.* In nocte præcedenti potest; in subsequenti non potest, quia in dubio statur pro possidente; & in primo casu possessio est pro libertate, in secundo pro jejunio. Diana *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 18. Coton. *ibid. num.* 33.

11. *Quær.* An in postrema nocte Bacchanalium liceat protrahere cœnam post mediam noctem per duas, aut tres horas? *Resp.* Negativè. Diana *part.* 1. *tract.* 16. *resolut.* 17. Quæ in opere Coordinato est *tom.* 4. *tract.* 6. *resol.* 38.

12. *Quær.* Quænam sit hora propria prandii in die jejunii? *Resp.* Quòd olim in jejuniis Quadragesimæ hora erat in Vespere, id est, Sole occidente; in aliis verò jejuniis

hora

hora tertia post meridiem. *cap. Solent. de consecr. dist.* 1. Covaruv. *lib.* 4. *var. resol. cap.* 20. *num.* 14. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 7. Porrò, nunc ex generali consuetudine humanæ imbecillitati indultum est, ut in meridie cibus capiatur; imò etiam ante meridiem, ubi talis sit consuetudo, prout de Civitate Veronen. asserit Pasqualig. *decis.* 143. ut refert Coton. *ubi supra num.* 36. Vide Decisiones meas *de Sacrif. Missæ decis.* 13. *num.* 1. & 2.

13. *Quær.* An comestio in Quadragesima necessariò facienda sit post recitationem Vesperarum juxta rubricam Breviarii *Fer.* 4. *Cinerum*? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, & negativam esse magis communem, cùm ex generali consuetudine hora comestionis præcesserit horam Vesperarum. Et quamvis Vesperæ dicantur in choro ante prandium, tamen non dicuntur hora debita; sed ad salvandam Rubricam Breviarii, quæ jubet, recitari Vesperas ante comestionem, quamvis propriè Ecclesia intellexerit, Vesperas esse recitandas propè occasum Solis, & illis recitatis refectio cibi capiatur. At humana fragilitas, ne dicatur astutia, seu malitia, sic declarat Rubricam. Coton. *ubi supra num.* 36. 37. 38. *dict. decis.* 13. *de Sacrif. Missæ.*

14. *Quær.* An sit peccatum mortale, anticipare horam comestionis notabiliter? *Resp.* Plures moderni negant, adeò ut etiam summo manè cibum capi posse in die jejunii doceant, dummodo semel capiatur, Pasqualig. *decis.* 146. Sed contrarium tenent graviores Theologi, notantes, viros timoratos sollicitos esse, ne ante meridiem cibum capiant. Coton. *ubi supra num.* 39. & 40. ubi tollit scrupulum, quando adsit justa causa anticipandi, qualis est obligatio lectionem faciendi, vel concionem, loquendi cum Principe, judicandi, orandi ab Advocato, inserviendi Majoribus, advenis; vel stomachus sit adeò debilis, ut non possit differre sumptionem cibi usque ad meridiem.

15. *Quær.* Quanto tempore liceat ante meridiem cibum sumere in die jejunii? *Resp.* Alii docent per horam. Pasqual. *decis.* 147. Alii per quadrantem horæ. Azor. *p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 11. *quæst.* 4. Alii ab utraque recedentes putant per semihoram. Ita Filliuccius *tom.* 2. *tract.* 27. *par.* 2. *num.* 73. & hanc laudat Cotonius *ubi supra num.* 42.

16. *Quær.* An liceat de manè facere collatiunculam, & in Vespere cœnare? *Resp.* Negativè, nisi subsit aliqua justa causa Ita Naldus *verb. Jejunium*: *num.* 8. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *res.* 33. & *par.* 11. *tract.* 3. *res.* 9. Coton. *ubi supra num.* 43.

17. *Quær.* Quando possit ad prandium redire, qui è medio prandio coactus fuit surgere, & discedere ob aliquod negotium? *Resp.* Si sufficiens prandium non sumpsit, & ex necessitate illud interruptum fuit, potest quandocunque ad illud redire. Si absque necessitate, non nisi post unam horam ex opinione magis secura. Si sufficiens prandium sumpsit, non potest ad cibum ampliùs redire, nisi ex causa urbanitatis intra quadrantem horæ. Diana *par.* 10. *tract.* 14. *resol.* 62. Coton. *ubi supra num.* 44. 45. & 46. ubi idem concedit in sumptione anticipata cibi ex aliqua honesta causa, ante tempus prandii.

18. *Quær.* Quanto tempore liceat sedere ad mensam, & comedere in die jejunii? *Resp.* Quòd licèt aliqui dicant, posse protrahi comestionem usque ad Vesperam, ut faciunt in Germania; tamen securior opinio est, ut non ultra duas horas comestio protrahatur; nam aliàs plures sunt comestiones, & intentioni Ecclesiæ non conformes. Coton. *num.* 47.

19. *Quær.* An potus Vini in die jejunii frangat jejunium? *Resp.* Plures ex antiquis affirmare; sed magis communiter negare modernos, qui id extendunt etiam ad potum musti, cerevisiæ, aquæ conditæ cum saccharo. Coton. *ubi supra num.* 49. 50. & 51. ubi advertit, id non procedere in lacte, jure, pomis aureis, & masilicis, vulgò *limoni*, malis, uvis; quia hæc omnia verè sumuntur pro cibo, & non pro potu; quamvis contrarium doceat Pasqualig. *decis.* 135. & 136. cujus opinioni minimè est adhærendum. Dian. *par.* 10. *tract.* 14. *resol.* 56. De chocholata verò refert Doctores hinc inde sentientes Coton. *num.* 53. sed novissimè scripsit Eminentissimus Brancatius tractatum de ea, & ad favorem illam bibentium, quia ait est potus, non cibus; & sic non frangit jejunium. Card. Brancat. *in Dissert. de Potu Chocolatis pag.* 163. & *seq.* Multò magis licitum censetur bibere *il Chaffé*, quod fit ex aqua, & pulvere cum parvo saccharo ad reprimendos vapores stomachi.

20. *Quær.* An ante horam prandii, vel post prandium liceat aliquod parvum cibi sumere; & quantum esse possit, ne jejunium frangatur? *Resp.* Licere ex honesta causa nempè urbanitatis, debilitatis stomachi &c. Circa verò quantitatem, alii eam taxant in duabus unciis, alii ad quartam partem collatiunculæ extendunt. Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 11. Coton. *ubi supra num.* 55. & 56. ubi advertit, plures quantitates parvas seorsim sumptas coire in unam magnam, & frangere jejunium; quod contra Salam tenet etiam Dian. *par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 43. Et infra *qu.* 42.

21. *Quær.* An frangatur jejunium per sumptionem electuarii, vel sacchari ob medicinam? *Resp.* Si ob infirmitatem reparandam, vel impediendam sumatur, non frangi, secùs si ob solam delectationem. Coton. *à num.* 57. *usque ad* 60. ubi id non licere ait, si ageretur de voce servanda pro cantu firmo, quamvis id concedatur pro cantu figurato à Pasqualigo *decis.* 132.

22. *Quær.* An frangat jejunium sumptio specierum consecratarum in quantitate notabili? *Resp.* Frangere secundùm Dianam, & Cotonium *ubi supra num.* 61. Quæ responsio videtur satis disputabilis.

23. *Quær.* Quo jure sit introducta refectiuncula, seu cœnula in sero, tempore jejunii? *Resp.* Ex consuetudine, quæ cùm sit contra mentem Ecclesiæ, est strictè interpretanda; & licet toleretur, & licitè servetur, tamen tanquam odiosa non est ei nimis favendum. Coton. *dict. lib.* 1. *controv.* 17. *cap.* 4. *num.* 63. Nam per annos mille, & ultra Jejuni stabant fide-

les uſque ad occaſum Solis; & ſic non erat locus cibo, vel potui ante horam Cœnæ.

24. *Quær.* Quæ cibi quantitas poſſit honeſtè ſumi in refectiuncula? *Reſp.* De hac eſſe quinque opiniones. Prima, concedit octo uncias. Secunda, ſex uncias. Tertia, quatuor uncias. Quarta, tres uncias. Quinta, quartam partem cœnæ ordinariæ. Coton. *ubi ſupra num.* 66. ubi ait; primam eſſe nimis laxam; tertiam, & quartam nimis rigidam. Reliquas eſſe æquiores; ſed æquiſſimum eſſe arbitrium viri timorati, nolentis famem extinguere, ſed robori ſtomachi conſulere, & conditioni ſuæ complexionis neceſſariam refocillationem dare; non autem gulæ indulgere.

25. *Quær.* Qui, & quales cibi permittantur in refectiuncula? *Reſp.* Quòd licèt plures Doctores concedant quoſcunque cibos, etiam piſces, & pulmenta; tamen tutior ſententia eſt, permiſſum cenſeri ſolummodo panem, & bellaria; hoc eſt, fructus, dulciaria, & acetaria. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 1. & Coton. *ubi ſupra num.* 76. Sed heu! Quanta libertas in menſis divitum.

26. *Quær.* An panis pro refectiuncula ſumendus poſſit elixari, vulgò *fare la panata?* *Reſp.* Affirmativè. Dian. *part.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 29. *& part.* 10. *tract.* 14. *reſol.* 58. prout etiam madefieri in vino, quia his modis nihil majus acquirit ad nutritionem. Coton. *ubi ſupra num.* 81.

27. *Quær.* Quæ, & quot ſint cauſæ excuſantes à jejunio? *Reſp.* Eſſe plures, eaſque reduci ad quinque defectus, nempè, Rationis, Ætatis, Ciborum, Sanitatis, & Quietis.

28. *Quær.* In quibus conſideretur defectus rationis? *Reſp.* In amentibus, & infantibus ante ſeptennium, qui non ſolùm jejunare non tenentur, ſed neque à carnibus abſtinere. Coton. *ubi ſupra num.* 83.

29. *Quær.* An tencatur jejunare ille, qui inadvertenter comediſſet carnem de manè? *Reſp.* Eſſe hinc inde opinionem; ſed negativam videri magis probabilem, quia abſtinentia carnium, etiam materialis, eſt de eſſentia jejunii. Coton. *ubi ſupra num.* 86. Quo loci notat, qui comediſſet inadvertenter cibos non prohibitos, teneri ad jejunium eo die, computando cibum ſumptum vel in cœna, vel in cœnula juxta quantitatem; quod docet etiam Diana *part.* 10. *tract.* 14. *reſol.* 61. Vide dicta ſupra *quæſ.* 6. *& infra quæſ.* 31.

30. *Quær.* In quibus conſideretur defectus ætatis? *Reſp.* In adoleſcentibus, & in ſenibus. Ideò illi non tenentur jejunare ante annum 21. completum. Iſti poſt completum annum 60. Et hoc non ex jure ſcripto, ſed ex communi placito Doctorum; quamvis aliqui abſolvant mulieres à jejunio ſtatim poſt annum 50. alii poſt 55. & alii obligent viros uſque ad annum 63. ſed hi omnes particulari judicio ſcribunt. Coton. *ibid. num.* 87. *& ſeqq.* Narbona *de Ætate Anno* 60. *quæſt.* 2. ubi plenè.

31. *Quær.* An prædictus defectus ætatis pari paſſu procedat in Religioſis circa Jejunia à Regula illis indicta? *Reſp.* Quòd in hoc digladiantur Theologi, ut videre eſt apud Coton. *ubi ſupra num.* 90. Cæterùm magis communis opinio eſt, quòd idem ſentiendum ſit de jejunio Regulæ, ac de jejunio Eccleſiæ.

32. *Quær.* In quibus conſideretur defectus ciborum? *Reſp.* In pauperibus, qui non habent, niſi panem, & fructus ad veſcendum. Et quia in hoc diſcrepant Doctores, reſolutio certior eſt, eſſe attendendam complexionem, & qualitatem perſonarum, quarum aliæ jejunare poſſunt cum ſolo pane, fructibus, & oleribus; aliæ verò non poſſunt. Coton. *ubi ſupra num.* 124.

33. *Quær.* In quibus cadat defectus ſanitatis? *Reſp.* In illis, qui ob dolores, febrim, vel alias indiſpoſitiones corporis, non poſſunt commodè ordinarias hominis operationes facere. Coton. *num.* 92. *&* 93. ubi notat, eum non teneri ad jejunium, qui incœnatus non poteſt dormire, vel non poſſet noctu calefieri, aut nimis tardè, de quibus conſulendi Medici. Sed quid de his dixerit Regina Luſitaniæ Eliſabeth, videat Lector Deciſiones meas de Pœnitentia *deciſ.* 36. *in fine.*

34. *Quær.* An diſpenſatus ad carnes cenſeatur omninò diſpenſatus a jejunio? *Reſp.* Diſputari acriter ſuper hoc a Doctoribus; ſed concluſionem eſſe affirmativam, id eſt, non teneri jejunare; ob eam rationem ſupradictam, quòd ſcilicet de eſſentia jejunii eſt, abſtinere ab eſu carnium. Coton. *dict. controverſ.* 17. *num.* 96. *& ſeqq.*

35. *Quær.* An diſpenſatus, ut poſſit in die jejunii comedere carnes, valeat comedere carnes etiam nocivas, nempè porcinas, vel ſimul cum piſcibus? *Reſp.* Talem non peccare contra præceptum jejunii, ſed contra temperantiam, & ſine peccato gulæ. Coton. *ibid. num.* 98.

36. *Quær.* In quibus cadat defectus *Quietis* pro ſolutione præcepti jejunandi? *Reſp.* In illis omnibus, qui labores ſubeunt incompatibiles cum jejunio, & exhauriuntur in eis vires, & ſpiritus, quos repetitis refectionibus reſtaurare oportet. Et communiter cenſentur Artifices in arte laborioſa, ſi eam exerceant per totam diem, vel majorem diei partem; & ſoliti ſint eam exercere; quo caſu, ſi aliquo die ſine labore vacent, non ideò tenentur jejunare, cùm debeant vires ſervare pro ſequenti die; ſecùs autem, ſi multis diebus eſſent à labore vacaturi. Coton. *ubi ſupra num.* 99. ubi alios allegat.

37. *Quær.* An Sartores, & Barbitonſores excuſandi ſint à Jejunio? *Reſp.* Affirmare Dianam alios allegantem *part.* 1. *tr.* 8. *reſ.* 8. *& part.* 10. *tract.* 15. *reſ.* 37. Sed negare Paſqualigum *deciſ.* 305. & Tambur. ac Coton. *ubi ſupra num.* 105. quia labor iſtorum mollis videtur. Conficientes verò calceos communiter à Jejunio excuſantur. Coton *ibid. num.* 106.

38. *Quær.* An itinerantes excuſentur à jejunio? *Reſp.* Communi regula eos excuſari tam ſi pedibus incedant, quam equo, & curru; dummodò non ita commodè progrederentur, & per breve iter, ut laborem itineris non ſentirent. Iter autem reputatur ſufficiens cum equo, vel curru per 24. milliaria. Pedeſtrim verò per ſeptem, aut octo millia-

ria

ria. Coton. *ubi supra num.* 108. Vide infra *quæs.* 42.

39. *Quær.* Quid sentiendum sit de Cantoribus, qui ex officio canendi vivunt, & jejunando redderentur inhabiles? *Resp.* Eos excusari à jejunio; imò ad servandam vocem posse vesci ovis in Quadragesima. Coton. *ubi supra num.* 109. & 110. ubi hac exemptione, ait, non posse gaudere Monachos, & alios in choro canentes, quia hi non vivunt arte canendi, & debet in eis prævalere amor abstinentiæ.

40. *Quær.* An labor mentis excuset à jejunio? *Resp.* Quamvis plures DD. affirment, & sic excusent Lectores, Judices, Consulentes, Studentes &c. tamen securior est opinio contraria. Coton. *num.* 114. ubi *num.* 118. Concionatores, ait, passim esse excusandos.

41. *Quær.* An peccet contra præceptum jejunii, qui sponte assumit laborem incompatibilem cum jejunio, qui sit vel malus, vel non necessarius, ut ludus pilæ, vel coitus fornicarius? *Resp.* Peccare, quia sponte reddit se inhabilem huic præcepto servando, quamvis contrarium asserant multi moderni, quos confutat Coton. *ubi supra num.* 120.

42. *Quær.* An circa hanc materiam jejunii, extent aliæ opiniones damnatæ? *Resp.* Extare tres damnatas die 18. Martii 1666. ab Alexandro VII. nempè 29. 30. & 31. quæ sic asserebant: *In die Jejunii, qui sapiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Item, *omnes Officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii; nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.* Item, *Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit; etiamsi iter unius diei conficiant.*

CAPUT CXI.

De obligatione confitendi, & communicandi saltem semel in anno.

1. *Quær.* Quid sit Pœnitentia tanquam virtus? *Resp.* Esse animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Concil. Trident. *sess.* 14. *de Sacram. Pœnit. cap.* 4. Coton. *Controv.* 16. *num.* 1. *dict. lib.* 1. Decisiones meæ *de Pœnit. Decis.* 1.

2. *Quær.* An homo statim post peccatum mortale teneatur pœnitere? *Resp.* Quòd licèt affirmet Sylvest. *verb. Contritio num.* 4. tamen communiter DD. id negant; quamvis nonnulli declarent, esse obligationem de aliqua pœnitentia imperfecta, quæ saltem innuat in peccatore aliquem dolorem de peccato, ex quo non videatur contemnere Dei Majestatem, ut ait Cardinalis Pallavicinus laudatus à P. Cotonio *ubi supra num.* 6. Quamvis, & hanc declarationem respuat Diana *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 51. Et licèt Dianæ non acquiescat Cotonius ibidem, tamen saltem practicè videtur communior opinio Dianæ, quia qui peccant, præcipuè ex nimio odio, vel ex nimio amore, adeò delectantur commissis peccatis, ut ad ea replicanda parati sint, & nihil cogitent de contemptu Majestatis Divinæ; quare non videtur dicendum, quòd homo sit obligandus ad pœnitentiam statim post peccatum; aliàs committat aliud peccatum. Vide resolutionem plenam hujus Quæsiti in mea *Decis.* 11. *de Pœnit.* ubi DD.

3. *Quær.* An homo teneatur dolere de peccatis præteritis aliàs confessis? *Resp.* Negativè, quia dum ad memoriam redeunt, sufficit de eis non delectari. S. Thom. *part.* 3. *quæst.* 84. *art.* 8. & 9. nisi esset periculum delectationis morosæ. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 8.

4. *Quær.* An homo teneatur ad perfectam pœnitentiam in mortis articulo? *Resp.* Affirmativè, & non solùm in articulo mortis, sed etiàm in periculo proximo mortis. An autem hæc pœnitentia satis sit in attritione cum Confessione Sacramentali; vel requiratur vera contritio? quamvis plures Theologi dicant, requiri contritionem, & sic, quòd homo in illo extremo doleat de peccatis suis ex motivo charitatis, & ex actu amoris Dei, tamen videtur id intelligendum ex consilio, non ex necessitate absoluta, quia decisum est à Concilio Tridentino, attritionem cum Confessione justificare peccatorem, ut dixi *de Pœnitentia Decis.* 2. Et sic Coton. *ubi supra num.* 9. nimis rigorosè adhæreat opinioni contrariæ.

5. *Quær.* Præter mortis articulum, seu periculum, quando sit homo obligatus ad pœnitentiam? *Resp.* Quamvis plurima de hoc asseruerint Theologi; citra determinationem Ecclesiæ, tamen cùm habeamus in præsenti Præceptum Ecclesiæ, ut quisque confiteatur semel in anno, dicendum est: hominem non obligari nisi ad semel in anno pœnitendum, & hoc in Paschate. *cap. Utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss.* Tribus tamen casibus exceptis. Primò, si deberet suscipere, vel administrare aliquod Sacramentum. Secundò, si occasionibus peccandi alia via, quàm per Confessionem resistere non posset. Tertiò, si per præteritam culpam provocasset iram Dei contra totum populum; quòd in Principibus accidere potest, ut in sacris Litteris habetur de Achab, & de Davide. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 4. Coton. *ubi supra num.* 13. ubi hos tres casus tantùm necessarios censet confitendi ante tempus Paschatis. Vide meipsum *de Pœnit. Decis.* 50.

6. *Quær.* An peccata venialia extra Sacramentum Pœnitentiæ remittantur ex sola contritione, vel cum sola attritione? *Resp.* Esse in hoc Theologorum discrepantiam; sed stante doctrina Concilii Tridentini *sess.* 14. *cap.* 5. dicendum, est sufficere attritionem unitam alicui Sacramento Vivorum, vel aliis bonis operibus. Coton. *ubi supra num.* 15. *lib.* 1. *Controv.* 16. & meæ Decis. *de Pœnit. Decis.* 33.

7. *Quær.* An dolor de peccatis debeat esse actualiter in Confessione, vel sufficiat, eam præcessisse, & quanto tempore? *Resp.* Securius esse, ut actualiter interveniat in Confessione: porrò sufficere, si virtualiter intercedat; id est, si fuerit elicitus ab eadem voluntate, à qua & ipsa confessio peccatorum pro-

processit; undè non est injiciendus scrupulus, si dolor elicitus sit, vel parùm ante Confessionem, vel parùm post, cùm scilicet à Sacerdote datur absolutio. Coton. *ubi supra*, alios allegans *num.* 23. & Bonacin. *disp.* 4. *de Sacram. dub.* 6. *num.* 4. *conclus.* 2. Et ego quoque *de Pœnitentia decis.* 13.

8. *Quær.* Unde procedat obligatio confitendi peccata? *Resp.* Ex Præcepto Divino; quia cùm Dominus dixerit *Joan.* 20. Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*, ex hoc surrexit necessitas confitendi peccata Sacerdotibus, ut scirent, an retinenda essent, vel dimittenda. Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *& cap.* 5. Coton. *ubi supra num.* 27. Decisiones meæ *de Pœnit. Decis.* 50.

9. *Quær.* An teneatur quis confiteri sua peccata, etiam in articulo mortis, quando Confessio fieri non potest nisi per interpretem, eo quia Confessarius linguam non intelligat pœnitentis; vel per scripturam, eo quia Confessarius sit surdus, vel pœnitens loqui non valeat? *Resp.* Multos Theologos docuisse, pœnitentem non teneri, quando moraliter credit habere contritionem de peccatis; quia præceptum Confessionis non videtur obligare cum tanto incommodo. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *res.* 128 *&* 129. *& par.* 11. *tract.* 7. *resolut.* 1. Porrò, contrarium tenet Cardin. de Lugo *de Sacram. Pœnitentiæ disp.* 15. *sect.* 5. cui adhæret Coton. *dict. Controvers.* 16. *num.* 42. *&* 43. Quia agitur de summa rerum, nempè de periculo æternæ damnationis, ad quod evitandum, non debet reputari incommodum resultans ex scriptura, vel ex interprete, qui simul cum Confessario obligatus est ad sigillum, & reticentiam culparum. Et ita docent DD. quos allegavi, & sequutus sum de Pœnitentia *decis.* 50. *num.* 3.

10. *Quær.* An hoc præceptum obligat ad anticipandum Confessionem, si prævideatur defuturus Confessarius in fine anni? *Resp.* Esse hinc indè opiniones, sed affirmativam tanquam magis tutam esse consulendam. Card. de Lugo *ubi supra sect.* 3. *num.* 37. & Coton. *num.* 44. *&* 68. Et hoc tenui *d. Decis.* 50. *num.* 10.

11. *Quær.* An quis sit obligatus confiteri ante tempus Paschæ ob periculum oblivionis peccatorum? *Resp.* Negativè, quia aliàs censeretur præceptum Ecclesiæ culpabile, dum ad semel in anno confitendum peccata se restrinxit. Coton. *ubi supra num.* 45. *&* 46. & ego *dict. decis.* 50.

12. *Quær.* Quando incipiat obligare pueros, & puellas hoc præceptum Confessionis? *Resp.* Quòd licèt Doctores ut plurimùm dicant circa decimum annum pueros, nonum verò puellas; tamen communior sententia est, obligare eos, cùm ad usum rationis pervenerint, quòd esse solet in septennio. Card. de Lugo *dict. disput.* 15. *num.* 149. Diana *par.* 10. *tract.* 12. *resol.* 37. & Coton. *ubi supra num.* 53. *&* 54.

13. *Quær.* An hoc præcepto annuæ Confessionis ligentur, qui eo anno non commiserunt peccata mortalia? *Resp.* Doctores tenere opinionem negativam, ut videre est apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 75. *&* 125. Card. de Lugo *d. disp.* 15. *num.* 132. Quibus adhæret idem Coton. *ubi supra num.* 59. *&* 60. qui *num.* 61. dicit, aliter esse respondendum circa Religiosos, qui ex præcepto Regulæ obligantur ad Confessionem singulis mensibus; nam dicti Religiosi, quamvis mortalia non commiserint, confiteri tenentur sub mortali; cùm sic eos adstringat Regula ob acquisitionem perfectionis; quamvis idem Coton. se remittat etiam in hoc ad consuetudinem Religionis. Vide dicta de Pœnitentia *decis.* 50. *num.* 6. *& num.* 11. ubi notavi, esse Propositionem damnatam ab Alexandro VII. asserere, quòd: *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit Præcepto Ecclesiæ.*

14. *Quær.* Quomodo sit computandus annus circa hoc Præceptum Confessionis? *Resp.* Quòd alii tenent, esse computandum annum à Paschate in Paschа, alii à Januario in Januarium; & hanc ultimam laudat Card. de Lugo *d. disput.* 15. *num.* 157. & Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 81. Quia Ecclesia assignavit tempus Paschatis pro Communione *in cit. cap. Omnis utriusque sexus*, non autem pro confessione, circa quam dixit semel in anno, & ideò quis potest absque peccato differre confessionem per duos annos; si scilicet confiteatur Calendis Januarii 1697. & non ampliùs usque ad ultimum diem Decembris 1698. quod notat Cotonius *ubi supra num.* 67. *d. lib.* 1. *controv.* 16. Et scripsi *dict. decis.* 50. *num.* 9. Vide infra Quæsit. 25.

15. *Quær.* An, qui anno præterito Confessionem non fecit, teneatur in hoc præsenti anno bis confiteri? vel potiùs dicendum sit, expirare obligationem unà cum anno, prout expirat obligatio recitandi Horas Canonicas cum ipso die? *Resp.* Pro utraque parte extare Doctores, prout videre est apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 130. Sed quòd teneatur supplere, & sic bis confiteri, est securior opinio, quia annus non assignatur ad extinguendum præceptum, sed uti terminus, ultra quem differri non debeat; nec est par ratio de Horis Canonicis, prout nec etiam de audienda Missa, quia illa sunt præcepta habentia significationem; & sic expirant transacto die Præcepti; sed confessio est pro expurganda conscientia à peccatis, cujus obligatio semper durat etiam post terminum præfixum. Coton. *ubi supra num.* 69. Contrariam opinionem amplexus sum *dict. decis.* 50. *num.* 10. *de Pœnitentia* ex rationibus, & DD. ibi allegatis.

16. *Quær.* An Papa possit vel restringere, vel dilatare tempus confitendi, aut etiam in totum abrogare? *Resp.* In totum abrogare minimè posse neque in universum, neque in particulare. Restringere verò tempus, seu dilatare pro adimplendo Præcepto, dicunt DD. posse, ubi urgens esset causa, præcipuè circa particulares personas. Diana *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 39. Coton. *ubi supra num.* 71. *lib.* 1. *Controv.* 16. d. mea *Decis.* 50. *num.* 12. ubi posui quinque causas pro licita dilatione hujus præcepti.

17. *Quær.* Quodnam sit Præceptum Communio-

munionis, & Sacræ Eucharistiæ sumendæ? *Resp.* Præceptum Sacræ Eucharistiæ sumendæ esse præceptum divinum, quia est medium necessarium ad salutem, ut definitum est *in can. 12. Concilii Niceni*; & docet S. Thom. 3. *part. q. 80. art. 3.* Card. de Lugo *de Sacram. Eucharist. disp. 16. num. 28. & seqq.* Quamvis quoad tempus sumendi debeant fideles pendere à Præcepto Ecclesiæ, & à prudentia, & judicio Sacerdotum, quibus Eucharistiæ dispensatio commissa est. Coton. *controv. 15. num. 1. & 2. lib. 1.*

18. *Quær.* An Sacra Communio sit necessaria necessitate medii, id est, simpliciter, & absolutè ad æternam salutem consequendam? *Resp.* Theologos esse inter se discordes, dum alii asserunt, alii negant, ut videre est apud Dianam *part. 3. tract. 6. resol. 95. & part. 5. tract. 13. resol. 28.* sed negativa videtur magis probabilis; ut tenet P. Coton. *ubi supra num. 19.* ubi notat inter cæteras hanc rationem, quòd Concilium Tridentinum *sess. 13. can. 9.* explicans obligationem communicandi non vocavit hoc Sacramentum necessarium, prout fecit loquendo de Baptismo *sess. 7. can. 4.* & de Pœnitentia *sess. 14. can. 3.* Quamvis possit, & forsan melius responderi, eam esse necessariam necessitate medii non in re, sed in voto; & hoc etiam implicito. Novissimè Gaspar Ivenin. *in Commentar. Histor & Dogmat. de Sacram. Eucharist. dissert. 4. quæst. 9. cap. 1.*

19. *Quær.* Quale fuerit olim, & sit ad præsens Ecclesiæ præceptum de Communione recipienda? *Resp.* Olim Christianos consuevisse quotidiè communicare, quod aliqui DD. affirmant ex præcepto. Diana *part. 8. tract. 1. resol. 27.* Alii ex devotione & fervore Spiritus. Bellarm. *lib. 2. de Missa cap. 10. ad 8.* Deinde Sacra Communio mandabatur singulis Dominicis diebus. Coton. *ubi supra num. 28.* Postea frigescente devotione ter in anno jussum est ab Ecclesia communicare, nempè in Paschate, Pentecoste, & Nativitate. *cap. Et si non frequentius. De cons. dist. 2.* Tandem in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. restrictum est ad solum Pascha. *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss.* Gaspar. Ivenin. *dict. dissert. 4. quæst. 9. cap. 2.* Et ego *de Eucharistia decis. 10. numer. 3.*

20. *Quær.* Secluso præcepto Ecclesiæ, quando obliget præceptum Divinum Communionis? *Resp.* Plura à Theologis super hoc acervari; sed verior responsio est, quòd aut loquimur de obligatione per se? & hæc obligat in articulo mortis. Aut de obligatione per accidens? Et hæc intrat, quoties urget gravis tentatio, quam ad superandam Eucharistiæ sumptio necessaria putetur. Cardin. de Lugo *disp. 16. De Sacram. Euchar. à num. 25.* P. Coton. *ubi supra num. 4.*

21. *Quær.* An, qui communicavit de manè extra periculum mortis ex devotione, si vespere incidat in periculum mortis, teneatur iterùm communicare? *Resp.* Esse Theologos gravissimos pro utraque opinione; & utramque esse opinionem probabilem, concludit Dian. *part. 10. tract. 11. resol. 40. & part. 11. tract. 7. resol. 21.* Coton. *ubi supra num. 5.* Et ego demonstravi in meis Decisionibus *De Eucharist. decis. 23.*

22. *Quær.* An hoc Præceptum obliget morituros ex morte violenta, nempè ex laqueo, vel gladio? *Resp.* Affirmativè, & ideò Judices teneri, iisdem tempus concedere ad Confitendum, & Communicandum, ac Episcopos obligatos esse super hoc vigilare, & si opus sit, Judices ad hoc adstringere. Clem. *Cum secundum. De Pœnit. & Remiss.* Coton. *ubi supra num. 7.*

23. *Quær.* Quæ sint personæ comprehensæ sub hoc Præcepto Sacræ Communionis sumendæ? *Resp.* Baptizati habentes usum rationis, & existentes in gratia, & Communione Ecclesiæ. Ideò excluduntur Catechumeni, (multò magis infideles,) Pueri ante usum rationis, (quamvis olim communicarentur,) Amentes, Apostatæ, Hæretici, Excommunicati, & Interdicti, quamdiu tales fuerint. Coton. *ubi supra à num. 26. & seqq. ubi num. 31.* notat, Energumenis non esse denegandam. Quòd si studiosus scire cupiat materiam Energumenorum, legat d. meas Decisiones *De Eucharistia decis. 50.* per totam, ubi multa scitu digna.

24. *Quær.* Quodnam tempus intelligatur in hac re, appellatione Paschatis? *Resp.* Intelligi totos dies quindecim à Dominica Palmarum usque ad octavam Paschatis, id est, Dominicam in Albis. Coton. *ubi supra num. 36.* ubi addit, attendendum in hoc usum Ecclesiarum.

25. *Quær.* An, qui non communicavit in Paschate, remaneat obligatus ad communicandum sub pœna peccati mortalis intra eumdem annum, *Resp.* Affirmativè, quamvis in contrarium stent aliqui Doctores. Diana *part. 11. tract. 7. resol. 14.*

26. *Quær.* An teneatur anticipare Communionem, qui prævidet, obstiturum sibi impedimentum in Paschate? *Resp.* Esse hinc indè opiniones, sed affirmativam esse tenendam, quia præceptum Communionis quoad substantiam respicit Communionem annuam, & minùs principaliter tempus Paschale. Coton. *ubi supra num. 38. & 39.* ubi respondet interroganti, An, qui anticipavit, si postea in Paschate cesset impedimentum, an iterùm debeat communicare? non esse concordes Doctores, sed asserentium esse opinionem magis piam.

27. *Quær.* An satisfaciat huic Præcepto, qui facit in Paschate Communionem sacrilegam? *Resp.* Esse sibimet contrarios Theologos in responsione; & asserentes habere majorem numerum. Coton. *ibid. num. 43.* Sed resistit Illustrissimus Fagnan. *in cap. Ne innitaris. De Constit. à num. 335. & seqq.* ubi damnare videtur hanc assertionem. Hodiè est propositio 55. damnata ab Innocentio XI. circa quam legendus est Cardenas *in Crisi Theol. Dissert. 34. cap. 1. & 2.* Propositio damnata ita astruebat: *Præcepto Communionis annuæ satisfacit per sacrilegam Domini manducationem.*

CAPUT CXII.

De Quarto Præcepto Ecclesiæ, Nuptias non celebrandi tempore prohibito.

1. *Quær.* Quo tempore prohibita sit Matrimonii celebratio, seu Nuptiarum contractus? *Resp.* Olim prohibitum fuisse celebrare Matrimonium ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam; à Septuagesima usque ad octavam Paschatis; & à diebus tribus ante Ascensionem usque ad octavam Pentecostes; per *cap. Non oportet, cum tribus seqq. 32. qu. 4. & per cap. Capellanus de Feriis.* Sed quia talis prohibitio videbatur nimis prolixa; & Prælati frequenter molestabantur per dispensationes, ideò in Concilio Tridentino prohibitio redacta fuit à prima Dominica Adventus Domini usque ad diem Epiphaniæ inclusivè, & à primo die Quadragesimæ usque ad octavam Paschatis; ut legitur *sess. 24. cap. 10. de Reform. Matrim.* Cuchus *in Institut. Major. lib. 5. tit. 12. num. 4.* Pax Jordan. *tom. 1. lib. 3. tit. 7. num. 130.* Barbos. *allegat. 32. num. 193.*

2. *Quær.* Qua hora incipiat tempus prohibitionis supradictæ non contrahendi Nuptias? *Resp.* Quòd quamvis nonnulli DD. scripserint, prohibitionem incipere à primis Vesperis Adventus; tamen germana, & communis opinio est, quòd ipsa incipiat in media nocte ante primam Dominicam Adventus, & in media nocte ante feriam quartam Cinerum, quia tunc more Romano incipit dies subsequens, & desinit in media nocte post Epiphaniam, & Octavam Paschatis; ad rationem initii, & termini vigiliarum, & jejuniorum. Cuchus *ubi supra num. 7.* & Jordan. *num. 131.*

3. *Quær.* An dicto tempore Adventus, & Quadragesimæ prohibita sit quæcunque celebratio Matrimonii per verba de præsenti? *Resp.* Super hoc quæsito discordes esse Doctores, quorum plurimi asserunt, non esse prohibitam privatam celebrationem Matrimonii; sed solemnem tantùm, nempè quando fieret cum conviviis nuptialibus, choreis, pompis, larvis, & aliis vanæ lætitiæ signis, prout olim erat in usu. Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 6.* Navar in Sum. *cap. 22. num. 71.* & Barbos. *dict. allegat. 32. num. 194.* Porrò prudentes Canonistæ notant, etiam privatam Nuptiarum celebrationem dictis temporibus esse prohibitam, ubi talis est consuetudo, qualis est in Diœcesi Patavina; & in sua Diœcesi Tragurienſi testatur dictus Episcopus Jordan. *ubi supra num. 135.* ubi propterea docet, non esse recedendum à consuetudine, quod etiam firmarunt Paludanus, & Hostiensis apud Cucchum, qui eos sequitur una cum Archidiacono *dict. lib. 5. tit. 12. num. 8.* Quare in hoc negotio cavendum est à libris Theologorum modernorum, qui nimis laxant habenas; & ego, cùm essem Vicarius Generalis hìc Patavii, punivi Parochum, qui ausus fuerat, celebrantibus matrimonium assistere in Quadragesima sine mea permissione, aut dispensatione.

4. *Quær.* Quale peccatum foret, inire Matrimonium per verba de præsenti in dicto tempore prohibito? *Resp.* Quòd esset peccatum mortale. Jordan. *dict. lib. 3. tit. 7. num. 138.* quamvis notet ibi, quòd nonnulli asserunt, posse dici peccatum veniale, quibus tamen non assentit ipse Jordanus.

5. *Quær.* An dicto tempore prohibito liceat sponsis, si matrimonium cum licentia, vel sine licentia celebrent, illud etiam statim consummare? *Resp.* Esse hinc indè opiniones diversas Doctorum, sed affirmativam prævalere. Jordan. *ibid. num. 139.* & Cucchus *num. 10.*

6. *Quær.* An Sponsalia de futuro, & denunciationes fieri possint tempore Adventus, seu Quadragesimæ? *Resp.* Affirmativè. Jordan. *ubi ante num. 140.*

7. *Quær.* An sponsi sint benedicendi juxta formam Missalis Romani in Missa de sponso, & sponsa, si licentiam obtineant ab Episcopo contrahendi Matrimonium tempore Adventus, vel Quadragesimæ? *Resp.* Non esse benedicendos, & hoc sub pœna peccati mortalis, ut pluribus allegatis probat Pax Jordan. *dict. lib. 3. tit. 7. numer. 130. 132. & 133.*

8. *Quær.* An Episcopus possit dispensare, & licentiam concedere, ut benedictio Matrimonialis detur dicto tempore Quadragesimæ, vel Adventus? *Resp.* Majorem numerum Doctorum negare, quos allegat idem Jordan. *ibidem num. 151.* At nonnullos extare, qui affirmant, ubi adesset aliqua urgens causa. Exempli gratia, quòd aliquis Vir dives nollet ducere in uxorem puellam pauperem, nisi benediceretur statim; sed subdit Jordanus, rarò posse occurrere causam ita urgentem; undè quamvis affirmativa opinio sit probabilis; in praxi adhærendum esse negativæ.

9. *Quær.* An mortalis sit culpa contrahere Matrimonium, & illud consummare, omissa benedictione Matrimoniali, extra tempora Adventus, & Quadragesimæ? *Resp.* Negativè; quia de benedictione suscipienda non extat præceptum, sed consilium. Barbos. *allegat. 32. num. 181.* Jordan. *ubi supra num. 116. & 117.* ubi aliter dicendum notat, si omittantur denunciationes ob periculum alicujus impedimenti. Subdit autem Jordan. *num. 118.* quòd omissio benedictionis salvari non potest saltem à peccato veniali, quia respicit Sacramenti dignitatem, & divini adjutorii invocationem, & est ordinata à Jure. *cap. Nostratis.* & ibi Gloss. *fin. 30. q. 5.*

10. *Quær.* Quibus in casibus benedictio Matrimonialis sit omittenda? *Resp.* Ultra prædictum tempus Adventus, & Quadragesimæ, omittitur in secundis nuptiis, quando in primis uterque sponsus fuerit benedictus, vel saltem alter eorum. *cap. Vir. de secundis nuptiis.* Jord. *lib. 3. tit. 7. num. 122.* Quòd si Virgo nubat viro, qui aliam habuit uxorem, & fuit aliàs benedictus, poterit nova dari benedictio, si talis sit loci consuetu-

tudo, ut respondisse Sac. Congregat. testatur Nicol. *in suis Lucubrat. tom. 1. lib. 1. tit. 10. num. 72. in fine, pag. 67.* Item omittitur benedictio tempore generalis Interdicti. *cap. Alma. de Sentent. Excommunicat. in 6.* & si quis ex Sponsis esset excommunicatus, vel specialiter Interdictus. Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 9. num. 13.* Jordan. *ubi supra num. 144. & 145.*

11. *Quær.* An repetenda sit benedictio prædicta, si prima vice, qua fuit impertita, Matrimonium fuisset nullum? *Resp.* Non esse repetendam, quia ipsa respicit personas, non nuptias. Guttierez *de Matrim. cap. 106. num. 14.* Jordan. *num. 124.*

12. *Quær.* An sponsi contrahentes Matrimonium, in peccato mortali existentes, & Confessionem non præmittentes, peccent mortaliter? *Resp.* Quòd aliqui DD. negant, eò quia soli Ministri consecrati mortaliter peccant conficientes Sacramenta, & tales non sunt sponsi. Sanchez *de Matrim. lib. 2. disp. 6. num. 4.* Barbos. *alleg. 32. num. 172.* At alii DD. affirmant, quia recipiunt Sacramentum indignè, & ideò tenentur confiteri, vel saltem actum contritionis elicere. Guttierez *de Matrim. cap. 83.* Jord. *ubi supra num. 112.* ubi ait, Episcopos curare debere, ut sponsi hortentur ad præmittendam Confessionem, & faciendam Confessionem per triduum saltem ante Matrimonium.

13. *Quær.* An Parochus assistens celebrationi Matrimonii in peccato mortali peccet mortaliter? *Resp.* Negativè, quia non assistit uti Minister collativus Sacramenti, sed tantùm Auctoritativus. Possevin. *de Offic. Cur. cap. 5. num. 33.* Jord. *ibid. num. 113.* Cætera scitu necessaria de Matrimonio, & præcipuè de ejus impedimentis vide *infra cap. 132. & 133.* nec non in meis Decisionibus de hoc Sacramento compilatis *Annis 1683. & 1684.* ubi plenè.

CAPUT CXIII.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

1. *Quær.* Quid sit Decima? *Resp.* Est omnium bonorum licitè quæsitorum quota pars, Deo, ejusque Ministris divina Institutione, humana verò constitutione, dictante etiam naturali ratione, debita. Ita Turrecrem. *in cap. Revertimini, num. 7. & 16. quæst. 1.* Moneta *de Decim. cap. 2. in princip.* & Barbos. *de Jure Ecclesiastico lib. 3. cap. 26. num. 2.*

2. *Quær.* Quid sint Primitiæ? *Resp.* Sunt primi fructus terræ, eo anno collecti, qui Deo tanquam Creatori, & datori illorum rependuntur; juxta *Exod. cap. 20. cap. 23. & cap. 26.* ac in Deuteronom. *cap. 18. & cap. 26.* & de eis loquitur Text. *in cap. Decimas, verb. Oportet autem, 16. qu. 7.* Et ego *de Sacrif. Missæ, decis. 23. num. 45.*

3. *Quær.* Quid sit Oblatio? *Resp.* Est, quidquid Deo, vel Ecclesiæ, ejusve Ministris voluntariè exhibetur, *cap. Cum inter, de verbor. significat.* Antonell. *de Regim. milit. Eccles. lib. 5. cap. 18. num. 3.*

4. *Quær.* An Decimæ, Primitiæ, & Oblationes debeantur ex præcepto? *Resp.* Decimas deberi ex Præcepto tum Divino, respectu congruæ sustentationis Ministrorum Ecclesiæ. Gloss. *in cap. A nobis, & in cap. Nuper, de Decimis*; tum humano respectu quotæ, seu quantitatis solvendæ. *cap. Parochianos. cap. In quibusdam. §. Ille quippè, de Decim.* Barbos. *d. cap. 26. num. 5. 6. & 7.* Primitiæ verò, & oblationes non sunt de præcepto, nisi ubi talis esset consuetudo. Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 1. cap. 8. n. 16.* Antonell. *ubi supra num. 2. 3. & 4.* & Barbos. *d. lib. 3. cap. 25. num. 4.*

5. *Quær.* Quomodo debeantur Decimæ hoc tempore; & cùm cessaverit Lex Mosayca, per quam fuerunt præceptæ? *Resp.* Cessare Legem Mosaycam in iis, quæ erant cæremonialia, vel judicialia; non autem, quæ moralia erant; at solutio Decimarum inter moralia præcepta censetur, & ideò adhuc durat. Moneta *de decim. cap. 2. lib. 1.* & Barbos. *ubi supra d. lib. 3. cap. 26. num. 8.*

6. *Quær.* Quotuplex sit Decima? *Resp.* Est duplex; Alia prædialis, seu realis, quæ ex frugibus terræ solvitur. Alia personalis, quæ debetur ex fructibus humana industria acquisitis. Barbos. *dict. cap. 26. n. 9.* ubi confutat tertiam speciem Decimarum, quæ appellabatur mixta; docendo, has duas species quamcunque Decimam comprehendere. *in c. Ad Apostolica. De Decim.*

7. *Quær.* Quænam sit differentia inter Decimas Prædiales, & Decimas Personales? *Resp.* Quòd ex Decimis Prædialibus non deducuntur expensæ, neque tributa census, aut alia debita; sed integrè, & sine diminutione solvendæ sunt. *cap. Non est in potestate. cap. Tua nobis, & cap. Cum non sit in homine. De Decim. & cap. Decimæ 16. q. 1.* At in Decimis personalibus expensæ deducuntur. *cap. Pastoralis. eod. tit.* Gloss. *in d. cap. Non est in potestate.* S. Thom. *2. 2. q. 87. art. 1. & art. 2.* Antonell. *dict. lib. 5. cap. ultim. num. 2.* Barbos. *dict. lib. 3. cap. 26. §. 1. num. 34. & seqq.*

8. *Quær.* Ex quibus fructibus sint Decimæ solvendæ? *Resp.* Ex omni, & quocunque fructu, prout nominatim scribit Barbos. *dict. cap. 26. §. 1. à num. 1. usque ad 24.* nisi inoleverit consuetudo, seu præscriptio non solvendi Decimam de aliquo semine, seu fructu; nam in hoc casu, licèt dictum semen mittatur in agro solito solvere Decimam, tamen ex eo semine, & fructibus, circa quos est contraria consuetudo non solvendi, Decima non solvitur, ut docet Peregrin. *in decis. Patavin. decis. 143. in fin.* Tondut. *lib. 1. Canonic. quæst. cap. 39. num. 3.* & Moneta *De Decimis cap. 5. num. 87. & 94.* cujus rei exemplum reperi in Visitatione Communis Salzedi in hac Patavina Diœcesi, in quo non solet solvi Decima de Cannabe; & Lino, licèt seminetur in agris obnoxiis Decimæ. At hæc doctrina non procedit contra Parochos, quibus de omni fructu, nullo excepto, solvenda est Decima, Bichius *decis. 322.* Rota *part. 18. decis. 582.*

9. *Quær.* An sit solvenda Decima de semine novo, quod incipiat seminari, de quo nunquam notitia habebatur? *Resp.* Affirmati-

tivè, dummodò seminetur in agro obnoxio solutioni Decimæ, E. gr. de Croco in Regno Franciæ, & de Frumentono Turcico in his nostris regionibus. Peregrin. *in dictis decis. Patavin. decis.* 143. *num.* 23.

10. *Quær.* Quænam sit differentia inter consuetudinem, & præscriptionem non solvendi Decimas? *Resp.* Quòd ad non solvendas Decimas sufficit consuetudo quadraginta annorum absque titulo. Sed præscriptio quadragenaria non solvendi non sufficit, nisi sit cum titulo, vel immemorabilis. Moneta *De Decim. cap.* 5. *quæst.* 4. *num.* 10. *& quæst.* 5. *num.* 112. Paris. *cons.* 25. *num.* 6. *& 24. lib.* 4. Gloss. & DD. *in cap. fin. de Consuetud.* Est autem consuetudo, si practicetur à majori parte populi; Præscriptio verò, si à minori. Moneta *d. cap.* 5. *q.* 4. *num.* 85.

11. *Quær.* An Decima sit solvenda ex hæreditate, legato, vel donatione? *Resp.* plures esse DD. opiniones. Affirmat Abbas *in cap. Pastoralis num.* 3. *De Decimis.* Negat Innocentius *in cap. Non est. eod. tit.* Glossa *in cap. Decimæ. verb. negotio.* 16. *q.* 1. affirmat, si hæreditas, vel legatum, aut donatio proveniat ex testamento; secùs si ab intestato. Alia Glossa in *d. cap. Pastoralis. Verb. quasi de lucro. De Decimis*; distinguit inter hæredem suum, & hæredem extraneum, ut hic teneatur, non etiam ille. Barbosa *d. cap.* 26. §. 1. *num.* 28. affirmat, si in hæreditate, legato, vel donatione sint fructus inexacti; secùs si nulli fructus sint. Sed in his attendenda est consuetudo.

12. *Quær.* An debeatur Decima de fructibus illicitè acquisitis? *Resp.* Cum distinctione: Vel decimæ sunt prædiales, vel personales? De prædialibus affirmandum est; & ideò ex agro ex usuris acquisito decima est solvenda. De personalibus est subdistinguendum, nam alii fructus sunt, qui illicitè acquiruntur, sed licitè retinentur, ut à meretricibus, & histrionibus; & ex his solvenda est decima; alii sunt fructus, qui illicitè cumulantur, & licitè retineri non possunt, ut furta, & usuræ; & ex his non est decima persolvenda. Barbos. plenè de his disputans *d. lib.* 3. *cap.* 26. §. 1. *á num.* 29. *& seqq.*

13. *Quær.* An, qui exigit Decimam à Colono de fructibus agrorum, possit iterùm Decimam exigere à domino de affictu, seu pensione, quam solvit Colonus de eisdem fructibus? *Resp.* Negativè; nisi habeat pro se præscriptionem immemorabilem, vel quadragenariam cum titulo; ejus enim vigore potest licitè etiam Redecima deberi. Rota coram Gipsio, & coram Coccino, quam allegat, & sequitur Barbos. *d. cap.* 26. §. 1. *num.* 44. 45. *&* 46. *lib.* 3. *de Jur. Ecclesiast. Univ.*

14. *Quær.* Ad quos de jure Decimæ spectent? *Resp.* Quòd antiquitùs ante divisionem Parochiarum Decimæ spectabant ad solum Episcopum, cui totius plebis Diœcesani cura imminebat. *cap. Episcopus, & cap. Præcipimus*, 12. *q.* 4. At, facta Parochiarum divisione, de jure decimæ existentes intra Parochiam spectant ad ipsum Parochum; qui propterea dicitur habere intentionem fundatam de jure super exactione decimarum intra limites suæ curæ. Rota Romana in pluribus decis. allegatis à Barbos. *d. lib.* 3. *cap.* 26. §. 2. *num.* 7. *&* 8.

15. *Quær.* Quo tempore possit una Ecclesia præscribere Decimas existentes intra confines alterius Ecclesiæ? *Resp.* Sufficere spatium decem annorum, quando agitur de una Parochiali adversus aliam Parochialem. Moneta *de Decim. cap.* 5. *qu.* 4. *num.* 101. *&* 102. Secùs autem, si ageretur de præscribendo contra Parochialem ad favorem alicujus particularis personæ, quia in tali casu, cum præscriptio sit contra Jus, requiritur immemorialis, vel quadragenaria cum titulo. Monet. *ibid.*

16. *Quær.* Quam culpam incurrant usurpantes solutionem Decimarum? *Resp.* Peccare mortaliter, & incurrere excommunicationem Papæ reservatam; tum ex Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 11. *de ref.* tum *ex cap.* 17. *Bullæ in Cœna Domini*; Imò si usurpantes sint Patroni Ecclesiarum, ulteriùs eò ipso privantur jure patronatus; & si sint Religiosi, qui ex propriis agris recusent solvere decimam Parochiali, incurrunt suspensionem ab officiis; & si officia non habeant, excommunicationem, ex *Clem. Religiosi, de Decimis.* (nisi habeant privilegium exemptionis à Decimis) Item si docuerint, decimas non esse solvendas, excommunicationi subjiciuntur *per Clem. Cupientes, de Pœnis*; & Confessarii, qui in confessione usurpantes decimas non monuerint ad solutionem faciendam, suspensione plectuntur. Thesaur. *de Pœnis part.* 2. *Verb. Decimas, cap.* 1. 2. *&* 3. ubi *DD.* Parochi hæc discant, ut doceant.

17. *Quær.* An Parochiani teneantur solvere Parocho Decimas prædiales statim ac collegerunt fructus, vel possint pro libito differre ipsam solutionem? *Resp.* Tenere statim solvere, nisi contraria esset consuetudo, qua per decennium legitima extante, liceret solutionem decimarum differre; at nisi ipsa probetur, debet illicò fieri solutio; & ideò ita ego judicavi ad favorem Parochi Communis Roani in visitatione, cui nonnulli Parochiani nolebant solvere decimam frumentorum, millei, castanearum, & aliorum fructuum, nisi post festa Domini Natalitia, eò quia (ajebant) eo tempore dicta grana cibrabant, & expurgabant ob eorum commoditatem; propterea decrevi, statim ac colligerent illa, solverent decimam Rectori, quia non constabat de legitima consuetudine contraria; qua cessante, incurrunt sic retinentes peccatum mortale. Marches. *de Commiss. part.* 1. *cap.* 16. *num.* 17. Barbos. *de Jur. Eccl. Univ. d. cap.* 26. §. 2. *num.* 22. *libr.* 3. & est Textus *in cap. Cum homines, de Decimis.* Moneta *d. tract. cap.* 6. *qu.* 2. *num.* 15.

18. *Quær.* An Parochiani teneantur, debitas Decimas deferre in horrea Clericorum? *Resp.* Negativè, nisi contraria esset consuetudo, quæ foret servanda. Moneta *d. cap.* 6. *qu.* 2. *num.* 15. Barbos. *ubi supra num.* 24.

19. *Quær.* An Laici, vel Clerici, qui curam animarum non habent, possint Decimas

possi-

possidere? *Resp.* Affirmativè; Laicos quidem vel ex infeudatione obtenta ante Concilium Lateranense; vel ex præscriptione immemorabili; unà cum fama Privilegii Apostolici; vel ex vero Privilegio Apostolico; Clericos verò aut ex Privilegio, aut ex mera præscriptione immemorabili. Menoch. *de Præsumpt. lib. 6. præsumpt. 86. num. 4. & 5.* Rebuff. *de Decim. quæst. 13. num. 69.* Barbos. *d. cap. 26. §. 2. num. 52. & 53.* & Monet. *de Decim. cap. 5. num. 118.*

10. *Quær.* An Judæi, & alii Infideles, commorantes inter Christianos, sint obligati, solvere Decimas? *Resp.* Negativè, quo ad decimas personales, sed affirmativè quo ad prædiales, id est, de terris, quas fortè possident intra aliquam Parochiam, *cap. de Terris, de Decim. cap. Quanto, de Usur.* Barbos. *ubi supra, cap. 26. §. 3. num. 4.*

11. *Quær.* An Clerici debeant solvere Decimas Ecclesiæ Parochiali de prædiis, quæ possident intra limites ejusdem Parochialis? *Resp.* Negativè, si prædia ipsa sint de ratione suorum beneficiorum, secùs, si sint patrimonialia, & hoc attento Juris rigore, aliter verò servandum erit de consuetudine. Barbos. *d. cap. 26. §. 3. num. 9. 10. & 11.*

12. *Quær.* An Regulares de possessionibus suis sint obligati solvere Decimas Ecclesiæ Parochiali? *Resp.* Affirmativè, nisi vallati sint privilegio exemptionis; quod quidem privilegium ferè omnes Regulares habere demonstrat Barbosa, illos nominatim enunciando *d. lib. 3. cap. 26. §. 3. num. 18. 19. & seqq.* ubi *sub num. 35.* ait, solam præscriptionem sufficere ad favorem Regularium ob famam privilegii.

13. *Quær.* An per Communicationem privilegiorum, quæ solet esse inter omnes Regulares, dici possint exempta à Decimis prædia alicujus Conventus, qui tamen in specie privilegium exemptionis non habet? *Resp.* Negativè; nisi in Communicatione, seu in privilegio Communicationis per expressum extendatur communicatio etiam ad exemptionem decimarum. Rota coram Seraphin. *Decis. 591. num. 2.* coram Cevallerio *decis. 247. num. 10.* & apud Tamburin. *in tomo 3. de Jure abbat. decis. 95.*

14. *Quær.* An Episcopus possit alicui concedere immunitatem à solutione Decimarum per viam privilegii? *Resp.* Negativè, quia hoc spectat ad solum Papam; & à pluribus Conciliis generalibus est prohibitum, quibus contra non facere Episcopus potest. Rebuff. *de Decim. q. 5. num. 28. & 32.* Barbos. *ubi supra num. 49.* Poterit bene interponere decretum super compositione decimarum circa quantitatem, vel modum solvendi, ubi lis esset orta circa earum solutionem. *cap. 2. de Transact.* vel ageretur de decimis præteritis. Idem Barbos. *d. cap. 26. §. 4. num. 27.* Rebuff. *de Decim. qu. 13. num. 15.* & Moneta *eodem tract. qu. 5. à num. 119.*

15. *Quær.* Quo jure tot, & tantæ Decimæ possideantur à Laicis titulo feudi, vel Emphyteutico, prout videmus in Diœcesibus, & Episcopatibus Italiæ? *Resp.* Eas possideri titulo feudi, & concessionis, quam antiquitùs faciebant Episcopi, ut ipsi, & eorum Episcopatus, ab Hæreticis, & Schismaticis oppressi, per eosdem Laicos Vasallos defenderentur: Porrò, cùm tales concessiones, & feuda nimiam parerent Ecclesiis paupertatem, fuerunt prohibita in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. de An. 1179. ad hunc specialem effectum convocato. Barbos. *d. lib. 3. cap. 26. §. 3. num. 59.* Moneta *de Decim. cap. 5. quæst. 3. num. 66.* & Card. de Luca *de Decimis disc. 6. num. 19. & 20.* & dixi supra *tit. 97. de Feudis à num. 16. & seqq.*

16. *Quær.* Quis sit Judex competens in causa Decimarum? *Resp.* Secundùm communem Doctorum opinionem, ubi agitur de petitorio, & sic de jure decimandi, quod spirituale est, ad solum Judicem Ecclesiasticum spectare judicium: ubi verò agitur de facto, & sic de possessorio, utrumque forum, tam Ecclesiasticum, quàm Laicum esse competens. Barbos. *ubi supra cap. 26. §. 4. à num. 1. & seqq.* Et sic datur inter utrumque forum prævention. Tondut. *de Prævention p. 2. cap. 25. num. 1. & seqq.* ubi probat, cognitionem super jure decimandi spectare ad Judicem Ecclesiasticum privativè quoad Laicum, etiam in decimis in feudum Laicis concessis juxta Rotam *decis. 42. num. 15. part. 6. recent.*

17. *Quær.* An in judicio Laicus feudatarius Decimarum teneatur probare eas in feudum obtinuisse ante Concilium Lateranense? *Resp.* Negativè, sed sufficit id allegare, & tantummodo probare immemorialem possessionem à suis majoribus in dictis decimis habitam. Menoch. *lib. 6. præsumpt. 86. num. 4. & 5.* Tondut. *qu. benefic. par. 3. cap. 167. num. 8.* ubi *num. 14.* limitat, quando appareret de initio feudi post Concilium Lateranense, quia tunc non potest præsumi titulus legitimus, cùm appareat titulus vitiosus. Ideò melius est, si non constet de initio, ut allegetur fama privilegii cum possessione. Idem Tondut. *resol. benef. par. 1. cap. 72. num. 20.* & Card. de Luca *d. disc. 6. num. 20.*

18. *Quær.* Qua forma sit procedendum in judicio in causa Decimarum? *Resp.* Procedi summariè. Clement. 2. *de Judic.* Barbos. *dict. §. 4. num. 5.* ubi *num. 7.* notat, non dari appellationem suspensivam in hac materia, nisi lis esset inter duas Ecclesias prætendentes habere jus ad eandem Decimam. Antonell. *lib. 5. cap. 55. num. 25. & 26.* ubi idem dicit, si allegaretur privilegium Papæ, vel compositio.

CAPUT CXIV.

De Sacramentis in genere.

1. *Quær.* Quid sit Sacramentum? *Resp.* Sacramentum est visibile signum invisibilis gratiæ, ad populum Dei sanctificandum; à Christo Domino institutum. Card. de Lugo *in Proem. lib. 1. de Sacram. in genere.*

2. *Quær.* Quot sint Sacramenta? *Resp.* Sunt septem, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Concil. Trident. *sess. 7. can. 1.*

3. *Quær.* Undè probetur, hæc omnia septem Sacramenta esse à Christo Domino instituta? *Resp.* In Sacra Scriptura, novoque testamento; nam de Baptismo testatur. *Joan. cap. 3.*

cap. 3. ibi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* De Confirmatione *Actor. cap.* 8. *&* *cap.* 19. ibi: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et ibi: *Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* De Eucharistia *Matth. cap.* 26. ibi: *Accipite, & comedite, Hoc est Corpus meum.* De Pœnitentia *Jo. cap.* 20. ibi: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* De Extrema Unctione *Jac. cap.* 5. ibi: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum; ungentes eum oleo, in nomine Domini.* De Ordine *Luc.* 22. ibi: *Hoc facite in meam commemorationem.* De Matrimonio *Ephes. cap.* 5. ibi: *Et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est.*

4. *Quær.* An hæc omnia septem Sacramenta sint necessaria? *Resp.* Omnia sunt necessaria toti Ecclesiæ, non omnia singulis personis; ideò Papa potest per Interdictum prohibere usum quorumdam Sacramentorum. Coton. *lib.* 3. *controv.* 9. *cap.* 5. *num.* 148.

5. *Quær.* Quinam sint effectus Sacramentorum? *Resp.* Duplex est effectus; Unus generalis omnium, nempè gratiam conferre; vel primam, ubi recipiens erat privus gratia Dei, (prout fit in Baptismo, & Pœnitentia, quando pœnitens mortalia commiserit;) vel secundam, hoc est, augmentum gratiæ, quando suscipiens jam erat in gratia; & hoc in cæteris Sacramentis proprie adimpletur; etsi cætera Sacramenta, ultra Baptismum, & Pœnitentiam, conferre per accidens etiam primam gratiam, sit communis Doctorum sententia, quando scilicet suscipiens bona fide suscipit in peccato; putans se esse in gratia. Diana *par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 31. Alter effectus est particularis, nempè impressio characteris indelebilis in anima, quæ fit in Baptismo, Confirmatione, & Ordine. Coton. *lib.* 2. *controv.* 1. *cap.* 1. *num.* 11.

6. *Quær.* Quomodo differant inter se hæc septem Sacramenta? *Resp.* Quòd Baptismus, Confirmatio, & Ordo reiterari non possunt, & semel tantùm suscipiuntur. Alia quatuor sunt reiterabilia. Concil. Trident. *sess.* 7. *can.* 9.

7. *Quær.* Quomodo differant Sacramenta novæ legis à Sacramentis veteris legis? *Resp.* Differre in eo, quòd nostra Sacramenta novæ legis gratiam conferunt ex opere operato, illa verò veteris legis gratiam ex se non causabant, sed, eam solùm esse dandam, figurabant, per Passionem Christi; ideòque sanctificabant suscipientem ex opere operantis; videlicet ex virtute fidei in Christum Salvatorem, ac futurum Messiam, quam profitebatur suscipiens, si erat adultus, vel pro parvulis ipse ministrans, vel offerens, ut docet S. Thomas 3 *par. qu.* 70. *art.* 4. & Laym. *lib.* 5. *tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 5.

8. *Quær.* Quænam erant Sacramenta antiquæ legis? *Resp.* Ea fuisse, Circumcisionem, Agnum Paschalem, consecrationes Sacerdotum, expiationes, & lustrationes ab immunditiis legalibus. de quibus S. Thom. 1. 2. *qu.* 102. *art.* 5. & Layman. *ubi supra num.* 2. Decisiones meæ Anni 1687. de Sacramentis in genere, *Mense Februario quæs.* 3.

9. *Quær.* An in lege naturæ fuerint Sacramenta? *Resp.* Ante lapsum Adæ, nulla extitisse Sacramenta, quia eis opus non erat; tum quia nullum erat peccatum, cui medendum foret, tum etiam, quia homo ex rectitudine sua poterat sufficienter moveri ad Deum diligendum; at post lapsum parentum probabile esse, quòd Sacramentum aliquod fuerit institutum, & à Patriarchis illis practicatum, licèt scriptura mentionem de hoc non faciat, ut scripsit S. August. *lib.* 4. *contra Julian. cap.* 11. & tenent gravissimi Theologi, quos citat, & sequitur Layman. *de cap.* 3. *num.* 3. Et meæ Decisiones *supracit. Mense Febr. quæs.* 1. *&* 2.

10. *Quær.* An effectus generalis Sacramentorum, nempè gratiam conferre, haberi possit in Ecclesia Dei ultra Sacramenta? *Resp.* Affirmativè; nempè per Sacramentalia, quæ ex opere operato habent vim remittendi venialia peccata. S. Thom. 3. *par. qu.* 87. *art.* 3. & ulteriùs per actus virtutum, & præcipuè dilectionis Dei, vel charitatis erga Proximum. P. Candid. *in Compendio Disquisit. Moral. disquisit.* 35. *art.* 3. *&* *art.* 4. d. meæ Decisiones 1687. *Mense Decembri.*

11. *Quær.* Quænam sint Sacramentalia? *Resp.* Sacramentalia sunt, Aqua benedicta, Confessio generalis, Oratio in Ecclesia consecrata, tunsio pectoris, eleemosyna, esus Agni, & aliorum comestibilium in Paschate benedictorum, & benedictio Episcopalis. P. Candid. *dict. disquisit.* 35. *art* 3. *num.* 7. Gloss. *in cap. Omnis utriusque sexus.* 12. *in Verb. Omnia. De Pœnit. & Remiss.* quæ supradictum effectum tribuit etiam Orationi Dominicæ. Barbos. *de Jure Ecclesiastico Univ. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 31. & Magri *in Vocabul. Verb. Aqua benedicta.* Et dixi ego plenè *d. Mense Decembri* 1687.

12. *Quær.* An Christus instituerit Sacramenta ut Deus, an ut Homo? *Resp.* Ea instituisse ut Hominem, nam omnis potestas fuit ei cum unione hypostatica concessa: hinc Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 1. *&* 2. ait, Redemptorem nostrum instituisse Sacramentum Eucharistiæ, discessurum ex hoc mundo; quòd si discessurum ex hoc mundo, ergo ut hominem. Coton. *d. lib.* 2. *controv.* 1. *cap.* 1. *num.* 14.

13. *Quær.* An Christus Dominus instituendo Sactamenta determinaverit etiam singulorum materias, & formas? *Resp.* Esse subtilem de hoc Theologorum disputationem, quam duabus responsionibus concludunt. Una, quòd Christus Dominus determinaverit materias, & formas Sacramentorum tantùm in genere; data potestate Ecclesiæ eas specialiter eligendi, & deputandi. Altera, quòd Christus Dominus determinaverit etiam in specie, non tamen unam, sed multiplicem, id est, tam illas, quæ adhibentur ab Ecclesia Latina, quàm alias, quæ sunt in usu apud Ecclesiam Græcam; Græci enim utuntur in forma Sacramentorum diversis verbis à Latinis; & tamen Græcorum ritus approbati sunt à Clemente VIII. in Bulla *diei* 31. *Augusti* 1595. ut latius demonstrat P. Coton. *dict lib.* 2. *cap.* 1. *à num.* 15. *&* *seqq.* qui *num.* 24. concludit, dicendum esse, quòd Christus Dominus determinaverit Sacramentorum substantiam; relinquendo

quendo Ecclesiæ potestatem circa materiam, & formam, non quidem diversas in aptitudine ad substantiam Sacramenti, & ad significandam ipsam substantiam, ut sic salvetur diversitas Græci cum Latino.

14. *Quær.* Quæ, & quot requirantur ad essentiam Sacramenti? *Resp.* Tria. Materia, Forma, & Intentio in conficiente, & suscipiente: Et ideò, quotiescunque daretur mutatio in materia à Christo determinata substantialiter, vel in forma, tunc irritum esset Sacramentum; quod in quocunque Sacramento explicabitur. Coton. *ubi supra num.* 25. *&* 26. ubi notat, substantialiter non mutari formam, si verus sensus servetur, & ipse ab audientibus significari intelligatur, licèt per vocabula diversa, vel corrupta, ut in *Nomine Patri, Filia, & Spiritus Sancta.*

13. *Quær.* An valeat Sacramentum, si Minister formam vitiet ex errore, & siniſtra intentione erga Sacramentum? *Resp.* Valere, si forma habeat verum sensum, quamvis Minister crederet, formam veram Ecclesiæ non esse veram, dummodo intendat facere Sacramentum; & ideò valeret baptismus Græci dicentis: *Baptizetur servus Christi &c.* quamvis crederet non esse veram formam dicere: *Ego te baptizo &c.* Coton. *ubi supra num.* 29.

16. *Quær.* An subsisteret Sacramentum, si quis adderet aliquid formæ. E. gr. Si in forma baptismi adderet nomen B. Virginis? *Resp.* Cum distinctione; vel iste intendit baptizare in nomine Virginis, hoc est, ejus auctoritate? & non baptizat, quia sensus esset contrarius fidei. Aut implorare solam intercessionem? & baptizat. S. Thom. 3. *part. quæst.* 60. *art.* 8. Bonacin. *de Sacrament. disput.* 2. *qu.* 2. *punct.* 4. *num.* 16.

17. *Quær.* Quanta simultas requiratur inter materiam, & formam? *Resp.* Tanta, ut moraliter simul dicantur coexistere, non physicè: quod fit, si debita intentione existente forma modicè præcedat, vel subsequatur actionem. Coton. *ubi supra num.* 31. ubi advertit, non esse amplectendum, quòd ly *Modicè* extendatur ad tantum tempus, quo quis recitaret Orationem Dominicam, ut quidam Theologus scripserat.

18. *Quær.* Qualis intentio requiratur in Ministro? *Resp.* Ut habeat intentionem faciendi id, quod Christus instituit, aut saltem faciendi id, quod facit Ecclesia. Concil. Trid. *sess.* 7. *can.* 11.

19. *Quær.* Quotuplex sit Intentio? *Resp.* Est triplex; Actualis, Virtualis, & Habitualis. Prima est, quæ consistit in voluntate præsenti. Secunda est, quæ jam volita ad actionem mox faciendam, recedit à memoria, non à voluntate. Tertia, quæ ex habitu, non ex aliqua deliberatione procedit. Et ex his prima, & secunda sufficit ad faciendum Sacramentum, non autem tertia. Diana *par.* 2. *tract.* 17. *resol.* 32. Coton. *d. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 39. 40. *&* 41. ubi admittit pro sufficienti ad consecrandum illam implicitam intentionem virtualem, quæ supponitur in Sacerdote, ex eo quòd induit Paramenta Sacra juxta morem Ecclesiæ pro celebratione Missæ.

20. *Quær.* An faceret Sacramentum, qui dirigeret tantummodo intentionem ad rem exteriorem, non autem ad faciendam rem mysticam, & sacram? *Resp.* Inter Theologos magnam esse dubietatem; sed affirmare Catharinum, & Salmeronem testatur Coton. *d. cap.* 2. *num.* 33.

21. *Quær.* An sufficeret ad Sacramentum faciendum, si quis ex joco illud faceret? *Resp.* Negativè, nisi intenderet facere, quod facit Ecclesia, licèt id ex joco faceret; & ideò inquiunt, fuisse validum baptismum collatum à S. Athanasio puero ex joco, quia intendebat facere seriò, quod Ecclesia facit; baptismum verò S. Genesio histrioni per contemptum collatum non fuisse verum baptismum, sed eidem Sancto gratiam, & remissionem peccatorum fuisse concessam virtute contritionis, quam habuit in corde, & per quam dignus fuit, ut coronam martyrii consequeretur. Coton. *ubi supra num.* 33. 34. 37. *&* 38. De S. Genesio priùs Mimo illudente in Theatro fidem Christianam, sed repentè à Deo illuminato, illam confitente, & tormenta superante, agit Martyrolog. Roman. *die* 25. *Augusti.* Card. Baron. *Anno* 303 *num.* 118. & Spondan. *eod. Anno* 303. *num.* 6.

22. *Quær.* Quænam dispositio requiratur in Ministro, dum conficit Sacramentum? *Resp.* Quòd sit in gratia; quia sit conficiat Sacramentum in peccato mortali, committit Sacrilegium, & peccat mortaliter; quod communiter docent Doctores, præcipuè extra necessitatem. In casu verò necessitatis, si non potest confiteri, debet saltem contritionis actum elicere; quod si non posset neque conteri vel ex angustia temporis, vel ob pravos habitus, seu humanam infirmitatem, probabile esse, quòd Sacrilegium non committat, contra Marcantium tenet Diana, & DD. ab eo citati *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 74.

23. *Quær.* An Confessarius existens in peccato mortali, & audiens Confessionem alterius, committat Sacrilegium, si contritionis actum eliciat, antequam absolvat? *Resp.* Quòd aliqui DD. dicunt Sacrilegium non committere, nisi in initio audiendi Confessionem habuisset intentionem, non conterendi. Coton. *ubi supra num.* 49. Sed alii tenent, quòd debeat conteri in principio, quia tunc incipit ministrare Sacramentum; & ita ego quoque scripsi de Pœnitentia *decis.* 36. *num.* 3. ubi DD. pro utraque opinione.

24. *Quær.* An Episcopus consecrans Oleum, & Chrisma in mortali, peccet mortaliter? *Resp.* Affirmare Cardinalem de Lugo; Negare Cardinalem Pallavicinum, cui adhæret Coton. *ubi supra num.* 50. quia illa consecratio non est Sacramentum, sed præparatio materiæ pro Sacramento. Porrò ego adverterem, quòd illa consecratio extra Missam fieri non potest, ut suo loco dicemus, undè videtur dicendum, quòd Episcopus, qui non contereretur, saltem respectu Missæ, Sacrilegium committeret.

25. *Quær.* Quomodo se gerere debeat Minister circa diversitatem opinionum tangentium materiam, vel formam Sacramentorum, an scilicet possit ministrare secundùm opinionem probabilem, vel teneatur sequi probabi-

probabiliorem ? *Resp.* Regulam esse, ut in Sacramentis necessariis ad salutem, non sit licitum adhærere opinioni probabili, & relinquere probabiliorem; in cæteris verò sit licitum. DD. apud Coton. *dict. lib. 2. controv. 1. cap. 2. num. 52. & 53.* Qui tamen *num. 54.* advertit, nunquam licere operari secundùm opinionem probabilem, quando operatio fieri potest secundùm probabiliorem in Sacramentis, tum ob eorum reverentiam, tum ob utilitatem suscipientis. Hodie tamen damnata est opinio contraria ab Innocentio XI *Anno 1679. 2. Martii*, ut in Propositione prima. De qua bene disserit Carden. *in Crisi Theol. dissert. 2.* circa omnia Sacramenta, ad quem studiosi recurrant.

26. *Quær.* Quid agendum à Ministro, si dubitare contingat circa sufficientiam materiæ pro conficiendo Sacramento ? V. gr. An hæc aqua sit naturalis pro baptizando vel panis non corruptus pro consecrando ? *Resp.* Regulam communem esse, quòd si urgeat necessitas, favendum sit utilitati suscipientis, & sic resolvendum pro sufficientia materiæ. Si verò necessitas non urgeat, sit favendum reverentiæ Sacramenti, & sic habendam non esse materiam pro sufficienti juxta doctrinam Scoti, quam refert, & sequitur Coton. *ubi supra num. 57.* cui addere non esset incongruum, quòd in prædicto casu, si nulla alia materia haberi posset, & urgeret necessitas conficiendi Sacramenti, esset sub conditione conficiendum, si scilicet materia sit sufficiens.

27. *Quær.* An ob gravem metum licitum sit simulare administrationem Sacramenti, conficiendo illud, vel administrando sine intentione conficiendi, vel administrandi? *Resp.* Negativè. Et contrarium dicere est opinio damnata ab Innocentio XI. *in Propos. 29.* Quod est intelligendum, si proferantur verba formæ Sacramentorum sine intentione. Secùs si verba aliena, ut docet Cardenas *in Crisi dissert. 20.*

28. *Quær.* An ad valorem Sacramenti requiratur intentio in suscipiente? *Resp.* Quòd in adultis requiritur intentio saltem implicita recipiendi id, quod ei administrare intendit Ecclesia. S. Thom. 3. *part. quæst. 68. art. 7.* Coton. *ubi supra num. 58.* ubi notat etiam habitualem intentionem sufficere in suscipiente; quia est differentia inter suscipientem, & conficientem Sacramentum, nam iste est agens, ille patiens, & in patiente ad voluntarium minùs requiritur; adeò ut in suscipiente sufficiat etiam voluntas coacta., vi, & metu extorta. Diana *part. 5. tract 13. res. 32.* In parvulis verò non est necessaria intentio in suscipiendo Baptismate, Confirmatione, Eucharistia, & Ordine: hæc enim omnia Sacramenta valdè iisdem conferuntur. *cap. Unico de Cleric. per salt. promot.* S. Thom. *in addit. ad tert. part. q. 39. art. 2.* ubi tamen excipit ordinem Episcopatus; quamvis alii gravissimi Theologi etiam Episcopatus ordinem puero validè conferri teneant, non autem jurisdictionem, & administrationem. Dian. *part. 8. tract. 1. res. 32. & part. 12. tract. 1. resol. 48.* Coton. *ubi supra num. 58. & lib. 3. controv. 1. n. 44. & 45.*

29. *Quær.* An suscipiens Sacramentum debeat esse in gratia? *Resp.* Affirmativè, si agatur de Sacramentis vivorum; secùs autem de Sacramentis mortuorum, quæ sunt Baptismus, & Pœnitentia. Coton. *dict. lib. 2. controv. 1. num. 60.*

30. *Quær.* An, qui suscepit Sacramentum aliquod vivorum in peccato mortali, recipiat gratiam illius Sacramenti, quando ex eius corde recedit culpa vel per contritionem, vel per confessionem? *Resp* Negativè, nisi fortè non recordatus fuisset de illo peccato mortali, & sic inculpabiliter Sacramentum suscepisset; idcircò cùm Sacramentum sacrilegè suscipitur, ex eo gratiam consequi nullo tempore suscipiens potest; excepto baptismate; in quo, si adultus baptizatus non doluit de peccatis in actu baptismatis, gratia suspenditur, donec, & usquequò doleat de iisdem. *cap. Tunc valere, d. consecrat. dist. 4.* Coton. *ubi supra num. 61.*

CAPUT CXV.

De Baptismo.

1. *Quær.* Quid sit Baptismus ? *Resp.* Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo. Catechis. Roman. *de Baptism sect. 5.* Sivè Baptismus est exterior hominum cum aqua, & certa verborum forma ablutio, originarium peccatum delens. Cucchus *Instit. major. lib. 5. tit. 2. num. 3.*

2. *Quær.* Quotuplex sit Baptismus ? *Resp.* Est triplex: *Fluminis, Flaminis & Sanguinis.* Baptismus *Fluminis* est ille, qui supra definitus est, & conficitur aqua, & verbo. Baptismus *Flaminis* est, cùm quis summo desiderio ardens baptismo regenerari; interim, antequam baptizetur, obiit: & hic baptismus parvulis non convenit. *Sanguinis* baptismus est, ubi quis ante baptismum, ob Christi fidem mortem est perpessus; & hic convenit etiam parvulis, si occidantur in odium Christi; ut Sanctis Innocentibus accidit; vel si Mater, quæ Christi fidem nollet ejurare, pleno utero necaretur. Cucchus *ubi supra num. 19 & 20.*

3. *Quær.* Quæ, & quot requirantur ad conficiendum Baptismum ? *Resp.* Tria requiri, Materiam, Formam, & Intentionem, tam in Ministro baptizante, quàm in suscipiente, si adultus sit. Coton. *lib. 2. controv. 2. num. 1.*

4. *Quær.* Quænam sit materia Baptismi? *Resp.* Hæc est duplex, Remota, & Proxima. Materia remota est Aqua pura, naturalis, elementaris. Scotus *in 4. dist. 6. disc. 3. quæst. 3.* Materia proxima est Ablutio formaliter, & activè sumpta, prout à baptizante procedit. Coton. *dict. controv. 2. num. 10.*

5. *Quær.* An sit materia sufficiens Baptismi aqua resoluta ex sale? *Resp.* Quòd negat Coninch. *de Sacram. quæst. 66. art. 4. dub. 1. num. 22.* sed affirmat Diana *part. 3. tract. 4. res. 5.* Distinguit Card. de Lugo *lib. 2. cap. 1. quæst. 3. num. 23.* casum necessitatis à casu extra necessitatem; adeò ut in primo possit cum aqua salis baptizari sub conditione; in secundo non possit; & sic tenet Coton. *ubi supra n. 3.*

6. *Quær.* An baptizari liceat in nive, glacie,

cie, vel rore, *Resp.* Quamdiu concreta sunt, non licere, ubi verò fuerint resoluta, licere, quia substantialiter sunt aqua. Coton. ex doctrina Scoti *ubi supra num.* 3. Qui notat, plurimos tenere, non esse baptismum, si resolutio fiat non in manibus baptizantis, sed in corpore baptizati; eò quia ablutio sumitur, ut activa, prout supra dictum est; quamvis contrarium teneat Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 20. *sect.* 2. docens, ablutionem posse sumi etiam uti passivam; & utramque opinionem reputat probabilem Diana *part.* 5. *tract.* 3. *res.* 3.

7. *Quær.* An sit materia sufficiens vapor sursum emergens ex olla, & adhærens operculo; & sudor, qui flante Austro fluit ex parietibus, & lapidibus? *Resp.* Affirmativè, quia ea substantialiter aqua sunt. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 5. Coton. *ibid. num.* 5.

8. *Quær.* An liquor, qui fluit ex vitibus, vel arboribus, sit sufficiens materia? *Resp.* Negative, quia non est aqua, sed succus. Dian. & Coton. *ibid.*

9. *Quær.* Quid dicendum est de cervisia, jusculo, seu brodio, lixivio, & aqua rosacea? *Resp.* Quòd hæ materiæ sunt dubiæ; & extra casum necessitatis nullatenus adhibendæ. Porrò in casu necessitatis docent omnes Doctores, quòd adhiberi possunt sub conditione, si est materia apta; & remoto periculo, reiterandus est baptismus in materia certa, sub conditione, si non es baptizatus. DD. apud Card. de Lugo *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 30. Coton. *ubi supra num.* 6. & 7. Novissime Florentin. *de Homin. dubiis baptizandis disp.* 4. *sect.* 13. *num.* 2. & 3. ubi id admittit etiam ad succos frondium, & herbarum in casu necessitatis, & sub conditione; quia, ait, ut succurratur animarum periculo, nulla fit injuria Sacramento. Sed extra necessitatem nunquam licet. Cardenas *in Crisi dissert.* 2. *num.* 43. Vide meas Decisiones *Anni* 1688. *Mense Martio*, ubi de materia Baptismi

10. *Quær.* An extra casum necessitatis licitum sit uti omni aqua elementari? *Resp.* Negativè, sed ea, quæ benedicta sit juxta ritum Missalis, sub pœna mortalis peccati, ut contra Quintanadven. docet de Lugo *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 15. & Diana *part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 33.

11. *Quær.* Quibus, & quot modis fieri possit ablutio in Baptismate? *Resp.* Tribus modis; nempe Aspersione, Immersione, & Infusione aquæ; & hac communiter utitur Ecclesia Latina; quamvis traditum sit, Apostolos in principio Ecclesiæ baptizare consuevisse per aspersionem, ac per immersionem. Dian. *part.* 5. *tract.* 3. *res.* 19. & *part.* 10. *tract.* 16. *res.* 20. Coton. *ubi supra num.* 11.

12. *Quær.* An esset Baptismus, si quis puerum projiceret in puteum, dicendo: *Ego te baptizo &c. Resp.* Quòd esset baptismus validus, quamvis illicitus, dummodo projiciens, formam proferret verborum. Ideò non esset validus, si quis formam proferret super puerum aliundè cadentem in puteum. Coton. *ibi num.* 11, ubi advertit, quòd etiam esset Baptismus, si quis videns aquam ex alto cadentem, admoveret illi puerum, & formam proferret. Legantur d. meæ Decisiones *Anni* 1688. *Mense Martio Quæs.* 1. ubi pro utraque opinione habentur DD. & rationes.

13. *Quær.* An validè baptizaret, qui cum digito in aquam immerso inungeret Baptizandum? *Resp.* Affirmativè, quia per hoc homo verè dicitur ablutus, quod fit etiam, si sola gutta aquæ eum tangat. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *res.* 5. & *part.* 5. *tract.* 3. *res.* 5. Coton *ubi supra num.* 13. Ubi cùm DD. allegatis notat, id extra casum necessitatis non licere.

14. *Quær.* Qua corporis parte ablui oporteat Baptizandum? *Resp.* Quòd extra necessitatem debet alicui in capite. *cap. Postquam vos, de consecr. dist.* 4. In necessitate verò quælibet corporis pars est abluenda; sed amoto periculo est repetendus Baptismus sub conditione, ut mandat Rituale Romanum *sub tit. de Baptis.* Coton. *ubi supra num.* 14. & Cardenas *d. Dissert.* 2. *num.* 2.

15. *Quær.* An sit reputandus validus Baptismus, si ablutio fiat in capillis, in unguibus, in umbilico, vel secundina? *Resp.* Discordes esse Theologos in opinione. Conveniunt omnes, rem esse dubiam, prout si ablutio caderet in vestibus, chirothecis, vel pileo baptizandi; ideò in casu necessitatis pro affirmativa esse tenendum; extra verò nunquam sic esse abluendum, imò taliter antea baptizatum sub conditione esse rebaptizandum. Coton. *d. lib.* 2. *Controvers.* 2. *num.* 15. ubi DD. Cardenas. *ubi prox.* & dictæ meæ Decisiones *de Baptismo ad Mensem Martium Quæs.* 1.

16. *Quær.* Quænam sit forma Baptismi? *Resp.* In Ecclesia Latina hanc esse formam: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Coton. *ibid. num.* 16. ubi advertit, ly *Ego* non esse de essentia, quia tacitè inest in verbo; nec ly *In*, prout *Et*; sed consultò omitti non posse absque mortifera culpa. Idem Coton. *num.* 22.

17. *Quær.* An teneat Baptismus, si diceretur in nominibus, vel replicaretur ter in nomine, addendo scilicet illud ad unamquamque personam? *Resp.* Esse hinc inde opiniones Doctorum; quorum major pars inclinat in negativam, ubi diceretur in nominibus, quia destruitur Unitas Divinarum Personarum; pro affirmativa verò major pars sentit, si replicaretur ly *In nomine*, quia non ponit plura nomina. Diana *par.* 2. *tract.* 17. *res.* 15. Coton. *ubi supra num.* 17. Ego ipse *d. Mense Martio quæs.* 1.

18. *Quær.* Quænam sit forma Ecclesiæ Græcæ? *Resp* Hæc est: *Baptizetur N. Servus Christi, In nomine Patris, &c.* Quæ sufficiens est, ut ait Coton. *num.* 20. dubius remanens circa formam Chaldæorum dicentium: *Baptizatus sit servus Christi &c.* Diana *par.* 10. *tract.* 16. *resol.* 91. & Mendes. *in Luce fid. lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 11.

19. *Quær.* An valida sit forma Dalmatarum dicentium: *Ego de Christizo*, vel *Ego te Christianum facio*? *Resp.* Affirmativè, si hæc verba apud eum populum significent *Ego te abluo*, vel *te Baptizo*; quia sensus non est desumendus à natura verborum, sed ab usu regionis. Card. de Lugo *lib.* 1. *resp. mor. dub.* 3. Card. Pallavic. *in lib. de Sacram. num.* 18. Coton. *ubi supra num.* 18. & 21.

20. *Quær.* Quodnam sit subjectum Baptismi? *Resp.* Est homo nondum baptizatus. Coton. *ubi proximè num.* 24. ubi ait, plures homines posse unica vice baptizari, dicendo: *Ego te baptizo*; sed id extra necessitatem facere, esset mortale. Scotus *in* 4. *dist.* 6. *qu.* 2. §. *Respond.*

21. *Quær.* An monstra sint baptizanda? *Resp.* Utique esse baptizanda, si speciem humanam habeant. Cotonius *ibid. num.* 26. ex Diana *part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 30. ubi, quòd si duo capita, & duo pectora haberent, ita, ut credi possint duo homines, deberent seorsim, in unoquoque capite, baptizari. Si verò non duo capita, sed multiplicata alia membra, deberent toties sub conditione baptizari, quot corpora humana esse præsumerentur, Sed curiosus Lector videat meas Decisiones *de Baptismo Anno* 1688. *Mense Octobri, Casu primo*, ubi tractavi de omnibus speciebus Monstrorum, & docui, quinam sint capaces Baptismi.

22. *Quær.* An infans sit baptizandus in utero matris in casu necessitatis? *Resp.* Affirmativè, si ablutio in eum aliquo modo pertingere potest. Diana *part.* 3. *tract.* 15. *res.* 43. *& part.* 5. *tract.* 3. *res.* 12. Coton. *ubi supra num.* 27. ubi respondet textui *in cap. Qui in maternis, de Consecrat. dist.* 4. ubi dicitur: *Quòd qui natus adhuc secundùm Adam non est, renasci secundùm Christum non potest*; nam textus intelligitur, ubi ablutio ad infantem descendere non posset. Florentin. *d. tract. de Baptismo abortivor. disp.* 4. *sect.* 10.

23. *Quær.* Cujus temporis debeat esse fœtus, ut sit capax Baptismi? *Resp.* Secundùm communem opinionem, fœtum masculinum esse debere dierum 40. fœmininum verò dierum. 90. Quia eo tempore infunditur in fœtum anima rationalis, & ab ea contrahitur culpa originalis. Narbona *de Ætate Anno primo, q.* 2. *num.* 37. *& quæst.* 4. *num.* 3. Sed Florent. *d. tr. de Baptismo Abortiv. disp.* 2. *sect.* 1. *& seqq.* probat, Medicorum plurimos tenere, quòd animatio fœtus multò prius fiat; *& dict. sect. in fine*, refert testimonium Cherchringii Medici Amstelodamensis, qui anno 1671. expertus fuit, fœtum trium, vel quatuor tantùm dierum animatum fuisse; undè idem Florentin. ibidem tenet, fœtum 40. dierum esse absolutè baptizandum; fœtum verò trium, vel quatuor tantùm dierum esse omninò baptizandum, sed sub conditione, si homo vivens existat; quod pluribus, iisque luculentissimis rationibus, juribus, & argumentis probat in prædicto suo tractatu de Baptismo Abortivorum. Vide Zacchiam *in QQ. Medicoleg. p.* 2. *lib.* 9. *tit.* 1. *quæst.* 1. *num.* 5. ubi probat, Animam rationalem à Deo tum primùm creatam, & infusam in ipso primo conceptionis momento præsentem esse. Lege etiam Cardenam *in Crisi Dissertat.* 22. *num* 6. *& num.* 69.

24. *Quær.* An Mater prægnans teneatur pati scissionem uteri, & fœtus baptizetur, si de ejus abortu, & periculo animæ dubitetur? *Resp.* Negativè, etiamsi ipsa mater esset proxima morti. Pax Jordan. *tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 23. ex DD. *ibid.* per eum allegatis; sed ea mortua, scindendus erit uterus, & partus extractus, si vivus fuerit, baptizabitur. Sic autem fuit extractus Julius Cæsar primus Imperator Romanorum, à quo cæteri Imperatores denominantur Cæsares. Gloss. *in verb. Cæsar. in Proœm. Instit.* Et sic extractus fuit S. Raymundus Nonnatus, cujus hodie festum, & officium gerimus. *Brev. Rom. lect.* 4. Porrò de sectione uteri Matris viventis disputavi *in dict. meis Decisionibus de Baptismo Mense Augusto cap.* 2. quas studiosum legisse delectabit, & juvabit.

25. *Quær.* An filii Judæorum, invitis parentibus, sint baptizandi? *Resp.* Negativè, si sint parvuli, nec rationis capaces. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 658. *num.* 31. Paschal. *de Patria potest. part.* 1 *cap.* 7. *num.* 3. Quòd si sint doli capaces, & velint baptizari, baptizandi sunt, invitis parentibus, ut fecit Patavii Eminentissimus Cardinalis Barbadicus Episcopus non semel, ob ejus insignem pietatem in Deum, & zelum animarum. Tondut. *Quæst. benef. part.* 1. *cap* 48. *num.* 5. *& 6.* ubi addit, quòd si mater esset ad fidem conversa, vel avus, & eorum alter peteret baptizari parvulum, esset baptizandus invito patre. Porrò in articulo mortis parvulos filios infidelium, invitis parentibus, posse baptizari, docere videtur Coton. *dict. cap.* 2. *num,* 31. quod absolutè tenet Diana *part.* 2. *tract* 15. *res.* 45. *& part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 10. eò quia tunc non reputantur ampliùs in potestate parentum, cùm id, quod parum distat, nihil distare videatur. Sed Nicol. *Elucubrat. Canonic. lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 7. ait, Romæ, ubi omnes in rebus fidei normam debent accipere, hanc opinionem non esse in usu; quamvis notet, in quadam particulari Congreg. *die* 28. *Januar.* 1637. juxta dictam opinionem fuisse resolutum. Vide hoc Quæsitum à me examinatum in Decis. de Baptismo *Mense Septembri Quæs.* 1.

26. *Quær.* Quando filii infidelium dicantur doli capaces pro admittendis ad Baptismum? *Resp.* Ubi expleverint septennium. S. Congregat. Concilii *die* 16. *Februar.* 1639. quam refert Nicol. *ubi supra num.* 7. Coton. *d. cap.* 2. *num.* 30.

27. *Quær.* Quæ intentio requiratur in Baptizando? *Resp.* Suscipiendi, quod Ecclesia confert; & sufficit, si talis intentio sit habitualis: unde dormientes, furiosi, & amentes sunt baptizandi, si constet ante somnum, vel furorem voluntatem baptismi habuisse, eamque non mutasse. *cap. Majores, de Baptismo.* Coton. *ubi supra num.* 28. ubi addit ex DD. quòd talis furiosus poterit ligari, ut baptizetur.

28. *Quær.* An in adulto, præter dictam voluntatem, requiratur alia dispositio? *Resp.* Requiri fidem circa præcipua mysteria Christianæ Religionis, & dolorem peccatorum; sed non ad validitatem, verùm ad fructum Sacramenti. Coton. *ubi supra num.* 33. *&* 34.

29. *Quær.* Qualis dolor requiratur? *Resp.* Saltem attritio, quæ est sufficiens in Sacramento Pœnitentiæ. Coton. *ibid. num.* 34.

30. *Quær.* Quid agendum cum adulto infideli muto, & surdo à nativitate? *Resp.* Esse instruendum omni meliori modo circa fidem, & dolorem, & dein baptizandum. Coton.

ton. *ubi supra num.* 35. ubi addit, quòd si talis esset etiam cæcus, posset baptizari tanquam infans, quia carens discursu, & phantasmate, remanet tanquàm modo genitus, & omninò parvulus. Naturam, & species Mutorum si scire cupis, lege meas Decisiones *de Pœnitentia decis.* 22. per totam.

31. *Quær.* Quis sit minister Baptismi? *Resp.* In casu necessitatis quilibet homo; tam vir, quàm fœmina; tam fidelis, quàm infidelis, cum hac tamen distinctione, ut dignior semper præferatur, id est, fidelis infideli, vir mulieri, Clericus laicis, & Clericis Parochus; adeò ut mortale sit, si Clericus coram Parocho vellet baptizare; vel Laicus coram Sacerdote, vel Diacono. Coton. *dict. lib.* 2. *controv.* 2. *cap.* 3. *num.* 39.

32. *Quær.* An præsente Parocho excommunicato alter Clericus, vel inferior non excommunicatus possit Baptizare? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; sed affirmativam prævalere, quia censura privat Parochum administratione Sacramentorum extra casum necessitatis. DD. apud Coton. *ibid. num.* 40.

33. *Quær.* An Pater possit baptizare filium periclitantem, aliis præsentibus? *Resp.* Utramque opinionem esse probabilem; sed extra necessitatem si baptizaret, amitteret jus petendi debitum, ob contractam spiritualem cognationem cum uxore. *cap. Ad limina. cap. Nosse. cap. Dictum est* 30. *qu.* 1.

34. *Quær.* An in necessitate possit Baptismus ministrari à duobus „ uno abluente, altero proferente formam? *Resp.* Negativè. S. Thom. 3. *part. quæst.* 67. *art.* 6. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 11. *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 26. Coton. *ubi supra num.* 43. etiamsi diceretur: *Nos te abluimus*, seu *Baptizamus*, quia non uterque abluet. Sed non videtur contingibilis iste casus, nisi unus esset mutus, & alter sine brachiis. Cucchus *ubi supra num.* 79.

35. *Quær.* Si sit Baptismus, ubi plures abluant, & singuli formam proferant? *Resp.* Esse rem dubiam, si loquantur in plurali, nos te baptizamus; quia sicut unus est auctor baptismi Christus, sic per unum ministrum est repræsentandus. Quòd si quilibet dicat, ego te baptizo; ille baptizabit, qui primò actionem complebit. Si tamen simul terminent, adhuc res est dubia; & baptismus veniret repetendus. DD. apud Coton. *dict. controvers.* 2. *num.* 44. & 45.

36. *Quær.* Quis possit solemniter Baptizare? *Resp.* Parochus, & de ejus commissione quilibet Sacerdos„ ac etiam Diaconus. Coton. *ibid. num.* 46.

37. *Quær.* An Diaconus in casu necessitatis absque commissione Parochi possit baptizare solemniter, vel debeat privatim tanquam Laicus? *Resp.* Quòd possit solemniter, affirmat Suarez apud Dianam *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 28. Negant alii ob *cap. Diaconus* 13. *dist.* 92. ubi id videtur in necessitate eis permittere, sicut & laicis Christianis, sed ii non possunt solemniter baptizare. Porrò crederem, quòd posset solemniter baptizare, cùm ordo ejus tale officium concedat, quod etiam de Eucharistiæ administratione dicit idem Text. *in cap. Diaconos.* Coton. *ubi supra num.* 47. qui *num.* 49. id extendit etiam ad Monachos, & alios Regulares in dicto casu necessitatis.

38. *Quær.* An Laicus possit solemniter Baptizare ex dispensatione Pontificis: *Resp.* Affirmativè, quia solemnitas est juris humani. Coton. *ibid. num.* 48.

39. *Quær.* An Hæreticus, & Infidelis Baptizando validè baptizet? *Resp.* Affirmativè, ubi intendat facere id, quod facit Ecclesia: imò dicentes contrarium anathemate feriuntur à Concil. Trident. *sess.* 7. *de Baptismo can.* 4.

40. *Quær.* An Angeli, & Animæ Sanctorum possint baptizare? *Resp.* Tale munus ad eos non spectare; quòd si contingeret, ab eorum aliquo baptismum dari, credendum esset, validè dari, dum ex divina permissione id certe facerent. Cucchus *dict. lib.* 5. *Instit. major. tit.* 2. *num.* 74. Vide DD. in meis Decisionibus *de Baptismo Mense Majo quæs.* 2. ubi etiam de Dæmone, & de dæmoniacis.

41. *Quær.* An unus possit plures simul, & semel baptizare? *Resp.* Affirmativè secundùm S. Thomam, dicendo, ego vos baptizo, & eos aqua aspergendo, sed in casu necessitatis; non autem extra. Idem Cucchus *ibid. num.* 77.

42 *Quær.* Quæ dispositio requiratur in ministro Baptismi? *Resp.* Debet habere intentionem, statum gratiæ, notitiam materiæ, & formæ, seu ritus. Coton. *ubi supra num.* 50. qui *num.* 51. subdit, esse Pastoribus animarum advertendum, ut curent, obstetrices edoctas esse formam baptismi, saltem lingua vernacula ob periculum parvulorum morientium.

43. *Quær.* Quo loco sit administrandus Baptismus? *Resp.* Extra necessitatem non potest administrari, nisi in Baptisterio Ecclesiæ Parochialis, exceptis filiis Regum, & Principum. *Clem. Unica de Baptismo*; ubi Glossa per filios intendit etiam Nepotes, quod approbat Fagnan. *in cap. Extransmissa num.* 15. & 16. *de Filiis Presbyter. tom.* 2. *pag.* 241.

44. *Quær.* An nomine Principum veniant omnes Magnates, Duces, Comites, Marchiones, Præsides, Proreges, & similes? *Resp.* Negativè; sed tantummodò illi, qui supremi sunt in Principatu, vel auctoritate, ut Monarchæ, vel dignitate, ut Duces Reipublicæ Venetæ, & Genuensis. Diana *part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 38. Coton. *ubi supra num.* 53.

45. *Quær.* An Episcopus poterit ipse baptizare in domo privata filios non Regum, & non Principum? *Resp.* Negativè, quia textus utitur voce illa negativa, *Ne quis*, quæ appellatur malignæ naturæ, & destruit omnem potentiam. Pax Jordan. *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 17. ubi *num.* 14. notat, remanere in Episcopo facultatem arbitrandi circa qualitatem Principatus, & declarandi, an comprehendatur, vel non, in prohibitione Clementina; quod docet etiam Riccius *in Praxi Neapolit. resol.* 427.

46. *Quær.* An Baptismus possit dari domi ad evitandam infamiam matris, vel aliquod aliud grave periculum? *Resp.* Affirmativè. Jordan. *ubi supra num.* 18. & videtur de mente Clementinæ, quæ casum necessitatis excipien-

piendo dicit: *Aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam absque periculo propter hoc acceſſus haberi*: Et in prædictis caſibus baptiſmus dabitur domi cum omnibus cæremoniis. Jordan. *ubi ſupra num.* 16.

47. *Quær.* Quam culpam incurreret, qui contra dictam Clementinam baptizaret domi? *Reſp.* Quòd peccaret mortaliter, prout etiam, ſi baptizando Parochus in Eccleſia omitteret aliquem ritum à Rituali præſcriptum, vel lingua vernacula ipſe uteretur. DD. apud Coton. *num.* 54. 56. *& ſeqq.*

48. *Quær.* An dato Baptiſmo domi absque ſolemnitatibus, ſint illæ poſtea ſupplendæ in Eccleſia? *Reſp.* Affirmativè, quod etiam intelligitur de baptizatis ab Hæreticis, quamvis Layman notet, id non ſervari in Germania, ne fortè populus crederet, baptiſmum datum ab Hæreticis non eſſe baptiſmum. Layman. *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 8. & Card de Lugo *cap.* 6. *num.* 11.

49. *Quær.* An Baptiſmus poſsit reiterari? *Reſp.* Negativè, & qui ſcienter rebaptizaret, vel rebaptizari permitteret, ultra alias pœnas incurreret irregularitatem. *cap. Afros, diſt.* 98. *cap. Confirmandum, diſt.* 50. *cap. Qui in aliquo, diſt.* 51. Ac etiam Acolythus, qui huic baptiſmo inſerviret. *cap.* 2. *de Apoſtat.* Theſaur. *de Pœnis verb. Baptiſmus. cap.* 1. *part.* 2. ubi ſubdit, quòd rebaptizantes eſſent ſuſpecti de hæreſi, & Clerici deponendi, laici verò excommunicandi forent.

50. *Quær.* Quam pœnam incurrat, qui, cùm non ſit Sacerdos, adminiſtrat ſolemniter Baptiſmum? *Reſp.* Incurrere pœnam irregularitatis. *cap.* 1. *de Clerico non ordinato miniſtr.* à qua ſolus Papa diſpenſat in promovendo; in promoto verò etiam Epiſcopus, ut miniſtret in ſuſceptis. Majol. *de Irregul. lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 3. Theſaur. *ubi ſupra cap.* 3. Quò loci excipit Diaconum, nam ex officio ſuo validè baptizat etiam ſolemniter, ut dictum eſt *ſupra num.* 37.

51. *Quær.* An liceat recipere Baptiſmum ab Hæretico? *Reſp.* Negativè, imò ſic baptizatus eſſet irregularis, & ad ordines non promovendus. *cap. Qui in qualibet*, 1. *quæſt.* 7. *cap. Ventum*, 1. *quæſt.* 1. Niſi baptizatus fuiſſet in infantia, vel in vitæ periculo conſtitutus. Theſaur. *ubi ſupra cap.* 5.

52. *Quær.* An liceat adultis differre ſuſceptionem Baptiſmi usque ad ſenectutem, vel ad extremum vitæ? *Reſp.* Negativè; & qui ſic tardè fuerit baptizatus, remanet irregularis; adeò, ut ad ordines promoveri non poſſit, quia ſuſpecta eſt ejus fides, & talis vocatur *Clinicus. cap. Si quis in ægritudine*, 57. *diſt.* Theſaur. *de Pœnis Eccleſ. verb. Baptiſmus cap.* 6.

53. *Quær.* An dicta Irregularitas tollatur curſu temporis, ſi conſtet de ſtabilitate in fide, & de vitæ probitate? *Reſp.* Opinionem negativam eſſe magis communem; ſed in tali caſu eſſe petendam diſpenſationem ab Epiſcopo. Majol. *de Irregul. lib.* 3. *cap.* 8. Suarez *de Cenſur. diſp.* 42. *ſect.* 1. *num.* 6.

54. *Quær.* An extra dictum caſum probationis fidei poſſit Epiſcopus diſpenſando promovere Clericum ad Ordines? *Reſp.* Negativè; quia ſolus Papa diſpenſat. Burgas *de Irregularit. part.* 5. *tit. de different. baptiſm. num.* 4. Niſi adeſſet penuria Clericorum. Suarez *ubi ſupra num.* 6. & Theſaur. *ibid. verſ. Nota etiam.*

55. *Quær.* An in baptiſmo privato, in caſu neceſſitatis, ſit adhibendus Patrinus? *Reſp.* Non requiri in eo caſu Patrinum, ſed poſſe adhiberi; & ſi adhibeatur, contrahere cognationem. Coton. *d. lib.* 2. *controv.* 2. *num.* 66. *& 67.*

56. *Quær.* Quas debeant habere qualitates Patrini? *Reſp.* Debent habere uſum rationis, non hæretici, aut infideles, ſed baptizati. Coton. *ubi ſupra num.* 69. *& ſeqq.*

57. *Quær.* Si Catechumenus eſſet Patrinus in baptiſmo, an contraheret cognationem? *Reſp.* Negativè. Diana *par.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 89. ubi cum doctrina Sancti Thomæ confutat contrarium ſcribentes, & cum Diana tenet Coton. *ubi ſupra num.* 71. *&* 72. qui *num.* 73. notat, ſi baptizetur filius infidelium, Patrinum non contrahere cognationem cum parentibus infidelibus dicti filii, quia non ſunt capaces; niſi poſtquam venirent ad fidem; quo caſu attendenda eſſet cognatio. Sylveſt. *Verb. Matrimonium*, 8. *quæſt.* 7. *concl.* 12.

58. *Quær.* An Monachi, & alii Regulares poſſint eſſe Patrini? *Reſp.* Negativè, quia de Monachis eſt expreſſa prohibitio in *cap. Non licet Abbati, de conſ. d.* 4. *& in cap. Pervenit*, 18. *quæſt.* 2. ad vitandum conſortium illorum cum mulieribus. Et quamvis cæteris Regularibus id non eſſe prohibitum multi ſcribant, prout notat Coton. *ubi ſupra num.* 76. tamen attento Rituali Romano tenenda eſt opinio negativa etiam in ipſis; nam Rituale dicit: *Ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, nec alii cujusvis Ordinis Religioſi à ſeculo ſegregati.*

59. *Quær.* Quot in baptiſmo poſſint eſſe Patrini? *Reſp.* Unus, vel ad ſummum unus, & una. Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de Ref. cap.* 2. Quòd ſi plures vocentur, cognatio non contrahitur niſi à tangentibus puerum in fonte, ut mos eſt Venetiis, quòd ſi omnes ſimul tangerent, omnes cognationem contraherent. Coton. *ubi ſupra num.* 82. *&* 83.

60. *Quær.* An ſimul maritus, & uxor poſſint levare alienum filium in baptiſmo? *Reſp.* De honeſtate non poſſe; de rigore præcepti poſſe; quia præceptum non habetur, ſed conſilium *in cap. Quod autem*, 30. *quæſt.* 4. Coton. *ubi ſupra num.* 86.

61. *Quær.* An genitores ipſius baptizandi poſſint eſſe Patrini? *Reſp.* Negativè. *cap.* 1. 2. *&* 4. 30. *quæſt.* 1. Quod ſi faciunt, peccant mortaliter, & privantur facultate petendi debitum, niſi eos excuſet ignorantia juris, vel facti. Sanch. *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 30. *num.* 1. Theſaur. *de Pœnis dict. par.* 2. *Verb. Baptiſmus, cap.* 4. Vel niſi baptizent in caſu neceſſitatis, tunc enim non amittunt jus petendi debitum, quamvis contrahant cognationem; quæ ſi ageretur de Matrimonio contrahendo inter ipſos Patrem, & Matrem baptizati, impediret, & dirimeret matrimonium. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 62. *num.* 15. Theſaur. *d. cap.* 4. *propè finem*; ubi adjungit, Epiſcopum poſſe diſpenſare inter conjugatos, ut poſsint petere debitum, quamvis unus eorum baptizaſſet, vel Patrinus fuiſſet ſui filii.

62. *Quær.*

62. *Quær.* An liceat Avo, vel Aviæ esse Patrinum in baptismo Nepotis, vel Neptis? *Resp.* Negativè, quia & ipsi continentur sub prohibitione Patris, & Matris. *l. Justa* 201. *ff. de Verb. Significat.* Thesaur. *ubi supra dict. cap.* 4. *Vers. Aliam esse rationem.*

63. *Quær.* Si quis suscipiat in Baptismo puerum per Procuratorem, à quo contrahatur cognatio? A mittente, vel à procuratore? *Resp.* Eam contrahi à mittente, non autem à procuratore; & sic decidisse S. Congregationem testatur Nicol. *Lucubr. Civil. tom.* 1. *pag.* 50. Moron. *respons.* 15. *num.* 39. Coton. *ubi supra num.* 90. & dicetur infra *cap.* 133. *num.* 34.

64. *Quær.* Si domi detur aqua puero, & deinde in Ecclesia fiant cæremoniæ, quis contrahit cognationem, qui tenuit puerum domi, vel qui in Ecclesia? *Resp.* Contrahi ab eo, qui tenuit domi; nam inibi factum fuit Sacramentum. Moron. *d. resp.* 15. *num.* 38.

65. *Quær.* An possint esse Patrini duo Viri, unus nomine proprio, & alter substitutus à muliere? *Resp.* Affirmativè. Naldus *Verb. Cognatio num.* 6. Diana *part.* 10. *tract.* 16. *res.* 29. Coton. *ubi supra num.* 91. ubi advertit, aliquos asserere, contrarium decidisse Sac. Congregationem; sed de tali decisione nullibi constat.

66. *Quær.* An contrahat cognationem ille, qui levavit de fonte filium Pauli, credens fuisse filium Petri? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, sed magis probabilem esse negativam; quia nemo debet cogi ad se uniendum spiritualiter cum personis, de quibus nullo modo cogitavit. Franc. de Lugo *de Sacram. Baptismi cap.* 7. *num.* 6. Coton. *ibid. num.* 94.

67. *Quær.* An baptizans fœminam credens baptizare marem, validè baptizet? *Resp.* Negativè. Zacchias *in QQ. Medicoleg. lib.* 7. *tit.* 1. *quæst.* 8. *num.* 9. & ibi Petr. Gerard. *singul.* 90. *num.* 2. quod est notatu dignum.

68. *Quær.* Qui sint effectus baptismi? *Resp.* Baptismus validè susceptus imprimit characterem, habilitat ad suscipienda alia Sacramenta, aufert infamiam, & Irregularitates omnes, præter bigamiam, & obligat ad observantiam legis Christianæ. Baptismus verò etiam dignè susceptus dat gratiam, delet peccata tam originale, quàm actualia in adultis, & pœnas temporales; concedendo virtutes gratiam comitantes. Coton. *ubi supra num.* 95. & ibi DD. & meæ Decisiones *de Baptismo Mense Aprili quæs.* 2. ubi duodecim effectus collegi, ac demonstravi.

69. *Quær.* An recipiat gratiam adultus, qui recipit baptismum sine dolore peccatorum? *Resp.* Non recipere; sed superveniente dolore, gratiam infundi. Coton. *ibid. num.* 95. *& num.* 98. Quod etiam supra tetigimus de Sacramentis in genere, & in præsenti tractatu de Baptismo.

70. *Quær.* An per baptismum condonentur etiam pœnæ temporales, quæ vigore legum civilium essent inferendæ baptizato? *Resp.* Negativè; quamvis ubi infidelis esset dictis pœnis plectendus, & veniret ad fidem, rogandi forent Magistratus, ut dictas pœnas remitterent. Cucchus *Inst. major. d. lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 112.

71. *Quær.* An Episcopus ex officio sit adstrictus, aliquando administrare Sacramentum Baptismi? *Resp.* Teneri baptizare in Sabbato Sancto, & in Sabbato Pentecostes ex officio, quando extarent Catechumeni, & adulti baptizandi. *cap. Venerabilis.* 17. *de Consecrat. dist.* 4. Jord. *dict. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 19. ubi notat, quòd ubi non est multitudo adultorum baptizandorum, sed unus, vel duo tantùm, potest eos Episcopus pro suo libito baptizare.

72. *Quær.* Quænam obligatio incumbat Parocho post expletam administrationem Baptismi? *Resp.* Admonere Patrinos, & Parentes de cognatione contracta, & de eorum obligatione, ac ad notandum in libro proprio ipsam functionem baptismalem, cum nominibus filii baptizati, parentum ejus, ac patrinorum. Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 2. *de ref. Rituale Roman. in calce libri.*

73. *Quær.* Ad quid valeat Registrum, & notatio illa, quæ fit à Parocho? *Resp.* Ad probandam ætatem baptizati, ejus parentelam, & filiationem. Mascard. *de Probat. conclus.* 763. Genua *de Scriptura privata lib.* 5. *tit. de libris Plebanorum qu.* 1. *& seqq.*

74. *Quær.* In quibus differat Baptismus à Circumcisione? *Resp.* In tribus. *Primò*, quia Baptismus datur etiam fœminis; *Secundò*, aperit statim januam Cœli; *Tertiò*, imprimit characterem, quæ omnia non conveniebant Circumcisioni. Fagnan. *in cap. Majores, num.* 38. *& seqq. de Baptismo, tom.* 5. *pag.* 324.

75. *Quær.* In quibus conveniat Circumcisio cum Baptismo? *Resp.* In tribus. *Primò*, quia salvabat à peccato originali. *Secundò*, quia dabatur tam parvulis, quàm adultis. *Tertiò*, quia sine illa tunc nullus salvari poterat, sicut nunc nullus absque Baptismo. Fagnan. *ubi supra dict. num.* 38. Alia plura Quæsita utilia, & curiosa reperiet studiosus in dictis meis Decisionibus *de Baptismo de Anno* 1688.

CAPUT CXVI.

De Sacramento Confirmationis.

1. *QUær.* Quid sit Confirmationis Sacramentum? *Resp.* Esse *Unctionem hominis baptizati, factam in fronte, in figura Crucis, cum Chrismate Sanctificato, à Ministro idoneo, cum intentione debita tam in ungendo, quàm in ungente, sub certa verborum formula, significantem efficaciter ex institutione Divina Unctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum constantia fidem Christi.* Ita Scotus *in* 4. *d.* 7. *qu.* 1. & Coton. *lib.* 1. *Controv.* 3. *cap.* 1. *num.* 1.

2. *Quær.* Quænam sit materia Confirmationis? *Resp.* Materia Confirmationis duplex est. Una remota, & est Chrisma, nempe Unguentum ex oleo, & balsamo ab Episopo benedictum. Altera proxima; & est Unctio ipsius in fronte confirmandi. Coton. *ubi supra num.* 2. & est Text. *in cap.* 1. *de Sacram. non iteran.* & ibi Gloss. & DD. Tex. *in cap. Unic. de Sacra Unction.* Jordan. *lib.* 3. *tit.* 2. *num* 30.

3. *Quær.* An Apostoli usi sint oleo, & balsamo in administratione hujus Sacramenti, vel sola manuum impositione, ut videtur scri-

scriptum in eorum Actibus *cap.* 8. *& cap.* 19.? *Resp.* Duas esse opiniones. Una, quòd Apostoli sola manuum impositione confirmarent ex dispensatione, & potestate extraordinaria, supplente Deo Unctionem Chrismatis per alia signa sensibilia, quibus Spiritus Sanctus descendebat super confirmatos. Ita S. Thom. 3. *p. qu.* 72. *art.* 2. Altera est, quòd S. Lucas *in d. cap.* 8. *&* 19. *Act.* per manuum impositionem intellexerit Unctionem Chrismatis, quæ fit in fronte per manuum impositionem. Ita Bellarm. *tom.* 3. *Controv.* 2. *lib.* 2. *cap* 9. ubi plures auctoritates SS. Patrum allegat, qui fuere coætanei Apostolorum, aut illis suppares: Et hanc opinionem tenet P. Menoch. *super Actib. Apostol. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 5. *in fin.* & notat Coton. *ubi supra num.* 3. Novissimè Gaspar. Ivenin. *in Comment. Histor. & Dogmat. de Sacram. Confirm. Dissert.* 3. *qu.* 2. *cap.* 3. *art.* 2.

4. *Quær.* An balsamum sit materia essentialis, an tantùm accidentalis? *Resp.* Quòd licèt plures DD. opinati sint, esse tantùm materiam accidentalem, quos refert Coton. *ubi supra num.* 4. tamen verior sententia est, quòd sit materia essentialis, eò quia sic definitum est à Concilio Florentino. Idem Coton. *ubi supra num.* 4. *&* 5. & Jordan. *num.* 33. quibus in locis notant, irritum esse Sacramentum Confirmationis, si fieret cum oleo sine balsamo; & esse supplendum cum nova Unctione, adhibito Chrismate, id est, oleo, & balsamo simul; & cum nova verborum prolatione; omissis cæteris cæremoniis priùs adhibitis, quæ non repetuntur; & ita intelligendus est Textus *in cap. Pastoralis, de Sacram. non iteran.* Cujus sensus perperàm accipi solet à pluribus Doctoribus, dicentibus, Confirmationem valere sine balsamo; quorum opinio non est vera, neque amplectenda; quamvis eam doceat etiam modernus Ivenin. *dict. Dissert.* 3. *qu.* 3. *cap.* 4. *art.* 3.

5. *Quær.* Quæ quantitas balsami necessaria sit in Chrismate conficiendo? *Resp.* Tantum balsami poni debet, quantum sufficiat ad communicandum odorem suum oleo. Coninch. *qu.* 72. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 39. Jordan. *ubi supra num.* 32. & Coton. *num.* 6.

6. *Quær.* An Chrisma possit consecrari à simplici Sacerdote ex commissione Summi Pontificis? *Resp.* Esse hinc inde Doctorum gravissimorum opiniones, sed negativa verior, & tutior reputatur, eò quia consecratio Chrismatis est ordinis Episcopalis ex inveterato usu Ecclesiæ Catholicæ. Jordan. *dict. lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 10. & Coton. *dict. controv.* 3. *cap.* 1. *num.* 7. ubi Auctores refert pro utraque opinione, & amplectitur negativam; adeò ut neque Abbatibus, aut aliis Dignitatibus inferioribus Episcopo talis consecratio possit demandari, ut ex responso Sac. Congregationis notat Barbosa *de Offic. & Potestate Episcopi allegat.* 30. *num.* 5. & Jordan. *ubi supra num.* 11. Ivenin. *dict. qu.* 2. *cap.* 5. *art.* 3. Administrari verò potest à simplici Sacerdote de commissione Papæ. Fagnan. *in cap. Canonum statuta num.* 102. *de constitut. & in cap. Unic.* §. *Per frontis de Sacra Unctione.* Et conceditur Missionariis in Indiis, ubi non sunt Episcopi.

7. *Quær.* In qua parte corporis sit ungendus, & signandus Confirmandus? *Resp.* In fronte de necessitate Sacramenti, & cum signo Crucis; & propterea nullum esset Sacramentum, si omissa fronte, alibi ungeretur, vel non facto signo Crucis. *cap. Unico.* §. *Per frontis, de Sacram. Unct. cap.* 2. *&* 3. *de consecr. dist.* 5. Frons enim est Sedes verecundiæ, & in ea Chrismandus debet inungi, ut sine verecundia, aut rubore Christi nomen confiteatur. Jordan. *ibid. num.* 28. *&* 29. & Coton. *num.* 9. *&* 10.

8. *Quær.* Quænam sit legitima forma hujus Sacramenti? *Resp.* Esse illam, quæ in Pontificali Romano tradita est, nempè: *Signo te signo Crucis, & Confirmo te Chrismate salutis; In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Jord. *ubi supra num.* 38. & Coton. *num.* 12. ubi notat, apud priscos Ecclesiæ Patres hanc formam expresè non reperiri, quia ne nostra mysteria proderent infidelibus, non de facili formam in scriptis dabant; sed sibi invicem oretenus tradebant, juxta illud 1. *Cor.* 11. *Cætera, cùm venero, disponam;* quod considerat S. Thom. 3. *part. qu.* 72. *art.* 4.

9. *Quær.* An omnia verba formæ prædictæ sint de essentia? *Resp.* Plura à pluribus super hoc dicta esse. Porrò, omnes conveniunt in eo, quòd verba Sanctissimæ Trinitatis personas exprimentia; ac *signo, & confirmo te*, sint de essentia Sacramenti; alia de necessitate præcepti; adeò ut validum sit Sacramentum, si sensus non immutetur, sed absque peccato mortali recessus à dicta forma fieri non possit. Coton. *ubi proximè num.* 14. & Jordan. *num.* 38. 39. *&* 40.

10. *Quær.* Qua forma utantur Episcopi Græci Confirmantes? *Resp.* Eos uti his verbis: *Signum, sigillum, signaculum doni Spiritus Sancti.* Coton. *ibid. num.* 12. Qui subindè ex Diana *par.* 8. *tract.* 1. *resol.* 8. 9. *&* 10. probat, dictam formam esse sufficientem, & confutat scribentes contrarium; ostendens, tacitè intelligi in ea *Verbum Do*: quia sæpè sæpiùs in elocutione eleganti verbum omittitur, ut *Lumen Christi, & Gloria in Excelsis Deo*, nempe *Est.* Et qui dat pauperi nummum, dicere solet: *En nummum*, videlicet *Do tibi*, & alia exempla Apostoli notat *Hebr.* 9.

11. *Quær.* Quis sit ordinarius Minister hujus Sacramenti? *Resp.* Est Episcopus. Concil. Trident. *sess.* 7. *can.* 3. & Concil. Florentin. *in Decret. de Sacram.* Et quidem debet esse Episcopus consecratus; quia Confirmatio est actus Ordinis Episcopalis, & sic exigit Characterem illius. Coton. *ubi ante num.* 23. *&* 24. Jordan. *dict. lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 2. 3. *&* 4. ubi docet, valere Confirmationem, quamvis Episcopus esset hæreticus, excommunicatus, suspensus, interdictus, ac etiam specialiter prohibitus à Papa; quia, ut dictum est, validitas pendet à Charactere Episcopali, quamvis peccaret mortaliter.

12. *Quær.* An Papa possit delegare administrationem hujus Sacramenti simplici Sacerdoti? *Resp.* Affirmativè, ut dictum est *supra quæs.* 6. quamvis olim gravissimi Doctores id negaverint. Coton. *pluribus citatis ubi proximè n.* 31. *&* 32. Fagn. *in cap. Unico.* §. *Per frontes, de Sacra Unct. tom.* 2. *p.* 303. Modernus Ivenin. *de Sacr. Conf. d. Dissert.*

Dissert. 3. *qu.* 5. *cap.* 2. §. 3. Et Jordan. *num.* 9. & 10. ubi notandum dicit, quòd simplici Sacerdoti potest à Papa concedi facultas confirmandi, non autem conficiendi Chrisma; ut supra dictum est, licèt majus esse videatur confirmando administrare Sacramentum, quàm consecrando Chrisma materiam præparare; & hoc fit, quia Consecratio Chrismatis est solius ordinis Episcopalis, non etiam Chrismatis administratio. Baronius *tom.* 8. *Ann.* §94. *num.* 17

13. *Quær.* An laico talis facultas confirmandi possit à Papa committi? *Resp.* Affirmativè respondisse Glossam *in cap. Manus. Verb. Irritum*, *de Consecr. dist.* 5. Sed negativam opinionem esse veriorem, etiam in Clerico non Sacerdote ex D. Th. 3. *part. qu.* 72. *art.* 11. Jordan. *ubi antea num.* 9.

14. *Quær.* An Episcopus, qui Confirmationis Sacramento non fuerit insignitus, possit alios confirmare? *Resp.* Affirmativè, quia in hoc non intrat Regula illa, *Nemo dat, quod non habet*, nam facultas stat in ordine Episcopali. Diana *par.* 9. *tract.* 6. *resol.* 47. & *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 14. Quamvis mortaliter peccaret, si citra necessitatem aut ex contemptu confirmaret. Cotonius *ubi proximè num.* 25. Jordan. *num.* 2.

15. *Quær.* An liceat Episcopo in sua Diœcesi alienum subditum confirmare? *Resp* De Jure licitum non esse, sed consuetudinem ubique id licitum effecisse, quia præsumitur consensus proprii Episcopi. Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resolut.* 17. & *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 50. Coton. *ubi supra num.* 26. Jordan. *num.* 49. ubi admonet Episcopos, ne scienter velint alienum subditum confirmare; quod in praxi observat Eminentissimus Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus.

16. *Quær.* An Episcopus possit delegare Abbati, vel simplici Sacerdoti administrationem hujus Sacramenti? *Resp.* Negativè. Jordan. *ibid. num.* 7. & 8. ubi quòd Episcopus delegans, & delegatus peccarent mortaliter, & actus esset nullus.

18. *Quær.* Qua dispositione debeat Episcopus ad administrandum Chrisma accedere? *Resp.* Quòd debet esse indutus Pluviali, Mitra, Stola, & Baculo Pastorali; quamvis in æstivis caloribus, ubi est multitudo confirmandorum, Pluviale soleat deponi, prout etiam si alicui privatim administretur; undè illud est de consilio, non autem de præcepto; prout etiam, quòd jejunus sit Episcopus, atque chrismandus. Jordan. *pluribus alleg.* ubi *ante num.* 12. & 13. Sed usus facit, ut Episcopi post prandium confirment.

17. *Quær.* Quo tempore hoc Sacramentum sit administrandum? *Resp.* Quocunque tempore, etiam die feriata, & etiam tempore publici interdicti. *cap. Quoniam*, *de Sentent. Excom. in* 6. Jordan. *ibid. num.* 13. Quamvis in festis diebus Pentecostes sit præcipuè administrandum. Et hoc adeò verum est, ut Episcopus peccet, si nimis differat administrationem generalem hujus Sacramenti; quæ per tres, aut quatuor annos retardari posse videtur ex justa causa ad arbitrium Episcopi absque peccato. Jord. *num.* 15. ubi DD.

19. *Quær.* Quo in loco sit dandum hoc Sacramentum? *Resp.* In Ecclesia esse dandum. At ex rationabili causa etiam in loco decenti extra Ecclesiam, puta si duo, aut tres tantùm sint confirmandi, administrari posse videtur absque peccato. DD. quos allegat Jordan. *ubi supra num.* 16. & 17.

20. *Quær.* An Episcopo, si exeat è Civitate, perlustrando suam Diœcesim, ut Sacramentum Confirmationis administret, possit procurationem à populis exigere? *Resp.* Negativè; nisi forsan etiam visitaret, vel Ecclesias consecraret. Jordan. *ibid. num.* 15.

21. *Quær.* An peccet mortaliter Episcopus, si confirmet, habens ipse conscientiam crimine mortali oneratam? *Resp.* Quòd peccat mortaliter, nisi priùs confiteatur, vel saltem contritionis actum eliciat; nam nullum Sacramentum est administrandum in peccato mortali; quamvis sufficiat contritio sola, & non requiratur actualis confessio (ubi fieri possit) nisi ad suscipiendam Eucharistiam. Jordan. *ubi supra num.* 23. & 24. Coton. *num.* . . .

22. *Quær.* Qualis intentio requiratur in ministro hujus Sacramenti? *Resp.* Intentio actualis illud conferendi, vel saltem virtualis. Jordan. *ibid. num.* 25. & 26. ubi quòd habitualis intentio non sufficeret.

23. *Quær.* An omne Chrisma aptum sit pro hujus Sacramenti administratione? *Resp.* Negativè; sed debet esse consecratum eo anno, & hoc sub pœna peccati mortalis. *cap. Quoniam*, ubi Gloss. *de Sentent. Excommun. in* 6. Et ideò hoc Sacramentum administrari potest etiam tempore interdicti, & ipsum Chrisma confici solemniter, publicè, & apertis januis. Jordan. *plurib. DD. cit. ubi proximè num.* 36. & 37.

24. *Quær.* Quo modo sit inungendus ille, qui debet confirmari? *Resp.* Quòd est inungendus in fronte in forma crucis cum Chrismate, & hoc ab ipsomet Episcopo cum pollice manus dexteræ, sub pœna peccati mortalis aliter faciendo; nisi fortè Episcopus laboraret dolore in pollice; & nullus esset alius, qui per longum futurum tempus posset confirmare. Jordan. *ibid. num.* 40. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 22. & Coton. *ubi supra num.* 29. ubi probant, si alio digito fiat unctio, Sacramentum valere: secùs autem, si fieret penicillo, vel alio Instrumento, quia non posset dici manuum impositio. Jordan. *num.* 41. Layman. *lib.* 5. *tract.* 3. *cap.* 2.

25. *Quær.* An sit mortale, si Episcopus omittat dare alapam confirmato? *Resp.* Negativè ex communi DD. sententia. Jordan. *ibid. num.* 44. Coton. *num.* 27.

26. *Quær.* Quæ debeant esse qualitates confirmandorum? *Resp.* Quòd sint baptizati; & quòd habeant usum rationis, qui solet præsumi circa septennium; sed in hoc exuberat arbitrium Episcopi, ita, ut secluso scandalo, etiam puerum trium annorum possit confirmare absque peccato; & semper in dubio debet inclinare ad favorem pueri petentis Sacramentum; ne ob varia rerum discrimina contingat ipsum mori absque gratia hujus Sacramento. Jordan. *ibid. num.* 46. 47. & 48.

Coton. *ubi supra num.* 42. ubi quòd in articulo mortis possunt statim confirmari nedum adulti, sed etiam infantes, ac etiam perpetuò amentes. At in adultis præter intentionem, & fidem requiritur etiam gratia, ita, ut saltem actum contritionis emittant. Jordan. *num.* 52. 53. *&* 54.

27. *Quær.* An Episcopus in aliena Diœcesi possit suum subditum confirmare? *Resp.* Negativè, nisi de licentia Ordinarii Diœcesani; aliàs incurreret suspensionem ipso jure ex Concil. Trid. *de Refor. sess.* 6. *cap.* 5. Jordan. *ibid. num.* 51. ubi DD.

28. *Quær.* Quinam sit effectus hujus Sacramenti? *Resp.* Effectus est Character; Gratia, & Affinitas cum Patrino, quæ vocatur cognatio spiritualis. Coton. *ubi supra num.* 49.

29. *Quær.* An incurrat irregularitatem ille, qui reiteraret Confirmationem, vel bis eamdem personam confirmaret, prout statutum est in Baptismo? *Resp.* Hanc esse insignem quæstionem, & pro utraque opinione esse plurimos DD. At verior opinio est negativa; scilicet quòd irregularitas non incurratur neque à reconfirmante, neque à reconfirmato etiam scienter; ea ratione, quia regula certa est in jure, irregularitatem incurri tantùm in casibus à jure expressis. *cap. Qui,* 15. *de Sentent. Excommunic. in* 6. At nullo jure cavetur, ut irregularitas in supradicto casu incurratur. Jordan. *d. lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 57. 58. *&* 59. ubi Covarruv. Suarez & alii DD.

30. *Quær.* An in hoc Sacramento possint adhiberi plures Patrini, vel saltem unus, & una, prout in Baptismo? *Resp.* Quòd unus tantùm est adhibendus juxta antiquum canonem *in cap. Non plures, de Consecr. dist.* 4. Quia quoad Baptismum Trident. Concil. concessit unum, & unam, sed nihil dixit de Confirmatione, & hæc est verior sententia. Coton. *ubi supra num.* 43. & Jordan. qui latè disputat hoc punctum, & sic concludit *num.* 74. notans, sic esse in usu, & sic esse servandum.

31. *Quær.* Quænam debeant esse qualitates Patrinorum? *Resp.* Ut sint baptizati, censuris non irretiti, confirmati, usum rationis habentes, non Regulares, neque Clerici, nisi de licentia Episcopi, & quòd fœminæ non suscipiant masculos, neque masculi fœminas; & demum, ut sciant, se obligatos esse, eosdem confirmatos instruere in fide, & doctrina Christiana, prout monet Pontificale Romanum, & notat Coton. *ubi supra num.* 44. & Jordan. *à num.* 67. *& seqq. usque in finem*; ubi ponit pulcherrimum edictum publicandum ab Episcopo, antequam accedat ad generalem administrationem hujus Sacramenti.

32. *Quær.* An Patrinus non confirmatus tenens ad Chrisma contrahat spiritualem cognationem? *Resp.* Non contrahere, ut præter DD. tenuit *S. Congr. die* 13. *Junii* 1654. quam, & quos allegat Pignatell. *tom.* 1. *Consult.* 10. Qui alia curiosa quæsita desiderat, legat meas Decisiones *de Baptismo, & Confirmatione* Anni 1688. *mensib. Novembr. ac Decembr.* ubi egi de hoc Sacramento.

CAPUT CXVII.

De Sacramento Eucharistiæ.

1. *Quær.* Quid sit Eucharistia? *Resp.* Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus panis, & vini, post Consecrationem factam à Sacerdote, sub certis verbis cum debita intentione prolatis, ex institutione divina, veraciter significans, Corpus Christi, & Sanguinem sub eis realiter contineri, ad spiritualem animæ refectionem. Scot. *in* 4. *dist.* 8. *q.* 1. Coton. *lib.* 2. *Controv.* 4. *cap.* 1. *num.* 1.

2. *Quær.* An, ubi plures consecrantur Hostiæ, unum sit Sacramentum, vel plura Sacramenta? *Quær.* Quòd respectu rei, id est, Christi in hostiis contenti, est Sacramentum unum numero in omnibus hostiis. Respectu verò actionis, qua ipsum Sacramentum producitur, nempè per modum spiritualis convivii, multiplicatur numero, prout ad varias ordinatur sumptiones. Suarez *de Euch. disp.* 39. *sect.* 4. & ideò hoc Sacramentum non est transiens, sicut cætera Sacramenta; sed permanens, nam verè, & propriè non consistit in consecratione, vel communione, ut falsò docuit Gabriel *in* 4. *dist.* 8. *q.* 1. *art.* 2. *dub.* 2. Sed consistit in ipso Corpore, & Sanguine Christi realiter existentis sub speciebus consecratis. Coton. *ibid.* & Scotus *ubi supra.*

3. *Quær.* Quæ sit materia Eucharistiæ? *Resp.* Materia Eucharistiæ est duplex; una remota, & hæc est panis, & vinum usuale, illud ex tritico, istud ex vite. Proxima materia sunt species Sacramentales, prout continent Corpus Christi. Coton. *dict. cap.* 1. *num.* 3.

4. *Quær.* An panis confectus ex aqua Rosacea sit materia apta pro hoc Sacramento? *Resp.* Altercari inter se Doctores, sed prævalere opinionem negativam, quam tenet S. Thom. 3. *p. q.* 74. *art.* 7. & Scot. *in* 4. *dist.* 11. *q.* 6. eò quia aqua debet esse elementaris, ad hoc ut panis sit usualis; & sic etiam tenet contra Cajetan, Cotonius *ubi supra num.* 4. *&* 5. addens, quòd si panis subigatur aqua maris, erit usualis, quamvis alii contrarium dixerint, ut videre est apud Dianam *part.* 9. *tract.* 9. *resol.* 58.

5. *Quær.* An hostiæ rubræ, ob admixtum cinabrium, quibus litteras signamus, possint consecrari? *Resp.* Licitè consecrari non posse, an autem validè? est hinc inde opinio; quia non videntur esse panis usualis. Dian. *part.* 7. *tract.* 12. *sess.* 8. & Cotonius *ubi supra num.* 6.

6. *Quær.* An panis massa cruda possit consecrari; vel panis elixus, vulgò *Pane cotto*, & *Panata*? aut etiam Pastilli farinacei, vulgò *Vermicelli, & Macheroni*, ubi fuerint concocti? *Resp.* Negativè, quia neuter horum est panis usualis, sed aliæ species ad nutritionem inventæ. Dian. *part.* 9. *tract.* 9. *resol.* 58. Coton. *num.* 7. *&* 8. *ubi supra.*

7. *Quær.* An sit materia sufficiens Panis ex Amydo? *Resp.* Quòd *Scotus d. dist.* 11. *qu.* 6. *lit. A.* tenet, quòd non. Sed Henriquez *lib.* 5. *cap.*

cap. 9. dicit, quòd sic. Placet opinio modernorum distinguentium, aut Amydum tale factum est per omnimodam tritici putrefactionem? & panis ex eo non erit sufficiens materia ad consecrandum. Aut tantummodo inchoatum est putrefieri, & erit apta materia; tunc enim non censetur perdidisse naturam, & qualitates farinæ triticeæ. Diana *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 38. Coton. *ubi antea num.* 9. & 10.

8. *Quær.* An multum referat, utrùm Panis sit Azymus, vel fermentatus? *Resp.* Multum referre, quia licèt uterque sit materia apta ad consecrandum, ut definitum est in Concilio Florentino: & docet Cathechism. Rom. *sess.* 14. *de Sacram. Euchar.* tamen Græci tantummodò uti possunt pane fermentato, & Latini solo azymo sub pœna mortalis peccati ex Bulla S. Pii V. Incipit: *Providentia Romani Pontificis, est la XII.* etiamsi Græcus celebraret in Ecclesia Latina, vel Latinus in Ecclesia Græca; nam obligatio hæc non localis, sed personalis nationum est. S. Thom. 3. *par. qu.* 74. *art.* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 99. & *part.* 10. *tract.* 16. *res.* 39. Coton. *ubi supra num.* 13. & 14. ubi notat, id esse omninò servandum, quamvis aliàs populus deberet diu Sacrificio privari, vel infirmus decedere sine Viatico; quia utilitas privata non debet pervertere Constitutiones Ecclesiasticas circa ritus erga hoc maximum Sacramentum, & ejus reverentiam. Videantur Decisiones meæ de Venerabili Eucharistiæ Sacramento *Decis. XI.* ubi latè egi de hac quæstione Panis Azymi, & fermentati.

9. *Quær.* An vinum recens, seu mustum, mox ex botris extractum, sit materia apta consecrationis? *Resp.* Affirmativè, quia est essentialiter Vinum, imò usualiter, prout eo utitur quidam Herus meus Abbas, & Canonicus, nunc Episcopus, & Cardinalis, per magnam partem anni; & habetur textus apertus *in cap. Cum omne crimen. de Consecr. dist.* 2. in quo tale mustum permittitur in necessitate, puta si defæcatum vinum deesset, vel communicandus esset moribundus, vel celebrandum in die festo, quo casu deberet esse percolatum, & à fæcibus crassioribus diligenter expurgatum. An autem peccaret mortaliter, vel venialiter tantùm, qui absque necessitate cum dicto musto celebraret? & hinc inde DD. opinio, ut videre est apud Dianam *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 37. Coton. *ubi proximè num.* 15. 16. & 17. ubi ex Diana subdit, quòd succus ex botris acerbis non est sufficiens; at erit sufficiens ex semiacerbis, quia sic multa vina confici solent.

10. *Quær.* An sit consecrabile vinum extractum ex Uvis passis? *Resp.* Esse materiam dubiam apud Doctores: nam asserit Diana *part.* 7. *tract.* 12. *res.* 8. sed dubitat ipsemet cum aliis *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 37. Ideò advertendum est, an retineat succus ille qualitatem, & naturam vini usualis; nam eo casu erit consecrabilis, & eo uti Patres Missionarios in Æthyopia, & in Insulis Philippinis tradit Cardinalis de Lugo, relatus à Cotonio *ubi supra num.* 19. & 20.

11. *Quær.* An consecrari possit succus non expressus ex botro, & sic dum adhuc continetur in botris? *Resp.* Negativè; quia in eo statu non est vinum potabile, neque potus, sed cibus. S. Thom. & Scotus, quos allegat, & sequitur Coton. *ubi supra num.* 21. Quartus *in Rubr. Miss. p.* 3. *tit.* 4. *dub.* 6.

12. *Quær.* An sit materia sufficiens vinum congelatum, vel vinum imbibitum in offa panis? *Resp.* Quòd plurimi Theologi negant, quia illud vinum non est potabile, neque potest designari per pronomen *Hic:* sed non pauci affirmant, quia licèt actu non sit potabile, de facili fieri potabile potest, per solutionem gelu, aut compressionem offæ. Qui tamen sic consecraret, culpa gravi adstringeretur, nam materia non est certa. Coton. pro utraque opinione DD. citans *d. lib.* 2. *Contr.* 4. *cap.* 1. *num.* 22. & 23. Quartus *d. part.* 3. *tit.* 4. *dub.* 8. ubi resolvit hinc indè argumenta; & ad illud, quòd sicut aqua congelata non est materia apta baptismi, sic nec vinum congelatum pro Eucharistia (dicit) non valere consequentiam, quia materia baptismi est ipsa actualis ablutio, cui non est apta aqua congelata; & Eucharistiæ non est ipsa actualis potatio, sed vinum per se potabile. ex quo Sanguis conficitur.

13. *Quær.* An liceat vinum consecrandum, vel frigefacere in æstate admota nive, vel tepefacere hyeme ad ignem? *Resp.* Affirmativè (nisi fiat ex mala intentione) puta ad inducendum novum ritum, tunc enim esset mortale; quòd si ex delectatione gustus, esset veniale; si autem vel ne congeletur, vel ne evanescat, nulla erit culpa. Tamburin. *in Opusc. de Sacrific. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 2. Quartus *ubi supra dub.* 8. *in fin.*

14. *Quær.* An sufficiens materia sit quodcunque Vinum, licèt ebullitum sit mustum cum multa aqua, prout mos est apud bonos œconomos, & patresfamilias in domibus laicalibus nostræ regionis? *Resp.* Cum distinctione. Si parùm aquæ multo musto infundatur, erit materia sufficiens; si verò infundatur aqua in quantitate notabili, ita, ut vinum sit tenue? & tunc non erit sufficiens, vel saltem non licita materia, quia esset dubia, & sic esset mortale, consecrare in illa. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 12. Quartus *ubi supra dub.* 3. & *dub.* 4. ubi expresè docet, neque licitè neque validè posse loram consecrari, quæ vulgò appellatur *Graspia*, & à Romanis *Acquarello.*

15. *Quær.* An possit consecrari Mulsum, id est, vinum conditum melle, vel saccharo, vel butyro, vel aliis aromatibus, aut succis immixtum? *Resp.* Mulsum præfatum esse semper materiam illicitam, quia commixtio aliorum succorum eam reddit dubiam, quamvis sola infusione fiat. Quod si fieret per decoctionem, esset materia invalida, nam mutat naturam vini usualis. Suarez *disp.* 45. *sect.* 1. §. *tertio sequitur*, & Quartus *ubi supra dub.* 5.

16. *Quær.* An consecratio fieri possit in aquavitæ, id est, in vino igne distillato? *Resp.* Negativè; licèt enim aquavitæ sit flos vini, & perfectiori modo contineat substantiam vini, tamen non habet ampliùs formam vini, quæ transmutata est in illud mixtum nobilius, ut contingit in mineralibus, & aliis per Alchi-

miam confectis ; & certum est, Aquam vitæ non esse vinum usuale, quo ad bibendum utamur; sed potius est medicamen pro stomachi frigiditate. Ita Quartus *in dict. par.* 3. *Rubric. Missal. tit.* 4. *dub.* 9. ubi ait, non reperisse alios Doctores hunc casum tractantes.

17. *Quær.* An vinum miraculosum immediatè à Deo productum, puta illud in Nuptiis Canæ Galilææ; vel in doliis Sanctorum ex miraculo multiplicatum, sit apta materia consecrationis ? *Resp.* Quòd licèt negativam sententiam teneat Card. de Lugo *De Eucharist. disp.* 4. *sect.* 4. *num.* 53. ob eam rationem, quòd vinum consecrandum debet esse vinum de vite; nihilominùs affirmativa sententia majori numero Doctorum fulcitur, quia tale vinum licèt ex miraculo productum, est unius, & ejusdem speciei cum vino de vite, & eas dem habet proprietates. Gavant. *ad Rubric. Missal. de Defectib. tit.* 4. *num.* 1. Quartus *ubi supra dub.* 11. Ego ipse *de Eucharist. Decis.* 12. *num.* 10.

18. *Quær.* An liceat consecrare cum vino acido, vel acri ? *Resp.* Non licere, ubi necessitas non urgeat, & aliud vinum non acidum possit haberi. Quòd si vinum esset factum acetum, non solùm non liceret, sed neque valida foret consecratio. Quartus *ibid. dub.* 11.

19. *Quær.* An sit necessarium, quod vino consecrando admisceatur aqua ? *Resp.* Affirmativè; non quidem necessitate Sacramenti, sed necessitate præcepti; non divini, sed humani. S. Thom. 3. *part. qu.* 74. *art.* 6. & 8. Bellarm. *De Eucharist. lib.* 4. *cap.* 10. Coton. *d. lib.* 2. *contr.* 4. *cap.* 1. *num.* 24. & 25. ubi notat, quòd aquæ omissio esset peccatum mortale; prout etiamsi non esset elementaris aqua, sed vel rosacea, vel ex floribus aliis, quia hæc non converteretur in Sanguinem, sicut elementaris, juxta commune Theologorum placitum. Idem Cotonius *num.* 26.

20. *Quær.* Quanta aqua sit in Calice infundenda ? *Resp.* Plura à Doctoribus dici; sed illud magis receptum, quòd potest admisceri tanta aqua, quanta est decima, vel octava pars vini. Layman. *lib.* 5. *tract.* 3. *cap.* 2.

21. *Quær.* Utrùm panis, & vinum consecrari possit in qualibet magna quantitate? *Resp.* Cum distinctione. Aut agimus de valida consecratione, aut etiam de licita. De prima respondetur affirmativè, quia Sacerdotibus indefinitè tradita est potestas consecrandi; & ideò, ubi datur moralis, & sufficiens præsentia panis, & vini, valida est consecratio in quavis magna quantitate. S. Thom. 3. *part. quæst.* 74. *art.* 2. Quartus *ubi supra part.* 3. *tit.* 2. *sect.* 1. *dub.* 3. De licita verò consecratione respondetur negativè, quia peccaret Sacerdos, qui consecraret tantam materiam, quæ non posset vel decenter asservari, vel fidelibus convenienter distribui. Bonacin. *De Eucharist. disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 5. Quartus *ubi proximè dict. dub.* 3.

22. *Quær.* E contra, An panis, & Vinum valeat consecrari in quavis parva quantitate? *Resp.* Circa validitatem posse consecrari quamcunque minimam particulam panis, & guttulam vini, dummodo sensibilis sit. S. Thom. *d. qu.* 74. *art.* 2. Quomodò autem intelligatur *ly sensibilis*, disputant subtiliter Doctores, & illud ex eorum dictis colligitur, tunc esse materiam, seu fragmentum sensibile, quod potest oculis percipi, & videri vel ab ipso Sacerdote, vel ab alio ibi præsente. Quartus *ubi antea dub.* 4. Circa verò convenientiam, ut consecratio sit licita, & evitetur peccatum, debet servari illa quantitas panis, & vini, de qua est consuetudo in Ecclesia, nempè ut pro Missa hostia major consecretur, pro laicis verò hostiæ minores. Quartus *ubi supra d. dub.* 4. ubi in fine notat, quòd esset sacrilegium consecrare minutum fragmentum pro Missa celebranda, eò quia non esset aptum ad elevationem faciendam, & ad dividendum super Calice, aliasque cæremonias explendas.

23. *Quær.* An possit in Missa consecrari vel solus panis, vel solum vinum ? *Resp.* Negativè quoad essentiam Sacrificii; Affirmativè verò quoad validitatem Sacramenti. S. Thom. 3. *par. qu.* 77. *art.* 6. ubi confutat contrarium sentientes. Quartus *dict. part.* 3. *tit.* 2. *sect.* 1. *dub.* 2. ubi argumenta allegat, & solvit.

24. *Quær.* An Summus Pontifex dispensare possit, ut in una tantùm specie Missa celebretur ? *Resp.* Quòd licèt affirmativam sententiam tenuerint D. Antonin. Adrian. & alii, quos citat Dian. *par.* 8. *tract.* 1. *res.* 23. & plures scripserint, sic alias à Papa fuisse concessum Norvegis, & Danis, ob vini deficientiam in illis regionibus frigidissimis. Vasq. *in* 3. *par. disp.* 223. *cap.* 1. Nihilominùs negativè est respondendum, quia consecratio in Missa sub utraque specie est ex præcepto Divino, contra quod Papa non dispensat; & assertio circa Norvegos, & Danos non est vera; sed ex Apocryphis scriptis desumpta. Ita Quartus *in Appendice de Sacrificio qu.* 1. *punct.* 5. & Coton. diffusè *d. lib.* 2. *Controv.* 4. *cap.* 1. *à num.* 33. & *seqq.* Et ego diffusissimè *de Sacrificio Missæ Decis.* 32. ubi de hac quæstione disputavi.

25. *Quær.* An materia consecranda debeat esse necessariò in præsentia Sacerdotis, & quomodò hæc præsentia constituatur ? *Resp.* Necessariò materiam debere esse præsentem, & quidem in corporali, & super aram, imò hostiam in manu Sacerdotis esse retinendam, ut ritè consecretur. Quò verò ad validitatem consecrationis ut verè sit præsens, debet esse propinqua Sacerdoti, quia si nimis distet, non potest designari per pronomen *Hoc*, sed potiùs per *Illud*. Quanta verò debeat esse propinquitas ? *Alii* dicunt, tanta, ut manibus extensis à Sacerdote tangi possit; *Alii* ut halitus Sacerdotis super ea possit pervenire; *Alii*, quòd existat intra decem passus. Sed nulla harum determinationum irreprehensibilis est. Quare dicendum, quod id pendet ex circumstantiis locorum, & personarum, & soli Deo esse notum. Quartus *d. part.* 3. *tit.* 2. *sect.* 2. *dub.* 2. ubi monet, ad tollendam omnem dubitationem, materiam esse retinendam super corporale, ut ritè, & rectè consecretur. Coton. *ubi supra cap.* 2. *num.* 41. & 42.

26. *Quær.* Utrùm validè possit consecrari materia existens à tergo, seu retro ? *Resp.* Negativè, quia propriè, & rigoroè non potest designari per articulum *Hoc*; nisi fortè Sacerdos eam manu teneret, vel digito, aut alio indicio eam demonstraret: Quartus pluribus

DD. citatis ubi proximè *dub.* 3. notans, id nunquam licere, tum ratione dubiæ consecrationis, tum respectu prohibitionis Rubricarum, quod sentit etiam Coton. & ab eo DD. allegati *ubi supra num.* 43.

27. *Quær.* An possit consecrari hostia clausa in Tabernaculo, seu Arca Altaris; si Sacerdos ibi celebrans, ad eam dirigat intentionem? *Resp.* Negativè, quia dicta hostia non potest designari per pronomen *Hoc*, & est tanquam extra parietem posita, & deest præsentia moralis. DD. citati à Quarto *ubi supra dub.* 5. ubi in fine notat, ratione dubii illam hostiam fore sumendam statim post sumptionem Sanguinis, & mortaliter peccare, qui sic consecraret. Coton. *num.* 44. & 45. Qui dubiam facit pariter hanc resolutionem.

28. *Quær.* An validè, & licitè consecrentur hostiæ clausæ in Pyxide super corporale posita? *Resp.* Affirmativè, quia moraliter sunt præsentes, & designantur per pronomen *Hoc*, & non est necesse, ut oculo Sacerdotis inspiciantur; sicuti non omnes hostiæ inspici possunt, quamvis sint positæ super corporale pro consecratione, nam aliæ ab aliis teguntur. DD. quos allegat, & sequitur Quart. *ibid. dub.* 6. ubi advertit, debere tamen Sacerdotem aperire Pyxidem ante consecrationem, quamvis non sub culpa saltem mortali; & ita observant in praxi Mystæ doctiores.

29. *Quær.* An hostiæ latentes sub mappa Altaris, vel sub corporale, validè consecrentur: *Resp.* Esse hinc indè opiniones, & distinctiones Doctorum; quare resolutio remanet dubia, & nihil certum statui potest. Quart, *ibid. dub.* 7.

30. *Quær.* Si Sacerdos habeat in manibus duas hostias, quas consecret, putans esse unam, quænam censeatur consecrata? *Resp.* Quòd utraque erit consecrata, quia intentio censetur directa in omnem materiam existentem in manibus, & sic in utramque hostiam. Coton. *ubi ante num.* 48. Porrò, si restringeret intentionem ad consecrandam solam hostiam, quam oculis videt, illa, quam non videt, non esset consecrata. Quart. *part.* 3. *tit.* 7. *dub.* 7. Casus iste semel mihi accidit: sic enim erant unitæ simul duæ hostiæ, ut pro una eas consecraverim. In fractione earum errorem detexi. Eam, quæ subtus erat, post sumptionem Sanguinis, statim sumpsi.

31. *Quær.* An Sacerdos possit consecrare particulam cadentem in Pyxidem, ubi plures aliæ sunt consecratæ, adeò ut illam ampliùs non secernat à consecratis? *Resp.* Esse varias DD. opiniones, nam alii dicunt, posse consecrari, intelligendo, consecrare quiquid in Pyxide consecratum non est. Alii, non posse dictam particulam ampliùs consecrari, quia ipsa non potest demonstrari per articulum *Hoc*; ideòque dispensandas esse communicantibus binas, & binas particulas. Utramque opinionem licitam ex Diana, & aliis censet Coton. *ubi supra num.* 50. & 51. & Quart. *d. tit.* 7. *dub.* 6.

32. *Quær.* An guttæ Vini, quæ sunt in calice, separatæ ab eo, quod est in fundo, remaneant consecratæ? *Resp.* Negativè, quia per Verbum *Hic* intelligitur liquor contentus in calice per modum unius continui. Layman. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 14. Nisi Sacerdos dirigeret intentionem etiam ad illas guttas, tunc enim certè eas consecraret. Quart. *d. tit.* 7. *dub.* 9. & Cotonius *ubi supra num.* 52.

33. *Quær.* Qui sint effectus Eucharistiæ? *Resp.* Esse plures, sed præcipuè quatuor. Primus est Gratia sanctificans, per quam acquirimus Jus ad gloriam. Secundus est remissio peccatorum venialium. Tertius est præservatio à mortalibus. Quartus est Spiritualis quædam dulcedo, juxta illud: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Card. de Lugo *De Eucharist. disp.* 12. *sect.* 4. & Cotonius *ubi ante num.* 53.

34. *Quær.* An Eucharistia remittat peccatum mortale, & conferat primam gratiam? *Resp.* Negativè de per se, & ex sua Institutione; quia de ratione cibi est, non dare vitam, sed eam conservare, & augere. Suarez *disp.* 63. *sect.* 1. At per accidens plurimi Doctores affirmant in duobus casibus. *Unus.* si quis post diligens examen non recordetur mortalis culpæ, & communicet, quamvis sola attritione. *Alter*, si recordetur, sed non habens Confessarium, & urgeat necessitas, communicet cum sola attritione, credens eam sufficere. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 98. Porrò ab hac opinione recedit Coton. *ubi supra num.* 14. qui *num.* 55. docet, si quis communicet in mortali, nesciens mortalem culpam habere, neque gratiam in eo minui, neque augeri, sed ob ignorantiam culpæ non cognitæ excusari. Vide *meas Dec. de Eucharist. Decis.* 46. ubi latè de hoc Quæsito.

35. *Quær.* An Eucharistia conferat gratiam tollenti obicem peccati post Communionem, nondum consumptis speciebus? *Resp.* Plures Theologos affirmare, sed plures etiam negare, & utramque opinionem habere fortes rationes, quas refert Diana *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 48. & Coton. *ubi supra num.* 56. & 57.

36. *Quær.* An conferat majorem gratiam Eucharistia sumpta sub utraque specie, quam sub una? *Resp.* Majorem partem Theologorum negare, quia utraque species continet totum Christum. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 97. & *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 29. Sed nonnullos affirmare, quia utraque species ratione sui gratiam significat, & confert, una scilicet, ut reficiens; altera, ut refrigerans; & ideò utraque opinio reputatur probabilis à Diana *ibid.* & à Coton. *num.* 58.

37. *Quær.* Quandonam hoc Sacramentum conferat gratiam? *Resp.* Alios Theologos sentire, quòd in sumptione, & dum est in ore, alios in manducatione; dum Sacramentum deglutitur, & transit per guttur; alii, dum Sacramentum recipitur in stomacho; & hæc videtur tutior opinio. Coton. *ibid. num.* 59. Vide meas decisiones *de Eucharist. decis.* 56. in qua hæc Quæstio examinatur.

38. *Quær.* An conferat gratiam toto tempore, quo est in stomacho? *Resp.* Non esse uniformem sententiam Doctorum, quorum alii negant, & alii affirmant, si, & quate

nus

nus extet dispositio in Communicante, & crescat affectus in Deum, & charitatis actus multiplicentur; & hanc affirmativam opinionem reputat probabiliorem Diana *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 47. quem citat, & sequitur Coton. *ubi supra num.* 61. & ideò, qui grossiori hostia celebrat, vel sumit plures particulas, potest multiplicando actus charitatis in Deum majorem gratiam recipere, usquequò species consecratæ in stomacho retinentur. Quo loci notabo, in Vita S. Philippi Nerii *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 13. scriptum esse, Sanctum illum consuevisse pro celebratione hostias quærere grossiores; ut diutius frueretur existentia Christi in illis.

39. *Quær.* An consulenda sit quotidiana Communio etiam laicis, qui à mortalibus culpis abstinent? *Resp.* Plura super hoc scripta esse à Theologis, & à Patribus, quorum magis pia sententia est affirmativa, quia panis quotidianus est Eucharistia, quam olim fideles quotidie sumebant; & sic in praxi observatur à pluribus Confessariis eximiæ bonitatis, & prudentiæ. Et certè præter alias rationes pro affirmativa adductas à Coton. *ubi supra à num.* 62. *& seqq.* illa fortissima est, quòd nunquam Ecclesia Catholica in tot, & tantis Conciliis prohibuit quotidianam Communionem, imò acriter reprehendit aliquos Episcopos, qui in suis Synodis decreverant, Communionem Sacram non quotidie laicis esse dandam. Coton. *ubi supra num* 66. & latissimè probavi *Decis. X. de Eucharist.* Est tamen servandum Decretum Sacræ Congregationis circa Communionem quotidianam *die* 12. *Februarii* 1679. in quo monita necessaria, ac utilia dantur circa communicandos laicos quotidiè, quod est impressum in multis libris, & speciatim in meis Decisionibus *de Eucharistia Decis.* 10. *num.* 11.

40. *Quær.* Quomodo debeat esse dispositus, qui ad Sacram Communionem accedit? *Resp.* Debet habere omnia contenta in his duobus carminibus:

Lotus, discretus, sanus, jejunus, & aptus,
Contritus, fassus, mundus, rectèque paratus.

Quæ verba significant, quòd Communicandus sit *lotus*, id est baptizatus; *discretus*, id est, habeat usum rationis; *sanus*, ut non patiatur vomitum; *jejunus*, quòd nihil cœperit ore à media nocte antè; *aptus*, ut non sit ligatus aliqua censura; *contritus. & fassus*; id est, Confessionem Sacramentalem præmiserit, vel saltem in necessitate contritionis actum fecerit; *mundus*, quòd à carnali copula abstinuerit; & sit *rectè paratus*, id est, habeat devotionem. Coton. *ubi supra lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 68.

41. *Quær.* An jejunium in Communicante sit ex Præcepto Divino, vel Ecclesiastico? *Resp.* Esse ex Præcepto Ecclesiastico, sed eo antiquissimo, & usque à temporibus Apostolorum observato. Diana *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 89. Coton. *ubi supra num.* 72. *&* 73. ubi notat, Papam posse in hoc dispensare; sed rarò, & cum gravi causa; & subjungit, Primicerium Sancti Marci Venetiarum, qui in nocte Natalis Domini ex consuetudine celebrat hora secunda noctis, solitum esse servare jejunium à media nocte ante Vigiliam; prout etiam Cardinalis, qui ex nocte celebrat in Sacello Papæ ante mediam noctem; quamvis plures DD. videantur docere, quòd Primicerius, & Cardinalis prædicti possent in die Vigiliæ comedere, quia illa Missa est Missa Natalis Domini, sed anticipatè ex privilegio, vel consuetudine celebrato; hoc tamen in usu non servatur, & non bene sonaret.

42. *Quær.* Quale jejunium requiratur, in sumente Eucharistiam; an scilicet Ecclesiasticum tantùm, quod admittit potum, & medicinam; vel naturale, quod excludit quamcunque rem, etiam modicissimam? *Resp.* Requiri jejunium naturale, quia nihil penitùs manducasse debet communicandus; & ideò refellendus est Pasqualigus *Decis.* 335. qui docuit, dari in hoc paucitatem materiæ, quod est contra universalem sententiam DD. Diana *part.* 6. *tract.* 8. *resol.* 8. Coton. *ubi proximè num* 74. Ego ipse *de Eucharistia Decis.* 54.

43. *Quær.* An jejunium naturale violetur per intromissionem cujuscunque rei per guttur in stomachum, etiam non ratione cibi; puta per os cerasæ, per pulverem, pillulam ceræ, sanguinem, & similia? *Resp.* Sententias plures, easque variis conditionibus compositas reperiri Doctorum, qui in se nimis discordes sunt; ut videre est apud Coton. *ubi supra à num.* 76. *&* *seqq.* Illud est magis certum, scilicet jejunium naturale frangi, si quod trajicitur in stomachum, sit alterabile à stomacho humano; idque prudentis viri arbitrio posse decerni; prout è contra jejunium non frangi, si quæ deglutita sunt, integra excernuntur. Tambur. *in opusc. de Commun. cap.* 2. §. 6. Coton. *ibid. num.* 78.

44. *Quær.* An frangant jejunium, qui tabachum sumunt vel in pulvere, vel in fumo, vel in herba; & ex eo aliquid in stomachum trajiciunt? *Resp.* Magis communem opinionem esse, non frangere, quia per modum cibi deglutiri non potest, sed per respirationem, & herbæ tabachi masticatio excitat humores ad exspuendum tum è stomacho, tum è capite. Diana *par.* 10. *tract.* 16. *num.* 23. Coton. *ubi supra num.* 81. 82. ubi notat, ob indecentiam, & spurcitiam indecens esse tabachum sumi à communicaturis, & à pluribus Episcopis zelantibus, id esse prohibitum: quod apud nos non attenditur, & plures Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares immundi nimis sunt, & malè olent ob hanc tabachi abusivam sumptionem; quam nos redarguimus, & reprobavimus *de Euchar. decis.* 54. quam, utinam Tabachistæ dignarentur legere, considerare, & non parvipendere ad servandam decentiam sui status Sacerdotalis, quem decet esse purissimum ab omni sorde etiam externa.

45. *Quær.* Quando incipiat obligatio jejunii pro Communione servanda? *Resp.* In media nocte antecedenti juxta morem Ecclesiæ Romanæ, quod in Europa servatur. S. Thom. 3. *part. qu.* 80. *art.* 5. Coton. *ubi supra num.* 83.

46. *Quær.* An sit necessarium, ut qui est communicaturus, debeat dormire, postquam cœnaverit ante mediam noctem? *Resp.* Nega-

gativè, quia sufficit, quòd Sacra Synaxis sit primus cibus illius diei. Dian. *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 44. quamvis contrarium sentiat Glossa *in cap. Si constiterit, de Accusat.* quæ minimè est attendenda. Coton. *ubi supra num.* 83.

47. *Quær.* An computanda sit media nox in principio pulsationis horologii, vel durante pulsatione horæ mediæ noctis possit quis cibum, vel potum sumere? *Resp.* Incertas esse Doctorum opiniones; quarum summa est, non dari in hac re parvitatem materiæ, & tempus non esse sumendum moraliter, sed physicè; ideò, quando horologium reputetur justum, & incipiat sonare in puncto mediæ noctis, erit statim à cibo, & potu abstinendum. Coton. pluribus citatis, *ubi antea num.* 85. 86. 87. *& seqq.*

48. *Quær.* An in dubio, quando quis hæsitat, utrùm comederit ante, vel post mediam noctem, possit manè sequenti communicare? *Resp.* Doctores in duas opiniones esse divisos; cum asserentibus tenet Diana *part.* 10. *tract.* 12. *resol.* 17. cum negantibus stat Cardinalis de Lugo *de Euchar. disp.* 15. *num.* 42. cui adhæret Coton. *ubi supra num.* 90. dicens, possessionem stare pro Præcepto, & pro isto in dubio esse tenendum.

49. *Quær.* Quibus in casibus cessèt obligatio jejunii ante communionem? *Resp.* In tribus casibus. Primò, si esset periculum irreverentiæ inferendæ sacræ Synaxi vel ab Hæreticis, vel Infidelibus, aut incendio, vel inundatione. Secundò in infirmitate periculosa ad implendum Præceptum Divinum Communionis, per Viaticum. Tertiò, ut detur integritas sacrificii. Coton. *ubi supra num.* 92. Vide, quæ scripsi *de Eucharistia decis.* 3.

50. *Quær.* In casu impediendæ irreverentiæ, si adsit Laicus jejunus, & Sacerdos non jejunus, quis eorum debeat Sacram Eucharistiam sumere? *Resp.* Quòd Laicus jejunus, ita tamen, quòd per manum Sacerdotis illa ministretur. Coton. *ibid. num.* 93.

51. *Quær.* An sit danda Communio morituro non jejuno, qui manè receperat sacram Synaxin? *Resp* Negativè secundùm Coton. *Controv.* 16. *lib.* 1. *& d. lib.* 2. *Controv.* 4. *c.* 4. *num.* 94. Affirmativè secundùm DD. per me allegatos *de Eucharistia decis.* 23. quam studiosus legere non omittat.

52. *Quær.* An possit infirmus in eadem infirmitate, durante periculo, pluries communicare post cibum? *Resp.* Affirmativè, quamvis aliqui contrarium dixerint; nam Communio datur infirmis non solùm ad Præceptum Divinum adimplendum; sed etiam ad augendam gratiam, & roborandas vires contra tentationes. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 75. *& part.* 5. *tract.* 3. *resolut.* 37. Ego ipse *de Eucharistia decis.* 19. in qua latè differui de hoc quæsito.

53. *Quær.* Post quantum temporis possit concedi secunda Communio infirmo non jejuno, qui jam eam non jejunus receperat, durante eadem infirmitate? *Resp.* Doctores plura dicere in hoc. Alii, quòd expectandi sint 30. dies, alii decem, alii octo, alii sex, alii die sequenti. Sed cùm Rituale Romanum dicat, si æger sumpto Viatico dies aliquot vixerit, & iterùm communicare velit, Parochus eum debeat communicare; per ly *dies aliquot* erunt intelligendi saltem dies tres. Diana *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 17. Coton. *ubi supra num.* 99. Vide *d. meam Decis.* 19. *de Eucharistia*, & DD. ibi allegatos.

54. *Quær.* An dari possit Viaticum post cibum ei, qui moriturus est illa die ex morte violenta? *Resp.* Esse hinc indè opiniones Doctorum, & affirmativam videri magis piam, quamvis negativa videatur in praxi prævalere, maximè quia morituris ex morte violenta non solet dari Communio ea die mortis, sed pridie. Dian. *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 59. Cæterùm Romæ eadem die communicari morituros prædictos, nisi pridie communicari potuerint, testatur Corset. *Singular.* 68. Imò etiam si pridie communicassent. Coton. *ubi supra num.* 100.

55. *Quær.* An Sacerdos non jejunus possit celebrare ad dandam Communionem morituro? *Resp.* Negativam opinionem esse magis communem, ut refert Diana *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 78. Sed contrarium tenent pii, & graves auctores, quia lex charitatis divina debet prævalere præcepto Ecclesiastico de jejunio. Coton. *pluribus citatis ubi ante num.* 101. ubi id tanto magis concedit, si Sacerdos fregisset jejunium ex sola purificatione sumpta in Missa præcedenti. Ego negativam amplexus sum *de Eucharistia decis.* 3.

56. *Quær.* An in antedicto casu liceret Sacerdoti consecrare absque celebratione; vel celebrare sine sacris vestibus? *Resp.* Negativè contra Major. *in* 4. *dist.* 9. *qu.* 3. *ad* 5. quia nimia esset irreverentia. Coton. *d. num.* 101.

57. *Quær.* An Sacerdos posset celebrare non jejunus, si ei fieret præceptum à potentibus sub pœna mortis, casu quo nollet celebrare? *Resp.* Quòd posset, dummodo non impelleretur in contemptum fidei, sed ut audirent Sacrum. Coton. *ubi antea num.* 102.

58. *Quær.* An celebrans, si post consecrationem recordetur, se non esse jejunum, debeat continuare Missam, & communicare? *Resp.* Affirmativè, quia debet perficere Sacrificium; & idem dicendum foret, si sumpto Sanguine, reperiret esse aquam, nam iterum deberet consecrare, nisi timeret scandalum, & sic facere posset Laicus, qui innititur scammo Communionis, expectans Communionem. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 104. Coton. *ubi supra num.* 103. quod tamen mihi non placet de Laico.

59. *Quær.* An Sacerdos post ablutionem possit sumere fragmenta Sacri Convivii non solùm statim, sed etiam, cùm reversus est in Sacristiam? *Resp.* Magis communem esse opinionem affirmativam, tum quia censentur spectare ad idem Convivium, tum etiam quia non possent servari, nisi cum aliqua irreverentia, & si reportarentur in Pyxidem, fieret tumultus. Diana *part.* 10. *tract.* 13. *resol.* 53. *&* 54. Coton. *d. loco num.* 104.

60. *Quær.* An confiteri peccata, antequam recipiatur Eucharistia, sit Præceptum divinum, vel Ecclesiasticum tantùm? *Resp.* Esse præceptum divinum secundùm graviorum Patrum sententiam. Cardin. de Lugo *de Sacram. Eucharistia*

stiæ disp. 14. sect. 4. à num. 69. Diana *par. 11. tract. 8. resol. 40.* Et Coton. *ibid. num. 108. & 109.* ubi adhæret etiam dicentibus, contrariam opinionem non esse probabilem.

61. *Quær.* Si quis confessus fuerit, & antequam Eucharistiam sumat, recordetur peccati mortalis obliti, an iterum debeat confiteri, antequam communicet? *Resp.* Affirmativè, si habeat copiam confessarii. Coton. *ubi supra num. 111.* ubi ait, sentientes contrarium fuisse in Hispania à Sacra Inquisitione reprobatos.

62. *Quær.* An dentur casus, in quibus liceat, post mortale commissum, Sacerdoti celebrare, vel Laico communicare, absque prævia confessione, & cum sola contritione? *Resp.* Plures posse dari casus, si duo copulativè interveniant, nempè defectus confessarii, & necessitas celebrandi, seu communicandi. Dicitur autem deesse confessarius non solùm, si absit, sed si haberi non possit, nisi cum scandalo, vel cum incommodo, aut detrimento gravi. Sic necessitas reputabitur, vel in articulo mortis, vel si ex omissa Communione, vel Sacro resultaret homini infamia, vel aliquod grave detrimentum. Coton. *ibid. num. 112.* Ego ipse in meis Decisionibus *De Pœnitentia Decis. 23. num. 11.*

63. *Quær.* An posset communicare absque confessione peccati mortalis, qui non posset confiteri nisi adhibitio interprete, ob ignotam confessarii linguam? *Resp.* Negativè, quia teneretur adhibere interpretem, & eo mediante divinum præceptum adimplere. Diana *part. 9. tract. 3. resol. 10.* Coton. *ibid. num. 115.* dummodò cesset periculum revelationis, ut in d. meis Decisionibus *de Pœnitentia Decis. 50. num. 3.*

64. *Quær.* An sit confitendum à communicaturo habente peccata reservata, si Sacerdos non habeat facultatem illa absolvendi, sed non reservata tantùm? *Resp.* Duas haberi opiniones: Unam, quòd debeat confiteri, ut absolutionem accipiat non reservatorum; quo casu, nisi spontè voluerit, non teneretur exprimere etiam reservata, quia licèt ea tegat, formaliter integra diceretur confessio, & pro nunc indirectè absolutus. Alteram, quòd non teneatur confiteri, quia ubi confessarius non habet facultatem absolvendi à reservatis, existimatur tanquam absens. Coton. alios allegans *ubi antea num. 116. & 117.* Porrò non posse absolvi à non reservatis, ubi habeantur reservata, nec vice versa, ostendunt meæ Decisiones *De Pœnitentia Decis. 23. num. 15. & seqq.* nisi in casu magni scandali, aut notabilis detrimenti, ut ibi.

65. *Quær.* An possit communicare, qui confessarii copiam non habet, & vult adimplere Præceptum communionis Paschalis, licèt mortalia commiserit? *Resp.* Esse hinc indè opiniones, sed affirmativam prævalere apud modernos Theologos. Diana *part. 5. tract. 13. resol. 63.* Coton. *ibid. num. 121.* ubi id non concedit in communicaturo vel ob votum, vel ob aliud præceptum humanum.

66. *Quær.* An Sacerdos, qui non habet confessarium, & est in mortali, possit celebrare, ne ipse, vel populus in die festo Sacrum amittat? *Resp.* Affirmativam esse magis probabilem opinionem, & eo magis, si ipse esset Parochus. Diana *par. 9. tract. 3. resol. 9.* Coton. *d. loco num. 122.* qui *num. 123.* licere ait, ubi Sacerdos vellet celebrare ad satisfaciendum oneri Capellaniæ, vel ob eleemosynam acceptam, si sit pauper, vel ad benedicendas nuptias; quamvis plures DD. hæc non concedant, sed persistendo in affirmativa, ea intelligenda est, ubi communicaturus actum contritionis eliceret, quæ semper est necessaria, deficiente Confessario in eo, qui debet ex urgenti causa communicare. Coton. *ubi antea num. 131. & 132.* ubi docet, non sufficere actum solius attritionis; nisi esset peccatum oblitum in præcedente confessione, in qua virtualiter censetur comprehensum, ac remissum; & sola attritione cum Sacramento confessionis peracto fuit absolutum, remanente obligatione illud confitendi. Idem Coton. *num. 133.* & Diana *par. 2. tract. 14. resol. 48. & part. 5. tract. 14. resol. 5.*

67. *Quær.* An ille, qui sic celebravit, vel communicavit, teneatur statim adire confessarium pro peccatis confitendis? *Resp.* Concil. Trident. statuisse. *Quòd si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur. sess. 13. cap. 7.* ex quibus verbis Doctores alii tenent, dari consilium; alii imponi Præceptum, at hoc humanum, & ideò teneri confiteri quamprimùm, quod intelligitur non rigorosè, & in prima opportunitate, sed non multò post. Candidus *tom. 3. disp. 2. art. 22. dub. 54.* Diana *par. 9. tract. 3. resol. 23.* ubi intelligit intra triduum. Coton. *ibid. num. 136. 137. & 138. & latè num. 144. & 145.*

68. *Quær.* An Eucharistia spiritualem fructum gigneret in pueris, & amentibus, si ab eis comederetur? *Resp.* Affirmativè, & ideò Græcorum usum esse communicare pueros. Concil. Trident. *sess. 21. cap. 4.* quamvis ob periculum irreverentiæ id Ecclesia Latina non faciat. Diana *part. 10. tract. 11. res. 18.* Coton. *ubi supra num. 146.*

69. *Quær.* An sit abstinendum à Communione eo die, quo quis habuit copulam conjugalem? *Resp.* Affirmativè de consilio ob reverentiam; Negativè verò de præcepto, etiamsi copula fuisset illicita, facta tamen confessione. Diana *part. 5. tract. 13. resol. 65.* Coton. *ibid. num. 149.* ubi notat, votum conjugati de non communicando in die habitæ copulæ non valere, tanquam de minori bono.

70. *Quær.* An aliæ corporis fœditates impediant Communionem, uti sunt menstrua, sordes, lepra, & similes? *Resp.* Negativè, quia pro cibo spirituali sufficit munditia spiritualis interior; & ideò *cap. Tua nos, De Cler. ægrot.* vel censetur antiquatum circa prohibitionem à communione Clerici leprosi, vel intelligitur de Communione solemni ob scandalum, vel nauseam circumstantium. Cotonius. *ubi ante num. 150.*

71. *Quær.* Quis sit Minister Sacramenti Eucharistiæ? *Resp.* Ministrum Eucharistiæ pro consecratione esse quemlibet Sacerdotem, qui validè consecrat, quamvis esset excommunicatus, irregularis, hæreticus, & degra-

da-

datus; valide inquam, sed cum dictis defectibus illicitè. Quò verò ad distributionem Eucharistiæ, non solùm debere esse Sacerdotem; nam, ut canit Ecclesia: *cujus officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent cæteris*: sed etiam esse animarum pastorem, nempè vel Parochum, vel Episcopum, aut ab eis licentiam habere, saltem præsumptam; quæ his temporibus amplius non requiritur expressa, nisi tempore Paschali. Coton. *dict. lib. 2. Controvers. 4. cap. 7. num. 151. & 152.*

72. *Quær.* An Parochiani unius Ecclesiæ possint invito proprio Parocho sumere Communionem Paschalem in Ecclesia Cathedrali? *Resp.* Esse diversas Doctorum opiniones; sed negativam in jure haberi veriorem, nisi in ea civitate esset contraria consuetudo; nam Cathedralis non debet præjudicare juri propriorum Parochorum, ad quos spectat, in Paschate reficere Sacra Communione populum sibi subjectum. Coton. *ibid.* pluribus citatis *num. 153. & 154.* ubi negativam præditam extendit etiam ad Regularium Ecclesias; in quibus ipsi Regulares tantùm, & eorum famuli possunt in Paschate communicare. Vide, quæ latissimè docui *de Eucharistia decis. 48.*

73. *Quær.* An Diaconus possit ministrare Laicis Eucharistiam? *Resp.* Affirmativè in casu necessitatis, & absente, vel impedito Presbytero *ex can. 38. Concil. Carthaginen. 41.* Coton. *ubi supra num. 155. & num. 158. & 159.* ubi disputat, qualiter intelligatur casus necessitatis? & se restringit ad periculum mortis ipsius communicandi; licèt olim necessitas diceretur, ubi esset multitudo communicandorum, ut in die Natalis Domini, in festis Deiparæ, at hodie cessat ob multitudinem Sacerdotum, quæ tunc non habebatur.

74. *Quær.* An Sacerdos possit Eucharistiam sumere propriis manibus more Laicorum? *Resp.* Alios Doctores negare, & alios affirmare; sed affirmantibus non esse adhærendum, excepto casu necessitatis; tunc enim, quamvis adesset Diaconus, posset se communicare propriis manibus. Diana *part. 11. tract. 7. res. 42.* Sed quòd possit Sacerdos seipsum communicare, monstravi *de Eucharistia decis. 29.* quam studiosus legere non omittat.

75. *Quær.* An inferiores Clerici, sive etiam Laici possint in necessitate seipsos, propriis manibus, communicare? *Resp.* Antiquos Doctores omninò negare, inter quos S. Thom. *in 4. d. 13. q. 1. art. 3. q. 3. ad 3.* ex modernis plurimos affirmare, quos allegat Diana *part. 11. tract. 7. resolut. 43.* & Coton. *ubi supra à num. 161. & seqq.* Concordantur dissentientes Doctores distinguendo circa causam necessitatis; nam vel necessitas oritur ob spiritualem profectum communicandi, puta ob devotionem, & tunc negativa opinio est tenenda; quia hoc casu deficiente Sacerdote, vel Diacono, aut eorum aliquo administrare recusante, sufficit, ut communicandus credat, & spiritualiter manducet, ut ait *S. Thom. supra, & ibidem Scotus.* Vel necessitas provenit ob periculum mortis, vel ob reverentiam Sacramenti, puta, quia superveniant Hæretici, vel Infideles, hostili animo Sacram Eucharistiam tractaturi, vel ea reperiatur in loco immundo, nec sit modus eam reponendi, & decenter custodiendi, & in his casibus possunt Clerici, & Laici propriis manibus seipsos communicare, prout fecisse Mariam Reginam Scotiæ testatur Coton. *ubi supra dict. num. 161. & num. 164.* Vide meas Decisiones de Eucharistia *Decis. 43.*

76. *Quær.* Quando Parochus teneatur administrare Eucharistiam suo populo? *Resp.* In Paschate, in articulo mortis, & sæpiùs in anno, ac quoties petitur à non indignis. Coton. *ibidem num. 166.*

77. *Quær.* An Parochus teneatur administrare Eucharistiam infectis pestilentia cum periculo vitæ? *Resp.* Negativè, quia Viaticum non est Sacramentum necessitatis, & sic respondit Gregorius XIII. ad S. Carolum Borromeum ex Diana *part. 3. tract. 4. resol. 174. & par. 5. tract. 3. resol 53.* Coton. *ubi ante num. 167.* Sed de hoc plura scripsi *de Eucharist. Decis. 61.*

78. *Quær.* Quibusnam sit neganda Eucharistia? *Resp.* Publicis peccatoribus, excommunicatis, aut alia censura irretitis; non autem occultis. Coton. *ubi supra num. 168.*

79. *Quær.* An saltem sit deneganda Eucharistia peccatori occulto, si eam occultè petat, & non in publico? *Resp.* Vel Sacerdos scit, illum esse peccatorem in Confessione, vel extra illam? Primo casu nullatenùs potest Eucharistiam denegare, quia sigillum obligat, nullum indicium peccati dare; secundo casu poterit. Diana *part. 3. tract. 4. resol. 46.* Coton. *num. 168. & seqq.*

80. *Quær.* An liceat ministrare peccatori occulto particulam non consecratam ad vitandum scandalum? *Resp.* Negativam opinionem tenuisse S. Thom. *3. par. qu. 80. art. 60. ad 2.* Sed affirmativam probasse S. Bonaventur. *in 4. d. 9. art. 2. qu. ult.* Utraque opinio est probabilis, ut docet Diana *part. 4. tract. 4. resol. 74.* & Coton. *ubi supra num. 171.* ubi advertit, quòd si tali pacto communicaretur peccator, deberet priùs certior fieri de non consecratione. Vide, quæ dixi *de Eucharistia Decis. 50. num. 34.*

81. *Quær.* An peccet mortaliter Sacerdos, qui existens in peccato mortali alios communicat? *Resp.* Nonnullos DD. negare; sed affirmativam opinionem tenere S. Thomam *in 4. dist. 5. qu. 2. art. 2.* cui adhærendum est, ut facit Coton. *ibid. num. 173.* & videtur sic decrevisse Nicolaus Papa *in cap. fin. 15. qu. 8.* & ego probavi *de Eucharistia Decis. 4.*

82. *Quær.* An liceat communicare sanos in die Veneris, ac Sabbati Sancti? *Resp.* Non licere in die Veneris Sancti ob prohibitionem, quam facit Rubrica Missalis, & declarationem Sacr. Congregationis, de qua Gavant. *in Rubric. Miss. part. 4. tit. 9. num. 25.* At in die Sabbati Sancti sunt discrepantes DD. opiniones, ut videre est apud Dianam *part. 9. tract. 7. resol. 24.* & in meis Decisionibus *de Eucharistia Decis. 15.* ubi plenè de hoc Quæsito.

83. *Quær.* An possit dari laicis jejunis Com-

munio quacunque hora diei, si sani sint? *Resp.* Affirmativè, secluso scandalo, & irreverentia Sacramenti. Dian. *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 22. Coton. *ante cit. num.* 175. ubi refert, in Ecclesiis Theatinorum, & Jesuitarum dari Communionem Laicis in nocte Nativitatis statim post primam Missam. Vide meipsum *de Eucharistia Decis.* 9. in qua hanc difficultatem examinavi.

84. *Quær.* An Laicus possit bis in die communicari? *Resp.* Affirmativè in duobus casibus. Primò, si timeatur de irreverentia Eucharistiæ. Secundò, si incideret in periculum mortis, nam licèt de manè communicasset, iterùm posset per Viaticum communicari, ut fusè demonstravi in meo tractatu *de Eucharistia decis.* 33. quamvis hoc ultimum non approbet Coton. *ibidem. num.* 176. contra Diana *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 87.

85. *Quær.* An tempore pestis possit Sacerdos porrigere Communionem infectis non cum suis digitis, sed aliquo decenti Instrumento, puta cochleari, forcipe, aut simili? *Resp.* Affirmativè, si argenteum, vel aureum sit, & de irreverentia non timeatur. Coton. *ubi supra num.* 185. ubi damnatos esse à S. Carolo in suis Conciliis, ait, alios modos parùm reverentes, nempè ut Particula exhibeatur in pagina, ut eam Laicus lingua capiat, & postea pagina comburatur; vel quòd Sacramentum intra panem usualem ponatur, & similes.

86. *Quær.* An sit mortale, administrare Eucharistiam sine Cotta, & Stola, vel sine lumine? *Resp.* Affirmativè, si sic administraretur sine necessitate, ob transgressionem Rubricarum Ritualis, quæ in re gravi, ut hæc reputanda est, obligant sub mortali. Diana *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 80. Coton. *ubi ante num.* 186.

87. *Quær.* An liceat aliquo casu communicare laicum sub specie vini, id est, cum Sanguine Domini? *Resp.* Affirmativè in duobus casibus. Primò, si foret periculum alicujus gravis irreverentiæ in ipsum Sanguinem. Secundò si quis esset moriturus, & non adesset Hostia consecrata. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 34. Quamvis hunc secundum casum non approbet Coton *ubi antea num.* 190. & cum Cotonio ego tenui *de Eucharistia Decis.* 14. *num.* 16. ea ratione, quia hoc Sacramentum non est necessarium infirmis absolutè.

88. *Quær.* An liceat Sacerdoti communicare laicum cum parte suæ Hostiæ consecratæ? *Resp.* Affirmativè, quia sicut fructus Sacrificii est communis adstantibus, ita & hostia, qua fit Sacrificium, potest esse iisdem communis. Ego ipse *de Euchar. decis.* 33. Coton. ex Paludan. Sancio, & Diana, quos citat, & sequitur. *ibid. num.* 192.

89. *Quær.* Quibus cæremoniis Episcopus dispensare debeat fidelibus Eucharistiam? *Resp.* Quòd si faciat Cleri, vel populi Communionem in Missa solemni, veluti in Paschate, Diaconus à dextris Episcopi defert Pyxidem, & Subdiaconus à sinistris tenet Patinam ad mentum communicantium. Ex Cæremon. Episcoporum. *lib.* 2. *cap.* 29. Sed si communicet extra Missam, ipse Episcopus tenet Pyxidem pro majori securitate, & eidem à communicando manus osculatur. Pax Jordan. *lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 2. & 3. & *num* 9. ubi notat, Episcopum obligatum esse in festo Corporis Christi, illud devotè in Processione propriis manibus deferre; & *num.* 12. prohibere, ne ampliùs deferatur in Processione nocte feriæ sextæ in Parasceve juxta Decretum Sacræ Congregation. Episcop. *die* 12. *Martii* 1596. quod post cursum annorum 60. practicatum fuit in hac urbe Patavina à die dicti Decreti.

90. *Quær.* An sine licentia Episcopi possit fieri expositio SS. Eucharistiæ pro Oratione quadraginta horarum? *Resp.* Negativè. Gavant. *in Manuali Verb. Oratio publica in princ. & num.* 19. Jordan. *ubi antè num* 15. Et ego probavi *De Euchar. decis.* 60.

91. *Quær.* An tempore Interdicti localis possit deferri Eucharistia ad infirmos? *Resp.* Affirmativè. *cap. Quod te. De Pœnitent. & Remiss. cap. Permittimus. De Sent. Excommunic.* Jordan. *ubi supra num.* 31.

92. *Quær.* Quam diligentiam adhibere debeat Episcopus circa frequentiam Sanctissimæ Communionis erga Clerum, & Moniales? *Resp.* Debet curare, ut Diaconi, & Subdiaconi saltem Dominicis, & Solemnibus diebus communicent, Clerici verò inferiorès, ac Moniales saltem semel in mense, ex Trident. Concil. *sess.* 13. *de Ref. cap.* 13. & Jordan. *dict. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 46.

93. *Quær.* Quam pœnam incurrant Regulares dantes Communionem Paschalem laicis sine licentia proprii Parochi, vel Episcopi? *Resp.* Eos incurrere ipso facto in pœnam excommunicationis. Clement. *Religiosi, De Privilegiis.* Jordan. *ubi supra num.* 50. 51. & 52. ubi notat, dummodò id faciant ex præsumptione, & extra casum necessitatis; & illis, qui altero die nollent ad Parochiam ire. *ibidem. num.* 79. Et ego *De Eucharist. decis.* 24.

94. *Quær.* Quæ ætas attendatur, pro concedenda Sacra Communione? *Resp.* Cùm quis ad annos discretionis pervenerit, & sciat, quid sit acturus, quod solet esse ab anno decimo ad annum decimum quartum intra, juxta prudentis Confessarii arbitrium. Jordan. *ibidem num.* 53. quod ego plenè examinavi *De Eucharistia Decis.* 40. ut sciant Parochi, quando debeant admittere pueros, & puellas ad Sacram Communionem.

95. *Quær* An, qui non communicavit in Paschate, transacto eo tempore, sit ab illa obligatione communicandi liberatus; prout ille, qui non jejunavit in die jejunii, vel non audivit Sacrum in die festo? *Resp.* Non esse liberatum, sed teneri ad præceptum implendum communicando; nec valet similitudo de Jejunio, & de Missa audienda, quia illæ sunt obligationes annexæ illis præcisis diebus, & iis transactis non obligant; secùs autem in præcepto communicandi semel in anno tempore Paschali. Jordan. *ibidem num.* 57.

96. *Quær.* An Sacerdotes pro adimplendo præcepto Communionis Paschalis debeant celebrare in Parochia? *Resp.* Negativè, quia Sacerdotes, ubicunque celebrent, satisfaciunt

præ-

præcepto. Azor. *lib.* 8. *quæst.* 8. Jordan. *d. lib.* 3. *tit.* 3. *num* 81.

97. *Quær.* An Episcopus possit licentiam concedere asservandi Eucharistiam in Ecclesiis non Parochialibus? *Resp.* Affirmativè ex justa, & honesta causa sibi bene visa. Jord. *lib.* 7. *tit.* 11. *num.* 17.

CAPUT CXVIII.

De Sacrificio Missæ.

Hucusque actum est de Sacrosancta Eucharistia, prout Sacramentum est, nunc de ea est agendum, quatenùs est Hostia, & Sacrificium, nempè Res, quam Deo in Sacrificium offerimus.

1. *Quær.* Quid sit Sacrificium in genere? *Resp.* Sacrificium est Oblatio rei cujuspiam sensibilis à ministro legitimo cum destructione quadam, seu immutatione facta Deo, ad protestandum supremum ejus dominium in omnia, & promptitudinem destruendi nos ipsos, si id ad ejus cultum conferret. Coton. *lib.* 2. *Controv.* 5. *cap.* 1. *num.* 1. *&* 2. Ego ipse *de Sacrificio Missæ Decis.* 4.

2. *Quær.* An omnia, quæ dicuntur & fiunt in Missa, sint necessaria ad Sacrificium? *Resp.* Negativè; quia aliqua pertinent ad substantiam Sacrificii; at alia ad decentiam, & ornatum ejus. Coton. *ibid. num.* 3. Et ego ubi supra *Decis.* 3.

3. *Quær.* Quæ sint in Missa de substantia Sacrificii; & in qua Missæ actione consistat essentialis ratio Sacrificii? *Resp.* Alios dixisse, quòd essentia Sacrificii Missæ consistat in Oblatione; alios in Consecratione, & alios in Sumptione; sed verior opinio est, essentiam Sacrificii de facto constitutam esse à Christo Domino in omnibus his actionibus simul. Card. de Lugo *De Eucharist. disp.* 19. *num.* 64. Diana *part.* 10. *tract.* 12. *resol* 27. Coton. *ubi supra num.* 4. Meæ decisiones *de Sacrificio Missæ Decis.* 31.

4. *Quær.* Quot species Sacrificiorum fuerint in lege veteri? *Resp.* Tres, nempè *Holocaustum pro Dei honore*, & in eo tota Victima cremabatur. *Expiatorium pro peccato*, cujus Victimæ pars una cremabatur: altera à Sacerdote manducabatur, & *Pacificum propter beneficia vel accepta, vel accipienda*; & in hoc victimæ una pars cremabatur, unam manducabat Sacerdos, & alteram ipse offerens; & in locum horum trium Sacrificiorum successit Missa; in qua Corpus, & Sanguis Christi Domini offertur Sanctissimæ Triadi in Holocaustum, pro expiatione nostrarum culparum, & pro impetratione beneficiorum. S. Thom. 3. *par. quæst.* 22. *art.* 1. *&* 2. Coton. *ubi ante num.* 4. 5. *&* *seqq.* Vide me ipsum *De Sacrificio Missæ decis.* 14.

5. *Quær.* An sit necessarium ad rationem Sacrificii consecrare priùs hostiam ante Calicem, & deindè ipsum Calicem? *Resp.* Affirmare Suarez apud Dianam *par.* 10 *tract.* 12. *resol.* 13. Sed alios magis communiter negare, quia etiamsi priùs consecretur Calix, quàm hostia, substantia Sacrificii salvatur, quæ in separatione sanguinis à corpore subsistit; ideò, si quis ex malitia consecrasset priùs Calicem, vel comprehenderet Hostiam consecratam non esse materiam aptam, non teneretur, nisi consecrare aliam Hostiam. Coton. *ubi supra num.* 8.

6. *Quær.* Quid agendum, si Sacerdos in Missa post utramque consecrationem cognosceret neque hostiam, neque vinum in Calice esse materiam aptam, & sic neutram fuisse vere consecratam? *Resp.* Tres dari responsiones. Prima est, quòd si nondum sumpserat eas Sacerdos, iterum utramque materiam legitimam accipiat, & consecret. Secunda est, quòd si jam eas sumpserat, & non sit ampliùs jejunus, nihil aliud agat, quia in nihilo factum est Sacrificium. Tertia est, quòd in hoc casu, licèt non jejunus, iterum consecret, & sumat materias aptas, ne adstantes privet expectatione Sacrificii; & hæc ultima responsio magis arridet. Coton. *ubi supra num.* 9.

7. *Quær.* Quid agendum foret, si post sumptionem Sacri Corporis, Sacerdos deprehenderet, in Calice fuisse appositam solam aquam? *Resp.* Duas esse opiniones. Una est, quòd deberet consecrare tantummodo Calicem incipiendo *à simili modo.* Diana *par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 70. Altera, quòd debeat consecrare etiam novam Hostiam cum Calice. S. Thom. 3. *part. qu.* 83. *art.* 6. *ad* 4. incipiendo scilicet à *Qui pridie.* Utramque opinionem admittit *Rubrica Missalis par.* 3. *tit.* 4. *num.* 4. *&* 5. Sed & illud est sciendum, quòd si suppleri non posset defectibus hujusmodi absque magna perturbatione Sacerdotis, commotione, aut scandalo populi, posset Missam perficere absque nova consecratione, & hoc sine peccato. Hurtad. *de Sacrific. Missæ disp.* 4. *diff.* 13.

8. *Quær.* An eadem Hostia omninò debeat sumi, & ostendi populo, quæ in ea Missa consecrata fuit? *Resp.* Affirmativè, quia ostensio, & sumptio unius, & ejusdem Hostiæ spectat ad idem Sacrificium; ideò non poterit Sacerdos sumere Eucharistiam existentem in Pyxide, & ibi reponere Hostiam, cum qua Missam celebrat, etiamsi aliam non haberet reservandam pro Oratione quadraginta horarum; Vel si celebraturus non haberet nisi parvam particulam, non posset illam tantùm consecrare; & ostendere in elevatione aliam Hostiam grandem, altera die præconsecratam, etiamsi cum ea elevaret ipsam parvam particulam, quia duas Hostias tunc elevaret. Sic præpositus, Card. de Lugo, Marchantius, & alii, quos citat, & sequitur Cotonius *dict. Controv.* 5. *cap.* 1. *num.* 13.

9. *Quær.* Quid agendum, si Sacrificio nondum completo, moriatur Sacerdos? *Resp.* In Rubricis Missalis præcipi, quòd: *Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, & in casu necessitatis etiam à non jejuno.* Quòd est intelligendum, si jam facta fuerit consecratio Hostiæ. *Rubric. Miss. cap.* 10 *num.* 3.

10. *Quær.* An alius Sacerdos ad id teneatur sub mortali? & quid juris, si non superveniat ibi, nisi post considerabilem temporis dilationem? *Resp.* Videri rationi magis consonum, quòd dicta obligatio non incumbat sub pœna peccati, sed ex convenientia, & consilio juxta Textum *in cap. Nihil, 7. quæst.* 11.

Quòd verò ad dilationem temporis, non sunt concordes Doctores; sed ex eorum dictis colligitur, supplendum esse à Sacerdote, qui superveniat, antequam una hora non excesserit ab interrupto Sacrificio. DD. apud Dian. *par.* 10. *tract.* 11. *resol.* 4. & Cotonius *ubi supra num.* 15. & 16.

11. *Quær.* Si Sacerdos moriatur post sumptionem Hostiæ, quid agendum circa Sanguinem? *Resp.* Tres esse opiniones. Una est, quòd alius Sacerdos illum sumat, & Missam perficiat. Altera, quòd reponatur, & in alia Missa sumatur. Tertia, quòd nova Hostia consecretur, & unà cum sanguine ab eodem Sacerdote sumatur. Ex his opinionibus prima amplectenda est, quia licèt sumptio non sit de essentia Sacrificii, tamen spectat ad illius consummationem. Diana *part.* 10. *tract.* 12. *resol.* 15. Coton. *ibid. num.* 18. & 19. Ubi advertit, quòd si Sacerdos moreretur post consecratam Hostiam tantùm, non esset alia de novo consecranda; sed prosequendum foret Sacrificium cum sola Sanguinis consecratione.

12. *Quær.* Quid si dubitetur, An Sacerdos consecraverit Hostiam, vel non? *Resp.* Alios DD. tenere, quòd nova Hostia sit consecranda; alios, quòd in consecratione Calicis sit procedendum. Ego dicerem, quòd illamet Hostia sub conditione sit consecranda; ne fortè, si non fuisset consecrata, Sacrificium remaneret imperfectum. Coton. *ibid. num.* 20.

13. *Quær.* Quotuplex, & quantus sit valor, & fructus Sacrificii Missæ? *Resp.* Triplicem esse. Primus est meritum, quod acquiritur à Sacerdote, & ab aliis actu cooperantibus ex condigno, si sint in gratia. Secundus est impetratio bonorum tam spiritualium, quàm temporalium. Tertius est expiatio pœnarum ex peccatis debitarum, ut definitum est in Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. & *can.* 3. Quæ expiatio à viatoribus applicari potest animabus etiam in Purgatorio existentibus. dict. Concil. Trident. *sess.* 25. *in Decret. de Purgat.* Coton. *d cap.* 2. *num.* 21. 22. & 23. qui *num.* 25. notat, Missæ Sacrificium valere ad merendum, ad impetrandum, & ad satisfaciendum. Vide, quæ dixi *de Sacrif. Missæ d. Decis.* 14. & *Decis.* 33. 34. & 35.

14. *Quær.* An valor Sacrificii sit finitus, vel infinitus? *Resp.* Theologos super hoc quæsito plura subtiliter disputare. Conclusio ex eorum dictis est, respectu ipsius Sacrificii valorem esse infinitum; sed respectu eorum, quibus applicatur, esse finitum; quia sic congruebat ad hoc, ut fideles allicerentur ad Sacra Mysteria frequentanda; & ex desiderio multiplicandi sibi fructum, frequenter recolerent memoriam Passionis Domini. Card. de Lugo *de Euchar. d. disp.* 19. *num.* 244. Ego ipse *dict. Decis.* 33. *de Sacrific. Missæ.*

15. *Quær.* An Sacrificium Missæ prosit Catechumenis, seu aliis non baptizatis? *Resp.* Prodesse quo ad impetrationem; ut scilicet eis impetretur gratia veniendi ad fidem, & devotè suscipiendi baptismum; secùs autem quo ad satisfactionem, quia non sunt capaces Sacramentorum, cùm existant extra Ecclesiam. Vasquez. *disp.* 227. *cap.* 3. & 4. Coton. *ubi antea num.* 27. 28. & 29.

16. *Quær.* Quid dicendum de fructu Sacrificii, si Sacerdos nemini illum applicet; vel si is, cui applicat, non indigeat? Veluti si anima illa liberata sit ex purgatorio? *Resp.* Theologos plura dicere de hoc. Cæterùm duæ sunt considerabiles opiniones. Una S. Thomæ *in* 4. *d.* 45. *qu.* 3. *ad* 2. fructum illius Missæ distribui animabus defunctorum magis indigentibus. Alteri *Suarezii*, quòd fructus ille remaneat in Ecclesiæ Thesauro. Coton. *pluribus citatis d. cap.* 2. *num.* 33. 34. 35. & 36.

17. *Quær.* An Sacerdotes, dum ordinantur, possint applicare fructum Sacrificii, quod conferunt cum Episcopo? *Resp.* Non esse concordes in opinione Theologos, quorum alii negant, alii affirmant, & ipsis affirmantibus videntur adhærere graviores, quia licèt unum tantùm sit illud Sacrificium, singuli tamen concurrunt ad illud, ac si unus solus offerret. Coton. *ibid. num.* 38. & de hoc videatur mea *Decis.* 16. *De Eucharistia.*

18. *Quær.* An utilius sit, applicare plures Missas simul, & statim pro aliquo defuncto; vel eas successivis temporibus disponere? *Resp.* Melius esse simul, & statim plures Missas dicere, quia celeriùs liberatur anima respectu satisfactionis ex Sacrificiis provenientis. Porrò ex Anniversariis, & aliis pro tempore Missis celebrandis resultat Dei cultus perpetuus; cujus intuitu emanat fructus ex opere operantis, qui statim animæ in auxilium confertur. Diana *part.* 9. *tract.* 2. *res.* 17.

19. *Quær.* An expediat viventibus, ut Missas pro se applicent ante mortem? *Resp.* Affirmativè, magis quam post mortem; quia, ut ait S. Gregor. beatius est, liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere, & ulterius, quia evitatur periculum negligentiæ hæredum; ac etiam, quia habetur fructus ex opere operantis. Diana *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 40. Coton. *ubi supra num.* 41. 42.

20. *Quær.* An licitum sit viventi, ut pro se faciat celebrare Missas de Requiem? *Resp.* Multos affirmare non solùm ob satisfactionem ex Sacrificio etiam de Requiem resultantem; sed etiam propter fructum ex mortis memoria redolentem, sicque ajunt practicari in Lotharingia, & in Hispania. Diana *part.* 9. *tract.* 2. *resol.* 18. Qui tamen ibi pluribus citatis DD. non approbat dictum morem, quasi quædam superstitio ex eo redoleat, & sit contra ordinem Ecclesiæ, quæ disposuit Missas pro vivis tum de Sanctis, tum ob remissionem peccatorum: illas verò de Requiem ordinavit pro defunctis. Coton. *ubi supra num.* 43. Missas de Requiem sibi adstanti celebrare fecisse Carolum V. Imperatorem ante ejus obitum, testatur P. Anton. Foresti *in Mappa mundo Histor. tom.* 2. *Anno* 1556. Ego *de Sacrif. Missæ Decis.* 36. *à num.* 35.

21. *Quær.* In quot partes dividatur fructus Sacrificii? *Resp.* In tres partes, quia unus fructus est specialissimus ipsius offerentis, & orantis. Alter est generalissimus competens toti Ecclesiæ; & totius est medius, competens illi, cui ab offerente specialiter applicatur. Layman. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 16. Coton. *ubi ante num.* 44. Ego ipse *De Sacrific. Missæ Decis.* 33.

22. *Quær.*

22. *Quær.* An toti Ecclesiæ fructus competens ex quacunque Missa sit fructus impetrationis, vel etiam satisfactionis? *Resp.* Plures DD. tenere, quòd sit fructus tam impetrationis, quàm satisfactionis, ut scribit Diana *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 40. At Scotum docere, quòd in sola impetratione talis fructus consistat, notat Coton. qui Scoto adhæret *dict. cap.* 2. *num.* 45. cum Card. de Lugo *de Eucharist. disp.* 19. *sect.* 9.

23. *Quær.* An simplex Sacerdos teneatur sub peccato frequenter celebrare? *Resp.* Negativè, cessante contemptu, & scandalo. DD. apud Dian. *part.* 2. *tract.* 14. *res.* 19. Ubi, quod satis erit; si ter vel quater in anno celebret. Coton. *ubi supra num.* 50. qui tamen *num.* 51. subdit, quòd qui sic rarò celebraret, difficilè evitaret scandalum, nam indicium esset vitæ corruptissimæ ex doctrina Cardinalis de Lugo *de Euchar. disp.* 20. *num.* 13. Ego *de Sacrif. Missæ Decis.* 34. *num.* 10.

24. *Quær.* An quilibet Sacerdos teneatur in die Natalis Domini tres Missas celebrare? *Resp.* Negativè, neque si sit Parochus, quia sufficit, si unam ex tribus celebret pro sui libito. Coton. *alios citans d. cap.* 2. *num.* 53. quamvis Gavantus doceat, esse dicendam vel primam, vel potiùs tertiam, cujus oratio concordat cum officio. *in Rubr. Missal. part.* 4. *tract.* 2. *tit.* 3. quod ego scripsi *in decis. de Eucharistia dec.* 13.

25. *Quær.* An Missa celebrari possit à quocunque Sacerdote feria quinta, sexta, & Sabbato majoris Hebdomadæ? *Resp.* Affirmativè, quoad Feriam quintam; Negativè quoad Feriam sextam per Text. *in cap. Sabbato de consecrat. dist.* 3. Quo verò ad Sabbatum negat Vasquez *disp.* 223. *cap.* 2. Affirmat Diana, & alii ab eo allegati *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 237. *& part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 66. Coton. *cum aliis* distinguit, ut feria quinta quilibet possit celebrare ante Missam solemnem; in Sabbato post solemnem Missam celebratam, nisi forte celebrandum foret in sacellis privatis, ubi solemnis Missa non expectatur. Et ego dixi *de Eucharistia decis.* 15. *num.* 10.

26. *Quær.* An liceat celebrare pluries in eadem die? *Resp.* Negativè, & licèt aliqui casus excipiantur à Doctoribus, quos ponit Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 56. ipsi tamen non sunt ampliùs in usu, præter tres Missas in die Natalis Domini, vel ubi esset supplendum Sacrificium, si celebrans eo non completo moreretur, ut supra ex Rubrica Missalis monstratum est. Coton. *ibid. num.* 57. 58. Ideò Patavii, cùm ego Procuratoris fisci officium in Episcopatu agerem, Presbyterum exterum, qui bis in die celebraverat ad duplicem stipem lucrandam, ad triremes condemnari obtinui juxta doctrinam Genuen. *in Prax cap.* 79. Bellet. *Disquisit. clerical. part.* 2. §. 28. *num.* 1. & Menochii *de Arbitr. Judic. casu* 407.

27. *Quær.* An saltem Missa incœpta reassumi liceat ab introitu ob adventum magni Principis Laici, vel Ecclesiastici? *Resp.* Quòd licèt multi affirment, si nondum ad consecrationem Sacerdos pervenerit. Diana *part.* 10. *tract.* 12. *res.* 11. Tamen Negativa opinio communiter recepta est etiam ab eodem Dian. *part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 4. Imò à *S.* Carolo id prohibitum fuit, ut advertit Tamburin. *de Sacrific. Missæ lib.* 2. *cap.* 7. §. 8. *num.* 2. Nam irreverentia gravis est, interrumpere actionem tam magnam; nec urgeri potest ratio adimplendi præceptum in die festo; quia si alius non sit Sacerdos, non tenetur, qui ad principium ipsius Missæ non accessit. aliam audire. Coton. *ubi supra num.* 61.

28. *Quær.* Qua hora Missa possit celebrari? *Resp.* Regulam esse, ut celebretur ab aurora usque ad meridiem; & ex justa causa, puta itineris, per horam ante Auroram, & post meridiem. Sylvius *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 2. De la Crux *tract.* 10. §. 3. *corol.* 2. cum allegatis à Cotonio *ubi supra num.* 64. 65. 66. & 69. 70. 71. & 72. ubi excipit duos casus, nempè in Missis Nativitatis Domini, quæ statim post mediam noctem possunt omnes dici; vel si dandum esset Viaticum moribundo; tunc enim statim post mediam noctem, & usque ad Vesperam posset Sacerdos jejunus celebrare. Ultra duos casus extat Privilegium, quo fruuntur Episcopi, & Cardinales, ut magis tempestivè, aut tardiùs Missam habere possint, id est, per duas horas ante ortum Solis. & per alias duas horas post meridiem ex *cap. fin. de privil. in* 6. Jordan. *tom.* 1. *pag.* 291. *num.* 88. & Coton. *ibid. num.* 74. *&* 75. Porrò post primam Missam in media nocte Natalis Domini, non posse statim celebrari alias duas, rationibus, & Decretis *S.* Congr. ego docui *de Euchar. dec.* 13. *à num.* 15. *& seqq.* quam legere studiosus juvabit; prout etiam meas Decisiones *de Sacrificio Missæ decis.* 39. in qua latè de hoc Quæsito circa horam celebrandi.

29. *Quær.* An ante Missam Sacerdos debeat recitare horas matutinas? *Resp.* Doctores antiquos id affirmasse sub mortali, ea ratione, quia sic mandatur in Rubrica Missalis. Porrò moderni negant, dicentes, Rubricam non esse præceptivam in hac re, sed hortatoriam; non desunt tamen ex modernis, quibus veniale videatur peccatum, celebrare Missam non recitatis matutino, & laudibus, saltem absque legitimo impedimento. Layman. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 5. Coton. *num.* 68. Legat studiosus meam *Decisionem* 50. *de Sacrific. Missæ*, in qua probavi, esse mortale, legitima causa cessante.

30. *Quær.* In quo loco Missa possit celebrari? *Resp.* In loco sacro, seu benedicto, ad hunc effectum specialiter deputato; & ideò peccaret mortaliter, qui etiam ex mera devotione in loco profano, quamvis decenti, celebraret. *cap. Sic ergo. cap. Nullus. cap. Sicut non alii. De Consecrat. dist.* 1. Et de hoc latissimè ego egi *de Sacrific. Missæ decis.* 12. *per totam.*

31. *Quær.* An simplex Sacerdos possit celebrare in Altari, in quo eo die celebravit Episcopus, sine ejus licentia? *Resp.* Negativè per *cap. In altari ult. de cons. dist.* 2. ut advertit Jordan. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 149. Et licèt Diana *part.* 10. *tract.* 12. *resol.* 24. cum ibi relatis dicat, id in desuetudinem abiisse; tamen, nisi de contraria consuetudine constet, canon prædictus servandus est; quamvis Cot. *ubi supra*

pra num. 79. intelligendum ait: de Epiſcopo celebrante in Pontificalibus.

32. *Quær.* An liceat celebrare in Navi? *Reſp.* Negare antiquos Doctores; modernos verò affirmare, ſi mare ſit tranquillum, & locus decens paretur. Porrò non videtur altercandum, quia pro navigantibus ad Indias datur à Papa diploma ſpeciale pro Miſſa celebranda; ut in hiſtoriis legitur noſtrorum temporum, & antiquitùs ſervatum referunt DD. apud Coton. *d. lib. 2. Controv. 5. cap. 4. num.* 80.

33. *Quær.* An Rubricæ, & Ritus in eis præſcripti circa celebrationem Miſſarum, ſint ſervandi, prout ſtant, & jacent, ſub pœna peccati mortalis? *Reſp.* Affirmativè, ob Bullam *S.* Pii V. poſitam in principio Miſſalis, niſi levitas tranſgreſſionis excuſet. Porrò ad cognoſcendam levitatem, vel gravitatem transgreſſionis Doctores conſiderant vel commutationem, vel omiſſionem, vel additionem. Item diſtinguunt Rubricas ante celebrationem, in celebratione, & poſt celebrationem. Ante celebrationem grave eſſe, non confiteri mortalia, non lavare manus, non induere veſtes ſacras. Leve autem reputatur, ſeclu-ſo contemptu, non recitare preces, non oſculari cruces in amictu, manipulo, & ſtola; non recitare orationes in indumentis ſacris ſuſcipiendis. In celebratione reputatur grave, ſtare cum voluntaria diſtractione, potiſſimùm in Canone; addere, vel omittere aliquid in eodem Canone; Miſſas votivas dicere in diebus feſtis, ſeu Dominicis. Leve verò cenſetur, ſi quid parum extra canonem addatur, vel omittatur abſque præſumptione, ut ſi relinquatur Præfatio propria illius feſtivitatis, vel Communicantes particulares ob defectum memoriæ. Coton. *plurib. citatis à num.* 81. *& ſeqq. uſque ad* 96.

34. *Quær.* An ſit mortale, ſi Sacerdos in Miſſa ſolemni non dicat ſubmiſſa voce Epiſtolam, & Evangelium? *Reſp.* Negativam ſententiam tenere Navarrum, & Dianam *part. 5. tract. 5. reſol.* 45. Sed contrarium eſſe verius, quia Miſſale præcipit, ut quod ab aliis cantatur, à Sacerdote legatur ſubmiſſe; Card. de Lugo, quem citat, & ſequitur Coton. *ubi ſupra num.* 97.

35. *Quær.* An culpa careat, qui purificationem ſumit ex ſolo vino, vel ex ſola aqua? *Reſp.* Venialem culpam committere, qui ſic facit, nam Rubrica præcipit, adhibendum eſſe vinum, & aquam. Coton. *num.* 106. *&* 107.

36. *Quær.* An fœmina poſſit inſervire in Miſſa deficiente miniſtro? *Reſp.* Negativè *ex cap.* 1. *De Cohabit. Cler. & Mulier.* ideò deficiente miniſtro, vel non eſt celebrandum, vel ſi neceſſitas communicandi infirmum morti proximum urgeat, poſſet Sacerdos ſolus celebrare, & ſibi ipſi inſervire. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 43. *&* 44. Coton. *ubi ante num.* 110. *&* 111. ubi tamen licitas dicit reſponſiones ad Miſſam, quas facerent mulieres à longè, & ut eſt in uſu, Moniales à choro. Porrò, Moniales non poſſe canere Epiſtolam in Miſſa ſolemni, reſpondiſſe Sacram Congregationem teſtatur Fagnan. *in cap. Si quis Presbyt. num.* 19. *de Cler. excom. tom.* 6. *pag.* 336. quamvis Patavii uſus ſit in contrarium.

37. *Quær.* An Sacerdos Miſſam novam celebrans, poſſit ſe ad populum vergere, & oblationes recipere? *Reſp.* Affirmativè, dummodo Eccleſiam non circumeat, ex decreto S. Congr. Naldus *V. Miſſa num.* 19. Quod & in Parocho dante cum patina oſculum pacis ſervandum eſt: qui propterea in Altaris gradu ſiſtere debet, & ad ſummum ſe conferre ad medietatem Eccleſiæ, ubi mulieres manent ſejunctæ à maribus. Fagnan. *in cap. Paſtoralis num.* 40. *&* 41. *De his, quæ fiunt à Prælat. tom.* 4. *pag.* 267. *&* 268.

38. *Quær.* Cui ſit applicandum Sacrificium, ſi nihil de hoc dixerit teſtator, qui bona reliquit pro capellania inſtituenda? *Reſp.* Applicandum eſſe animæ ejusdem teſtatoris, & fundatoris. Barboſ. *de Jure Eccleſiaſt. Univ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 38. & Bordonus *deciſ.* 268. *deciſ.* 238. *& deciſ.* 331.

39. *Quær.* An Epiſcopus poſſit concedere, ut Miſſa celebretur in alio loco, quàm in conſtituto à teſtatore? *Reſp.* Affirmativè, ſi juſta cauſa ſubſiſtat, & ad tempus non longum. Barboſ. *de Jure Eccleſiaſtico d. lib.* 3. *cap.* 5. *ſub num.* 36.

40. *Quær.* An in Collegiatis Miſſa ſolemnis poſſit decantari ſine Diacono, & Subdiacono, ſaltem diebus ferialibus? *Reſp.* Negativè, ubi ſufficiens numerus Clericorum exiſtat, nam cum Diacono, & Subdiacono eſt quotidie decantanda. Jordan. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 109. *tom.* 1. *pag.* 292. *&* 293.

41. *Quær.* An Sacerdos, qui eleemoſynam accepit pro Miſſa celebranda, poſſit aliam ſtipem accipere pro applicando alteri fructu ſacrificii proprio ſui ipſius, ſaltem ſic offerente ſtipem contentante? *Reſp.* Negativè, & ſic reſpondit *S.* Congr. Concilii *die* 25. *Januarii* 1659. condemnando Doctores contrarium ſcribentes: & ſententiam *S.* Congregat. confirmavit Alexander VII. *die* 29. *ejusdem menſis*, mandando, eam ubique publicari, & ſervari. Fagnan. *in cap. Fraternitatem num.* 96. *de Sepultur. tom.* 4. *pag.* 374.

42. *Quær.* Si quis dederit eleemoſynam pro Miſſæ fructu impetratorio, puta pro ſanitate infirmo impetranda, an Sacerdos poſſit aliam eleemoſynam accipere pro eadem Miſſa à petente fructum ſatisfactorium, puta pro pœnitente? *Reſp.* Negativè, juxta ſententiam pariter *S.* Congreg. *ſub die* 13. *Decembris* 1659. referente Fagnan. *ubi ſupra num.* 97.

43. *Quær.* An Parochus, quo die tenetur, Miſſam pro ſuo populo offerre, poſſit eleemoſynam accipere ab aliquo particulari? *Reſp.* Negativè, ut latè comprobat idem Fagnan. *in cit. cap. Fraternitatem à num.* 93. *& ſeqq. De Sepultur.*

44. *Quær.* An Epiſcopus poſſit ſibi Miſſam celebrare facere extra Eccleſiam? *Reſp.* Affirmativè, quando ipſe eam audire vult, dummodo paretur locus decens, & hoc quamvis eſſet extra ſuam Diœceſim, & non requiſito Ordinario loci, Jordan. *dict. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 130. per Text. *in cap. fin. de Privileg. in* 6. ac etiam in locis interdicto ſuppoſitis. Idem Jord. *num.* 133. Excepta tamen Urbe Romæ, in qua ſine Papæ licentia, in oratoriis privatis, ſeu extra publicas Eccleſias celebrare

non

non licet. Navar. *consil. 1. de Privileg.* Jord. *ibid. num. 137.* Quartus *in Rubr. Missalis par. 3. tit. 10. num. 1. sect. 2. dub. 2.* & ego *de Euchariſt. deciſ. 8. num. 19.*

45. *Quær.* An Epiſcopus indulgere poſſit, ut conſtruatur Sacellum, ſeu Oratorium pro Miſſa celebranda in Palatiis Baronum, ſeu perſonarum publicarum exercentium jurisdictionem? *Reſp.* Negativè, quia ad hunc effectum cenſentur domus privatæ, ut ex ſententia Sac. Congregationis notat Fagnan. *in cap. In his num. 16. de Privileg.* & Diana *part. 9. tract. 1. reſol. 35.* Porrò, in Sereniſſimo Dominio Veneto poteſt concedi Sacellum in quocumque Palatio Rectorum Civitatum, & Arcium, ut in eo Miſſa celebretur, ex generali conceſſione Apoſtolica, qui fruitur Respublica, teſte Jordan. *dict. lib. 4. tit. 1. num. 158.* Ac etiam in domibus privatis Excellentisſimorum Procuratorum Sancti Marci ex Indulto ſpeciali, & perpetuo iisdem conceſsis à Papa Paulo V. de quo ego *de Sacrific. Miſſæ dict. deciſ. 12. num. 60.* ubi poſui per extenſum Privilegium prædictum.

46. *Quær.* An Epiſcopus concedere poſsit licentiam celebrandi Miſſam in Oratoriis habentibus oſtium, vel proſpectum è domo privata? *Reſp.* Negativè ſecundùm Fagnan. *in d. cap. In his, num. 18. de Privileg.* Qui tamen videtur intelligendus, quando Oratorium non haberet Januam in via publica, quia, ſi eam in publica via haberet, poſſet dicta licentia celebrandi concedi ab Epiſcopo, quamvis aliud oſtium privatum haberet pro majori commoditate Patronorum, ut notat Jord. *dict. lib. 4. tit. 1. num. 161.* & ego plenè probavi *de Euchariſt. deciſ. 8.*

47. *Quær.* Quibus conditionibus debeat Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in dictis Oratoriis? *Reſp.* Ut diebus feſtis non celebretur in eis, niſi poſt Miſſam Parochialem; & non niſi unica Miſſa, niſi aliter videatur expedire ipſi Epiſcopo. Jord. *ut ſupra num. 162. & 163. lib. 4. tit. 1.*

48. *Quær.* An Miſſa celebrari poſsit in Oratorio Palatii Epiſcopalis, ſi Epiſcopus non ſit præſens? *Reſp.* Negativè ſecundùm Dianam *part. 4. tract. 14. reſol. 15.* & Magrium *in Dictionario, verb. Oraculum, pag. 190.* dicentes, Privilegium Epiſcopi eſſe perſonale, non autem locale; quale eſt Cardinalium, in quorum Palatiis, etiam ipſis abſentibus poteſt celebrari. Idem Diana *par. 6. tract. 8. reſol. 40.* ubi legitur impreſſa eximia diſputatio Eminentisſimi Cardinalis Brancatii ad favorem Palatiorum Cardinalitiorum, in qua concludit, Capellanos Cardinalium poſſe in dictis Oratoriis privatis celebrare ante Auroram, & poſt meridiem: pluresque Miſſas in die ibi haberi poſſe, etiam abſente Cardinali; quibus ſi interveniant exteri, & qui de familia non ſunt, nihilominùs ſatisfaciunt præcepto de audiendo Sacro in die feſto; ea ratione, quia, inquit, Cardinalis privilegium non eſt perſonale tantùm, ſed etiam locale. Porrò in contrarium, quòd ſcilicet prædicta locum habeant etiam in Oratoriis Palatiorum Epiſcopalium, & in domibus, in quibus degunt Epiſcopi, ſuſtinent Pelliz. *in Manual. Regular.*

tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 173. Franciſc. de Lugo *de Sacrament. lib. 5. cap. 6. qu. 3. num. 25.* & Valer. *de Differ. utriuſque Fori, verb. Miſſa, diff. 2.* Concordat has duas contrarias opiniones Quartus *in Rubric. Miſſal. par. 3. tit. 10. num. 1. ſect. 2. dub. 4.* diſtinguendo, vel locus pro celebratione Miſſæ in domo Epiſcopi deputatus eſt permanenter; & in hoc caſu, etiam Epiſcopo abſente, poterit ibi celebrari; vel locus celebrationis deputatur pro una, vel altera vice, & amovibiliter, & tunc in eo celebrari non poterit, niſi Epiſcopo præſente. Et ita ſentit etiam Tambur. *Opuſc. de Sacrificio lib. 1. cap. 4. §. 2. num. 10. 11. & 12.* Et ego *de Euchariſt. d. deciſ. 8. num. 20.*

49. *Quær.* Quid agendum à Parocho, ſi totus populus ſuæ Parochiæ non poſsit ob numeroſitatem intervenire in die feſto ad ejus Miſſam? *Reſp.* Erit cogendus, ut aſſumat alios Sacerdotes ſibi coadjutores, qui celebrent, & in adminiſtratione Sacramentorum juvent, juxta Concil. Trident. *ſeſſ. 21. cap. 5. de Reform.* Jordan. *ubi ſupra num. 522.* & ſic correctum eſt jus antiquum, quo concedebatur Parochis pluries in die celebrare ob penuriam Sacerdotum.

50. *Quær.* An ſit Parochis permittendum, ut aliquando in die feſto celebrent extra Parochiam, admonito priùs populo; puta ob celebritatem alicujus Eccleſiæ vicinæ? *Reſp.* Negativè, & ſunt omninò cogendi, ut provideant de Miſſa in eorum propria Eccleſia celebranda; quia populus jus habet, ut ibi celebretur ſingulis diebus feſtis; & contrarium facientes, magnum abuſum committunt, quem Epiſcopi tolerare non debent. Sac. Congregatio apud Barboſ. *De Officio Parochi cap. 11. num. 3.* & Jord. *ubi ſupra num. 523.*

51. *Quær.* An Miſſarum numerus reſtringi debeat in capellaniis, & aliis oneribus perpetuis, ſi aliquo anno accidat grando, vel ſiccitas? *Reſp.* Negativè, quia ſterilitas unius anni temperatur cum abundantia annorum præcedentium, vel ſubſequentium. Perez de Lara *De Capellan. & Anniverſ. lib. 1. cap. 15. num. 15.* Jordan. *ubi ante num. 595.*

52. *Quær.* An Miſſam celebrare poſſint Sacerdotes advenæ inconſulto Epiſcopo loci, ſaltem in Eccleſiis Regularium? *Reſp.* Negativè, nam etiam Regularibus poteſt Epiſcopus id prohibere, & inobedientes punire. Sac. Congregatio *die 11. Auguſti 1649.* quam refert Nicol. *in Lucubr. Canonicis lib. 3. tit. 31. num. 15.* Barboſ. *Deciſ. Apoſtolicar. collect. 476. num. 17. & 18. & collect. 661. num. 17. & 18.* Ego ipſemet *De Euchar. deciſ. 60.*

53. *Quær.* An expediat magis habere multos Sacerdotes celebrantes, quamvis non exemplaris vitæ; aut paucos, & honeſtis moribus imbutos? *Reſp.* Expedire, ut potiùs pauci habeantur, qui ſint exemplaris vitæ; quia ſanctitate morum, non autem Sacrificiorum multitudine placatur Deus, ut ait Gloſſ. *in cap. Unico. in Verb. Nimiam. De Religioſis domibus in 6.* & refert Lother. *De Re benefic. lib. primo qu. 28. num. 63.* Eſt tamen attendenda Diœceſis amplitudo, & neceſſitas Miniſtrorum.

54. *Quær.* Ad Miſſarum onera perpetua

recipienda quæ solemnitates requirantur? *Resp.* Quòd Episcopus licentiam in scriptis concedat, si relicta sint alicui Ecclesiæ sibi subjectæ; vel Superiores Religionum annuant, si Regularibus relicta sint. Ita Urbanus Octavus in *Decretis de Celebrat. Miss.* de quibus apud Gavant. *post Manuale Episcoporum*, & apud Jordan. *d. lib. 4. tit. 1. num. 515.* ubi sunt pœnæ inflictæ contra inobedientes.

55. *Quær.* An peccet Sacerdos, qui Missa completa non recitat hymnum trium puerorum, vel non sistit in gratiarum actionem? *Resp.* Secluso contemptu non peccare, saltem mortaliter; quia Rubrica in hoc non est præceptiva, sed consilium dat: & certè valdè decet Sacerdotes orare, & in gratiarum actione pro temporis opportunitate se continere. Quartus *part. 2. tit. 12. dub. 3.*

56. *Quær.* An Sacerdos post Missam teneatur lavare manus sub pœna peccati? *Resp.* Negativè, quamvis non desint, qui id affirment. Diana *par. 10. tract. 12. resol. 19.* Quibus non adhæret Quartus *tit. 12. dub. 4.*

57. *Quær.* An peccet, qui post Missam, vel communionem statim ad prandium accedit, vel aliàs comedit, vel bibit? *Resp.* Negativè, secluso scandalo, vel contemptu; quia licèt contrarium videatur statutum *in cap. Tribus gradibus. De Consecrat. dist. 2.* tamen canon ille in desuetudinem abiit. D. Thom. 3. *part. qu. 80. art. 6.* Quarto *ubi ante dict. tit. 12. dub. 5.* ubi tamen monet, ob reverentiam Sacramenti abstinendum esse per aliquod spatium à cibo, prout etiam à quacunque prophana occupatione, & de hoc videnda sunt, quæ ego scripsi *De Eucharistia decis. 25.*

58. *Quær.* Quamdiù species Sacramentales censeantur durare in stomacho post communionem, & post Missam? *Resp.* Cardinalem de Lugo ex consilio Medicorum sentire, ut particula, qua laici communicantur, consummetur à stomacho, etiam mediocris caloris, in sexagesima horæ parte; & idcircò in Sacerdote celebrante species consecratas esse in stomacho consumptas post semiquadrantem horæ; & ad summum in horæ quadrante. Alios verò docere, non posse in hoc tempus certum præfigi; sed attendendum esse majus, vel minus robur stomachi, & complexionis; ideoque neque minus medietatis horæ, neque majus tempus unius horæ requiri ad consummationem, nisi ageretur de stomacho debilissimo. Diana *part. 5. tract. 3. resol. 55.* Quartus *dict. part. 2. tit. 12. dub. 6.* ubi infert, quòd si vomitus accidat post horam à communione, non esse trepidandum circa species Sacramentales, quia censentur omninò consumptæ, ac etiam multò ante horam, si stomachi vires sint satis robustæ, ut latè probavi *De Eucharistia dict. decis. 25.* ubi latè de hoc necessario quæsito.

59. *Quær.* Quid agendum, si quis statim post Communionem moneretur, species Sacramentales sumptas esse venenatas? *Resp.* Posse statim provocare vomitum, neque id esset in offensionem Sacramenti; quia expedit, ne calix vitæ vertatur in mortem. S. Thom. 3. *parte q. 83. art. 6. ad 3.* & Tambur. quos citat, & sequitur Quartus *ubi supra dict. dub. 6. in fine.*

60. *Quær.* Quid agendum de vomitu occurrente post Communionem? *Resp.* Si species Sacramentales appareant, & iterum sumi possint absque nausea, sumendæ sunt vel ab eodem, vel ab altero, qui sit jejunus. Si absque nausea sumi non possint, reponantur in loco sacro, & ibi custodiantur, donec fuerint corruptæ; quia tunc projicientur in Sacrarium. Si verò species non appareant, vomitus comburatur, & cineres in Sacrarium mittantur. Rubrica Missalis, & ibi Quartus *par. 3. tit. 10. n. 14.*

61. *Quær.* An si celebrans post sumptionem statim evomat Sacramentum, & illud absque nausea reassumere non possit, debeat iterum consecrare, & iterum sumere? *Resp.* Esse hinc indè opiniones, sed negativam esse tenendam, quia perfectio Sacrificii non stat in retentione specierum, sed in earum sumptione. Quartus *ubi supra dub. 3.*

CAPUT CXIX.

De Sacramento Pœnitentiæ, & Contritione.

1. *Quær.* Quot sint partes Sacramenti Pœnitentiæ? *Resp.* Sunt tres, Contritio, Confessio, & Satisfactio. Concil. Trident. *sess. 14. cap. 3.*

2. *Quær.* Quid sit contritio? *Resp.* Est dolor perfectus, voluntariè assumptus propter Deum pro peccatis, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. S. Thom. 3. *par. in addit. qu. 9. art. 1.*

3. *Quær.* An necessariò talis dolor debeat confessionem præcedere? *Resp.* Sufficere, si talis dolor eliciatur ante absolutionem, & sic vel in expressionem peccatorum, vel statim illis expositis. S. Thom. 3. *par. qu. 72. art. 4.* P. Candid. *Disquis. 31. art. 1.*

4. *Quær.* Quotuplex sit Contritio? *Resp.* Est duplex, una perfecta, quæ habet motivum supernaturale ob offensam Dei, quatenus peccatum est offensa Dei, & hæc verè est contritio, & habet vim justificandi sine Sacramento Confessionis in re, quando deficit commoditas confitendi, & habetur in Voto, ac in desiderio. Altera est contritio imperfecta, quæ vocatur Attritio, & suum motivum sumit à metu pœnarum, vel gehennæ, vel turpitudinis peccati, vel amissionis bonorum, & hæc licèt ex se sola non sufficiat pro remissione peccatorum, sufficit cum Sacramento. Concil. Trident. *sess. 14. cap. 4.* S. Thom. 3. *part. in add. qu. 1. art. 1. & 3. part. qu. 80. art. 4.*

5. *Quær.* An Attritio, ut sit sufficiens ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, debeat includere efficacem voluntatem non peccandi de cætero? *Resp.* Affirmativè. Concil. Trid. *sess. 14. cap. 4.* Unde qui doleret de peccato ob timorem pœnæ, sed cum tali affectu, quòd si pœna non esset, non præcaveret peccatum, non consequeretur remissionem. P. Candidus *ubi supra art. 2. num. 6.* Ego ipse in meis Decisionibus *de Pœnitentia Decis. 13. & Decis. 14.*

6. *Quær.* An sufficiat attritio, vel contritio unius, vel alterius peccati tantùm? *Resp.* Cum

Cum distinctione: vel loquimur de peccatis mortalibus, & contritio, aut saltem attritio debet esse generalis, & universalis de omnibus, quia impium est à Deo justo dimidiam sperare salutem. D. August. apud S. Thom. 3. *part. qu.* 84. *art.* 3. Vel intelligimus de peccatis venialibus, & sufficit particularis attritio de quibusdam, quia non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. Candid. *ubi supra artic.* 4. *num.* 4. ubi tamen excipit etiam in mortalibus, quando particularis tantùm attritio eliceretur ex ignorantia inculpabili, quemadmodum excipitur, & salvatur Confessio, quæ non sit integra ob inculpabilem oblivionem.

7. *Quær.* In quo differant inter se Contritio, & Attritio? *Resp.* Differunt circa objectum, quia Contritio dolet ob offensam Dei. Attritio ob metum Inferni; illa remittit peccata cum solo Sacramento in voto, hæc tantùm in re. S. Thom. 3. *part. qu.* 86. *art.* 2. Candid. *dict. disp.* 31. *art.* 7. Decisiones meæ de Pœnitent. *Decis.* 14. *num.* 8.

8. *Quær.* An contritio omnium mortalium includat dolorem etiam venialium; & è contra contritio venialium debeat se extendere etiam ad mortalia? *Resp.* Contritionem omnium mortalium posse stare sine dolore venialium, quia sine his illa remitti possunt. At dari non posse utilem contritionem venialium, quæ non se extendat etiam ad mortalia; nam sine mortalium remissione, neque venialia remittuntur. S. Thom. *ibid. d.* 3. *par. qu.* 87. *art.* 4. *ad* 2

9. *Quær.* An contritio debeat esse de singulis peccatis particulariter, vel sufficiat universalis de omnibus? *Resp.* Quòd sufficit universalis; licèt laudabile, & optimum sit in particulari, saltem de quacunque specie peccati, dolere. Candid. *ubi supra art* 6.

10. *Quær.* An contritio sit necessaria necessitate medii, & præcepti ad salutem? *Resp.* Affirmativè extra Sacramentum Pœnitentiæ, etiam si quis esset moriturus pro Christo; nam si peccata mortalia commisisset, & ea confiteri non posset, teneretur elicere actum contritionis ad consequendam æternam salutem; nam illa non daretur sine contritione per solum martyrium. Candid. *dict. art.* 7. *num.* 7. Quamvis contrarium esse verius ego ostendi in meis Decisionibus *de Baptismo Mense Februario qu.* 4, *Conditione* 5. ubi DD. & docui in tractatu *de Pœnitentia Decis.* 13. *num.* 14.

11. *Quær.* Quo tempore obliget Præceptum Contritionis? *Resp.* Quòd obligat in periculo mortis, si desit Confessarius, ac in periculo perpetuæ amentiæ; prout etiam si quis verletur in periculo committendi novum mortale, ad illud faciliùs evitandum; quamvis si in hoc casu non eliciat contritionis actum de peccato mortali præterito, & trahatur in novum mortale, non duo peccata nova committit, sed unum tantùm. Tandem obligat Præceptum Contritionis, ubi quis debet administrare Sacramenta. Candid. *d. Disquisit.* 31. *art.* 8. ubi in fine notat, quòd quis non tenetur statim confiteri post commissum mortale, neque in die festo, quia de hoc nullum extat positivum præceptum. At de his videantur meæ Decisiones de Pœnitentia *Decis.* XI. per totam.

12. *Quær.* Ad hoc ut contritio sit valida, an sit necessarium examen conscientiæ sicut in Confessione? *Resp.* Negativè, quia sufficit talis qualis confusa commissarum culparum recordatio, de quibus doleat; nam soli Deo dirigitur, qui intelligit cordis intima, quod est diversum in confessione, quæ cùm fiat Sacerdoti; habet necessariam integram expositionem peccatorum prævio examine factam, ad ferendum suum Judicium. S. Thom. 3. *part. in Addit. qu.* 1. *art.* 3. *ad* 2. Candid. *ubi supra art.* 8. *num.* 2.

13. *Quær.* An contritio ad sui valorem requirat durationem temporis? *Resp.* Negativè; quia peccatum fit in instanti; & sic in instanti destrui potest per merum actum contritionis. S. Thomas 3. *part. quæst.* 80. *art.* 2. Candid *ubi supra art.* 11. *num.* 5.

14. *Quær.* An homo possit justificari sine aliquo contritionis actu? *Resp.* Negativè, nisi ex absoluta potentia Dei. Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. *&* 7. S. Thom. 3. *part. quæst.* 86. *art.* 2.

CAPUT CXX.

De Confessione Sacramentali.

1. *Quær.* Quid sit Sacramentalis Confessio? *Resp.* Est legitima, & Sacramentalis accusatio de propriis peccatis, facta Sacerdoti; ad obtinendam remissionem peccatorum per absolutionem. Candid. *disquis.* 28. *art.* 1. Si studiosus pleniorem definitionem desideret, videat meam Decisionem XV. *de Pœnitentia num.* 10.

2. *Quær.* An positus in periculo mortis, non habens copiam confessarii, possit peccata sua laico confiteri? *Resp.* Negativè, quo ad finem obtinendi Sacramentalem absolutionem; imò, si laicus eam dare præsumeret, efficeretur irregularis. *cap. Si quis. De Cleric. non Ord. Minist.* Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. Affirmativè verò responderi potest quo ad majorem contritionem acquirendam per illum humilitatis actum, ex quo demonstrat, se dispositum ad Sacramenta suscipienda. Candid. *ubi supra d. disquis.* 28. *art.* 1. *num.* 4. Ego *de Pœnit. Decis. XVIII.*

3. *Quær.* Quænam sit materia Sacramentalis Confessionis? *Resp.* Esse actus pœnitentis, qui consistunt in dolore pro peccatis, in accusatione voluntaria sui ipsius de eisdem, & in satisfactione pro ipsis. Concil. Trid *sess.* 14. *cap.* 3. Candid. *ibid. art.* 2. *num.* 2. *&* 3. Ubi advertit, supradictos actus esse materiam proximam Pœnitentiæ Sacramenti; remota verò esse ipsamet peccata. Ego ipse *de Pœnit. Decis.* 13.

4. *Quær.* An omnes prædicti actus pœnitentis sint partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ? *Resp.* Contritionem, & Confessionem esse partes essentiales; Satisfactionem verò esse partem integralem. S. Thom. 3. *part. qu.* 84. *art.* 2.

5. *Quær.* Quid, & quotuplex sit peccatum? *Resp.* Peccatum est recessus à lege Divina voluntà-

luntarius. Est autem triplex. Originale, Mortale, & Veniale. S. Thom. 1. 2. *qu.* 88. *art.* 2. Peccatum originale, ac actuale ante Baptismum non est materia sufficiens Sacramenti Confessionis; quia Confessio est instituta à Christo ad reconciliandos fideles lapsos post baptismum, qui tunc subjiciuntur Jurisdictioni Ecclesiæ. Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. Mortalia commissa post baptismum sunt materia necessaria Sacramenti. Venialia verò sunt materia sufficiens. S. Thom. 3. *part. qu.* 84. *art.* 2. & 6. Supradicta mea *Decis. XIII. de Pœnitentia.*

6. *Quær.* An peccata mortalia jam per confessionem dimissa, sive venialia possint esse materia sufficiens pro nova confessione? *Resp.* Affirmativè, dummodo denuò homo se accuset de illis cum novo dolore; tunc enim potest iterum ei absolutio dari, quæ non est frustratoria; nam etsi peccata illa verè jam fuerunt remissa, nihilominùs de præsenti confert augmentum gratiæ, & remissionem partis pœnæ virtute Sacramenti, & ex opere operato. S. Thom. *in* 4. *dist.* 18. *qu.* 1. *art.* 3. Candid. *disquisit.* 29. *art.* 1. *num.* 7. ubi laudat generalem Confessionem de præteritis; subdens, quòd in illa potest homo se accusare de nonnullis peccatis, & de aliis non, si ita velit; quia non est dimidiare confessionem, cùm peccata jam dimissa sint materia sufficiens, non autem necessaria; quòd etiam procedit in venialibus. Quomodo autem possint denuò remitti peccata, quæ antea fuerunt dimissa per confessionem, latè demonstravi *de Pœnitentia. Decis.* 35. *à num.* 8. *& seqq.*

7. *Quær.* An qui sola venialia habet, teneatur semel in anno confiteri? *Resp.* Doctores negativam opinionem tenere, quod diximus etiam supra circa tertium Præceptum Ecclesiæ. Porrò Candidus *ubi ante disquis.* 29. *art.* 2. monet, teneri ad se præsentandum Confessario, antequam communionem Paschalem accipiat, & dicere, se non habere conscientiam peccati mortalis. Vide *de Pœnitent. Decis.* 33.

8. *Quær.* An qui sola peccata venialia habet, possit ea confiteri absque dolore? *Resp.* Negativè, ideò, si non doleret saltem de uno, peccaret mortaliter, quia redderet scienter Sacramentum nullum, cùm absque dolore, & detestatione peccati esse non possit. Candid. *dict. art.* 2. *num.* 3. & d. mea *Decis.* 33. *de Pœnitentia.*

9. *Quær.* Quinam sint effectus peccati? *Resp.* Duo sunt, culpa, & pœna. Culpa est inimicitia cum Deo ob amissionem gratiæ divinæ. Pœna est duplex. Alia damni, quæ consistit in privatione divinæ visionis. Alia sensus, quæ stat in punitione materiali, & hæc vel est perpetua, qua plectuntur damnati in inferno; vel temporalis, cui addictæ sunt animæ in Purgatorio. Candid. *d. disquis.* 29. *art.* 3. *num.* 9.

10. *Quær.* An peccata dimissa per Sacramentalem Confessionem reviviscant, si homo incidat in nova peccata? *Resp.* Negativè, si verè, & propriè loquamur: at secundùm quid dicuntur reviviscere in aliquo modo, um quia iterum homo evadit inimicus Dei ob culpam, sicut erat ante primam confessionem; tum etiam quia, si pro dimissis peccatis non feciisset integram satisfactionem, erit torquendus etiam pro illis in inferno, casu quo decedat absque nova pœnitentia. S. Thom. 1. 2. *quæst.* 87. *art.* 5. *ad* 2. Candid. *ubi supra art.* 5. *num.* 4.

11. *Quær.* Quot, & quantas qualitates debeat habere Confessio Sacramentalis, ut sit valida? *Resp.* Quatuor, nempè, ut sit diligens, integra, fidelis, & obediens. DD. Communiter, & Toletus *lib.* 3. *cap.* 7. Ego *de Pœnit. Decis.* 15. *num.* 32.

12. *Quær.* Quænam diligentia sit necessaria in Confessione? *Resp.* Ut Pœnitens præmittat examen suæ conscientiæ; ad hoc ut possit invenire peccata commissa, & ea confiteri. Toletus *ibid.* & Coton. *lib.* 2. *Controv.* 6. *num.* 46. ubi ex Scoto dicit, tantum examen requiri, quantum posset aliquis adhibere circa aliquam rem arduam, quæ multum sibi esset cordi. Sed de hoc quæsito ne deleras legere meam *Decis. XXI. de Pœnitentia.*

13. *Quær.* Quomodo cognosci possit, an sufficiens examen adhibitum sit? *Resp.* Dianam *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 31. docuisse regulam, nempè si facta confessione, occurrant memoriæ plura peccata oblita, non confessa, examen reputari insufficiens, si verò pauciora sufficiens. Porrò, hæc regula nimis laxa videtur Coton. *ubi supra num.* 48. ubi firmat, id remittendum esse conscientiæ uniuscujusque, spectata eorum memoria, & longitudine temporis examinandi, ut *in d. Decis.* 21.

14. *Quær.* An homo, qui rarò confitetur, teneatur peccata sua scribere ad juvandam memoriam? *Resp.* Affirmare Bonacinam, negare Vasquez, ut videre est apud Coton. *ubi ante num.* 49. qui concordando illos dicit, affirmandum esse ex consilio; negandum de præcepto.

15. *Quær.* An qui præmisit examen insufficiens, credens illud sufficiens, sit validè confessus? *Resp.* Cum distinctione, aut putavit sufficiens invincibiliter, & erit validè confessus, ita, ut iterum confiteri non teneatur, nisi quæ oblitus est; aut vincibiliter, & tunc non censetur validè confessus; & tenebitur repetere confessionem antea factam. Coton. *ibid. num.* 50.

16. Quæ integritas requiratur in confessione? *Resp.* Ut explicentur distinctè omnia peccata mortalia quo ad speciem, & quo ad numerum; non quidem omninò exactè, sed quantùm possibile est homini post mediocrem diligentiam, secundùm capacitatem uniuscujusque, ne Sacramentum odiosum reddatur. Coton. *d. lib.* 2. *Controv.* 6. *num.* 13. Ubi subdit, quòd qui non potest species omnes, & numerum culparum exponere, vel ob earum multitudines, ut in meretricibus, vel ob temporis diuturnitatem; satis erit, si se accusent, tanto tempore steriisse in prostitutione, vel in continua habitudine peccandi; quod docet etiam Canus *De Pœnit. par.* 5. §. *Colligo*, Et Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 89. & pro regula est, ubi certa notitia non possit haberi de numero, ut explicetur verosimilior, addendo, *Plus, minusvè.*

17. *Quær.*

17. *Quær.* Quousque possit se extendere illa clausula, seu cautela *Plus minusvè ? Resp.* Ordinariè loquendo ad duo, vel tria, infra, vel supra numerum expressum. Sancius *disp. 2. select. num.* 13. Quamvis magis verum sit, id relinqui arbitrio prudentis viri juxta qualitatem, & naturam subjectæ materiæ ex *l. Hæc adjectio. ff. de Verbor. Significat.* & idcò si numerus principalis sit magnus ; latiùs potest intelligi dicta cautela *Plus minusvè* ; strictiùs autem, si numerus expressus sit angustior. Coton. pluribus citatis. *dict. controv. 6. num.* 16. 17. *&* 18.

18. *Quær.* Si postea recordetur numerum certum qui confessus est cum dicta cautela *plus, minusvè*, teneatur iterum illum exprimere, aut saltem excessum, vel defectum numeri, de quo recordatur ? *Resp.* Circa defectum non teneri, quia plus ex cautela confessus, sibi soli præjudicavit ; circa verò excessum, non teneri, quando excessus non esset nimis magnus ; vel quando inspecta qualitate pœnitentis, & prudentia Confessarii, probabile est, intellexisse etiam dictum excessum, & eum in absolutione comprehendisse. Diana *part. 11. tract. 6. resol.* 58. Coton. *ubi supra num.* 19. 20. 21. *&* 22. At de hoc, & præcedentibus quæsitis lege meam *Decis. 24. de Pœnitentia.*

19. *Quær.* An teneatur confiteri peccata, qui est dubius circa illa ? *Resp.* Quatuor esse posse dubietates, seu ambiguitates. Prima, An peccatum commissum sit ? Secunda, An olim sit de illo confessus ? Tertia, Cujus speciei fuerit peccatum ? Quarta, An fuerit mortale, vel veniale ? Circa duas primas alii Doctores asserunt, alii negant, quòd qui dubius est, teneatur confiteri. Diana *part. 10. tract. 12. resol.* 2. Circa tertiam debeat confiteri in genere. Circa quartam debet exprimere quod sibi magis probabile putat. Coton. *ibidem num.* 23.

20. *Quær.* An, qui confessus est peccatum dubium, cùm de eo esset in dubio, teneatur iterùm illud confiteri ut certum, si de eodem certus fiat ? *Resp.* Quòd licèt plures Doctores asserant teneri, ut videre est apud Dianam *part. 10. tract. 19. resol.* 79. Contrarium tamen docent moderni Doctores, quos allegat, & sequitur Coton. *dict. lib. 2. controv. 6. num.* 24. *&* 25.

21. *Quær.* An, qui confessus est peccatum in genere, teneatur illud confiteri in specie, cùm de illa meminerit ? *Resp.* Cum distinctione : vel species, quæ in memoriam venit, est species propria peccati, ut si quis peccatum carnis confessus est, sed non recordabatur, an cum libera, vel cum conjugata ? & in hoc casu, tenetur confiteri in specie, quando eam propriè addicit. Vel species prædicta respicit gravitatem : exempli gratia, quia priùs nesciebat, an esset culpa mortalis, vel venialis, sed eam, prout capiebat, in genere confessus est ; in hoc casu communis est Doctorum sententia, quòd non teneatur amplius confiteri. Diana *part. 4. tract. 3. resol.* 5. Coton. *ubi supra num.* 27. *&* 28.

22. *Quær.* An ad integritatem confessionis oporteat explicare circumstantias peccati ? *Resp.* Affirmativè quoad circumstantias mutantes speciem. Concil. Trident. *sess. 14. cap.* 5. *&* *can.* 7. Negativè quoad circumstantias aggravantes tantùm intra eamdem speciem. S. Thom. Scot. Duran. & alii, quos refert Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 56. & Coton. *ubi ante num.* 29. *&* 30. Nisi forsan essent notabiliter aggravantes à parte objecti, id est, in re, in qua quis committit peccatum ; tunc enim tutior est sententia, quòd sint explicandæ. Garz. *De Benef. part. 3. cap. 1. num.* 143. *&* 144. Et de hac opinione ego latè disputavi *de Pœnit. Decis XXV.* quam studiosus legere non omittat.

23. *Quær.* Quæ sint circumstantiæ notabiliter aggravantes à parte objecti ? *Resp.* Sunt sex præcipuè. *Prima*, gradus consanguinitatis in incestu. *Secunda*, quantitas in furto, vel in injuria. *Tertia*, quando uno actu plures sunt occisi, vel infamati. *Quarta*, odium in Deum. *Quinta*, peccatum inter Confessarium, & Pœnitentem. *Sexta*, si peccatum habeat annexam censuram, vel reservationem, aut requiritur à Confessario pro bona directione pœnitentis. Busemb. *lib. 6. tract. 4. art. 1. num.* 3. Coton. *ubi supra num.* 31. ubi notat, Confessarium habere Jus interrogandi pœnitentem de his circumstantiis, & illas non posse occultari.

24. *Quær.* An pro integritate confessionis necesse sit, manifestare complicem peccati ? *Resp.* Negativè ; imò complex non est manifestandus, nisi in casibus, in quibus esset omninò denunciandus. Dian. *part. 6. tract. 7. resol.* 2. Coton. *num.* 37.

25. *Quær.* Si quis non possit confiteri circumstantiam mutantem speciem, nisi manifestando complicem notum Confessario, teneatur illum manifestare ; e. g. si habuisset rem cum sorore Confessarii ? *Resp.* Quòd inter se altercantur Doctores, sed tutior est opinio, quòd nisi alius haberi possit Confessarius, teneatur Pœnitens manifestare complicem, quia pluris præponderat integritas confessionis, quàm complicis fama. Tambur. *De expedita confessione lib. 2. cap. 9. §. 2.* & Coton. *ubi ante num.* 36. At quòd debeat potiùs dimidiare confessionem, & complicem non nominare, si de ejus gravi detrimento timeat, ego docui *de Pœnitentia Decis. 23. num.* 14. cum DD. ibi allegatis.

26. *Quær.* Quanto tempore Pœnitens debet expectare alium Confessarium, qui complicem notum non habeat ? *Resp.* Non plus, quàm unum, vel alterum diem, cùm periculosum sit perseverare in mortali ; & per solam contritionem non ita facilè sit exire de periculo. Coton. *ibid. num.* 38.

27. *Quær.* An complex possit manifestari pro circumstantia explicanda circa Peccatum veniale, vel aliàs confessum ? *Resp.* Negativè secundùm magis communem opinionem, quamvis aliqui moderni affirment, eò quia, ajunt, pœnitens utitur Jure suo. Dian. *part. 11. tract. 4. resol.* 41. & Coton. *num* 40.

28. *Quær.* An integritas confessionis necessaria sit in confessione generali, vel de peccatis aliàs confessis ? *Resp.* Negativè, quia illa non sunt de necessitate confessionis, sed de

sufficientia, & pro libito pœnitentis possunt explicari. Coton. *num.* 41.

29. *Quær.* An laudabile sit, accusare se de imperfectionibus moralibus, quæ non sunt verè peccata, quia non sunt de præcepto; puta, quòd corpus non maceraverit, quòd ad orationem quotidiè mentalem non surrexerit faciendam, vel Deum, quantum potest, aut debet, non amaverit? *Resp.* Negativè. Sancius *in Select. disp.* 7. Porrò affirmant communiter pii Doctores, quia id fit ad abundantiam, & cautelam, & ex hoc Confessarius magis cognoscit conscientiam pœnitentis. Coton. *ubi ante num.* 44. *&* 45. Diana *part.* 9. *tract.* 9. *resol.* 9.

30. *Quær.* In quibus casibus cesset obligatio integritatis confessionis? *Resp.* In pluribus casibus, quorum præcipui sunt sequentes: *Primò*, si pœnitens sit mutus, vel surdus, balbutiens, aut ignotæ linguæ. *Secundò*, si inter confitendum periculum sit, ne æger moriatur. *Tertiò*, si periculum mortis immineat multis, ut in prælio, vel naufragio. *Quartò*, si peccatum sine aliquo gravi periculo revelari non possit. *Quintò*, si pœnitens habeat reservata, & Confessarius ab illis absolvendi non habeat facultatem, nam sola non reservata potest confiteri, quod secundùm aliquos DD. procedit, sed non est verum secundùm saniorem doctrinam, quia integritas confessionis (præcisa necessitate Physica, vel morali) est de Jure divino; & ideò est tenendum, quòd Pœnitentes sunt mittendi ad Superiorem, qui vel audiet totam confessionem, & absolvet illos, vel ablata reservatione remittet eosdem ad suum Confessarium, qui omnium peccatorum confessione audita eos absolvat. Eminentiss. Card. de Lauræa *in* 4. *sentent. tom.* 2. *disput.* 12. *art.* 8. *Sextò*, si pœnitens peste correptus sit, & Confessarius infici timeat longa auscultatione. Coton. *ubi ante dict. lib.* 2. *controv.* 6. *num.* 52. ubi allegat Auctores sic docentes. De prædictis casibus ego disputavi *de Pœnitent. decis.* 23. *à num.* 7. *& seqq.* ubi vide.

31. *Quær.* An, quo casu non potest quis exprimere peccatum aliquod sine periculo, teneatur illud exprimere in genere? *Resp.* Affirmativè juxta magis communem opinionem, quam approbat pluribus citatis. Coton. *ibid. num.* 53. subdens, quòd si Confessarius interrogaret pœnitentem de specie illius peccati, posset respondere, quod non recordatur, intelligendo de notitia hìc, & nunc utili ad confessionem absque periculo faciendam, quod monet etiam Cardin. de Lugo *De Pœnitent. disp.* 16. *num.* 531. Et ego *dict. Decis.* 23.

32. *Quær.* An Confessuro multa peccata mortalia, tacito uno ob periculum, satis sit attritio respectu omnium? An de tacito sit necessaria contritio? *Resp.* Sufficere attritionem generalem, etiam pro illo, sicut sufficit ad diluenda indirectè oblita. Card. de Lugo *ubi ante num.* 553. & Coton. *num.* 55. Contrarium tamen sustinet Card. de Lauræa ut in d. mea *Decis.* 23. *num.* 12. *de Pœnit.*

33. *Quær.* An, qui tacuit in confessione unum peccatum ob periculum, teneatur postea statim, habita opportunitate, confiteri peccatum relictum? *Resp.* Scotum affirmare; sed plures DD. sentire contrarium, ita, ut sufficiat illud confiteri, quando urgeat nova obligatio confessionem faciendi, nam formaliter integra fuit confessio: & idem de dicto casu est judicandum, ac de peccatis ex defectu memoriæ oblitis. Dian. *part.* 9. *tract.* 9. *resol.* 19. Coton. *ibid. num.* 56. Contrarium est verius, ut in *d. Decis.* 23. *num.* 13.

34. *Quær.* Quomodo agendum esset à Confessario, si plures essent confessuri, & tempus non deserviret, puta in prælio, vel in naufragio? *Resp.* Posset indicere aliquod signum exterius pœnitentiæ, puta, tunsionem pectoris, vel genuflexionem, & eos omnes sic pœnitentes unica absolutione à peccatis absolvere, dicendo: *Ego vos absolvo* &c. Ita Diana *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 71. & Coton. *ubi supra n.* 57. *&* 58. ubi notat, dicta signa fieri debere coram ipso Sacerdote, aliàs absolutio esset invalida ob Decretum *Clementis Octavi de anno* 1602. damnans eos, qui docebant, confessionem fieri posse absenti per litteras, vel internuncium; sub quo decreto comprehendi potest etiam casus prædictus; quamvis excipiatur casus infirmi dantis signa pœnitentiæ absente Confessario; nam eo superveniente, licèt amplius ea facere non possit, est absolvendus. *cap. Ægrotantes, & cap.* 8. *de Consecrat. d.* 4. & docet Rituale Romanum, ac Doctores, quos refert, & sequitur Coton. *ibidem. num.* 60. *& num.* 66. ubi addit, in tali casu circa dicta indicia pœnitentiæ prædita credendum esse etiam uni testi de auditu, quia in jure, ubi non agitur de præjudicio tertii, creditur uni testi. Felin. *in cap. Veniens il primo num.* 8. *de testib.* & confirmat Diana *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 31.

35. *Quær.* An possit absolvi moribundus bonæ famæ, qui nulla signa dedit, vel dare potuit pœnitentiæ? *Resp.* Esse hinc indè opiniones Doctorum; & quidem affirmativa est magis pia, & fulcitur auctoritate multorum. Negativa videtur magis legalis, quia materia Sacramenti pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, quibus deficientibus absolutio dari non debet; & si datur, censetur nulla. Sancius *in Select. disp.* 44. *num.* 35. Henriq. *lib.* 3. *de Pœnit. cap.* 10. *n.* 6. Coton. *ubi supra num.* 68. Quitamen *num.* 70. *&* 71. concludit, in praxi esse amplectendam opinionem affirmativam, sicque semper impendendam fore absolutionem, etiam hominibus malæ vitæ ex generali præsumptione, quòd quilibet fidelis in articulo mortis petat confessionem; Ideò absolvendus est sub conditione vel explicita, vel etiam mentali in confessario, si signa dedisti, vel si capax es absolutionis; ex Suar. & Diana *ibi citatis.*

36. *Quær.* Quid significet qualitas *Fidelitatis* servanda in confessione? *Resp.* Quòd pœnitens veritatem dicat, & non mentiatur. Coton. *Controv.* 6. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. Ego ipse *de Pœnit. Decis.* 29.

37. *Quær.* An quodlibet mendacium dictum in Confessione sit mortiferum? *Resp.* Negativè, quia si sit de re levi, vel de re non pertinente ad confessionem, censetur tantùm veniale.

veniale. Tambur. *De Expedit. Confess. lib. 2. cap. 10. §. 2. num. 45.*

38. *Quær.* An peccaret mortaliter, qui se accusaret tantùm de uno peccato veniali, quòd non fecisset? *Resp.* Magis communem opinionem esse affirmativam, quia magna est culpa reddere Sacramentum irritum ex proposito. Diana *part.. 3. tract. 4. resol. 96.*

39. *Quær.* An sit mortale, mentiri in Confessione circa mortalia aliàs confessa? *Resp.* Negativè, si illa non habeat connexionem cum confessione præsenti. Cæterùm si aliquo modo connectantur, puta quia confessarius interrogaret ad cognoscendum, an pœnitens habeat consuetudinem sic peccandi, ad hoc ut possit ei opportuna remedia dare, sentiunt Doctores, pœnitentem mentiri non posse absque culpa mortali. Jo. Pontius *disp. 45. q. 4. num. 32.* Diana *part. 11. tract. 7. resol. 37.* & Coton. *d. lib. 2. Controv. 6. num. 9.*

40. *Quær.* An pœnitens possit habere duos Confessarios, & uni priùs confiteri peccata gravia, alteri verò levia ad servandam sui bonam opinionem apud illum? *Resp.* Affirmativè, neque posse in hoc ad lethalem culpam condemnari; nisi ex tali modo arriperet occasionem perseverandi in consuetudine peccati. Dian. *part. 3. tract. 4. resol. 132.* Coton. *ibid. num. 12.* & Candid. *disp. 32. art. 1. num. 6.*

41. *Quær.* Quid agendum, si Confessio facta fuerit sine integritate, vel sine fidelitate? *Resp.* Si ita facta sit ob malitiam, vel ob ignorantiam crassam, repetenda est confessio, & iterùm facienda de omnibus peccatis, si verò absque malitia, vel ex ignorantia invincibili, sufficit confiteri peccatum omissum, vel circumstantiam non explicitam. Coton. *ubi ante num. 72. & 73.* Ego ipse *de Pœnitent. Decis. 31.*

42. *Quær.* Ad quid teneatur pœnitens, si cognoscat Confessarium ob somnum non audivisse sua peccata, vel aliquod peccatum; aut ob ignorantiam non perveniisse ad perfectam notitiam malitiæ, seu gravitatis peccati? *Resp.* In casu somni repetendam esse confessionem; in casu verò solius ignorantiæ, si pœnitens bona fide confessus est, ad nihilum amplius teneri ex magis communi Doctorum opinione. Diana *part. 11. tract. 4. resol. 10.* Coton. *ubi ante num. 73.* & *dict. mea Decis. 31.*

43. *Quær.* Qualem obligationem habeat pœnitens, qui omisit in Confessione mortale peccatum, credens vel non esse mortale, vel non esse confitendum? *Resp.* Si id egit bona fide, & ignorantia inculpabili, non teneri, nisi ad illud peccatum confitendum; quod si secùs egerit, totam confessionem repetere debere. Coton. *ibid. num. 74. 75. & 76.* qui *num. 77.* subdit, quòd si pœnitens sit in dubio, an tacuerit bona fide, vel ex malitia, tutius esse, ut repetat totam confessionem, quia in dubio standum est pro præcepto integritatis; & fidelitatis in confessione.

44. *Quær.* An sint repetendæ etiam Confessiones posteriores ritè factæ post illam primam malè factam? *Resp.* Negativè, si has bona fide fecerit; secùs si cum conscientia erronea, & stimulo malæ confessionis præcedentis. Diana *part. 11. tract. 6. resol. 58.* Coton. *num. 78. dict. mea Decisio 31. de Pœnitent.* omninò videnda.

CAPUT CXXI.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

1. *Quær.* Quis possit absolvere à peccatis, vel sit verus Minister Sacramenti Pœnitentiæ? *Resp.* Sacerdos, qui Parochiale beneficium obtinet, vel facultatem audiendi confessiones obtinuit ab Episcopo, vel à Papa. Concil. Trident. *sess. 23. cap. 15.*

2. *Quær.* Cur non omnis Sacerdos possit validè absolvere, si in ejus ordinatione datur ei à Deo immediatè facultas absolvendi per illa verba: *Ascipe Spiritum Sanctum, quorum dimiseritis peccata, remittuntur eis &c.*? *Resp.* Quia illa potestas, quamvis jure divino tradita, non potest exerceri, nisi in subditos, eò quia absolutio per modum judicii conferenda est, & judicium in non subditos non exercetur. Conc. Trident. *d. sess. 14. cap. 7.* & quamvis DD. insudent in explicanda hac quæstione, veritas ita est; & termini, quibus Doctores utuntur, sunt sequentes: nempè quòd in ordine datur à Deo Sacerdoti jurisdictio habitualis, potestas verò ab Ecclesia actualis; vel quòd à Deo datur potestas remota; ab Ecclesia verò proxima; vel quòd in ordinatione datur jurisdictio, sed suspensa, donec ab Ecclesia deputentur subditi, in quos exerceatur sicut ille, qui lauream Doctoratus assequitur, obtinet jus judicandi, sed judicare non potest, nisi à Principe ei assignetur populus, quem judicet. Coton. plurimos cumulans ubi ante *lib. 2. Controv. septima per totam.* Ego ipse *de Pœnit. Decis. 37. num. 7.*

4. *Quær.* An Parochus, vel Confessarius approbatus in Diœcesi Patavina possit absolvere Patavinum, si ambo reperiantur extra Diœcesin Patavinam? *Resp.* Affirmativè infrascripti DD. si uterque habeat domicilium in Dœcesi Patavina, & Confessarius non sit approbatus ad audiendas confessiones in aliquo loco particulari tantùm. Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp. 34. num. 2.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 144.* Coton. *d. lib. 2. Controv. 7. num. 16. & num. 76.* Sed hodie respondendum est negativè; stante Bulla Clementis Papæ Decimi *Incipien. Superna.* Quæ est in *Bullario tom. 6. Const. 7.* quod à me notatum est *de Pœnit. d. Decis. 37. num. 20. & 21.*

4. *Quær.* An Monialibus possit dari Confessarius extraordinarius ultra tres vices per annum; & an dandus sit uni Moniali in particulari? *Resp.* Quòd quamvis neget Gavantus *in Verb. Monialium cura spiritualis*, tamen affirmant ex Regularibus multis, quos allegat Diana *part. 6. tract. 8. resol. 28.* & Coton. *ubi ante num. 30.* Tutius est dicere, id arbitrio Episcopi esse remittendum, qui in hoc summa prudentia debet procedere; nam quandoque malum erit denegare Confessarium particularem, aliquando malum erit illum concedere, ut experientia demonstrat, & disserui *de Pœnit. Decis. 41.* 5. *Quær.*

5. *Quær.* An, qui tempore Paschæ adveniente confitetur Regulari, teneatur iterùm confiteri Parocho, vel sufficiat prior confessio pro adimplendo præcepto de annua confessione facienda? *Resp.* Nonnullos Theologos Parisienses tenuisse, præceptum non impleri, nisi confessio fieret proprio Parocho; at talis opinio damnata fuit à S. Congr. quæ censuit, adimpleri per confessionem factam Regulari; & S. Congr. sententiam confirmavit *Innoc. X. die 7. Februar.* 1645. testante Diana *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 3. & Cotonius *num.* 33.

6. *Quær.* An Episcopus possit revocare licentias audiendi confessiones antea concessas Presbyteris tam Sæcularibus, quam Regularibus? *Resp.* Affirmativè, si eas concessit ad suum beneplacitum duraturas. Si verò indefinitè eas concessisset, non posset revocare, nisi aliqua justa causa subsistente: ideòque Episcopus Patavinus de anno 1654. magnam litem habuit cum Regularibus, qui ob revocatas sibi audiendi confessiones licentias ad S. Congr. recursum habuerunt, sed quia Episcopus legitimam causam Sac. Congr. docuit, Victor evasit; & inde cœpit licentias unicuique ad annum tantummodò concedere. Coton. *d. lib.* 2. *Controv.* 7. *num.* 42. & 43. ut retuli *de Pœnit. Decis.* 38.

7. *Quær.* An facultates audiendi confessiones, concessæ ab Episcopo, durent eo mortuo, vel eò ad aliam sedem translato? *Resp.* Affirmativè, quamvis contrarium plures DD. scripserint, quorum opinionem experientia rejecit; nam omnes confessarii continuant in ministerio, donec Vicarius Capitularis, vel Episcopus successor eos convocet ad novam licentiam suscipiendam. Coton. *ubi supra num.* 45.

8. *Quær.* An de jure simplex Sacerdos absque positiva licentia Episcopi possit confessiones Sacramentales audire, & absolvere? *Resp.* Olim omnes affirmabant in duobus casibus ex communi calculo Doctorum: *primo* in mortis periculo; & *secundo*, si agatur de confitendis tantùm venialibus culpis, vel mortalibus aliàs confessis. Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 86. Cotonius *ubi supra num.* 55. & 56. Hodie tamen non est permissum, confiteri venialia Sacerdoti non approbato, quia id est prohibitum *ex Decreto Sacr. Congregat. Concilii* circa Communionem Quotid. *die* 12. *Februar.* 1679. posito in meis Decis. *de Eucharistia decis.* 10. *Et de Pœnitentia Decis.* 15. *num.* 30. & *Decis.* 44. *num.* 48.

9. *Quær.* An in mortis articulo absolutio Sacramentalis validè detur à Sacerdote etiam excommunicato, vel suspenso, vel schismatico, vel etiam hæretico? *Resp.* Affirmativè, quia neque censura; neque hæresis tollit characterem, à quo in dicto casu provenit validitas absolutionis Sacramentalis. Diana *par.* 8. *tract.* 1. *resol.* 2. Coton. *num.* 60. *Controv.* 7. *lib.* 2. At contrarium docet Fagnanus à me relatus *de Pœnitent. Decis.* 42. *num.* 2. Si sit excommunicatus denunciatus, asserens sic decisum à Sacra Congregatione.

10. *Quær.* Quid sit articulus mortis, & periculum mortis? & an in utroque quilibet Confessarius possit absolvere à peccatis? *Resp.* Articulum mortis esse, cùm mors jam proximè instat, & inevitabiliter, ut cùm infirmus derelictus est à Medicis, vel reus est damnatus ad mortem. Periculum verò mortis dicitur, quando probabile est mortis dubium ex conditione illius status, in quo frequenter mori contingit, exempli gratia, in dolore laterum, in pleuritide, in prælio terrestri, vel maritimo, in ingressu longæ navigationis, in Navi non bene provisa, in ortu tempestatis, in capitali banno ob continuum periculum interfectionis; tempore partus propinquantis, maximè ubi expertæ non sint obstetrices; si pestis sæviat in civitate; in quibus omnibus casibus potest simplex Sacerdos confessiones audire, & absolvere; quia in hac re, in qua agitur de animæ periculo, non est expectandus mortis articulus, sed sufficit probabile periculum moriendi. Coton. alios allegans *ubi supra num.* 61. *Vers. Ego consentio.* Et dixi *de Pœnit. decis.* 37. *num.* 27.

11. *Quær.* An in articulo, vel in periculo mortis, confessio fieri possit simplici Sacerdoti, si adsit Parochus, vel Sacerdos approbatus? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; sed in tali casu negativam prævalere; nisi fortè Parochus, vel approbatus, aliqua censura essent irretiti; tunc enim præferendus esset simplex Sacerdos; & ubi quilibet Sacerdos haberet aliquod canonicum impedimentum; suspensi, & interdicti essent præferendi irregularibus; irregulares verò excommunicatis denunciatis, hos autem degradatis; degradatos verò catholicos hæreticis. Coton. *ubi supra num.* 62. qui monet, talem distinctionem personarum servandam esse, ubi tempus eam admittat; vel nisi moribundus jam cœpisset facere suam confessionem cum aliquo ex prædictis; tunc enim licèt perveniret, qui magis esset idoneus, nihilominus posset continuare suam confessionem cum primo minùs idoneo. De excommunicatis denunciatis, degradatis, & hæreticis dic *ut supra quæs.* 9.

12. *Quær.* An Episcopus possit negare licentiam audiendi confessiones Sacerdoti aliàs idoneo, & merenti? *Resp.* Affirmativè, quamvis enim non licitè videretur negare; tamen validè negaret, quia stat in ejus arbitrio illam concedere, vel non limitatam, vel ad beneplacitum. Diana *part.* 11. *tract.* 2. *resol* 19. Cotonius *dict. lib.* 2. *Controvers.* 7. *num.* 79. & 80.

13. *Quær.* An Episcopus novus possit suspendere omnes Confessarios, & eos vocare ad novum examen, etiam Regulares? *Resp.* Affirmativè, ex decreto Sac. Congreg. relato per Dianam, & Barbosam, quibus citatis adhæret Coton. *ibid. num.* 82. Ego ipse *de Pœnit. Decis.* 38. *num.* 18.

14. *Quær.* An dari possit Confessio invalida ob nimiam Sacerdotis ignorantiam? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, sed modernos Theologos amplecti opinionem negativam, ea ratione, quia ad validitatem Sacramenti sufficiunt materia, nempè actus pœnitentis; forma, nempe absolutio; & intentio, quæ in Sacerdote etiam ignorante non desunt; ideò

valida esset confessio; quamvis sic audiendo confessiones Sacerdos ignorans peccaret, Coton. *ubi ante num.* 85. & in meis Decisionibus *de Pœnit. Decis.* 31. *num.* 16.

CAPUT CXXII.

De Casibus reservatis.

1. *Quær.* Qui possint peccata sibi reservare? *Resp.* Papa in toto Orbe; Episcopus in sua Diœcesi; & Prælati Regulares, seu alii inferiores in suis subditis. Coton. *ubi supra num.* 86. 87. *lib.* 2. *Controv.* 7. Ego ipse in Decisionibus *de Pœnit. Decis.* 44.

2. *Quær.* An puellæ sæculares degentes in Monasteriis subjectis Regularibus, afficiantur reservationibus Episcopi, seu Regularium Prælatorum? *Resp.* Esse hinc inde opiniones. Alii enim volunt, eas subjacere reservationibus Episcopi, quia ipsæ puellæ non sunt exemptæ. Alii è contra, quia locus est exemptus, volunt eas subjacere reservationibus Regularium Prælatorum pro peccatis reservatis commissis, dum morantur in Monasterio illis subjecto. Diana *par.* 10. *tract.* 14. *resol.* 7. Coton. *ibid. num.* 88.

3. *Quær.* An Episcopus possit reservare peccata, absolvenda vel à Decano Capituli, vel ab alio Confessario per eum nominando? *Resp.* Affirmativè, ut ex Suarezio, & Cardinali de Lugo tenet Coton. contra Sotum *ubi ante num.* 90. 91.

4. *Quær.* An Papa, vel Episcopus possent reservare sibi absolutionem venialium? *Resp.* De rigore juris posse; sed inutilem evasuram talem reservationem, cùm necessariò venialia confiteri non oporteat, sicque non expediret venialia reservare, aut peccata mortalia aliàs confessa. Diana *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 52. Coton. *ubi ante num.* 91. 92. 93. Vide d. meam *Decis.* 44. *num.* 7.

5. *Quær.* An reservari possint peccata interna? *Resp.* Negare Bordon. *tom.* 1. *resol.* 37. *num.* 9. Sed affirmare Dian. *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 53. cui adhæret Coton. *num.* 94. subdens, quòd illa ratio, *Ecclesia non judicat de occultis*, procedit in foro exteriori, & quo ad censuras: secùs autem in foro Pœnitentiæ, & interno. Subdit tamen, non expedire talem reservationem, quia si peccator de internis non corrigatur, citò deveniet ad externa, quæ consultiùs possunt sub reservatione restringi. Ego ipse d. *Decis.* 44. *num.* 9.

6. *Quær.* An quæcunque peccata externa possint reservari, etiam dubia? *Resp.* Affirmativè, quo ad validitatem reservationis, negativè verò quò ad rectam methodum reservandi, nam Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. monet, graviora tantùm crimina solita esse reservari. Coton. *num.* 96. & 97. *lib.* 2. *Controv.* 7.

7. *Quær.* Quot, & qui Casus sint Papæ reservati? *Resp.* Esse Papæ reservatos viginti casus comprehensos in Bulla Cœnæ Domini; & ulteriùs sequentia. *Primò*, violatio clausuræ Monalium ad malum finem. *Secundò*, percussio gravis Clericorum. *Tertiò*, simonia realis scienter contracta. *Quartò*, confidentia beneficialis. *Quintò*, monomachia, seu duellum. *Sextò*, extractio reorum ab Ecclesia absque licentiâ Episcopi. *Septimò*, absolutio à reservatis Papæ, seu Episcopo sine debita licentia. Et in his omnibus casibus incurritur excommunicatio. Coton. *num.* 100. 101. 102. & 103. Vide meam *decis.* 41. *num.* 12. *de Pœnitentia.*

8. *Quær.* Qui, & quot Casus sint reservati Episcopo? *Resp.* Esse valdè discordes circa hoc quæsitum Theologos, & Canonistas, ut ex Gloss. *in cap.* 2. *verb. Reservantur, de Pœnitent. in* 6. & ex Piasecio *in Praxi par.* 2. *cap.* 2. *num.* 13. *& seqq.* Porrò præcipui casus sunt sequentes. *Primò*, hi omnes, quos Episcopus in sua Synodali Constitutione, vel Edicto particulari sibi reservat. *Secundò*, percussio levis Clericorum. *cap. Pervenit*, 17. *de Sentent. excommunic.* Ac etiam gravis, si percussor ob legitimum impedimentum non possit accedere ad Papam, vel ad ejus Legatum. Barbos. *de Offic. & Potest. Episcopi, Alleg.* 42. *num.* 7. Quæ autem sint legitima impedimenta, declarat Jord. *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 36. *& seqq. Tertiò*, casus, & censuræ Papales, quando factum, seu delictum est occultum, juxta celebre capitulum Concil. Trident. *sess.* 24. *de Refor. cap.* 6. (Excepto tamen homicidio voluntario. Item quando delicta priùs occulta sunt deducta ad forum contentiosum; Item excepto crimine hæresis; Item exceptis irregularitatibus etiam ex delicto occulto provenientibus; & attento tantùm foro conscientiæ, non autem externo. Jordan *ubi supra num.* 90. & exceptis supradictis septem casibus Papæ reservatis post Concilium Tridentinum, cujus decreto Papæ derogavit. Jordan. *ibid. num.* 92.) *Quartò*, Excommunicationes majores à Canonibus ipso Jure inflictæ, & nulli reservatæ; nisi consuetudo sit, ut à quolibet Confessario absolvantur. Jord. *d. lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 94. *&* 95. *Quintò*, Crimen incendiariorum, qui domos, fruges, aliavè proximi bona, data opera incendunt, quivè mandatum, consilium, vel auxilium ad id præstant. *cap. Si quis, & cap. Pessima.* 23. *qu.* 8. Quod tamen procedit, antequam prædicti denuncientur, & publicentur excommunicati; nam facta publicatione, neque Episcopus potest eos ampliùs absolvere, cùm sint remittendi ad Papam. *cap. Tua. De Sentent. excommunicat.* Et *sextò*, relaxatio juramentorum, nec non dispensatio, seu commutatio votorum. Jordan, *ubi ante num.* 101. Et d. mea *Decis.* 41. *num.* 13. *de Pœnit.*

9. *Quær.* An in reservatione casuum comprehendantur etiam pueri? *Resp.* Affirmativè, quando tantam malitiam sunt assecuti, & tantam habilitatem, ut compleant peccata ipsa reservata. Dian. *par.* 6. *tract.* 6. *resol.* 42. Coton. *dict. lib.* 2. *controv.* 7. *num.* 107.

10. *Quær.* An reservatio comprehendat tantùm peccata futura, an etiam præterita? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, sed cum distinctione videtur dicendum, etiam præterita comprehendi, si reservatio facta sit in remedium præservativum; secus autem, si fuisset facta in pœnam, quia pœna non trahitur ad præterita. Rota *Decis.* 818. *num.* 2. *part.* 3. *divers.* Coton. *ubi supra num.* 109.

11. *Quær.* An Episcopus possit absolvere à reservatis Papæ impeditos accedere personaliter ad Papam; si possint saltem per Procuratorem, vel per Litteras Papam adire, vel ad Legatum Apostolicum recurrere? *Resp.* Affirmativam opinionem esse probabilem, negativam esse magis tutam. DD. quos pro utraque allegat Coton. *ibid. à num.* 118. *& seqq. dict. lib.* 2. *controv.* 7. Ego ipse *de Pœnitent. Decis.* 45. *num.* 8.

12. *Quær.* An quilibet Confessarius possit absolvere à reservatis cum eo, qui ob impedimentum legitimum non potest accedere non solùm ad Papam, sed neque ad Episcopum? *Resp.* Affirmativè in uno casu, nempè si urgeret necessitas celebrandi, vel communicandi sub pœna infamiæ juxta doctrinam Suarez *tom.* 4. *disp.* 30. *sect.* 3. *num.* 10. & Dian. *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 49. Quamvis id non admittat Coton. *ubi supra num.* 123. dicens, quod extra articulum, seu periculum mortis, nemo inferior Episcopo potest à reservatis absolvere, & in casu prædicto evitandi infamiam satis esse confiteri non reservata; quia directè absolvi potest à non reservatis, & indirectè à reservatis, donec & quousque possit ea Superiori confiteri juxta per eum tradita *lib.* 2. *controv.* 4. *num.* 116. *&* 117. Vide DD. per me allegatos *de Pœnit. d. Decis.* 45. *num.* 12.

13. *Quær.* An qui commisit peccatum reservatum Patavii, & accedit ad aliam Civitatem, in qua dictum peccatum non est reservatum, possit ibidem absolvi? *Resp.* Affirmativè, quia Incolæ possunt ibi absolvi, & peregrinantes gaudent privilegio Incolarum, & talis est consuetudo, laudata à Sacra Congregatione *anno* 1616. Zambel. *Verb. Casus reservati num.* 26. Coton. *dict. lib.* 2. *Controv.* 7. *num.* 135. & d. mea *Decis.* 45. *num.* 16.

14. *Quær.* Quid agendum, si Superior neget facultatem absolvendi à reservatis Confessario, vel Pœnitenti poscentibus? *Resp.* In hoc casu quilibet Confessarius poterit pro ea vice Pœnitentem absolvere. Coton. *ubi supra num.* 151. Hoc tamen est intelligendum de Superiori Regulari, ac Confessario, Pœnitentique Regularibus; secùs autem de Pœnitentibus sæcularibus, hi enim possunt reperire alios Confessarios, habentes ab Episcopo facultatem absolvendi à reservatis. Et ita decisum fuisse à Sacra Congregatione, fert Nicolius *in Flosculis Verb. Casus reservati, num.* 8. *in fine.*

15. *Quær.* An, qui petit, & obtinuit licentiam absolvendi à reservatis, pro ea vice, possit absolvere, vel absolvi à reservatis commissis post obtentam licentiam? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, sed probabilior videtur affirmativè, nisi tali verborum forma sit licentia concessa, ut ad præterita tantùm referatur, nam alioquin petenti videtur licentia concedi, ut accedat ad confessionem, & à reservatis absolvatur. Coton. *ubi supra num.* 156.

16. *Quær.* An licentia à Confessario petita pro reservatis pro aliquo pœnitente, deservire possit pro ipso Confessario? *Resp.* Affirmativè, nisi talibus verbis usus esset, ut seipsum penitùs à licentia excluisset. Coton. *ubi ante num.* 158.

17. *Quær.* An Superior possit absolvere pœnitentem à reservatis, remittendo postea illum ad Confessarium inferiorem pro non reservatis? *Resp.* Negativè, quia vel debet integram confessionem audire, vel ab initio remittere pœnitentem ad suum Confessarium cum facultate absolvendi à reservatis. Coton. *ibid. num.* 26. ubi tamen notat, quòd si fortè Superior audiret tantùm reservata, & absolveret; pœnitens non teneretur ampliùs ea confiteri. Porrò, etsi antiqui Moralistæ ita docuerint, hodie tamen tenendum, & docendum est, quòd nullo modo possit dimidiari confessio adeò, ut si Pœnitens habeat casus reservatos, Superior debeat vel audire integram ejus confessionem, & absolvere ab omnibus peccatis, vel eum remittere ad inferiorem Confessarium cum facultate pro reservatis, ut doctè probat Eminentiss. Card. de Lauræa, *De Sacramento Pœnitentiæ disp.* 12. *art.* 8. *per totum.* Et ego dixi *d. Decis.* 45. *num.* 14. *de Pœnitentia.*

18. *Quær.* An tollatur reservatio per confessionem reservatorum invalidam, factam Superiori; ita, ut possint absolvi à simplici Confessario? *Resp.* Affirmativè, quia pœnitens, quamvis invalidè confessus, satisfecit intentioni Ecclesiæ per confessionem reservatorum factam Superiori. Coton. pluribus citatis *num.* 164.

19. *Quær.* An Pœnitens possit à quocunque absolvi circa reservata, si confessus est Superiori, sed oblitus fuit confiteri reservata? *Resp.* Tutior opinio est negativa, quia non præsumitur Superior voluisse absolvere reservata, de quibus nulla mentio facta est in confessione. Coton. *ubi ante à num.* 165. *usque in finem d. lib.* 2. *Controv.* 7.

20. *Quær.* An Confessarius possit absolvere non solùm à peccatis, sed etiam ab excommunicatione? *Resp.* Affirmativè, dummodo ea non sit alicui Superiori reservata. Coton. *dict. lib.* 2. *Controv.* 7. *num.* 170. 171. *& seqq.* ubi notat, reservationem incurri etiam ratione delicti patrati in alterius Territorio: unde Patavinus committens delictum, cui sit inflicta Venetiis excommunicatio reservata; & Patavii non reservata, si delinquat Venetiis, debet absolvi à Patriarcha Venetiarum, non autem ab Episcopo Patavino. Idem Coton *num.* 172. & 173. Quod tamen videtur intelligendum de delicto in foro exteriori, secùs autem de culpa quoad conscientiam, ut supra *num.* 13.

21. *Quær.* An simplex Sacerdos, sicut potest absolvere à venialibus, sic valeat absolvere ab excommunicatione minori, lata à jure pro peccato veniali? *Resp.* Affirmativè secundùm DD. antiquos, quos citat Diana *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 3. Coton. *ubi supra num.* 176. Hodie aliter est dicendum, ut supra *cap.* 121. *q.* 8.

22. *Quær.* An Episcopus possit ferre excommunicationem, & ejus absolutionem reservare Summo Pontifici, adeò ut ipse neque volens possit ampliùs ab ea absolvere? *Resp.* Negativè, nisi ipse Summus Pontifex acceptasset dictam reservationem. Coton. *ibidem num.* 179. ubi refutat Navar. contrarium docentem *in suis quæst. forens. part.* 1. *q.* 66.

23. *Quær.*

23. *Quær.* An excommunicatus si reperiatur in articulo mortis, & nullus adsit Sacerdos, possit absolvi ab excommunicatione tum à clerico, tum etiam à laico? *Resp.* Opinionem affirmativam habere multos Auctores antiquos, qui eam probabilem vocant; inter quos Glossa *in cap. A nobis 2. vers. Non potuerit. De Sentent. excommunicationis*, & alii, quos refert Coton. *ubi supra num.* 182. Sed negativam esse veram opinionem, in hoc casu tenendam, demonstrat idemmet Coton. *ibidem* ex pluribus rationibus, & præcipuè, quia Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. ubi refert, solitum fuisse in Ecclesia, ut absolutio detur in periculo mortis de omnibus censuris, & reservatis, dicit, à quocunque Sacerdote; ergo non à simplici clerico, & multò minus à laico. Vide meam *Decis.* 18. *de Pœnit.*

24. *Quær.* In dicto articulo mortis sub qua conditione possit quilibet Sacerdos absolvere à censuris? *Resp.* Sub duplici conditione; una est, ut ipse pœnitens satisfaciat parti læsæ, quantum potest; altera, ut si convalescat, se sistat coram Superiore, vel habente potestatem absolvendi, non ut amplius absolvatur, sed ut se obedientem demonstret, aliàs reincidat in censuram. Coton. *ubi ante n.* 184.

25. *Quær.* An Regulares possint absolvere à peccatis, & à censuris reservatis Episcopo, virtute suorum privilegiorum? *Resp.* Negativè secundùm magis probabilem opinionem, & bonorum Auctorum sententiam. Coton. *ibi num.* 185. *&* 186. Quod latè probavi *de Pœnitentia Decis.* 46.

26. *Quær.* Quis possit absolvere ab excommunicatione lata, & incursa ob percussionem Clerici? *Resp.* Si percussio sit gravis, & publica, solus Papa, vel ejus Legatus absolvit; si levis sit, vel occulta, ipse Episcopus absolvit. *cap. Pervenit. De Sentent. Excommunic.* Diana *part.* 9. *tract.* 4. *resol.* 47. Et nomine Episcopi venit etiam Prælatus inferior habens jurisdictionem quasi Episcopalem cum Territorio proprio, & Capitulum Sede Vacante. *cap. Unico De Major. & Obed* Coton. *ubi supra num.* 188. 189. ubi advertit, Regulares percutientes esse absolvendos à suo Superiore; & Moniales ab illo Prælato, cui subsunt.

27. *Quær.* Quid juris, si in uno Monasterio sit tantùm Superior, & alter Sacerdos, quem ipse Superior percutiat? *Resp.* Posse eidem Sacerdoti concedere licentiam, ut ipsummet absolvat à censura, & à peccatis. Diana *par.* 9. *tract.* 4. *resol.* 52.

28. *Quær.* Quid faciendum, si excommunicatus non potuit absolvi ante mortem, & mortuus sit in excommunicatione? *Resp.* Si dederit moriendo signa contritionis, de quibus unus testis sufficit, est absolvendus post mortem; non quidem à simplici Sacerdote, sed ab eo, qui habet potestatem. Diana *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 24.

29. *Quær.* Qui possit absolvere à suspensione, & ab interdicto? *Resp.* Si hæ censuræ latæ sint ab homine, debent absolvere, qui illas inflixerunt. Si à jure, & reservatæ sint; ille absolvit, cui sunt reservatæ; si nulli reserventur, omnis Confessarius absolvere potest. Coton. *ibid. num.* 200. *&* *num.* 201. ubi advertit, quòd si pro uno, & eodem delicto duæ latæ sint censuræ, una Papalis, & alia Episcopalis; si delinquens absolvatur à Papali, censetur absolutus etiam ab Episcopali, quia sic usus communis obtinet. Nald. *verb. Episcopus num.* 8. & Diana *par.* 5. *tract.* 9. *res.* 70.

30. *Quær.* Quid agendum, si quis in periculo mortis constitutus petat confessionem, & nullus alius Sacerdos sit, nisi unus ad Altare celebrans Missam? *Resp.* Tenetur relinquere Sacrificium, etiam post consecrationem; & properare ad audiendam confessionem; quæ, si nimis longa evaderet, & semihoræ spatium excederet, posset illam interrumpere, & absolvere, reverrendo ad Altare ad complendum Sacrificium. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 70. Coton. *ubi supra lib.* 2. *Controv.* 7. *num.* 204.

31. *Quær.* An absolutè, & sub pœna peccati mortalis Confessarius teneatur interrogare pœnitentem de circumstantiis peccati, saltem mutantibus speciem? *Resp.* Rigorosè loquendo negativè, quia vel pœnitens norit eas circumstantias, & eas explicabit à seipso; vel non norit, & est excusatus, si non explicet; nec Confessarii sunt onerandi cum tanto rigore, cùm satis onerosum sit munus, confessiones audiendi in se ipso. Cotonius allegans Cardin. Pallavicin. sic docentem, *ubi ante num.* 206. Sed hæc doctrina in praxi non est recipienda, quia Confessarius est præcisè obligatus interrogare Pœnitentem de Circumstantiis, ut scripsi *de Pœnitentia Decis.* 19. *num.* 30. *&* *Decis.* 36. *num.* 4. quas studiosus legere non prætermittat.

32. *Quær.* An quando pœnitens tenetur, deserere occasionem peccandi, possit Confessarius illum absolvere, antequam de facto deserat, sub promissione, & spe, quòd sit deserturus? *Resp.* Sancium *Select. disp.* 10. *num.* 4. docere, quòd sit absolvendus, etiamsi millies promisisset deserere, & semper defecisset, domodo det signa contritionis, & propositi emendandi se. Porrò, contraria opinio est tutior, id est, quod Confessarius non debeat absolvere nisi semel, aut bis; & aliquando etiam neque pro prima vice, nisi ab occasione peccandi discedat; nam experientia docet, sic expedire saluti animarum, quarum medicus est quoque Confessarius, licèt principaliter sit Judex. Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 107. Coton. *ubi ante n.* 208. Imò hodie est omninò repellendus; nam opinio contraria Sancii est damnata *ab Innocentio Papa XI. Propos.* 62. quam vide in Cardena *in Crisi Dissert.* 40.

33. *Quær.* An permittere possit Confessarius, ut pœnitens, qui concubinam dimisit, saltem ad eam accedat ad visendos filios, quos ex ipsa genuit? *Resp.* Bejam omninò negare tum ob scandalum, tum ob periculum reincidentiæ in peccatum *part.* 1. *cas.* 14. Sancium verò *in Select. disp.* 10. *num.* 9. prorsùs affirmare, dicendo, illud esse scandalum passivum, quando constat de emendatione. Porrò graviores DD. dicunt, non absque necessitate esse accessum permittendum; & in eo casu, ut pœnitens non accedat solus, sed cum sociis ad evitandum periculum reincidentiæ. Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 109. At videndus Cardenas *d. Dis.* 40. qui Sancii

nimis laxas, & periculosas opiniones jure reprehendit.

34. *Quær.* An Confessarius concubinarius possit suæ concubinæ confessionem audire, & absolvere? *Resp.* Rigorosè loquendo affirmativè, nisi obstet aliqua Constitutio Synodalis, aut Metropolitica, prout Mediolani obstare aliàs legi; & nisi periculum sit, ut deficiat dolor, & propositum emendandi; quare talis confessio esset satis ambigua, maximè si fieret absque necessitate. Sancius *disp.* 11. *num.* 16. Diana *dict. part* 5. *tract.* 14. *resol.* 10. Coton. *ubi ante num.* 211. Illustrissimus, & Reverendiss. D. meus Episcopus Vallaresius in sua Synodo hunc casum fecit sibi reservatum.

35. *Quær.* An liceat Confessario interrogare Pœnitentem de complice, vel alio peccatore? *Resp.* Communis sententia est negativa. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 42. *in fine.* Coton. *ibidem num.* 212. qui tamen concedit, indirectè posse interrogare, ut scilicet veniat in cognitionem speciei peccati, & circumstantiæ necessariæ; imò potest expresse cogere ad manifestandum, si casus talis sit, ut debeat publicè denunciari, qualis est sollicitatio ad turpia in confessione. At de complice per Pœnitentem Confessario non manifestando dixi *de Pœnitentia decis.* 23. *num.* 14.

36. *Quær.* Si pœnitens incidenter manifestasset complicem, & hic eidem Confessario confitens taceret illud peccatum, an posset, & debeat absolvere? *Resp.* Affirmative, quia standum est ipsi confitenti. Tolet. *lib.* 3 *cap.* 16. *num.* 4. & reputandum est, quòd potuit oblivisci, vel aliqua justa causa excusari ab illo manifestando. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 105. Coton. *ubi supra num.* 213.

37. *Quær.* Quas pœnas incurrat inferior Sacerdos absolvens à reservatis? *Resp.* Si absolvat à casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, incurrere excommunicationem; quod procedit, si præsumat, absolvere vel prætextu Privilegiorum, vel ex contemptu; secùs si ex ignorantia, vel ex inconsideratione. Coton. *ibidem. num.* 220. ubi notat, dictam excommunicationem nulli esse reservatam.

38. *Quær.* An Confessarius teneatur sequi opinionem Pœnitentis probabilem contra suam opinionem probabiliorem? *Resp.* Esse hinc inde Auctores. Sed placet distinctio ista: Aut opinio concernit profectum spiritualem pœnitentis, & si in illa inhæreat, potest Confessarius ei consentire. Aut respicit validitatem, vel essentiam Sacramenti, & in hoc casu Confessarius debet suam opinionem prosequi. Coton. *ubi supra num.* 222. *Controv.* 7. *lib.* 2. Vide quæ docui *de Pœnit. Decis.* 36. *num.* 11.

39. *Quær.* An possit Confessarius absolvere reum convictum, & damnatum de aliquo crimine, quod non vult confiteri in foro exteriori, sed confitetur ipsum in foro Sacramentali? *Resp.* Alii asserunt; alii negant. Est magis probabile, quòd possit, puta in executione sententiæ, licèt videatur judex injustè procedere, & testes falsos esse; nihilominùs communis existimatio habet, reos negare delicta quamvis vera, & ideò in conscientia poterit Confessarius reum absolvere nulla imposita obligatione, delictum publicè confitendi, etiamsi esset hæresis, ad effugiendam nimiam infamiam. Diana Coordin. *tom.* 5. *tract.* 8. *resol.* 33. §. 5.

40. *Quær.* Quot, & quales defectus potest committere Confessarius in Confessione, ad quos supplendos teneatur? *Resp.* Tria genera defectuum potest committere ipse confessarius, quos quidem supplere obligatus est. *Primò*, si omisit interrogare aliquam circumstantiam necessariam, vel numerum. *Secundò*, si absolvit invalidè ex defectu jurisdictionis. *Tertiò*, si aliquid dixit, vel dicere omisit, ex quo damnum ipsi pœnitenti, vel tertio resultavit. Card. de Lugo *de Pœnit. disp.* 22. *sect.* 3. Coton. *d. lib.* 2. *Controv.* 7. *num.* 225.

41. *Quær.* Quomodo Confessarius debeat supplere in primo casu? *Resp.* Si non interrogavit ex mera omissione, inadvertentia, aut ignorantia, communis est opinio, quòd ad nihil teneatur confessarius, quia sperandum est, quòd de cætero pœnitens ab alio magis docto instruatur; & tantummodo debet eumdem pœnitentem monere de omissa interrogatione, si ad novam confessionem faciendam ad eum revertatur. Si verò omisisset interrogare, docendo non esse necessariam confessionem numeri, vel circumstantias peccatorum, tenetur pœnitentem requirere, & de errore monere; & in utroque casu de sua culpa debet ipse confessarius pœnitere. Joan. Pontius *disp.* 46. *quæst.* 11. *num.* 150. Diana *part.* 11. *tract.* 4. *resol.* 9.

42. *Quær.* Si Confessarius invalidè absolvisset ex defectu jurisdictionis, quid agendum? *Resp* Si pœnitens unà cum peccato reservato confessus est etiam alia peccata, in hoc casu confessarius nihil tenetur supplere, quia indirectè pœnitens fuit absolutus etiam à reservatò, cùm sit in bona fide. Si verò solum reservatum confessus foret, aliqui dicunt, etiam in hoc casu, stante bona fide pœnitentis, non esse opus supplemento, Jo. Pontius *ubi supra num.* 149. Sed communior opinio est, teneri confessarium petere facultatem à Superiore absolvendi à reservato, & inducere pœnitentem ad novam confessionem, eumque monitum de invaliditate præteritæ absolutionis, iterùm absolvere. Diana *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 60. Et novissimè *part.* 11. *tract.* 4. *resol.* 9. Coton. *ubi ante num.* 228.

43. *Quær.* Quid supplendum, si pœnitens erat obligandus ad restitutionem, & Confessarius eum non obligavit; undè factus est impotens cum damno creditoris? *Resp.* Si confessarius positivè docuit, non teneri ad restitutionem, debet confessarius eundem pœnitentem monere, ut restituat, & si interim bonis decoxerit, debet de suo facere restitutionem. DD. apud Dianam *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 1. Si verò ex omissione, vel ex ignorantia non monuit, ad nihilum confessarius tenetur, ut contra docentes contrarium tenet Bonacin. *de Restit. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 11. *num.* 12. Quia obligatio confessarii non est erga tertium, sed solum erga pœnitentem. Sed de hoc vide scripta per me *de Pœnitentia Decis.* 36. *num.* 10.

44. *Quær.*

44. *Quær.* An circa absolutionem à reservatis extent aliquæ Propositiones damnatæ? *Resp.* Esse duas damnatas *ab Alexand. VII. anno* 1665. id est, *la* 3. Quæ ajebat: *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem Hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt &c. tolerata est.* Nec non la 4. quæ asserebat: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque saculares ab hæresi occulta. & ab excommunicatione propter eam incursa.* Ex quibus deducitur, quòd hodie nullus Prælatus, vel Confessarius potest absolvere à Casibus reservatis in Bulla Cœnæ Domini, etsi occultis, neque à Duello, Simonia, Violata clausura Monialium ad malum finem, neque à violata Immunitate Ecclesiastica, quamvis occultè patrata: neque à reservatis per Episcopum, ut probavi *de Pœnitentia Decis.* 46. *num.* 17.

CAPUT CXXIII.

De Absolutione Sacramentali.

1. *Quær.* Quid sit absolutio Sacramentalis? *Resp.* Quòd est actus judicialis, quo Sacerdos absolvit pœnitentem à peccatis, de quibus est ritè confessus. Concil. Trident. *de Sacram. Pœnit. sess.* 14. *cap.* 6.

2. *Quær.* Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ? *Resp.* Est absolutio, quam dat Sacerdos per illa verba: *Ego absolvo te à peccatis tuis &c.* Scot. *in* 4. *dist.* 14. *lit. A* & Coton. *d. lib.* 2. *de Sacramentis Controv.* 8. *in princ.*

3. *Quær.* An Absolutio possit dari non verbis, sed nutu, vel scriptura? *Resp.* Negativè, quia ex doctrina Conciliorum habemus, formam hujus Sacramenti consistere in verbis Sacerdotis absolventis; sicut forma aliorum Sacramentorum stat in verbis ministrantium. Coton. *d. Controv.* 8. *num.* 1. Ego ipse de Pœnitentia *Decis.* 15. *num.* 35. & plenius in *Decis.* 35. per totam.

4. *Quær.* Quid dicendum, si quis petat confessionem in articulo mortis, & ibi non adsit, nisi Sacerdos mutus; an talis Sacerdos audiens peccata, possit absolvere nutibus, vel scribendo in pagina: *Ego te absolvo?* *Resp.* Doctores in hoc casu timidè consentire, ut sic data absolutio sit forma valida Sacramenti; nam certum est, eam consistere in verbis. Porro stante casu extremæ necessitatis, docent melius esse, ut sic mutus Sacerdos absolvat, quàm ut se omninò retrahat; nam sicut moribundus, qui supponitur dolere de peccatis, potest absolvi, quamvis signa expressa non dederit, sic videtur non reprobanda talis absolutio. Diana *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 14. Coton. *ubi supra num.* 2. & 3.

5. *Quær.* An forma Absolutionis consistat in omnibus illis verbis in Rituali Romano annotatis, nempè, *Misereatur &c. Indulgentiam &c. Dominus Noster Jesus Christus &c. Passio Domini Nostri &c* Vel tantummodò in illis verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen?* *Resp.* Quamvis antiqui Doctores dixerint, tota illa verba Ritualis Romani esse de forma, certum est apud modernos, ea non esse de forma, quia hæc reducitur tantummodò ad hæc verba; *Ego absolvo te à peccatis tuis In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.* Imò plures Doctores tenent, non esse necessarium dicere: *In Nomine Patris &c.* Quia Christus Dominus tradendo facultatem Apostolis absolvendi ea non dixit, prout illa dixit, quando baptismum instituit. Hinc etiam sufficere pro forma, si Sacerdos dicat: *Ego te absolvo*, nonnulli sustinent, quamvis alii subdant, esse addendum: *A peccatis tuis*, ad validitatem formæ. DD. apud Cardin. de Lugo *de Pœnitent. disp.* 13. *num.* 17. & Diana *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 11. & Coton. *ubi supra à num.* 5. & *seqq. usque ad num.* 10. observans, verba *à peccatis tuis* esse exprimenda, tum ad distinctionem censurarum, tum quia Dominus Noster dixit Apostolis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Vide dicta in *dict. mea Decis. de Pœnitent.*

6. *Quær.* An valida sit absolutio Sacramentalis, si detur aliis verbis, quàm prædictis: *Ego absolvo te à peccatis tuis?* *Resp.* Affirmativè, si verba sint talia, quæ habeant eundem sensum; Unde validè absolveret, qui diceret: *Ego tibi remitto, vel condono peccata tua.* Vel: *Tibi à me remittuntur, seu condonantur tua peccata.* Vel: *Volo, ut absolvaris à tuis peccatis; Jubeo, dicovè, te à peccatis absolutum.* Scot. *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 4. Coton. *ubi supra num.* 13. & 14.

7. *Quær.* An validè absolveret Sacerdos, qui in plurali loquendo diceret: *Nos absolvimus te à peccatis tuis &c.*? *Resp.* Vel sic diceret causa dignitatis, ut si sit Prælatus, & validè absolveret: vel ad denotandum, quòd plures sint, qui dictam absolutionem tribuant; & tunc nulla esset absolutio, quia immutatur sensus, & intentio Ecclesiæ. Dian. *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 13. Coton. *ubi ante num.* 15.

8. *Quær.* Si quis confiteretur peccata sua coram duobus, vel tribus Sacerdotibus uno, & eodem tempore, an ipsi omnes simul possent dictum pœnitentem absolvere? *Resp.* Affirmativè, supposita recta intentione absolvendi tanquam ministri Ecclesiæ; quòd si unus citiùs alteris absolutionem proferret, hic primus directè à peccatis absolveret, alii verò indirectè, quia peccata etiam aliàs confessa, & absoluta sunt materia sufficiens absolutionis. Coton. *ubi supra num.* 16. 17. & 18. ubi notat, quòd si dicti Sacerdotes simul absolvant, tanquàm unicum judicium facientes, unum Sacramentum omnes simul conficerent; si verò tanquàm singuli, & tanquàm diversas confessiones audientes, plura Sacramenta constituerent, ex Card. de Lugo & Diana *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 46.

9. *Quær.* An valeat Absolutio, si illam Confessarius proferat verbis deprecativis; ut *Absolvat te Deus.* Vel: *Oro Deum, ut te absolvat, & absolutum habeat:* vel similibus? *Resp.* Negativè ob illam doctrinam Scoti *in q.* 4. *supra citat.* ab omnibus Theologis, & Canonistis receptam, quòd scilicet Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii, undè sententia non est proferenda deprecando, sed jubendo, absolvendo, & mandando; nam Christus Dominus non dixit, pro quorum peccatis oraveritis, remittentur; sed quorum peccata dimiseritis, dimittentur eis. Diana

part. 5. tract. 13. resol. 34. Coton *ubi ante num. 19. & 20.*

10. *Quær.* An sit valida Absolutio, si detur à Confessario sub conditione? *Resp.* Si detur sub conditione de præterito, vel de præsenti, erit valida, quatenus conditio, quæ supponitur, vera sit; si autem daretur sub conditione de futuro, absolutio valida non foret, quia effectus Sacramenti non potest stare in suspenso, & pendere ab incerto. Dian *part. 11. tract. 4. resol. 18.* & Coton. *num. 21, & 22.* ubi supra.

11. *Quær.* An, quando Absolutio datur sub conditione, necesse sit eam verbis exprimere, vel sufficiat, eam in mente retinere? *Resp.* Sufficere eam retinere in mente, quia Deus intuetur cor, & coram Deo est manifesta mens Confessarii. Dian. *part. 10. tract. 11. resol. 55.* & Coton. *ubi ante num. 26.*

12. *Quær.* An mutatio formæ consuetæ, & à Rituali Romano præscriptæ in absolutione sit mortale, quamvis alia verba sufficientia adhibeantur? *Resp.* Magis communis opinio est, ut mortalis culpa reputetur dicta mutatio, si absque causa urgente fiat. Relinquere autem illas preces *Misereatur &c. & Passio Domini Nostri &c.* non est mortale, neque veniale, si causa honesta subsit, ob quam tantùm illa Verba adhibeantur: *Ego absolvo te à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Quod in praxi servatur à doctis, piisque Confessariis, præcipuè in reconciliationibus brevibus, & ubi magnus est numerus Pœnitentium, ut docet Coton. *ibid. num. 23. 24. 25.*

13. *Quær.* An Absolutio sit danda in præsentia pœnitentis, vel etiam absenti? *Resp.* Nonnullos DD. existimasse, Decretum Clementis Octavi prohibentis confessionem fieri per litteras, vel in absentia, non prohibere absolutionem in absentia, quando priùs pœnitens in præsentia confessus fuisset. Porrò communis opinio est, absolutionem neque in hoc casu posse dari absenti: & ideò præsente pœnitente est promulganda. Verum tamen est, quòd hæc præsentia pœnitentis non debet esse omninò physica, id est, ut realiter sit prostratus ad pedes Confessarii, sed sufficit moralis, ut si sit in eodem templo, aut cubiculo, aut parumper discesserit à Confessario; qui si nondum absolvit, potest absolutionem proferre; & hoc sæpè accidit, dum rustici tempore festivitatum turmatim accedunt ad confessionem, nam eorum plurimi, cùm expleverint accusationem suam, quando Sacerdos incipit: *Misereatur tui, &c.* ipsi surgunt, & abeunt, quod mihi non semel occurrit; & aliquando eos revocavi ad confessionale; reprehendendo illos de discessu intempestivo; aliquando verò satiùs duxi; illos absolvere sic discedentes, ne admirationem adstantibus gignerem, vel scandalum darem. Præmissa docet Coton. *ubi supra num. 27.* Et ego scripsi *de Pœnitentia. Decis. 35. num. 18.*

14. *Quær.* An Absolutio à censuris possit dari in absentia? *Resp.* Affirmativè, quia hæc extra Sacramentum potest semper conferri, præterquàm si Superior committat alicui facultatem absolvendi cum clausula: *In Confessione Sacramentali.* Diana *part. 9. tract. 7. resol. 9.* Coton. *ubi ante num. 28. 29.* qui notat, posse dari etiam sub conditione de futuro, & sic quoad reincidentiam, & tam verbis, quàm scriptis; ac demùm etiam invitis, dummodo absolvens id faciat auctoritate sua ordinaria; secùs si virtute Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ. Diana *part. 5. tract. 9. resol. 10.* tunc enim non datur nisi petentibus, *& pœnitentibus in præsentia.*

15. *Quær.* Quæ sint servanda in absolutione à censuris in foro exteriori? *Resp.* Quòd absolvendus juret de parendo mandatis Ecclesiæ, vel de exequenda pœnitentia sibi injuncta; quòd dicantur preces à Rituali Romano præscriptæ cum levi flagellatione humeri nudati ipsius pœnitentis; quamvis aliquando hæ cæremoniæ possint omitti, & sufficiat dicere: *Ego absolvo te à vinculo Excommunicationis, quam ob talem causam incurristi, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & Communioni fidelium. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Coton. *ubi supra num. 38.*

16. *Quær.* Ad quid valeant illa verba, quæ ante absolutionem à peccatis dicunt Confessarii: *Absolvo te à vinculo Excommunicationis, Suspensionis* (si pœnitens est Clericus) *& interdicti, in quantum possum, & tu indiges?* *Resp.* Valent ad auferendas censuras, si quibus pœnitens innodatus foret, adhoc ut valida sit absolutio à peccatis. Coton. *ubi supra num. 39.*

17. *Quær.* An per dicta verba auferantur censuræ, de quibus pœnitens non habet notitiam, etiamsi illæ essent de reservatis? *Resp.* Affirmativè, dummodo tamen eam intentionem habeat, se præsentandi Superiori, & satisfaciendi, si aliquando certus evaderet de censura. Diana *part. 10. tract. 13. resol. 56.* & Coton. *d. lib. 2. Controv. 8. num. 40.*

18. *Quær.* An sint dicenda illa Verba *Passio D. N. J. C. &c.* & ad quid valeant? *Resp.* Esse dicenda, nisi magnus sit numerus pœnitentium expectantium: & valere, ad elevanda bona opera pœnitentis absoluti, ut ex opere operato ei prosint ad meritum, & ad satisfactionem pœnarum, ut ex modernis DD. dixi *de Pœnitentia Decis. 34. num. 18. & Decis. 35. num. 3.*

CAPUT CXXIV.

De Satisfactione.

1. *Quær.* Quænam sit tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ? *Resp.* Est Satisfactio, non est tamen pars essentialis, tum quia ante adimplementum satisfactionis habetur effectus Sacramenti, tum etiam quia aliquando satisfactio injungi non potest, cùm scilicet absolvitur quis in articulo mortis, postquam sensus amisit; & ideò vocatur Pars Sacramenti, sed pars integralis. Coton. *de Sacram. lib. 2. Controv. 10. num. 1.*

2. *Quær.* An Satisfactio sit injungenda ante absolutionem, vel post absolutionem? *Resp.* Nil refert, an detur ante, vel post; licèt usus obtineat, ut injungatur ante. *cap. fin. de Censur. in 6.* Dian. *part. 3. tr. 4. res. 136. & par. 5. tract. 13. resol. 36.*

3. *Quær.*

3. *Quær.* An semper sit injungenda Satisfactio pœnitenti? *Resp.* Negativè, quia si pœnitens sit morti proximus, si aliàs satisfactoria opera fecisset pro peccatis, vel tempore Jubilæi sit facturus opera in illo præcepta, potest confessarius absolvere absque alterius satisfactionis injunctione. Gloss. *in Extrav. Antiquorum. De Pœnit. & remiss.* Coton. *ubi supra num.* 3.

4. *Quær.* An Pœnitentia sit imponenda, ubi quis confitetur mortalia, vel venialia jam pluries in aliis confessionibus absoluta? *Resp.* Remanere in arbitrio confessarii, qui propterea absque ullo scrupulo potest abstinere à novæ pœnitentiæ impositione; secluso tamen contemptu. Card. de Lugo *de Pœnit. disp.* 25. *num.* 50. Coton. *ibid. num.* 4.

5. *Quær.* An Confessarius possit imponere pœnitentiam consulendo, vel debeat eam injungere præcipiendo? *Resp.* Vel agimus de pœnitentia vindicativa pro satisfactione culparum, & hanc præcipiendo debet Confessarius injungere, quia agit, ut Judex. Vel intelligimus de pœnitentia præservativa, & hæc potest imponi consulendo, quia Confessarius in ea se gerit tanquam purus Medicus. Coton. *ubi supra, ubi DD. allegat à num.* 5. *usque ad num.* 8.

6. *Quær.* Quale opus sit pro pœnitentia injungendum? *Resp.* Omne opus bonum, quod vocari possit pœnale; & pendet à tribus generibus, ab oratione, jejunio, ab eleemosyna. S. Thom. *in Supplemen.* 3. *p. q.* 15. *art.* 3. & Scotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *lit. F.* & in electione pœnitentiæ imponendæ debet attendere Confessarius, ut illa non solùm sit vindicativa, sed eò magis præservativa. Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. Coton. *ubi supra num.* 9. *&* 10.

7. *Quær.* An Confessarius possit injungere Pœnitenti consuetudinario, ut quoties reincidat in peccata, toties agat talem, vel talem pœnitentiam? *Resp.* Si strictè loquamur de pœnitentia vindicativa peccatorum committendorum, non potest eam injungere, quia Confessarius non est Judex culparum committendarum; sed si consideretur talis pœnitentia tanquam medicinalis, & præservativa, vel etiam vindicativa peccatorum, quæ pœnitens confessus est, sed delata ad tempora reincidentiæ, poterit eam Confessarius injungere, quamvis cautè sit agendum, ne illaqueentur conscientiæ; & scrupuli gignantur inextricabiles. Castropalaus *tom.* 3. *tract.* 4. *disp.* 1. *part.* 9. Diana *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 30. Coton. *dict. lib.* 2. *controv.* 10. *num.* 10. 11. *&* 12. Vide exemplum militis blasphemi, cui Confessarius injunxerat, ut quoties blasphemaret, Crucem faceret cum lingua in terra: & cùm blasphemasset in pugna, recordatus pœnitentiæ, statim se prostravit in terra, ut Crucem faceret cum lingua; & tunc percussus pila plumbea ignita in humeris, non fuit offensus. Rosignol. *in Libello linguæ purgatæ cap.* 17. *in fine.*

8. *Quær.* An pro pœnitentia possit Confessarius injungere officium defunctorum, vel aliud pium opus applicandum animabus Purgatorii? *Resp.* Nonnullos Theologos tenere partem negativam; ea ratione, quia si pœnitentia debet satisfacere pro pœnis, quas Pœnitens esset passurus in Purgatorio, non debet, nec potest satisfacere pro aliis ibidem patientibus. Porrò, verior, & communior est opinio affirmativa, quam pii, & docti Confessarii in praxi exercent, & suis libris tradiderunt, vel quia pœnitenti remanet satisfactio resultans ex opere operato, & animabus Purgatorii confertur illa, quæ emanet ex opere operantis; vel quia dicta pœnitentia prodest pœnitenti quoad satisfactionem; & animabus Purgatorii quoad impetrationem levaminis à tormentis; vel quia illud opus injunctum tanquam pœnale, & Sacramentale valet ad satisfactionem debiti ipsius pœnitentis, & tanquam deprecativum; & vim suffragii habens sublevat animas Purgatorii, quibus applicatur. Dian. *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 26. Coton. *pluribus hinc inde citatis, dict. controv.* 10. *num.* 13. *&* 14. Vide, quæ larga manu scripsi de hoc quæsito in meis decisionibus *de Eucharist. Decis.* 58. Et in illis *de Pœnitentia. Decis.* 34.

9. *Quær.* An Confessarius pro pœnitentia possit injungere opus aliàs debitum, ut audire Missam in die festo? *Resp.* Regulares loquendo non, nisi ob pœnitentis debilitatem id faceret cum aliqua circumstantia, puta majoris attentionis, vel contemplationis mysteriorum Missæ. Coton. *ubi supra num.* 15.

10. *Quær.* An Confessarius concedere possit pœnitenti, ut pœnitentiam impositam impleat per alium? *Resp.* Negativè, quamvis aliqui Doctores contrarium dicant; nam contritio, confessio, & satisfactio sunt partes Sacramenti adimplendæ ab ipso Pœnitente. Card. de Lugo *de Pœnit. disput.* 25. *num.* 82. Coton. *ubi ante num.* 16. *&* 17. Et ego ipse *d. Decis.* 34.

11. *Quær.* Qualis, & quanta pœnitentia sit à Confessario injungenda? *Resp.* Id non posse definiri, sed ejus arbitrio esse relinquendum, ita tamen, ut prudenter se agat circa gravitatem culparum, consuetudinem peccandi, & habilitatem pœnitentis; ne ubi gravis est danda, imponat levem; & ubi levis est potiùs injungenda, gravem indicat. Porrò, ob duas rationes Confessarii possunt esse benigni erga pœnitentes, & leviores satisfactiones præcipere; una est ob illa verba post absolutionem dici solita; *Passio Domini Nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum.* Altera est, quia frequenter habentur Indulgentiæ in Ecclesia Dei tùm temporales, tùm plenariæ, quarum consequutione pœnitentes liberant se ab obligatione satisfaciendi pro suis peccatis, at (ut dictum est) summa prudentia opus est in Confessario. Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. Diana *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 3. Coton. *ibidem num.* 18. *& seqq.* Et ego *d. Decis.* 34. *de Pœnitentia.*

12. *Quær.* Quænam reputetur hisce temporibus pœnitentia condigna pro homicidio voluntario? *Resp. Primò*, quòd homicida à conjunctis occisi veniam postulet. *Secundò*, quòd illata damna restituat. *Tertiò*, quòd per annum confiteatur octavo quoque die, & semel in men-

mense communicet. *Quartò*, quòd toto anno singulis hebdomadibus unam Missam (si potest) celebrare faciat, vel saltem audiat pro anima occisi, & eleemosynam elargiatur. *Quartò*, quotidie Litanias, vel Coronam per annum flexis genibus recitet; & sua vita durante quotidie nudis, & flexis genibus unum Pater, & Ave dicat. Ita consulit Comitol. *in resp. Moral. lib. 4. q. 11. num. 8.* relatus à Diana *part. 5. tract. 4. resol. 43.* & approbat Coton. *ubi ante num. 24.*

13. *Quær.* An possit absolvi pœnitens, qui respueret pœnitentiam illi à Confessario impositam, dicendo eam nolle acceptare, quia contentatur satisfacere in Purgatorio? *Resp.* Communis sententia est negativa, quam tuentur Cardinalis de Lugo, Vasquez; Victoria, Suarez, & alii relati à Coton. *d. Controversia 10. num. 25.* & quamvis nonnulli contrarium dixerint, quos refert Diana *part. 11. tract. 7. resol. 2.* ob auctoritatem Scoti *in 4. dec. 15. q. 1. lit. N.* Tamen non est illis accedendum in praxi, nam Scotus videtur intellexisse in aliquo casu tantùm, dum scilicet pœnitens esset graviter infirmus; vel vacillantis spiritus, ne aliàs caderet in desperationem; Et ita docet Emin. Cardin. de Lauræa *de Sacrament. Pœnitentiæ disput. 22. num. 143.* Et ego scripsi *de Pœnitentiæ Decis. XXX.*

14. *Quær.* Quænam sit culpa omittere, seu non adimplere pœnitentiam sibi injunctam pro peccatis mortalibus? *Resp.* Si omissio sit gravis, culpa erit mortalis; at si pœnitentia omissa sit levis, puta unum Miserere, culpa erit venialis, præciso contemptu. Cardin. de Lugo *de Pœnit. disp. 25. num. 74.* Diana *part. 5. tract. 5. resol. 51.* Coton. *ibidem num. 28. 29. & 30.*

15. *Quær.* Qualis culpa reputetur, omittere pœnitentiam habitam pro peccatis venialibus, vel mortalibus aliàs confessis? *Resp.* Si ea sit levis, levis quoque reputatur culpa; at si fortè esset gravis, quamvis plurimi Doctores teneant, venialem culpam non excedere, alii docent, in hoc casu esse mortalem, prout etiam, si non adimpleatur cum debita circumstantia, quæ levis non sit; puta flexis genibus, tali tempore, vel coram tali Imagine Sancta. Ita Coton. *DD. referens d. Controv. 10. num. 31. 32. 33. lib. 2.*

16. *Quær.* An cesset aliquando obligatio faciendi pœnitentiam injunctam à Confessario? *Resp.* Cessare, si superveniat impotentia vel ob infirmitatem, vel ob oblivionem; &, ut tenent plurimi Doctores, si plenaria Indulgentia elargiatur. Diana *part. 6. tract. 6. resol. 36.* Coton. *ibid. num. 24.*

17. *Quær.* An pœnitentia certis diebus facienda ex præscripto Confessarii, si die assignato non fiat, supplenda sit alio die, puta si per mensem impositum sit jejunium omni Sabbato, vel confessio omni hebdomada? An, qui uno Sabbato non jejunavit, teneatur altero die jejunare? vel qui una hebdomada non est confessus, teneatur altera hebdomada confiteri bis seu supplere? *Resp.* Esse hinc inde Doctorum opiniones; sed magis communem, quòd pœnitens teneatur supplere, eò quia Confessarius non intendit alligare illud opus tali die, vel hebdomadæ inseparabiliter, ut facit Ecclesia, vel privatus de jejunio ex vigilia, vel ex voto; sed intendit opus pœnale, quod non transit, aut cessat cum die, & ideò est supplendum. Castropal. *tom. 4. tract. 23. disp. unic. part. 21. §. 4. num. 13.* Coton. *ubi supra num. 35. 36. 37.*

18. *Quær.* An, qui pro pœnitentia habuit, ut jejunaret pane, & aqua, si sic jejunare non potest, debeat saltem jejunare more Ecclesiastico, si possit? *Resp.* Doctores respondere negativè, quia talis qualitas jejunii est deputata pro pœnitentia, quam cùm ex infirmitate adimplere non possit, non tenetur ad aliud. Dian. *part. 9. tract. 9. resol. 54. in fine.*

19. *Quær.* Quousque differri possit implementum pœnitentiæ Sacramentalis? *Resp.* Distinguendos esse duos casus. Primus est, si Confessarius præscripsit tempus, in quo velit, eam adimpleri; & in hoc casu communis est opinio, ne ultra octo dies differri possit. Diana *part. 5. tract. 5. resol. 15.* Secundus casus est, si Confessarius nullum diem, vel tempus adimplendi illam præscripsit, & tunc ajunt Doctores, posse adimplementum differri per annum. Diana *part. 2. tract. 15. resol. 53. & part. 11. tract. 7. resol. 10.* Coton. *ubi ante num. 40. 41. & 42.* ubi non approbat tantam dilationem, & vix per quatuor menses, aut sex ad summum, ait licitum censeri, ut differatur.

20. *Quær.* An pœnitentia injuncta, ut in diversis diebus, vel temporibus per partes impleatur, possit una vice tota adimpleri? ut si cui fuisset injunctum, jejunare ter, semel scilicet per hebdomadam, an possit ter in eadem hebdomada jejunare? vel si ei datum sit quinque Rosaria in quinque hebdomadis dicenda, vel quinque Missas pro defunctis audiendas, possit unica die dictæ pœnitentiæ satisfacere? *Resp.* Vel Confessarius sic injunxit pœnitenti, ut pœnitentia hæc serviret pro cautela ad non peccandum, & non posset se ab illa expedire ante tempora præscripta? At si intellexit tantùm illa, uti bona opera fieri, & tempus pro majori commoditate pœnitentis protraxit, poterit pœnitens illud abbreviando, statim & illicò satisfacere. Coton. *ibid. num. 44.*

21. *Quær.* An sit peccatum, adimplere pœnitentiam Sacramentalem in mortali peccato? *Resp.* Dissentire Theologos inter se, sed prævalere opinionem negativam, videlicet, quòd non sit peccatum; imò ulteriùs docent, quamvis in peccato pœnitentia adimpleatur Sacramentalis, operari remissionem pœnæ ex opere operato. Scotus *in 4. d. 15. qu. 1. lit. O.* Coton. *ubi ante num. 48. 49. & 50.* De qua re vide, quæ scripsi *de Eucharist. Decis. 58. à num. 11. & seqq.* Et *de Pœnitentia. Decis. 34. num. 21.* ubi plenè de hoc quæsito.

22. *Quær.* An in adimplenda pœnitentia Sacramentali opus sit, habere intentionem expressam adimplendi? *Resp.* Sufficere, quòd non habeatur intentio contraria, & ideò, qui pro pœnitentia recepit unum jejunium, si semel jejunet, quamvis non intendat implere pœnitentiam, eò quia tunc de ea non recordatur, vel non cogitat, tamen satisfecit, si contrarium expressè non habeat in intentio-

ne. Dian. *par.* 10. *tract.* 16. *resol.* 25. Coton. *num.* 52. 53.

23. *Quær.* An officium divinum, vel Rosarium injunctum pro pœnitentia possit recitari alternatim cum socio? *Resp.* Affirmativè juxta morem Ecclesiæ, cui præsumitur conformis mens Confessarii, qui contrarium non expressit. Diana *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 3. Coton. *num.* 57. & 58.

24. *Quær.* Si confessarius injunxisset audire unam Missam singulis diebus per mensem, an diebus festis de præcepto sint duæ audiendæ, vel una sufficiat? *Resp.* Doctores tenere, ut sufficiat sentire unam. Coton. *ibid. num.* 61.

25. *Quær.* An Litaniæ Sanctorum recitandæ pro pœnitentia debeant recitari cum precibus, & orationibus sequentibus? *Resp.* Negativè, nisi expressè eas Confessarius injungat. Coton. *ubi supra num.* 64.

26. *Quær.* Quis possit commutare pœnitentiam Sacramentalem priùs impositam? *Resp.* Primò eam commutare potest ipsemet Confessarius, à quo imposita fuit, non solum statim, vel paulò post confessionem, sed etiam post longum tempus, si recordetur, saltem in confuso, de confessione; at in majorem pœnitentiam, nisi consentiente pœnitente, commutare non potest; neque in minorem, nisi legitima subsistente causa. Secundò, alter Confessarius eam pariter commutare potest, dummodo tamen iterum audiat confessionem præcedentem pœnitentis, saltem de gravioribus peccatis, & ipsa peccata non sint reservata Superiori. Tertiò, ipsemet pœnitens non potest eam sibi commutare, quamvis in meliorem, vel majorem commutaturus, licèt secùs sit in votis; nam pœnitentia Sacramentalis pendet à valore clavium, quibus obediendo producitur effectus nulli alteri comparandus. Quartò, si pœnitens commutationem legitimè obtinuit, & velit adhuc primam pœnitentiam implere, potest hoc facere. Cotonius plurimos allegans super unoquoque ex præmissis casibus *dict. lib.* 2. *de Sacram. Controv.* 10. *cap.* 3. *à num.* 66. *usque in finem.* Ego quoque *dict. decis.* 34. *num.* 22. *de Pœnitentia.*

CAPUT CXXV.

De Sigillo Confessionis.

1. *Quær.* Quid sit Sigillum Confessionis? *Resp.* Est obligatio silentii, seu tacendi ea, quæ in confessione audita sunt, in quocunque casu, & indispensabiliter. Cotonius *dict. lib.* 2. *controv.* 14. *num.* 2. 3. & 4. & in meis Decisionibus *de Pœnitentia Decis.* 49. ubi lector omnia scienda circa sigillum reperiet.

2. *Quær.* Quotuplex sit sigillum, seu secretum? *Resp.* Est triplex, nempè Fidelitatis, Justitiæ, & Religionis. Secretum Fidelitatis est, quando aliquis narrat aliquid amico, rogans eum, ut teneat secretum. Justitiæ secretum est, dum pactum intervenit inter duos, aut plures de tacendo. Secretum Religionis est illud, quod ex natura Sacramenti insurgit; ob cujus reverentiam debet Confessarius omninò tacere ea, quæ audit in confessione, ne hoc Sacramentum videatur hominibus grave. Coton. *ubi supra d. num.* 4.

3. *Quær.* Quodnam peccatum sit violare sigillum confessionis? *Resp.* Est peccatum gravissimum Sacrilegii, ac etiam peccatum injustitiæ ob pactum virtuale de tacendo, quod in confessione intercedit inter Confessarium, & pœnitentem. Card. de Lugo *de Pœnit. disp.* 23. *num.* 16. Diana *part.* 5. *tract.* 11. *resol.* 2.

4. *Quær.* Quale peccatum sit, frangere sigillum confessionis circa unum veniale tantùm? *Resp.* Adhuc est sacrilegium, & mortale peccatum, nisi excusaret inadvertentia, vel generalitas sermonis, ex qua non manifestatio peccati venialis, sed suspicio resultaret. Diana *ubi supra*. & Coton. *num.* 6.

5. *Quær.* An Confessarius possit de peccatis auditis in confessione loqui saltem cum ipsomet Pœnitente? *Resp.* Negativè, nisi præcedat ejus licentia, quam quidem pro sui libito concedere potest, non solùm ut loquatur secum de suis peccatis confessis, sed etiam quod aliis revelet. Diana *par.* 5. *tract.* 11. *res.* 10. Et hæc procedunt post expletam confessionem; nam antequam pœnitens recedat à pedibus confessarii, si iterum occurrat loqui circa peccata confessa, potest id confessarius facere, nulla requisita licentia, quamvis impertisset absolutionem. Coton. *d. lib.* 2. *contr.* 14. *n.* 8.

6. *Quær.* An sit credendum Confessario dicenti ex commissione habita à defuncto in confessione, hæredes ejus teneri facere certam restitutionem? *Resp.* Affirmativè, quia in hoc casu dictum confessarii probaret contra hæredes. Diana *par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 28. & 32. Coton. *ibid. num.* 10.

7. *Quær.* Quæ, & quanta sint, quæ cadunt sub sigillo Confessionis? *Resp.* Peccata omnia tam mortalia, quàm venialia, cum suis circumstantiis, & cum iis omnibus, quæ narrat pœnitens occasione accusationis suorum peccatorum, etiamsi non necessaria forent, vel imprudenter se gereret loquendo, utpotè complicem manifestando; de quibus omnibus nullatenùs confessarius potest loqui extra confessionem. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 111. Coton. *ubi ante num.* 16. 17. & 18. d. mea *Decis.* 49. *de Pœnitentia.*

8. *Quær.* An Confessarius frangeret sigillum confessionis, si diceret, dedi Petro pœnitenti pro pœnitentia, ut recitet unum Pater, & unum Ave? *Resp.* Negativè, eo quia hæc est pœnitentia levis, & ratione levitatis non censetur frangere sigillum, quia non indicat esse confessum Petrum peccata venialia certa, & specifica. Diana *par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 31. qui hanc levitatem pœnitentiæ considerat etiam in Psalmo Miserere, vel in quinque Pater, & Ave. Porrò Coton. *ubi supra num.* 19. & *DD.* ibidem relati monent, etiam pœnitentiam injunctam cadere sub sigillo, & Confessarium eam manifestantem graviter peccare, nisi à levitate prædicta excusetur.

9. *Quær.* An cadant sub Sigillo Confessionis defectus naturales occulti? *Resp.* Affirmativè, si sint dicti occasione confessionis, secus si sint illati, id est, si ex illatione materiali proveniant, nempè, quod pœnitens sit tardus

tardus ad loquendum, balbutiens, & similia. Cardin. Pallavic. *lib.* 7. *de Pœnit. num.* 328. Coton. *ubi ante num.* 20 *&* 21. Ubi eandem distinctionem facit circa revelationes, & dona pœnitentis. Vide d. meam *Decis.* 49. *de Pœnitent.*

10. *Quær.* An cadant sub sigillo confessionis ea, quæ dicuntur alicui extra confessionem, sed cum protestatione quòd habeantur uti dicta in confessione? *Resp.* Negativè. quia hæc tantùm veniunt sub sigillo naturali. Raynaud. *de Monitor. par.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 4. Diana *par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 54.

11. *Quær.* An frangat sigillum, qui refert peccatum grave auditum in confessione, non autem personam? *Resp.* Regula est negativa, ubi non sit periculum, ut ex qualitate peccati cognoscatur peccator. Porrò, cautè à confessariis est loquendum; nam si locus, in quo audierunt confessiones, non sit amplior, facile est discooperire pœnitentes, & frangere sigillum, prout frangeretur, si dicerent, se audivisse tale peccatum in tali Monasterio, vel in tali ordine, aut villa, quæ non esset ampla. Diana *par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 35. Coton. *ubi supra num.* 24.

12. *Quær.* An violaret sigillum Confessarius dicendo, Petrum esse confessum venialia? *Resp.* Negativè; at violaret, si diceret confessum esse plura venialia, vel gravia venialia. Diana *part.* 5. *tract.* 11. *resol.* 49. Prout etiam si diceret, Petrum cum suis scrupulis sibi obtundere caput; nam dicit aliquid ignominiosum Petro, & reddit ei Sacramentum odiosum. Coton. *ubi supra num.* 25. *&* 26.

13. *Quær.* An liceat Superiori dicere, in tali domo à se sæpè postulari facultatem pro reservatis? *Resp.* Non licere, quia hoc est sigillum frangere. Coton. *ibid. num.* 27. & *dict. mea Decis.* 49. *de Pœnitentia.*

14. *Quær.* An frangeret sigillum, qui diceret, se audivisse confessionem Petri? *Resp.* Negativè; nisi Petrus confessus fuisset secretò, & cum instantia, ne cui diceret; nam hoc in casu, dicendo se audivisse ejus confessionem, frangeret sigillum. Diana *par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 47. Card. de Lugo *de Pœnit. disp.* 23. *num.* 65.

15. *Quær.* An dicere *Non Absolvi Titium*, sit violare sigillum? *Resp.* Affirmativè, nisi addatur causa; quæ excludat omnem manifestationem, seu suspicionem peccati; puta quia materiam non reperit, vel tempus non habuit suam explendi confessionem; quamvis etiam in his, & similibus locutionibus sit parcè os aperiendum, & cum magna cautela. Coton. *num.* 29. *&* 30. Ubi etiam notat, non esse licitum dicere de publico peccatore, Confessus est mihi suum peccatum.

16. *Quær.* An præter Confessarium sint alii, qui teneantur tacere audita, seu dicta in confessione sub sigillo confessionis? *Resp.* Affirmativè, & hi quidem plures sunt, videlicet, Interpres, si fuit in confessione adhibitus; Qui ex malitia, vel ex accidenti peccata confitentis audit. Ille, cui confessarius, vel alius revelaret peccata audita. Qui se Sacerdotem simulans aures præberet pœnitentibus. Diana *par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 8. 15. 16. *&* 48. Coton. *num.* 31. 32. *&* 33. ubi extendit hanc obligationem ad eos omnes, qui etiam ex mediata revelatione audirent; quamvis isti solo sigillo naturali tenerentur, nisi revelatio eis facta esset in ordine ad confessionem, nempè consulendo aliquid circa dicta in confessione. Idem Coton. *num.* 37. 38. 39.

17. *Quær.* An ipse pœnitens teneatur ad sigillum confessionis? *Resp.* Negativè; & tantummodo tenetur ad secretum naturale in his, quæ famam confessarii lædere possent. Tambur. *in Append. de Confess. cap.* 4. *num.* 1.

18. *Quær.* An sigillo Confessionis teneatur consiliarius, cui pœnitens ante confessionem sua peccata revelaret pro consilio habendo? *Resp.* Teneri, quando consilium petitur in ordine ad futuram confessionem. Cotonius *ubi supra num.* 40. *&* 41. ubi subdit, talem consiliarium non posse audita revelare Superiori, etiam si sub pœna excommunicationis adstringeretur. Diana *par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 44.

19. *Quær.* Quid dicendum de eo, qui inveniset chartam, in qua quis scripsisset peccata sua? *Resp.* Esse hinc indè opiniones, & alios Doctores dicere, eum teneri ad sigillum confessionis, alios defendere, quòd non teneatur. Utraque opinio censetur probabilis, sed quod ad sigillum teneatur, videtur probabilior. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 112. & Cotonius alios referens *d. lib.* 2. *Controv.* 14. *num.* 43. Vide meam *Decis.* 49. *de Pœnitent. num.* 7.

20. *Quær.* An Confessarius absque fractione sigilli confessionis, & non revelando confessionem, possit saltem uti notitia acquisita ex confessione, puta si pœnitens sit criminosus, & Confessarius sit Prælatus, negare ei officia, beneficia, vel ordines; aut si in confessione deprehendat aliquem Proditorem, possit monere Dominos temporales, ut vigiles sint, & caveant à proditionibus? *Resp.* Olim sententiam affirmativam à pluribus Doctoribus amplexam fuisse, ubi de cognitione personæ pœnitentis, seu in confessione detectæ periculum non foret. Porrò ex Decreto Clementis VIII. de Anno 1594. 26. Maji statutum est, ut nullatenùs quis pro bono communi externo utatur scientia acquisita ex confessione, ut ejus facilitati, integritati, & puritati consulatur; & ideò frangeretur sigillum, nisi eadem scientia aliundè etiam extra confessionem haberetur. Cotonius pluribus citatis *num.* 46. 47. *&* 48. *dict. Controvers.* 14. *lib.* 2. Ego ipse *dict. decis.* 49.

21. *Quær.* An Confessarius possit uti scientia confessionis in bonum particulare ipsius pœnitentis; puta si sciviset, eum nocte exire ad malum agendum, providere, ut exire non possit? *Resp.* Negativè, quia injuriam faceret confessioni, & eam odiosam redderet Coton. *ibid. num.* 50. 51. 52.

22. *Quær.* An Confessarius saltem in suam utilitatem possit uti scientia habita in confessione? *Resp.* Hoc quæsitum non posse sic generaliter formatum legitimè resolvi ob varias Doctorum opiniones, unde ad casus particulares esse attendendum. Coton. *ubi ante num.* 55. *&* 56. qui notat, Confessarium non teneri confiteri ei, quem in confessione cognovit, non esse Sacerdotem; vel non esse

esse obligatum accedere ad illam mulierem vocantem confessarium, quam scit vocare, ut ad libidinem provocet, si aliquam excusationem in promptu habeat. Vide d. meam *decis.* 49.

23. *Quær.* An Confessarius possit accusare furem domus suæ, quem talem cognovit ex confessionibus? *Resp.* Negativè, nisi indicia sufficientia extra confessiones habeat. Coton. *num.* 61. 62. *& seqq:* ubi subdit, quòd neque potest dimittere è domo famulum, quem furem cognovit ex confessionibus, sed debet expectare, ut extra confessionem eum furti reum deprehendat, & tunc expellere.

24. *Quær.* An teneatur Confessarius Missam celebrare, si ex proxima præcedenti confessione intelligat, hostiam, & vinum veneno affecta esse in sui detrimentum? vel an prosequi teneatur viam, in qua sibi insidias parari intellexit ex confessione? *Resp.* Teneri in utroque casu ex sententia DD. quos allegat Diana *part.* 11 *tract.* 8 *resol.* 50. Sed hæc sententia non placet Cotonio *ibid. num.* 65. ubi ait, cum tanto incommodo non esse deferendum præcitatæ opinioni; undè non esset prohibitum propriæ saluti consulere, ita tamen, ut pœnitens, à quo scientia habita est, non prodatur, aut manifestetur, ut ego scripsi *in d. Decis.* 49. *de Pœnitentia.*

25. *Quær.* Quomodo debeat respondere Confessarius ad vitandum mendacium, si interrogetur, an Pœnitens tale, vel tale crimen confessus sit? *Resp.* Non esse huic interrogationi deferendum, sed à confessario dici debere; super his non fertur interrogatio, Pœnitens satisfecit suæ conscientiæ, & ego functus sum officio meo. Coton *ibid. num.* 66. Vel non audivi. Cardenas *in Crisi dissert.* 19. *num.* 65. 66.

26. *Quær.* Quid agendum à Confessario, si Tyrannus impiè urgeat, ut ei revelet sub juramento, an tale peccatum audiverit à Petro in confessione, quod utique audivit? *Resp.* Doctores docere, quòd confessarius possit jurare, se non audivisse, intelligendo intra se, vel tanquàm purum hominem, vel ut ei manifestaret. Graff. *par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 3. Diana *part.* 5. *tract.* 11. *resol.* 43. Coton. *ubi antea num.* 67. *&* 68. & Cardenas *d. num.* 66.

27. *Quær.* Quomodo se gerere debeat Confessarius, dum pœnitens, quem non potuit absolvere, petit schedulam, seu fidem confessionis factæ, ut eam genitoribus, aut superioribus suis deferat, juxta eorum præceptum? *Resp.* Aut notum est, pœnitentem accessisse ad hunc confessarium, & in hoc casu debet ei fidem facere, audivisse ejus confessionem, nihil dicendo de absolutione. Aut notum non est de tali accessu, & potest denegare talem schedulam; imò debet, ubi agnoscat, eam requiri à pœnitente, ut fallat Superiores, vel genitores suos. Aversa *de Pœnitentia q.* 28. *sect.* 2. Diana *part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 14. & Coton. *d. lib.* 2. *de Sacrament. Controv.* 14. *num.* 69.

28. *Quær.* Qua pœna sit plectendus Confessarius, qui frangit sigillum confessionis, revelando peccata audita in foro pœnitentiali? *Resp.* Olim statutas fuisse pœnas depositionis, & intrusionis in Monasterium *ex cap. Sacerdos, de Pœnit. dist.* 6. *& cap. Omnis utriusque, in fine de Pœnit. & remiss.* Quarum loco hodie fractores sigilli Sacramentalis condemnantur vel ad carceres perpetuos, vel ad ergastulum, vel ad triremes. Farinac. *in Praxi q.* 119. *num.* 55. Diaz *in Praxi cap.* 139. Ulteriùs efficiuntur infames, & subindè irregulares. Majol. *de Irregular. lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 6. Quod tamen est intelligendum, sequuta sententia super veritate delicti. Thesaur. *de Pœnis p.* 2. *Verb. Confessio cap.* 4.

29. *Quær.* Ad quem Judicem spectet punire Confessarios frangentes sigillum confessionis? *Resp.* Si revelatio confessionis conjuncta sit cum hæresi, cognitio, & punitio delicti spectat ad Sanctum Officium Inquisitionis. Aliàs pertinet ad Ordinarium. Molfes. *tract.* 7. *cap.* 23. *num.* 68. *& seqq.* Thesaur. *d. cap.* 4. *in fine.* Et quoad modum formandi processum super delicto fracti sigilli vide per me notata *d. Decis.* 49. *num.* 17. *de Pœnit.*

CAPUT CXXVI.

De Confessario sollicitante ad Turpia in Confessione.

1. *Quær.* Quæ Constitutiones latæ sint contra Confessarios sollicitantes pœnitentes ad turpia? *Resp.* Extare Bullam Pii Quarti, incipit: *Cum sicut die* 16. *Aprilis* 1561. & Gregor. XV. incipien. *Universis Dominici gregis* 30. *Augusti* 1622. quibus mandatur, confessarios sollicitantes ad turpia in actu confessionis, vel occasione, aut prætextu confessionis, esse omninò denunciandos Sancto Officio, & severè puniendos pœnis ibidem præordinatis. Barbos. *de Offic. & potestate Episcopi allegat.* 40. *num.* 41. Antonell. *de Loco Legali lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 1. Carena *de Offic. S. Inq. p.* 2. *tit.* 6. §. 1.

2. *Quær.* An ex verbis dubiis Confessarius præsumatur sollicitare voluisse, ut si laudasset mulierem à venustate, seu pulchritudine? *Resp.* Probabiliorem sententiam esse affirmativam, quia ex his laudibus fœminæ allici solent ad malum. Sanctarell. *in Tractatu de Hæresi. cap.* 44. *num.* 9. Antonell. *ubi supra num.* 2.

3. *Quær.* An sit denunciandus Confessarius qui sollicitavit ad alia peccata, non autem venerea? *Resp.* Negativè; quia præceptum denunciandi est contra sollicitantes ad venerea, & peccata carnalia. Santarell. *ubi supra cap.* 46. *num.* 1. Antonell. *d. cap.* 14. *num.* 3. Carena *ubi supra* §. 4. *num.* 18.

4. *Quær.* An pœnitens teneatur denunciare Laicum, vel Clericum sollicitantem, qui fingit se confessarium, licèt non sit Sacerdos? *Resp.* Negativè, quia prædictæ Constitutiones loquuntur de Sacerdotibus sollicitantibus. Diana *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 15. Antonell. *ubi supra num.* 4. Tamen verum est, quòd prædicti essent denunciandi ex alio capite, scilicèt, tanquam malè sentientes de Sacramento Confessionis, cùm in eo se exhibuerint Ministros, etsi in Sacerdotio non constitutos. Summa Diana *in verb. denunciare Confessar. sollicitan. ad turpia num.* 10. Carena *d.* §. 4. *num.* 20. & meæ Decisiones *de Pœnitentia Decis.* 18. *num.* 12.

5. *Quær.* An sit denunciandus Confessarius sollicitator, qui jam se emendavit? *Resp.* Negare Rodericum à Chuna in hoc tractatu *quæst.* 3. *num.* 15. *& seqq.* Sed magis communiter Doctores affirmare, quia Constitutiones latæ sunt non solùm ad emendationem sollicitantium, sed etiam in pœnam eorundem, & ad terrorem aliorum, ut quilibet metu pœnæ ab hoc crimine retrahatur. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 24. *num.* 10. Antonellus *ubi ante num.* 5, *ver. Sed alit.*

6. *Quær.* An pœnitens ad denunciandum sit adstrictus, quando sollicitanti Confessario consensum præbuit, & cum eo peccatum fecit? *Resp.* Affirmativè, sed non tenetur manifestare suum consensum, aut fateri suum peccatum; imò si illud fateatur, non est ab Inquisitore notandum, nam sufficit, ut denunciet Confessarium. Sanctarellus *de Hæresi cap.* 44. *num.* 12. & Antonell. *ubi ante num.* 6.

7. *Quær.* An denunciandus sit Confessarius, si tantummodo sermones inhonestos fecisset in confessione? *Resp.* Affirmativè, ut expressè jubet Bulla Gregor. XV. & advertit Antonell. *dict. cap.* 14. *num.* 7.

8. *Quær.* An fœmina sit Sancto officio denuncianda, si ipsa Confessarium sollicitaverit? *Resp.* Negativè, quia Bullæ prædictæ editæ sunt ad reprimendam Confessariorum audaciam. Sanctarell. *dict. cap.* 46. *num.* 2. *&* 4. Summa Diana *ubi supra num.* 10. ubi idem docet de Interprete confessionis, quia se tenet ex parte pœnitentis.

9. *Quær.* An denunciatio foret facienda, si Confessarius non sollicitaret pro se, sed pro alio, & sic lenocinium exerceret? *Resp.* Fore denunciandum Confessarium, qui lenocinium agit, non autem ille, ad cujus instantiam sollicitat. Summa Diana *ubi supra num.* 10.

10. *Quær.* Quid dicendum de Sacerdote qui non est approbatus ad confessiones, & tamen in loco confessionis sollicitaret ad turpia? *Resp.* Si ibi fingeret se Confessarium, procul dubio fore denunciandum, tum quia juxta antiquos, poterat absolvere à venialibus; tum quia non requiritur, ut validè confessionem audiat. Castropal. *tract.* 4. *disp.* 9. *punct.* 9. *n.* 1. & Sanctius *disp.* 10. *num.* 19.

11. *Quær.* An urgeat hoc præceptum denunciandi, ubi Sacerdos sollicitaret ad turpia in administratione Baptismi, vel Extremæ Unctionis? *Resp.* Negativè, qui latum est contra sollicitantes tantùm in confessione. Sanctius *disp.* 11. *num.* 42. Diana *part.* 4. *tract.* 15. *resol.* 16.

12. *Quær.* An denunciandus sit Confessarius, qui sollicitaret masculum ad turpia? *Resp.* Affirmativè, Sousa *tract.* 1. *cap.* 12. *num.* 12. Diana *part.* 4. *tract.* 5. *resol.* 33.

13. *Quær.* An faciendæ esset denunciatio, si Confessarius sollicitatus ad fornicationem consentiret tantùm ad oscula? *Resp.* Affirmativè, quia debet in confessione cavere ab omni actu inhonesto. Sanctius *dict. disp.* 11. *num.* 28. & Summa Diana *num.* 11.

14. *Quær.* An denunciandus sit Confessarius, si pœnitens accedat, & vocet eum in confessionario pro negotiis discurrendis, & postea sollicitet? *Resp.* Affirmativè. Diana *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 18. Quod non procedet, si in alio loco, quam in Confessionario prædicta fierent. Diana *part.* 4. *tract.* 5. *resol.* 38.

15. *Quær.* An foret Confessarius denunciandus, si pœnitentem fœminam sollicitaret, postquam eam absolvit, & ipsa discessit à Confessionario? *Resp.* Esse distinguendum: vel parva mora intercedit, ita, ut sollicitatio sit valdè proxima confessioni; & in hoc casu foret denunciandus; quòd si mora esset considerabilis, puta ubi mulier jam egressa esset de Ecclesia, vel aliquod tempus notabile fluxisset post discessum à Confessionario, & in hoc casu non esset denunciandus. Diana *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 14. & *part.* 4. *tract.* 5. *resol.* 7.

16 *Quær.* Quid dicendum, si Confessarius daret pœnitenti chartam sollicitationis in confessione, nihil de ejus tenore dicendo; & tantummodo instando, ut cùm fuerit domi, & cum sua commoditate illam legat? *Resp.* Esse hinc indè opiniones; sed magis communem fore, ut talis Confessarius sit denunciandus, quia in confessione incipit, & dat initium sollicitationi. Sancius *dict. disp.* 11. *num.* 31. & multò magis denunciandus esset, si puerum jam auditum in confessione, & petentem schedulam confessionis factæ duceret in cubiculum; ibi eam daturus, & tunc sollicitaret, quia talis actus est correspectivus ipsi confessioni. Sousa *lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 39. Diana *part.* 4. *tract.* 5. *resol.* 77. & Summa Diana *ubi ante num.* 14. quæ multò magis vult esse denunciandum confessarium, qui imponeret pœnitenti, ut sibi verenda ostenderet.

17. *Quær.* An sit excusandus Confessarius, & sic non denunciandus de sollicitatione ob parvitatem materiæ? *Resp.* Nonnullos docuisse, non esse denunciandum, inter quos Portell. *in Addit. verb. Sollicitare num.* 4. Sed contrariam opinionem prævalere; tum quia in materia luxuriæ non datur parvitas materiæ: tum etiam, quia parvitas non excusat à gravi culpa respectu offensæ Religionis, & ideò erit denunciandus confessarius, qui tantummodò manum pœnitentis leviter tangeret, vel pedem premeret, aut vellicaret. Diana *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 21. *& part.* 5. *tract.* 5. *res.* 9.

18. *Quær.* Quid dicendum, si Confessarius inveniat fœminam in confessionario dormientem, & eam inhonestè tangat, vel osculetur? *Resp.* Magis probabilem esse opinionem, quòd denuncietur. Summa Diana *ubi ante num.* 19. *ubi num.* 21. vult, subjacere denunciationi confessarium dicentem, *Se io fossi Secolare, vi prenderei per moglie.*

19 *Quær.* Qui teneatur denunciare? *Resp.* Ipsa pœnitens, quæ passa est sollicitationem, & quicunque alius, qui conscius factus est de sollicitatione, etiam sub secreto naturali, non tamen si sub sigillo Sacramentali de ea notitiam habuisset. Ideò confessarius alter intelligens pœnitentem fuisse ab alio Confessario sollicitatum, eum debet monere, ut denunciet, sed ipse non potest denunciare, ne frangat sigillum confessionis. Diana *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 46.

20. *Quær.* Quomodo probetur delictum sollicitationis? *Resp.* Ipsum probari per testes singulares; concurrentibus tamen præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis; unde

unde plenè probatur per plures fœminas, quæ singulæ seorsim affirment, se à confessario fuisse in confessione sollicitatas. Antonell. *de loco legali dict. lib. 3. cap. 14. num. 10.*

21. *Quær.* An pœnitens possit absolvi à peccatis, antequam denunciet? *Resp.* Negare Avilam *de Censuris part. 2. cap. 7. dub. 7.* Affirmare tamen communiter Doctores, ubi pœnitens firmiter promittat, se denunciaturum; & adsit causa, propter quam prudenti confessario videatur, denunciationem esse differendam. Sanctarell. *in d. tract. de hæresi. cap. 9. dub. unic. num. 16. in fin.* & Antonell. *ubi ante num. 12.*

22. *Quær.* Quid agendum, si Pœnitens ob verecundiam, vel aliam causam non audeat accedere ad Inquisitorem, vel ad Episcopum, ut denunciet? *Resp.* Potest confessarius ejus nomine, & de ejus expressa licentia revelare sollicitantem. Nicol. *Lucubr. Can. lib. 5. tit. 38. num. 8.*

23. *Quær.* Quomodo se gerere debeat Confessarius, qui monet, Pœnitentem sollicitatam ab alio, ut denunciet, & ipsa ob graves causas, & magna incommoda ait, nolle, & non posse denunciare? *Resp.* Posse eam absolvere, si promittat, ut cessantibus incommodis denunciabit, vel denunciare faciet; ut respondit Urbanus Octavus in Congregatione S. Officii *die 21. Febr.* 1630. teste Nicolio *ubi supra num. 8.*

CAPUT CXXVII.

De Extrema Unctione.

1. *Quær.* Quid sit Sacramentum Extremæ Unctionis? *Resp.* Est Unctio hominis infirmi pœnitentis; facta in determinatis partibus corporis, cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote, simul verba certa cum intentione debita proferente; ex institutione divina, efficaciter significans curationem finalem. Ita Scotus *in 4. dist. 23. q. unic. lit. B.* & Eminent. Card. de Lauræa *ibid. tom. 3. disp. 11. art. 2.*

2. *Quær.* Ad quid sit institutum hoc Sacramentum? *Resp.* Institutum esse ad abstergendas reliquias peccatorum; ad allevandam, & confirmandam animam ægroti, ut leviùs ferat labores infirmitatis; & faciliùs resistat tentationibus Dæmonis; ac tandem ut corporis sanitatem consequatur, si saluti animæ expediat. Concil. Trident. *sess 14. cap. 2.*

3. *Quær.* An liceat in quacunque infirmitate sperare corporis sanitatem ex Unctione Extrema? *Resp.* Tunc solùm esse sperandam sanitatem ex virtute hujus Sacramenti, si vires adhuc suppetant; nam Sacramentum operatur virtute supernaturali ordinaria; non autem miraculosa. Coton. *controv. 15. cap. 1. num. 3.*

4. *Quær.* Quænam sit materia Sacramenti extremæ Unctionis? *Resp.* Materia remota est oleum olivarum benedictum ab Episcopo eodem anno. Materia proxima est ipsa unctio; ad quam faciendam sufficit una gutta olei ad singulas unctiones. Diana *part. 5. tract. 3. resol. 88.* Coton. *ibid. num 4. & 5.*

5. *Quær.* An benedictio olei requiratur ex necessitate Sacramenti, an tantùm præcepti? *Resp.* Victoriam *in Summ. q. 217.* & cum eo Cajetan. (quamvis sub dubio) *3. p. q. 72. art. 3.* dixisse; requiri benedictionem ex necessitate præcepti tantùm, quia S. Jacobus cum docuerit, & dixerit: *Ungentes eum oleo*; non dixit *Benedicto.* Porrò communis sententia tenet, benedictionem requiri ex necessitate Sacramenti, ut ex S. Thom. & Scoto docet Diana *part. 10. tract. 16. resol 81.* Nec esse sumendum exemplum ab aqua, quæ potest esse materia baptismi, quamvis non benedicta, quia ob necessitatem illius Sacramenti ita statutum est ab initio; & ulteriùs aqua sanctificata fuit generaliter à Christo Domino suo usu, & contactu; at extrema Unctione usus Dominus non fuit; & ideò debet disponi, & præparari oleum per benedictionem. Ita Scotus, quem refert Coton. *dict. cap. 1. num. 6. & 7.* Pax Jordan. *lib. 3. tit. 5. num. 10. & 11.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. tom. 3. disp. 11. num. 27.*

6. *Quær.* An oleo benedicto possit addi oleum non benedictum? *Resp.* Affirmativè, sed in minori quantitate, & tunc totum fit benedictum, quia majus dignum trahit ad se minùs dignum. Dian. *part. 11. tract. 3. resol. 15.* Posset etiam addi major pars non benedicti, sed non unica vice, at sensim, & in pluribus vicibus, & etiam in hoc casu totum reputatur benedictum. Coton. *ubi supra num. 8.*

7. *Quær.* An oleum debeat necessariò benedici ab Episcopo? *Resp.* In hoc esse discrepantes Doctorum opiniones, eò quia apud Græcos simplices Sacerdotes illud benedicunt; ideò recepta sententia est, benedicendum fore ab Episcopo, vel à simplici Sacerdote de licentia Summi Pontificis. Ita Lessius, Dicastillus, & Diana, quibus citatis adhæret Coton. *dict. Controvers. 15. cap. 1. num. 9.* & Jordan. *ubi ante num. 12.* Imò asserere, quòd Sacramentum Extremæ Unctionis possit ministrari cum oleo non benedicto ab Episcopo, esse propositionem temerariam, & errori proximam, notat Pignatell. *tom. 2. Consultat. 70. ad finem.*

8. *Quær.* An Sacramentum Extremæ Unctionis conferri possit cum oleo veteri benedicto, id est, annorum præcedentium? *Resp.* Negativè, nisi in casu necessitatis, extra quem semper cum novo oleo, & eo anno benedicto est conferendum; quia præceptum Ecclesiæ est, ut singulis annis in Cœna Domini comburatur. Sacr. Congregat. apud Gavant. *in Manuali Episcop. Verb. Extrema Unctio num. 10.* & Coton. *ubi supra num. 10. & 11.*

9. *Quær.* An valeret Sacramentum Extremæ Unctionis, si daretur non cum oleo benedicto infirmorum, sed cum Chrismate? *Resp.* Esse inter se Theologos dissidentes, nam alii affirmant, præcipuè in necessitatis casu, ut videre est apud Dianam *part. 11. tractat. 11. resolut. 15. & tractat. 6. resolut. 81.* Alii verò negant, eò

quia hæc duo olea specie differre censentur, ut notat Layman. *lib. 5. tract. 8. cap. 2. num. 2.* Et hanc negativam opinionem videtur amplecti P. Coton. *ubi supra num. 13. 14. & 15.* Quamvis ibi subdat, quòd si per errorem Parochus adhiberet Chrisma in ungendo infirmo, non deberet amplius repetere unctionem, ad evitandum scandalum, nam tale Sacramentum non est necesitatis. Vide me ipsum. *De Extr. Unction. Dec. V. num. 15.*

10. *Quær.* Quomodo, & qualiter fiant Unctiones in hoc Sacramento? *Resp.* Fiunt cum signo Crucis ad oculos, ad aures, ad nares, ad os, ad manus, ad pedes, & ad renes, juxta Rituale Romanum; quæ omnes Unctiones integrant unum Sacramentum, & præstant unum effectum gratiæ, & remissionem omnium venialium. Ita Scotus, quem citat Coton. *ibid. num. 16.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Sacram. Extr. Unct. d. disp. 11. art. 4.*

11. *Quær.* An Unctiones prædictæ sint à Sacerdote faciendæ proprio digito, vel fieri possint aliquo instrumento? *Resp.* Extra necesitatem sunt faciendæ cum pollice ipsius Sacerdotis; at tempore pestis possent fieri cum spatula argentea, quæ deinde expurgetur, ac lavetur; vel lignea, quæ comburatur. Dian. *part. 3. tract. 4. resol. 167. & par. 5. tract. 3. res. 79.* Jordan. *d. lib. 3. tit. 5. num. 20.*

12. *Quær.* An liceat ungere infirmum Extrema Unctione, non autem cum signo Crucis? *Resp.* Negativè, & qui hoc signum omitteret in quacunque unctione extra necesitatem, peccaret mortaliter, quia ritus in Sacramentis ab Ecclesia præscriptus est materia gravis; & quia tolleretur significatio ex signo Crucis resultans; per quam innuitur, omne bonum nostrum ex merito Passionis Dominicæ provenire. Coton. *ubi ante num. 17.* lege à me dicta *De Extr. Unct. Decis. VI. num. 14.*

13. *Quær.* An omnes Unctiones prædictæ ad singulos sensus sint omninò necessariæ ex necesitate Sacramenti? *Resp.* Negativè, quia necessariæ sunt integraliter, non essentialiter: ideò tempore pestis, vel si infirmus incipiat jam mori, sufficit unum sensum magis commodum ungere. Marchin. *de Peste par. 3. cap. 6. num. 26.* Diana alios referens *par. 3. tract. 4. resol. 168. & par. 5. tract. 3. resol. 80.* Coton. *ubi supra num. 20.*

14. *Quær.* Quid agendum, si data fuerit Extrema Unctio infirmo expiranti per unicam Unctionem, & deindè reviviscat, & melius se habeat? *Resp.* Potest Sacerdos supplere, & alias unctiones omissas addere. Coton. *ibid. num. 21.*

15. *Quær.* An ungendus sit oculus cœci nati, vel auris surdi nati? *Resp.* Affirmativè. Diana, & DD. ab eo citati *par. 5. tract. 6. resol. 11. & par. 10. tract. 16. resol. 81.* quia cœcus, vel surdus potuit peccare per desiderium illius sensus. Alios verò negare, inter quos S. Thom. *in Supplem. qu. 32. art. 7.* cui adhæret Coton. *ubi ante num. 23.* quia re vera, qui nunquam habuit oculos, non bene dicitur peccasse per visum. Vide meam *Decis. VIII. de Extr. Unction.*

16. *Quær.* Quænam sit forma hujus Sacramenti? *Resp.* Esse hæc Verba: *Per istam Sanctam Unctionem, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum* (& repetitur ad singulos sensus, illos nominatim exprimendo) *deliquisti.* Rituale Romanum de Extremæ Unctionis Sacramento. Et Coto. nius *ubi supra num. 25.*

17. *Quær.* An omnia verba prædicta sint de necesitate Sacramenti? *Resp.* Negativè, quia ad validitatem Sacramenti censetur necessarium tantùm dicere: *Per istam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum* (vel alium sensum) *deliquisti*: nam reliqua verba reputantur tantùm de necesitate præcepti. Diana plures DD. allegans *par. 3. tract. 4. res. 175. & 180.* Coton. *d. Controv. 15. cap. 1. num. 25. & 26. lib. 2.* Eminent. Card. de Lauræa *dict. disput. 11. art. 5.* Ego *de Extr. Unction. Decis. VIII.*

18. *Quær.* An valeret Sacramentum, si omnes Unctiones fierent sub unica prolatione formæ, videlicet post omnes sensus inunctos, si Sacerdos diceret: *Per istas Sanctas Unctiones &c. indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum, odoratum &c. deliquisti?* *Resp.* Affirmativè; sed qui sic faceret absque gravi, & urgenti causa, peccaret mortaliter. Coton. *ubi ante num. 30. & 31.* Ego *d. Decis. 8.*

19. *Quær.* An esset valida forma in hoc Sacramento, si Sacerdos uteretur verbis indicativis, nempè, *Ego te ungo oleo benedicto.* *Resp.* Negativè, quia debet esse per verba deprecativa, qualia sunt illa: *Indulgeat tibi Dominus &c.* ideò, ex magis approbata Doctorum sententia forma hujus Sacramenti non potest sustineri in verbis indicativis, sed deprecativis, aut saltem indicativis, & deprecativis simul. Diana *part. 3. tract. 4. resol. 175.* Coton. *dict. cap. 1. num. 33. & 34.* Eminent. Cardin. de Lauræa *dict. disp. 11. art. 5.* Ego *d. Decis. 8.*

20. *Quær.* Quodnam sit subjectum capax extremæ Unctionis? *Resp.* Subjectum hujus Sacramenti est homo viator baptizatus rationis compos, quæ sufficiat ad peccandum, & corpore infirmus. Ideò qui sanus est; licet mox foret occidendus, non est capax Extremæ Unctionis. Cotonius *dict. Controv. 15. cap. 2. num. 35.* Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 11. art. 12.* Et meæ Decis. *de Extr. Unct. Decis. 10.*

21. *Quær.* Quænam infirmitas requiratur pro collatione hujus Sacramenti? *Resp.* Quæcunque infirmitas, dummodo sit gravis, & constituens infirmum in discrimine vitæ. Quare ungendus hoc Sacramento est, qui tali infirmitate laborat, sivè proveniat ex morbo, sivè ex senio, sivè ex morsu, aut ex partu; quando tamen parturiens ultra dolores partus, ex judicio medicorum in periculo vitæ versatur. Diana *part. 10. tract. 12. res. 5.* Coton. *ibid. num. 36.*

22. *Quær.* An sit validum Sacramentum, & suum producat effectum, si detur infirmo existenti in infirmitate levi, non autem gravi, aut periculosa? *Resp.* Quamvis nonnulli Theologi apud Dianam *par. 9. tract. 6. resol. 45.* teneant, esse validum, quia S. Jacobus dixit, *infirmatur quis in vobis*, & non dixit *graviter*,

viter, vel *cum vitæ periculo*; tamen communior est sententia negativa; quòd scilicet Sacramentum non valeat, ut docet S. Thom. *in Supplement. ad* 3. *part. qu.* 32. *art.* 2. quem allegat, & sequitur Coton. *dict. cap.* 2. *num.* 37. ubi conatur ostendere ex textu Græco illa verba Apostoli: *Infirmatur quis in vobis &c.* sensum habere de periculosa infirmitate.

23. *Quær.* Quid faciendum, si versemur in dubio, an infirmitas sit vel non sit gravis, & periculosa? *Resp.* Esse supersedendum, & expectandum certum indicium qualitatis morbi. Castropal. *tom.* 4. *tract.* 26. *disp. Unic. punct.* 6. *num.* 13. & Coton. *ubi supra num.* 38. & 39. ubi subdit, quòd si infirmus fuisset unctus extra periculum, adveniente periculo, esset de novo ungendus, quia prior unctio fuisset sine effectu.

24. *Quær.* An manente eadem infirmitate, possit infirmus bis ungi? *Resp.* Negativè, manente eodem periculo, vel articulo mortis; at si prius periculum transeat, & deinde novum superveniat; Affirmativè Diana *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 96. & *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 11. Imò ex S. Thom. *qu.* 33. *Supplement. art.* 3. potest iterum dari Extrema Unctio, licèt priùs periculum non cessasset, si superveniret novum periculum alterius generis, puta ex vulnere, quod probabile tantùm dicit Coton. *ubi ante num.* 40.

25. *Quær.* Cujus ætatis debeat esse puer, cui conferendum est hoc Sacramentum Extremæ Unctionis? *Resp.* Tres extare opiniones Doctorum, quas refert Didac. Narbona *de Ætate homin. ann.* 7. *quæst.* 8. *Prima* est, eam ætatem requiri, quæ ad Eucharistiam suscipiendam desideratur. *Secunda* est, nullam ætatem esse attendendam. *Tertia* est, sufficere eam ætatem, in qua puer usum rationis habeat, & capax sit confessionis, videlicèt post sextum, vel septimum annum; ideò Coton. *ubi supra num.* 41. firmat cum S. Thoma *d. qu.* 33. *supplem. art.* 3. & *art.* 4. requiri usum rationis, & peccata præcedentia.

26. *Quær.* An Neophyto moribundo statim post Baptismum, & Communionem danda sit Extrema Unctio? *Resp.* Affirmare Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 172. & 181. nec non *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 86. Cui tamen non consentit Cotonius *ubi ante num.* 42. eò quia deficit omnis culpa, & pœna in ipso Neophyto ob virtutem Sacramenti baptismi; quòd si dubium sit de supervenientia alicujus culpæ venialis, poterit Sacra Unctio dari sub conditione si es capax; quod etiam in pueris, dum certum non est, eos habere perfectum usum rationis, servandum esse docet Card. de Lugo *de Eucharist. disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 21. & Narbona *d. qu.* 8. *num.* 11.

27. *Quær.* Quomodo sit administranda Extrema Unctio, si organa ungenda sint mutilata? *Resp.* Ungi debere partes vicinas, quia supponitur, infirmum potuisse peccare per interiorem potentiam sensus mutilati. S. Thom. *ubi supra art.* 7. & Coton. *d. num.* 42. *controv.* 15. *lib.* 2.

28. *Quær.* Cui debeat Parochus priùs administrare Sacram Unctionem, adulto, qui Communionem recepit? vel puero, qui eam adhuc non recepit, si uterque sit proximus expirationi animæ, & nisi uni eam dare possit? *Resp.* Esse priùs dandam puero, qui non communicavit, quia supponitur magis indigens. Narbona *ubi supra dict. quæst.* 8. *num.* 10.

29. *Quær.* Quæ dispositio requiratur in suscipiente hoc Sacramentum? *Resp.* Duplex dispositio requiritur, nempè status gratiæ, & devotio; ideò, si sit in mortali culpa, debet priùs confiteri, non ex eo, quòd non sufficiat contritio ad hoc Sacramentum dignè suscipiendum; sed quia in periculo mortis urget præceptum Confessionis, & Communionis; quæ utraque præmitti debet, nam priùs necessaria, deindè utilia Sacramenta sunt administranda. Coton. *dict. lib.* 2. *controv.* 15. *num.* 47. & 48.

30. *Quær.* An Extrema Unctio sit danda furioso? *Resp.* Non esse circa hoc quæsitum concordes Doctores, quorum alii negant, alii affirmant, ut videre est apud Dianam *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 78. & *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 84. Magis pia opinio est, esse dandam, dummodò actu non resistat, & possit devotionem concipere. Coton. *ubi supra num.* 46. & Jordan. *lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 18. ubi tamen dicit, quòd poterit dari etiam phrænetico resistenti, eo ligato, exclusis laicis, ad evitandum scandalum, præcipuè si infirmus alia Sacramenta recipere non potuisset. Porrò Rituale Romanum jubet, ut priùs tollatur periculum irreverentiæ.

31. *Quær.* Quis sit Minister hujus Sacramenti Extremæ Unctionis? *Resp.* Solus Sacerdos, juxta verba S. Jacobi *Inducat Presbyteros &c.* Coton. *ubi supra num.* 49. & Jordan. *num.* 2. Ego *de Extrem. Unction. Decis. IX.*

32. *Quær.* An Sacerdos infirmus possit sibi ipsi Extremam Unctionem administrare? *Resp.* Negativè, quia aliàs esset mutanda substantialiter forma Sacramenti, substituendo primam personam secundæ personæ: & ideò idem censendum est de hoc ministro, sicut de Baptismo, quòd scilicet sit distinctus à suscipiente. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 94. & Coton. *ubi supra num.* 50.

33. *Quær.* An plures Sacerdotes simul possint uni, & eidem infirmo Extremam Unctionem dare? *Resp.* Affirmativè, si singulæ unctiones à singulis Sacerdotibus fiant cum prolatione suæ formæ, eò quia S. Jacobus dixit; *Inducat Presbyteros*, non *Presbyterum*. Ita Coton. *ibid. num.* 51. ubi tamen subdit, quòd extra necessitatem unus tantùm debet ungere. Nullum verò esset Sacramentum, si unus ungeret, & alter formam proferret. Jordan. *dict. lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 27. *in fine.*

34. *Quær.* Quid agendum, si Sacerdos administrans Extremam Unctionem decederet, non completis omnibus Unctionibus? *Resp.* Dissidere Doctores inter se, an sint ab alio supplendæ Unctiones omissæ? sed magis probabilis reputatur opinio affirmans; ideòque alter Sacerdos debebit supplere, prout si consecrata Hostia Sacerdos decederet, alter deberet Calicem consecrare. Coton. *ubi ante num.* 51. Jordan. *num.* 27.

35. *Quær.* An quilibet Sacerdos sit proprius mini-

miniſter hujus Sacramenti? *Reſp.* Quo ad validitatem affirmativè; ſed quo ad honeſtatem, ſeu licitam adminiſtrationem debet eſſe Parochus, vel Sacerdos de licentia Parochi; aliàs qui ſe ingereret in tali adminiſtratione, peccaret mortaliter. Pax Jordan. *dict. lib. 3. tit. 5. num. 3.* Imò ſi eſſet Regularis, incurreret ipſo facto excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſervatam. Clem. 1. *d. Privileg.* quod notat etiam Barboſ. *De Offic. Epiſcopi allegat. 50. num. 96.* & Coton. *ubi ſupra num. 53. 54. & ſeqq.* Ubi tamen excipiuntur duo caſus; unus eſt, ſi Regulares inungant laicos infirmos in caſu neceſſitatis; id eſt, deficiente Parocho, vel alio Sacerdote; alter eſt, ſi Extremam Unctionem dent laicis degentibus in ſuis Conventibus in famulatu, vel tanquam Oblati, Donati, aut Novitii, ac etiam laicis ratione hoſpitii intra Clauſtra ægrotantibus. Diana *part. 9. tract. 9. reſol. 36.*

36. *Quær.* An ſub mortali ante adminiſtrationem Extremæ Unctionis ſint recitandi Septem Pſalmi Pœnitentiales, Litaniæ, ac aliæ Orationes, quæ ordinantur in Rituali Romano? *Reſp.* Negativè, quia ibi non præcipiuntur, ſed conſuluntur; & ſi acceleratio mortis immineat, ab Unctione incipi poteſt. Coton. *ubi ante num. 59.*

37. *Quær.* An Extrema Unctio dari poſſit à Sacerdote ſine Cotta, & Stola? *Reſp.* Negativè extra caſum neceſſitatis; at ſi deficeret ſuperpelliceum, & mors immineret infirmo, poſſet dari; & eò magis, ſi Stola non deficeret. Diana *part. 8. tract. 1. reſol. 79.* Coton. *ubi ſupra num. 60.*

38. *Quær.* Quomodo ſervandum, & deferendum ſit Oleum Sanctum? *Reſp.* Rituale Romanum præcipere, ut ſervetur in Eccleſia, & deferatur cum lumine; ideòque non eſt licitum, illud tenere domi, & deferre privatè, quod tamen in praxi fit à Parochis, forſan ut promptiores ſe gerant erga infirmos; undè Doctores excuſant illos à culpa mortali, niſi interveniat contemptus, vel ſcandalum. Diana *part. 5. tract. 3. reſol. 91.* & Coton. *dict. cap. 2. num. 61.*

39. *Quær.* An Parochus teneatur adminiſtrare hoc Sacramentum cum propriæ vitæ periculo? *Reſp.* Negativè, quia non eſt omninò neceſſarium; ideò eſt excuſandus Parochus, ſi peſte infectis, aut alio imminente periculo, omitteret Extremam Unctionem adminiſtrare. Jordan. *d. lib. 3. tit. 5. num. 21.*

40. *Quær.* An liceat Miniſtris Epiſcopi pro diſpenſatione Oleorum Sanctorum in hebdomada Sancta recipere aliquam mercedem, aut voluntariam retributionem? *Reſp.* Negativè, ut præcipit Sacr. Congregatio de anno 1604. non obſtante contraria conſuetudine, quam abuſum declaravit. Nicol. *Lucubr. Can. lib. 1. tit. 15. num. 3.* Et ego *de Extr. Unct. num. 17. Deciſ. 5.*

41. *Quær.* An Regulares poſſint compelli ab Epiſcopo, ut interveniant ad benedictionem Oleorum Sanctorum? *Reſp.* Negativè, niſi exercerent curam animarum, quo caſu poſſent vocari, ut reſpondit Sacr. Congregatio Epiſcopo Feltren. Nicol. *ubi ſupra num. 4 in fine.*

42. *Quær.* An tempore interdicti Extrema Unctio poſit adminiſtrari? *Reſp.* Negativè per Text. *in cap. Quod in te. 11. De Pœnitent. & Remiſſion.* Excipiunt tamen Doctores unum caſum, videlicet, ſi infirmus nullum aliud Sacramentum recipere potuiſſet; quia in hoc caſu dari poſſet Extrema Unctio, tanquam pœnitentiæ locum tenens, cùm de attrito poſſit facere contritum. Diana *part. 5. tract. 10. reſol. 78.* Nicol. *lib. 5. Inſtit. Canonic. tit. 39. ſub num. 229. ad quartum.*

43. *Quær.* An Beatiſſimæ Virgini Matri D. N. Jeſu Chriſti fuerit impertita Extrema Unctio? *Reſp.* Magis probabilem eſſe opinionem negativam, quam tuetur Paludani *in 4. diſt. 23. q. 3. art. 2.* & Sancius *in Select. diſp. 27. num. 20.* tum quia Deipara neque venialiter unquam peccavit, & ſic non indigebat hoc Sacramento; tum etiam, quia non obiit ex infirmitate; ſed ex ictu ſummi amoris, & charitatis in Deum. Narbona *de Ætate ad annum nonageſimum q. unica num. 3.*

44. *Quær.* An ſenibus, & in ætate decrepita conſtitutis, nullo tamen morbo laborantibus, ſit Extrema Unctio adminiſtranda? *Reſp.* Eſſe in hoc articulo Doctores diſcordes; at convenire, quòd adminiſtretur, ſi jam ſenes videantur deficere; & ſuo tranſitui appropinquare; nam magnus morbus eſt ipſa Senectus. Sancius *d. diſp. 27. num. 19.* & Narbon. *dict. ann. 90. num. 4.*

45. *Quær.* Qua de cauſa non detur Extrema Unctio condemnatis ad mortem, cùm jam ſint in extremo vitæ conſtituti? *Reſp.* Quia hoc Sacramentum vocatur Sacramentum infirmorum; & ideò datur morientibus ex infirmitate, non autem ex morte violenta. Zerola *in Praxi part. 1. Verb. Extrema Unctio verſ. 3.* Majol. *de Irregular. lib. 3. cap. 24. num. 15.* Condemnatis tamen ad triremes, ſi infirmentur ad mortem, danda eſt extrema Unctio; ſit reſpondit Sacra Congregatio apud Pignatell. *tom. 1. conſult. 310.*

CAPUT CXXVIII.

De Sacramento Ordinis.

1. *Quær.* Quid ſignificet nomen Ordo? *Reſp.* Duo ſignificare; Primò congruam diſpoſitionem rerum juxta earum naturam, ut Civium in Republica, aut militum in Exercitu. Ariſt. 12. *Met. text. 52.* S. Auguſt. *lib. 19. De Civit. Dei cap. 13.* Secundò præeminentiam, & excellentiam eorum, qui ſunt in gradu Superiori. Scot. *in 4. diſt. 25. q. unic.* & in utroque ſenſu accipitur Ordo Sacramentalis; nam diſtribuit Miniſtros Eccleſiæ juxta propria officia, & dat eis propriam excellentiam, & præeminentiam. Bellarm. *in Præfat. ad lib. tres De Membr. Eccl. milit.*

2. *Quær.* Quid ſit Ordo, quatenùs Sacramentum? *Reſp. Eſt inſtitutio alicujus in gradu præeminente in Eccleſia, cui convenit aliquod Miniſterium circa Euchariſtiam exhibendum, facta à Miniſtro ideoneo, certa verba proferente, & ſimul cum intentione debitæ miniſterium gradus illius aliquo ſigno viſibili repræſentans, ex inſtitutione divina: efficaciter ſignificans gratiam præeminentiæ, qua ordinatus digne alicquod*

quod ministerium exequatur. Scot. *ubi supra art.* 3. Breviùs autem diffinitur, quòd *Ordo sit signaculum quoddam Ecclesiæ, quo Spiritualis potestas traditur ordinato.* Mag. Sent. *in* 4. *disp.* 24. & tradit Fornar. *De Ordine cap.* 1. *num.* 1. *in addit. ad Tolet. post libr. Octavum.*

3. *Quær.* Quot, & qui sint Ordines? *Resp.* Hæretici tres tantùm Ordines admittunt, nempè Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. Bellarm. *lib.* 1. *de Cleric. cap.* 11. At inter Catholicos, Theologi septem Ordines recensent, videlicet *Ostiarii, Exorcistæ, Lectoris, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, & Prebyteri.* Canonistæ verò novem enumerant, qui supradictis addunt *Cantoratum, & Episcopatum.* Coton. *lib.* 3. *Controv.* 1. *cap.* 1. *num.* 8. *&* 9.

4. *Quær.* Qua de causa sint inter se discordes Theologi, & Canonistæ circa numerum Ordinum? *Resp.* Quia Theologi considerant Ordines quò ad Sacrificium: & sic septem tantùm sufficiunt, & necessarii sunt: Canonistæ autem illos considerant quò ad Hierarchiam, in qua novem esse conveniunt. Coton. *ubi supra num.* 9. & ideò, quia Ordines strictè considerantur respectu Sacrificii, propterea accipiuntur in numero septenario juxta opinionem Theologorum à Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. Coton. *ubi supra num.* 9. *&* 10.

5. *Quær.* An septem Ordines prædicti sint septem Sacramenta? *Resp.* Negativè, quia omnes participant rationem unius Sacramenti, & conveniunt ad constituendum perfectum Ministrum Altaris; sicut multi habitus virtutum concurrunt ad confluendam unam virtutem Cardinalem. Scot. *dict. qu. unic. §. Sed tunc.* & Coton. *ubi supra num.* 6.

6. *Quær.* An prima Tonsura sit Ordo? *Resp.* Affirmant Canonistæ per Text. *in cap. Cum contingat. De Ætat. & qualit. Ord.* & per Gloss. *in cap. Nullus. v. Tonsura de Temp. Ordin. in* 6. Sed negant Theologi, quorum opinio in praxi prævalet, nam prima tonsura characterem non imprimit, & ideò non est Ordo, sed dispositio ad recipiendos Ordines. Diana *par.* 10. *tract.* 14. *resol.* 14. Cotonius *ubi ante num.* 11.

7. *Quær.* An Episcopatus sit Ordo? *Resp.* Affirmativè, sed non est omninò disjunctus à Presbyteratu, ut docere videtur Barbos. *de Potestate Episcopi alleg.* 1. *num.* 18. Sed est quædam perfectio ipsius Presbyteratus, sine quo nulla esset promotio, seu consecratio Episcopalis; & dant Theologi duo exempla; unum de potestate absolvendi, quæ datur in Sacerdotio post datam potestatem consecrandi; & tamen ipsæ duæ potestates non sunt duo ordines; sed unus Ordo perficiens simplex Sacerdotium. Pari modo potestas confirmandi, & ordinandi, quæ datur simplici Sacerdoti, dum promovetur, & consecratur Episcopus, non est Ordo alius; sed idem perficiens Sacerdotium majus, nempè Episcopatum. Aliud exemplum est de vi nutritiva, augmentativa, & generativa, quæ cadit in hominem; nam prima, & secunda datur homini statim post ejus nativitatem; tertia verò post cursum quatuordecim annorum circiter. Sic simplici Sacerdoti datur potestas consecrandi, & absolvendi; dum Presbyter sit, at potestas generandi spirituales filios per ordinationem non nisi post aliquod tempus, videlicet cùm ad Episcopatum promovetur; & sic patet, quòd Episcopatus est Ordo; non autem distinctus omninò à Presbyteratu, sed perficiens ipsum Sacerdotium. Dian. *part.* 12. *tract.* 1. *resol.* 3. 7. *&* 9. Cotonius *dict. lib.* 3. *cap.* 1. *Controvers.* 1. *num.* 14.

8. *Quær.* An Archiepiscopatus, Patriarchatus, Cardinalatus, & Papatus sint Ordines? *Resp.* Negativè, quia in ordine, & quòad Sacrificium nihil differunt ab Episcopis; sed tantummodo differunt in jurisdictione, & dignitate. Diana *part.* 12. *tractat.* 1. *resolut.* 4.

9. *Quær.* Quænam sit materia Episcopatus, Presbyteratus, & aliorum Ordinum? *Resp.* Materia sunt res illæ, quæ Pontificalis Romani jussu traduntur tangendæ per ordinantem ordinato; videlicet in Episcopatu Impositio libri Evangeliorum super cervicem, & scapulas electi: deindè impositio manuum Consecrantis, & assistentium super caput prolatis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum.* Ulterius Unctio capitis, & manuum cum chrismate, traditio baculi, & libri Evangeliorum, impositio Annuli in digito, Mitræ in capite, chirothecarum in manibus. In Presbyteratu materia est traditio Calicis cum vino, & patinæ cum Hostia, ac impositio manuum. In Diaconatu traditio libri Evangeliorum, & impositio manuum. In Subdiaconatu traditio calicis vacui cum patina superposita, nec non libri Epistolarum. In Acolythatu traditio candelabri cum cereo, & urceoli vacui. Pro Exorcistatu traditio libri Exorcismorum. Pro Lectoratu libri Prophetiarum. Pro Ostiariatu clavium cum cymbalo. Illud advertendo, quòd res omnes prædictæ dicantur materia remota, earum autem traditio materia proxima. Cotonius *ubi supra num.* 22.

10. *Quær.* An in ordinatione Episcopi omnes res supra relatæ sint materiæ necessariæ? *Resp.* Negativè; nam quo ad materiam omninò necessariam pro Ordinando, seu consecrando Episcopo duæ sunt opiniones; una, quòd ea tantùm consistat in impositione manuum. Altera, quòd præter manuum impositionem consistat etiam in impositione libri Evangeliorum super caput, & scapulas consecrandi. Primam opinionem tuetur Dian. *par.* 12. *tract.* 1. *à resol.* 12. *usque ad* 17. Secundam, præter Theologos, quos citat Coton. *ubi supra num.* 23. sustinet Fagnan. *in cap. Requisivit num.* 57. 58. *&* 59. *De Ordinatis ab Episcopo qui &c.* Et hæc secunda prævalet apud omnes.

11. *Quær.* An in Sacerdotio manuum impositio sit materia essentialis? *Resp.* Affirmativè, ad recipiendam auctoritatem sanctificandi mysticum Corpus Christi, id est, fideles per absolutionem; quam frustra impenderet Sacerdos ille, cui per manuum impositionem potestas absolvendi tradita non fuisset. Ideò conveniunt omnes Doctores duas potestates

dari Sacerdotibus in ordinatione; unam in Corpus verum Christi, ad illud consecrandum; & hæc confertur per traditionem calicis, & patinæ cum vino, & Hostia; alteram in Corpus mysticum Christi, id est, absolvendi fideles; & hæc infunditur per manuum impositionem. Prima potest stare sine secunda; sed non è contra secunda sine prima, nam etiam à Christo Domino fuerunt traditæ Apostolis distinctis temporibus, id est, prima ante mortem in Cœna; secunda verò post Resurrectionem. Bellarm. *De Sacram. Ordin. lib. 1. cap. 9.* Dian. *part. 9. tract. 6. resol. 9.* & Coton. *dict. lib. 3. controv. 1. num. 24.*

12. *Quær.* An sufficiat in Presbyteratu tradere solam patinam cum Hostia, vel solum calicem cum Vino? *Resp.* Negativè, quia sicut ad integritatem Sacrificii opus est consecrare utramque speciem, sic ad plenum, & perfectum Sacerdotium oportet tradere utrumque Instrumentum cum materia tangendum. Dian. *par. 6. tract. 8. res. 22.* Coton. *ubi supra num. 26.* ubi subdit, quòd inutilis esset traditio patinæ, & calicis sine Hostia, & sine Vino; è contra verò valida esset ordinatio, si traderetur panis, & vinum extra patinam, & calicem, quamvis id esset illicitum. Dian. *part. 10. tract. 16. resol. 88.* Et idem esset dicendum, si patina, & calix non essent consecrati, quia præcipua materia Sacerdotii est panis, & vinum, vasa autem sunt accessoria. Coton. *ibid. num. 28. & 29.* Quamvis non desint, qui in hoc casu opinati sint, repetendam esse ordinationem saltem sub conditione. Castropal. *tom. 4. tract. 27. punct. 5. num. 15.* & Dian. *par. 10. tract. 15. resol. 20.*

13. *Quær.* An in Diaconatu, & Subdiaconatu sit necessaria manuum impositio? *Resp.* Esse Doctores pro utraque opinione circa Diaconatum. In Subdiaconatu omnes conveniunt, solam calicis traditionem esse necessariam. Dian. *par. 3. tract. 4. resol. 188.* Coton. *num. 25.* qui *num. 28.* advertit, nullam esse Subdiaconi ordinationem, si calix, & patina non sint consecrati, quia in hoc ordine sunt materia principalis; quæ debet habere significationem vasis sacri per consecrationem, & deputationem ad sacrificium.

14. *Quær.* An traditio materiæ fieri possit per alium, quàm per ordinantem? *Resp.* Negativè, licèt contrarium scripserit Emanuel Sà *Verbo Ordo num. 5.* Et ratio est, quia Sacramentum Ordinis consistit in traditione materiæ; & ideò tradenda est ab eo, qui Sacramentum facit, nempè ab ipso ordinante, quemadmodum in Baptismo, & in Extrema Unctione ablutio, & Unctio facienda est ab illo, qui facit Sacramentum. Diana *par. 10. tract. 15. resol. 20.* Coton. *dict. lib. 3. Controv. 1. num. 29.* Pignatell. *tom. 4. Consult. 178. num. 19.*

15. *Quær.* An in acceptatione materiarum Ordinum requiratur contactus physicus, an verò sufficiat moralis? *Resp.* Diversas esse Theologorum sententias. Alii requirunt contactum physicum, præcipuè in Sacerdotio, & in Episcopatu; & hæc est sententia securior. Alii admittunt solum tactum moralem; & hæc est sententia communior. Alii amplectentes primam sententiam de tactu physico, eam sic recipiunt, ut sufficiat tactus mediatus; ideò in Sacerdotio sufficeret tangere solam patinam, vel solum calicem, cui patina adhæret tactu physico; quo mediante cenſetur tangi tota materia. Diana *par. 12. tract. 1. resol. 19.* Coton. *ubi ante num. 30. & 31.*

16. *Quær.* Quænam sit forma Sacramenti Ordinis? *Resp.* Sunt illa verba in Pontificali præscripta, quæ proferuntur ab ordinante, dum tradit materiam tangendam ordinando. Coton. *ubi supra num. 22.*

17. *Quær.* Quot requirantur conditiones, ut quis validè ordinetur? *Resp.* Tres conditiones requiri. Una est, quòd sit vir, quia fœminæ sunt incapaces Ordinum, ea ratione, quia Ordo constituit ordinatum in superioritate, fœmina verò debet esse subdita viro. Diana *par. 12. tract. 1. resol. 54.* Altera est, ut sit baptizatus, quia baptismus est janua omnium Sacramentorum. Tertia est, ut consentiat, quia qui est omninò invitus, non recipit characterem, & frustra ordinatur. Coton. *ubi ante num. 32. & seqq.*

18. *Quær.* An Hermaphroditus possit ordinari? *Resp.* Communem esse Doctorum distinctionem, quòd possit, si in eo prævaleat sexus masculinus; secùs autem si fœmininus prævaleat. Porrò Diana *par. 10. tract. 13. res. 36.* & Coton. alios allegans *citata controv. 1. lib. 3. num. 34.* advertunt, tales Hermaphroditos, tanquam irregulares, esse priùs à Summo Pontifice dispensandos, & subdit ibidem, se vidisse hominem, qui mulier fuerat, & novennium integrum cum marito transegerat, & eo defuncto in virum evasit. Porrò si plura, & quidem curiosa studiosus scire cupiat de Hermaphroditis, legat Decisiones *de Pœnitentia Decis. 43.* ubi de pluribus speciebus eorum.

19. *Quær.* Si Hermaphroditus, qui prævalente sexu virili, Sacerdos est factus, deindè in muliebrem sexum revertatur, & celebret, validè consecret? *Resp.* Hunc casum reputari impossibilem à Doctoribus, quia natura tendit semper ad magis perfectum, & quem fecit prævalere in sexu virili, non est probabile, ut iterum retrahat, & in muliebrem convertat. Porrò, si talis casus accideret, dicendum foret, quòd ampliùs non consecraret, quia sexus masculinus est subjectum characteris, & essentialis ejus conservationis. Dicastill. *tom. 1. tract. 6. disp. 1. dub. 20. num. 297.* Coton. *ubi ante num. 38.* & d. mea *Decis. 43. de Pœnitentia.*

20. *Quær.* An Ordo superior, omisso inferiori, valide suscipiatur? *Resp.* Concordant omnes Theologi in sententia affirmativa, præterquàm in Episcopatu; qui validè non potest recipi ab eo, cui priùs Sacerdotium collatum non fuit: ea ratione, quia non potest accipere potestatem in corpus mysticum Christi, qui eam non habuit in corpus verum; & ideò non esse audiendos Canonistas dicentes, Episcopum ordinatum, omisso Sacerdotio, posse confirmare, & consecrare, quamvis non possit celebrare, vel absolvere, firmant Dian. *par. 12. tr. 1. res. 53.* & Coton. *ubi ante n. 41. & 42.*

21. *Quær.* An parvuli validè ordinentur? *Resp.* Affirmativè juxta Text. *in cap. Unic. de Cleric. promot. per salt.* excepto tamen Episcopatu,

patu, circa quem non sunt Theologi concordes; nam negat S. Thom. *in addit. ad 3. par. qu. 39. art. 2.* dicens, non posse fieri sponsum Ecclesiæ, nisi consensum præbeat, nec sine illo jurisdictionem accipere, quæ per ordinem Episcopatus confertur. At affirmant Tannerus, Henriquez, Palaus, & alii, quos congerit Diana *par. 12. tract. 1. res. 48.* quibus adhæret Coton. *ubi supra num. 44. & 45.* dicens, in parvulo promoto ad Episcopatum imprimi characterem, sed suspensam stare jurisdictionem, & sponsi qualitatem, donec adultus effectus consentiat; qui si noluerit tunc consentire, quamvis in eo remaneat character, nullam tamen obligationem habebit circa castitatem, aut officii recitationem. Dicastill. *d. tom. 1. tract. 6. disp. 1. dub. 19. num. 438.*

22. *Quær.* An qui consentit in susceptione Ordinis per vim, & metum coactus, valide ordinetur? *Resp.* Affirmativè, ut est Textus *in cap. Merito 15. qu. 1.* Et ratio est, quia actiones, quamvis metu factæ, nihilominùs simpliciter sunt voluntariæ. Comitol. *lib. 1. qu. 55. num. 1.* Validitas tamen consideratur in solo charactere, non in obligatione deferendi habitum, continentiæ servandæ, aut officii recitandi. Rota *par. 18. recent. decis. 373. tomo primo*, & Coton. *ubi supra dict. num 47. & 48.*

23. *Quær.* Quæ, & quot requirantur in ordinando, ut licitè ordinetur? *Resp.* Novem requiri. *Primò*, ut irregularis non sit, aut excommunicatus, vel censura aliqua innodatus. *Secundò*, ut habeat ætatem à jure requisitam. *Tertiò*, doctrinam sufficientem. *Quartò*, ut sit subditus ordinantis, vel dimissorias habeat sui Superioris. *Quintò*, ut sit confirmatus, & per gradus suscipiat ordines. *Sextò*, ut pro ordinibus majoribus habeat titulum beneficii, seu patrimonii. *Septimò*, ut servet interstitia. *Octavò*, ut sit in gratia, & jejunus. *Nonò*, ut rectam intentionem habeat. Coton. *ibid. num. 49.*

24. *Quær.* Quæ ætas requiratur ad singulos Ordines? *Resp.* Ad Tonsuram, & tres primos minores requiri septennium completum. Ad Acolythatum duodecimum annum completum. Ad Subdiaconatum 22. Ad Diaconatum 23. ad Presbyterum 25. inceptos. Ad Episcopatum 30. completos. Ideò, ordinati ante ætatem scienter incurrunt suspensionem, & celebrando, vel in Diaconatu, aut Subdiaconatu ministrando etiam irregularitatem juxta *Extravag. Pii II.* quæ incipit: *Cum ex Sacrorum*; quas pœnas incurrunt etiam ordinati in Sacris, vel absque dimissoriis, vel per saltum, vel extra tempora. Diana *par. 11. tract. 4. resol. 7.* & Coton. *num. 50. 51. & 52.*

25. *Quær.* An promoti cum aliquo ex dictis defectibus ad Sacerdotium incurrant irregularitatem celebrando unà cum Episcopo Missam ordinationis? *Resp.* Negativè, quia adhuc durat ordinatio usque ad finem Missæ, ut contra Hurtadum tenet Suarez *disput. 31. sect. 1.* Dian *part. 5. tract. 10. resol. 37.* & Coton. *dict. num. 51.*

26. *Quær.* An suspensio, & subinde irregularitas incurratur ab ordinatis cum aliquo ex iisdem defectibus in minoribus ordinibus? *Resp.* Negativam opinionem magis communiter teneri, quia Bulla prædicta Pii II. loquitur de majoribus tantùm. Dian. *d. part. 11. tract. 4. resol. 32.* & Coton. *num. 52.* ubi advertunt; dictas pœnas non incurri ab eo, qui non ritè promoveretur ad Episcopatum; nam Episcopi non comprehenduntur in pœnalibus, nisi expressè nominentur. *cap. Quia periculosum de Sent. Excommun. in 6.* Quòd scripsi *De Eucharist. decis. 8. num. 18.* Et ulteriùs notant, eásdem pœnas effugere illum, qui cum aliquo ex dictis defectibus promoveretur ad ordines cum bona fide, quamvis cum ignorantia crassa; ea ratione, quia Extravagans prædicta dicit: *Qui præsumpserint*, undè cessante præsumptione pœnæ non ligant. Præpos. *in 3. part. qu. Unica. De Sacram. Ord. dub. 17. num. 167.* & Diana *par. 5. tract. 10. res. 32.* Et ideò celebrando non incurrit irregularitatem non solùm durante bona fide, sed neque mala fide superveniente, cùm ab initio non incurrerit suspensionem. Fagnan. *in cap. Vel non est compos, num. 15. & num. 43. De Tempor. Ordin.* Peyrin. *de Privileg. Minim. tom. 1. Constit. 1. Julii Secundi §. 16. num. 29.* & Coton. *ubi ante num. 53.*

27. *Quær.* Quomodo tollatur dicta suspensio; ubi quis fuerit ea illaqueatus ob præsumptionem? *Resp.* Per absolutionem faciendam à proprio Episcopo, vel à Superiore, si ordinatus sit Regularis, vel etiam à Confessario electo per Cruciatam. Dian. *par. 4. tract. 4. resol. 115.* & Coton. *num. 55.* vel à Sacra Pœnitentiaria, ut dixi *de Pœnitentia Decis. 48. num. 11. Vers. Duodecimo.*

28. *Quær.* Quomodo intelligatur annus inceptus, vel annus completus? *Resp.* Annus inceptus dicitur, ubi quadrans horæ ipsius transierit; completus verò reputatur, si ultimus dies inceptus sit, quia in favorabilibus dies inceptus habetur pro completo. Dian. *part. 9. tract. 9. resol. 50.* & Cotonius *num. 56. & 57.*

29. *Quær.* An in anno bisextili computandus sit dies intercalaris? *Resp.* Affirmativè, quia dies ille est collectio fragmentorum præcedentium annorum, qui imperfecti remanent, ut demonstrat Cotonius contra Dianam *ubi supra num. 58.*

30. *Quær.* Si quis sit subditus unius Episcopi ratione originis, & alterius Episcopi ratione domicilii, vel beneficii, an ubi inceperit recipere ordines ab uno Episcopo, possit eo relicto accedere ad alium pro reliquis ordinibus recipiendis? *Resp.* Affirmativè, ut docet Dian. *par. 6. tract. 7. resol. 35.* quamvis contrarium docuerit Barbos. *De Jure Ecclesiastico Univer. lib. 1. cap. 33. num. 44.* & Bonac. *tom. 1. de Sacram. disp. 8. qu. unic. punct. 4. num. 20.* Dummodo tamen recessus à primo Episcopo, & accessus ad secundum non fiat in fraudem primi, ut respondit Sacr. Congregat. *in una Venetiarum 28. Novembr. 1633. & in una Fundana die 27. Febr. 1666.* & notat Jacobus Pignatell. *in suis Consultationib. Canon. tom. 1. consultat. 38.* ubi in terminis hanc quæstionem examinat, & concordat cum eo Coton. *ubi supra n. 60. & 61.* Porrò, in præsenti observanda est nova Constitutio Innocentii Papæ XII. *diei 4. Novembr. 1694.* Incip. *Speculatores domus Israel &c.*

&c. in qua prohibet Episcopis, ordinare illos clericos, qui alibi nati sunt, vel domicilium aut beneficium in aliena Diœcesi habuerunt, nisi ab iisdem aliis Episcopis Litteras Dimissorias obtineant, ut legitur in eadem Constitutione, quam refert Pignatell. *tom.* 10. *Const.* 13. & Antonell. *de Jurib. Clericor. in addit.* post eumdem tractatum *pag.* 5. Et dicta Constitutio emanavit potissimum ob indolentias Eminent. Cardin. mei Gregorii Barbadici Episcopi Patavini, quia plurimi clerici hujus Diœcesis, indigni, & ignorantes, sub fictis prætextibus, ordinabantur ab Episcopis ultramarinis, & ita ordinati revertebantur in patriam.

31. *Quær.* Quo Jure prohibitum sit recipere Ordines à non suo Episcopo absque dimissoriis proprii Episcopi? *Resp.* Per dictam Extravagantem Pii II. *Cum Sacrorum*, quæ loquitur de majoribus Ordinibus, & ulteriùs per Text *in cap.* 1. *de Tempor. Ordin. in* 6. & per Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 8. quibus juribus infligitur suspensio in quoscunque Ordines suscipientes à non suo Episcopo absque dimissoriis. Coton. *ubi ante num.* 62. *&* 63. Et dicta Bulla Sanctissimi D.N. Innocentii XII. in qua statuitur pœna suspensionis tam contra Episcopos ordinantes subditum alterius absque dimissoriis illius; quàm contra clericos ordinatos.

32. *Quær.* An Capitulum Sede Vacante possit dare dimissorias pro ordinibus suscipiendis? *Resp.* Negativè, intra annum vacationis; sub pœna Interdicti ipsi Capitulo, & suspensionis ipsi ordinato. Concil. Trident. *sess.* 7. *cap.* 10. Excipiuntur tamen sequentes casus, in quibus etiam intra annum Capitulum potest dare dimissorias. *Primò*, si petantur ab eo, qui præsentatus est à Patronis laicis ad beneficium. *Secundò*, si quis habeat Breve Papale suscipiendi ordines à quocunque Episcopo de licentia proprii Ordinarii. *Tertio*, si quis sit arctatus ad ordines intra annum suscipiendos vel ratione beneficii, vel ratione Capellaniæ. Garzias *De Benef. par.* 5. *cap.* 7. *num.* 93. Coton. *ubi ante num.* 64. 65. 66. *&* 67. ubi notat præter dictos casus non posse Capitulum intra annum dare dimissorias neque pro prima Tonsura, quod docet etiam Marchettus *De Vicario Capitulari tit.* 15. *num.* 14.

33. *Quær.* An pœnæ à Concilio inflictæ incurrantur, si Capitulum intra annum dimissorias concedat, sed eis Clericus non utatur? *Resp.* Incurri pœnas à Capitulo, non autem à Clerico, quia iste delictum non committit, nisi eis utendo; at Capitulum delinquit, illas concedendo. Dian. *par.* 9. *tract.* 8. *resol.* 58. & Coton. *num.* 68.

34. *Quær.* An dimissoriæ, concessæ à Capitulo Sede Vacante, valeant superveniente novo Episcopo; si antea Clericus eis usus non fuerit? *Resp.* Affirmativè, quia sunt gratiosæ, & sic durant, quamvis Episcopus possit eas revocare, si velit, prout solent omnes Episcopi, dum ad regimen suæ Ecclesiæ veniunt, statim quascunque dimissorias revocare. Dian. *par.* 8. *tract.* 4. *resol.* 41. Coton. *ubi prius num.* 64. & Marchettus *dict. tit.* 15. *num.* 51. 52. *&* 53.

35. *Quær.* Quis det dimissorias Clericis pleno jure subjectis alicui Abbati? *Resp.* Ipse Abbas. Tambur. *De Jure Abbat. tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 26. *num.* 1. & Coton. qui sic respondisse Sacr. Congregat. testatur *ubi supra num.* 69. Ideò Abbas Abbatiæ de Vangaditia dat dimissorias Clericis illius Abbatiæ.

36. *Quær.* Regulares ordinandi à quibus Episcopis ordinandi sint? *Resp.* Esse ordinandos ab Episcopo Diœcesano, id est, in cujus Diœcesi ipsi Regulares commorantur; dummodo tamen ipse Episcopus Diœcesanus ordinationes teneat; quia si non teneat illas, vel sit absens, possunt ipsi Regulares (accepta fide de absentia Episcopi, vel quòd ordines non sit ea vice collaturus ab ejus Cancellaria) accedere cum dimissoriis suorum Superiorum ad quemcunque alium Ordinatorem, à quo tamen examinabuntur circa doctrinam, juxta Decretum Clementis VIII. *diei* 15. *Martii* 1696. relatum à Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 15. & à Cotonio *ubi supra num.* 72.

37. *Quær.* An ordinandus debeat necessariò esse confirmatus? *Resp.* Affirmativè, quia licèt nonnulli dixerint, recipere ordines, omissa confirmatione absque contemptu, esse peccatum veniale tantùm. Diana *part.* 12. *tract.* 1. *resol.* 46. Communior tamen sententia est, quòd sit mortale peccatum ob expressum præceptum Concil. Trid. *sess.* 13. *de reformat. cap.* 4. ut notat Bellet. *Disquisit. Cleric. part.* 2. §. 27. *num.* 3. Coton. *ubi supra num.* 75. *&* 76. Imò ordinatum, & non confirmatum egere Apostolica dispensatione ex decreto Sac. Congregationis testatur Fagnan. *in cap. Cum contingat. num.* 96. *De Ætat. & Qualitat.* & Nicol. *eodem titul. num.* 4. *tom.* 2. *pag.* 23.

38. *Quær.* Quam pœnam incurrat, qui suscipit altiorem ordinem, omisso inferiori ordine? *Resp.* Incurrit in pœnam suspensionis, etiamsi agatur de omissione ordinis minoris, imò etiam de omissione primæ Tonsuræ, ut contra Dianam docet Coton. *ubi supra num.* 77. *&* 78. Quo loco advertit, Episcopum posse dispensare à dicta suspensione ex Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 14. quod pariter supra notavimus.

39. *Quær.* Quid requiratur in promovendo ad ordines majores? *Resp.* Quòd ultra ætatem, scientiam, & alia hucusque enarrata, requiritur titulus vel beneficii, vel Patrimonii, vel paupertatis Religiosæ, ad quam promoventur Regulares professi. Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. Coton. *ubi ante num.* 79. 80. ubi notat, nomine beneficii intelligi etiam pensionem; & quòd Clerici Veneti promoventur ad Sacros ordines ad solum titulum Ecclesiæ, cui sunt adscripti ex Privilegio Sixti V. ut patet ex Synodo Veneta *anni* 1592. nam ex incertis tantùm colligunt annuatim in suis Ecclesiis, ut honestè vivere possint; at nimius numerus facit eos egere.

40. *Quær.* An, qui habet Patrem divitem, possit ordinari in Sacris absque specifica constitutione Patrimonii? *Resp.* Affirmativè secundùm doctrinam Surdi *de Alimentis tit.* 7. *qu.* 37. *num.* 2. Quæ tamen in praxi non servatur, nam Episcopi volunt, ut priùs celebretur

tur à Patre etiam ditissimo Instrumentum publicum, in quo deputet certa bona in patrimonium filio ordinando in Sacris, ut sæpe fieri vidi in hac Curia Episcopali Patavina.

41. *Quær.* An quis possit ordinari in Sacris ad titulum Capellaniæ? *Resp.* Affirmativè, si illa sit perpetua, & sufficiens, ultra expensas pro Missis, & aliis oneribus adimplendis, ad præstanda alimenta Capellano. Ideò, si illa non sit sufficiens ob tenuitatem, vel sit amovibilis, non poterit deservire pro aliquo Clerico ordinando. Garz. *de Benefic. part.* 1. *cap.* 2. *à num.* 83. *& seqq.* & ratio est, quia nemo potest ordinari ad titulum beneficiorum manualium, aut Vicariæ temporalis, & ad nutum amovibilis. Paris. *de Resignat. lib.* 2. *q.* 6. *num.* 2. *&* 35.

42. *Quær.* Quam pœnam incurrat ille Clericus, qui ordinatur in Sacris absque beneficio, vel absque patrimonio, aut alio titulo sufficienti? *Resp.* Si sciente Episcopo ordinatus sit absque titulo, nullam pœnam incurrit; & potest celebrare, quia non est suspensus, neque irregularis; nam Concilium Tridentinum. *cap.* 2. *sess.* 21. prohibendo ordinationem in Sacris absque titulo, renovavit tantummodò pœnam statutam in *cap. Cum secundùm, de Præbend.* quæ quidem est, ut Episcopus teneatur providere alimenta ordinato, donec habeat beneficium; & sic respondisse Sacram Congregationem testatur Fagnan. *in d. cap. Cum secundùm num.* 63. *tom.* 4. *pag.* 114. Verum si ordinatus fefellerit Episcopum, simulando habere patrimonium, quod non habet; vel fictum titulum exhibendo per fraudem; in hoc casu ordinatus est ipso jure suspensus, & celebrando fit irregularis juxta textum *in cap. Neminem, & cap. Sanctorum* 70. *dist.* Quorum canonum pœnæ in hoc casu non sunt abrogatæ juxta responsum ejusdem Sacræ Congregationis *diei* 27. *Novembris* 1610. penès eundem Fagnan. *in cap. Cum secundùm. sub num.* 69. *in fine*; cum quo concordat Pax Jordan. *tom.* 1. *pag.* 220. *à num.* 362. *& seqq.* & adstipulatur prædictis Cotonius *ubi supra num.* 83. ubi allegat *cap. Episcopus. de Præbend.* & latiùs *num.* 88. Novissimè Nicolius *tom.* 2. *Lucubrat. Canon. lib.* 1. *tit.* 11. *à num.* 14. *& seqq.*

43. *Quær.* An valeat pactum, quo Clericus promittit sibi facienti Patrimonium pro ordinibus Sacris suscipiendis, se nunquam petiturum fructus ejusdem Patrimonii? *Resp.* Esse pro utraque opinione Doctores, nam tale pactum valere, saltem in conscientia, & pro tempore, quo non indigebit, tenet Avila *part.* 3. *disp.* 5. *dub.* 5. *concl.* 3 & Cotonius *ubi ante num.* 93. Quòd autem pactum prædictum non valeat, & tanquam illicitum sit irritum ipso jure, sustinet Ledesma, & alii apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 184. *& part.* 8. *tract.* 6. *resol.* 135. Et hæc secunda opinio videtur in praxi amplectenda, quia majori auctoritate juris fulcitur. Pax Jordan. *d. tom.* 1. *pag.* 219. *à num.* 353. *& seqq.* ubi tamen subdit, quòd ita paciscens Clericus peccat, & potest ab Episcopo puniri.

43. *Quær.* An sit legitimum Patrimonium factum à patre filio suo, ut ad Sacros ordines promoveatur, si pro ipso patre, vel aliis filiis nihil remaneat? *Resp.* Affirmativè, ut respondit Sacra Congreg. quam refert Nicol. *d. lib.* 1. *tit.* 11. *sub num.* 23. Quamvis in Episcopatu Paduano soleant Episcopi se difficiles reddere in admittendis his Patrimoniis, ob justam timoris causam, quòd fraus aliqua, seu pactum de non exigendo intercedat. At sicut Pater posset illa bona aliis alienare, sic videtur posse ea in patrimonium filio suo concedere.

45. *Quær.* An Clericus possit promoveri ad Sacros ordines ad titulum illius beneficii, cujus tamen fructus consequi non potest, nisi fuerit Sacerdos? *Resp.* Affirmativam sententiam tenere Barbos. *de Offic. & potest. Episcopi allegat.* 19. *num.* 29. Sed negativam tueri Nicolium *d. lib.* 1. *tit.* 11. *num.* 26. ea ratione, quia sic promotus ad subdiaconatum, posset impediri multipliciter à Susceptione Sacerdotii, & sic remaneret sine alimentis, contra intentionem Sacri Concilii; & ideò negativæ opinioni adhæsisse Sacram Congregationem testatur *in una Vicen. die* 26. *Septemb.* 1623. Quare in hoc casu deberet Episcopus saltem requirere, ut de aliquo Patrimonio, quamvis per extraneum fieret provisio, donec ad Sacerdotium dictus Clericus ascenderet, juxta ejusdem Sacræ Congregationis responsum apud eundem Nicolium *dict. num.* 26.

46. *Quær.* An quis possit promoveri ad Ordines Sacros sub fidejussione alicujus honesti viri de alimentis præstandis? *Resp.* Affirmativam opinionem placuisse Grilenzonio *cons.* 14. & Dianæ *part.* 5. *tract.* 10. *resol.* 48. Eam tamen non probari à Sacra Congregatione, quæ requirit Patrimonium rei certæ, de cujus fructibus ordinatus possit liberè disponere, ut testatur Nicol. *ubi ante num.* 27. ubi refert, neque admitti à Sacra Congregatione Patrimonium in salario præstando à Communitate.

47. *Quær.* An possit admitti Patrimonium tanquam sufficiens, si illud componatur partim ex Patrimonio insufficienti, & partim ex beneficio non sufficienti, si simul jungantur, & habeant sufficientiam? *Resp.* Affirmativè, ut censuit *S. Congregat. in una Veronen.* 6. *Decembris* 1636. apud Nicol. *ibid. num.* 27. & Ugolin. *de Offic. Episcopi cap.* 26. §. 13. *num.* 3. Porrò, si Clericus velit ordinari hoc modo ab Episcopo, in cujus Diœcesi est beneficium insufficiens, & ipse sit alterius Diœcesis, debet obtinere Dimissorias ab alio etiam Episcopo ob *Constit. Innocentii XII. de qua supra.*

48. *Quær.* An Clericus promoveri possit ad ordines Sacros ad titulum Seminarii? *Resp.* Negativè, nisi Seminarium habeat beneficia unita, pro quorum servitio sufficiens sustentatio sit deputanda, nam in eo casu poterit ordinari ad titulum servitii illorum beneficiorum; vel nisi Seminarium habeat bona deputata ad sustentationem Clericorum in sacris ordinatorum. Nicol. *ubi supra num.* 28. *in fine.* prout in præsenti habet Seminarium Patavinum ob eximiam pietatem Eminentissimi Cardinalis Barbadici præsulis, qui expoliavit se Abbatia Montis Crucium, & Prioratu Curtoroduli, & eam uniri obtinuit ad

effectum præmissum eidem Seminario per diploma Clementis Papæ Decimi anno 1670. cujus boni operis executio mihi ab ipso Eminent. Præsule fuit demandata.

49. *Quær.* An Patrimonium constitutum ab extraneo, & non consanguineo, vel non affine Clerici ordinandi, sit admittendum? *Resp.* Affirmativè secundùm doctrinam Azorii *part. 2. lib. 2. cap. 4.* & Ugolini *d. c. 26. §. 13.* qui allegant, sic respondisse Sacram Congregationem; quamvis pluribus in locis contrarium statuant Synodales Constitutiones, prout hìc Patavii, ob timorem fraudum, & fictæ promissionis juxta plurima experimenta non semel ad lucem deducta.

50. *Quær.* An ordinatus ad titulum beneficii possit illud resignare? *Resp.* Negativè, nisi duobus concurrentibus; *Primò*, quòd explicet, se fuisse ad illum titulum ordinatum: *Secundò*, quòd habeat, undè alibi vivere possit. Paris. *de Resignat. benefic. lib. 2. cap. 7. num. 36.* Quamvis Navarrus censeat, renunciationem valere, licèt deficiat primum requisitum, dummodo secundum subsistat. Navar. *cons. 23. de Præbend.*

51. *Quær.* An valeat renunciatio Patrimonii, ad quod Clericus fuit promotus ad ordines Sacros, si illam faciat inscio Episcopo? *Resp.* Cum distinctione; vel habet, undè alibi vivere possit? & valida est renunciatio: vel non habet aliundè alimenta; & renunciatio non valet; poterit tamen utroque casu ab Episcopo castigari; etsi nullam censuram incurrat. Quarant. *in Verb. Ordo. Vers. Quotidianus casus.* Ugolin. *de Offic. & potest. Episcopi dict. cap. 26. §. 13. num. 5.* Antonell. *de Regim. milit. Eccl. lib. 2. cap. 2. num. 38.* Pignatell. *tom. 9. cons. 68.*

52. *Quær.* Quomodo servanda sint interstitia temporum inter ordinem, & ordinem? *Resp.* Quòd decurrat integer annus à die susceptionis ultimi ordinis usque ad novi ordinis collationem. Concil. Trid. *sess. 23. cap. 11. & 13.* Quamvis aliter promoventi, aut promoto nulla sit pœna injuncta de jure, ut contra Portellium docet Filliuccius relatus à Diana *part. 3. tract. 2. resol. 32. & part. 4. tract. 4. resol. 209.* & à Cotonio *d. lib. 3. Controv. 1. num. 94.*

53. *Quær.* An obligatio servandi interstitia, habeat locum etiam in minoribus ordinibus? *Resp.* Quamvis in puncto juris etiam inter unum ordinem minorem, & alterum debeat fluere interstitium unius anni. Antonell. *de Regim. mil. Eccl. lib. 2. cap. 3. num. 12.* consuetudo tamen communis recepit, ut tacita dispensatio Episcopi sufficiat, adeò ut absque expressa derogatione interstitiorum possit pro sui arbitrio promovere Clericum ad plures minores ordines eodem die; & hinc est, quòd Doctores dicunt, interstitia in minoribus ordinibus esse intelligenda non de anno in annum, sed de una ordinatione generali ad aliam generalem ordinationem, licèt intra eundem annum: imò de uno die festo ad alium diem festum; & uno verbo, prout Episcopo magis placuerit, quia exuberat in his ejus arbitrium. Barbos. *in Collect. DD. ad Concil. Trident. d. sess. 23. cap. 11.* Jordan. *lib. 3. tit. 6. num 426. tom. 1.* & Nicol. *tom. 2. d. lib. 1. tit. 11. sub num. 3.*

54. *Quær.* Ad quem spectet dispensare circa interstitia? *Resp.* Spectare non ad Episcopum ordinantem, sed ad Episcopum ordinarium, & Diœcesanum clerici ordinandi, à quo dantur dimissoriæ. Nisi ordinandus esset Regularis, quia in hoc casu, si Prælatus Regularis fidem faciat de necessitate, seu utilitate sui Conventus, Episcopus ordinans dispensat super interstitiis. Peyrin. *tom. 2. de Prælat. qu. 3. cap. 7. num. 9. in fine.* Jordan. *lib. 9. tit. de dispens. num. 128. 129. & 130. tom. 2. pag. 158.*

55. *Quær.* Quæ causæ requirantur ad hoc, ut Episcopus dispensare possit super interstitiis circa ordines Sacros? *Resp.* Quòd si agatur de promovendo Subdiacono ad Diaconatum ante interstitium anni, debet adesse vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ; si verò promovendus sit Diaconus ad Sacerdotium ante annum à die susceptì Diaconatus, non sufficiat utilitas, nisi etiam interveniat Ecclesiæ necessitas, ut contra Dicastillum (*tom. 1. tract. 6. disp. 1. num. 351.* contrarium docentem, & solam utilitatem sufficere asserentem) docet Castropal. *tom. 4. tract. 27. p. 13. num. 7.* & Nicolius *dict. tom. 2. lib. 1. tit. 11. num. 3.* ubi sic declarasse Sacram Congregationem testatur.

56. *Quær.* An in promovendo Acolytho ad Subdiaconatum ante annum interstitii, necessitas, vel utilitas Ecclesiæ requiratur? *Resp.* Affirmativè. Concil. Trident. *sess. 23. cap. 11.* & Nicol. *ubi supra d. num. 3.*

57. *Quær.* Quomodo intelligatur adesse utilitas Ecclesiæ pro dispensandis interstitiis? *Resp.* Utilitas adest, si agatur de splendore Ecclesiæ, proveniente ex multiplicatione ministrorum; Vel si promovendus in litteris, & studiis multùm profecerit, aut ætatem provectam habeat, eamque conjunctam cum gravitate, & integritate; & aliàs quando prudenti arbitrio Episcopi videbitur sic suæ Ecclesiæ expedire. Diana *par. 10. tract. 11. resol. 10.* Nicol. *ubi supra d. num. 3.* & Coton. *num. 97.* & ita in praxi vidi semper servari à Sapientissimis Episcopis hujus Serenissimi Dominii.

58. *Quær.* Quomodo necessitas pro dispensando in dictis interstitiis intelligatur? *Resp.* Necessitatem intelligi, si deficerent ministri Ecclesiæ, & non possent suppleri onera Missarum, & alia Ecclesiæ munera; vel quis haberet beneficium, vel capellaniam cum onere celebrandi. Nicol. *d. lib. 1. tit. 11. sub num. 3.* & Coton. aliis allegatis *ubi ante num. 97.*

59. *Quær.* Quomodo sit computandus annus interstitiorum? *Resp.* Ipsum computari debere Ecclesiasticè, & non mathematicè, id est, à Sabbato Pentecostes anni præteriti usque ad Sabbatum Pentecostes anni præsentis; licèt ob varietatem festorum mobilium citiùs occurrat festum Pentecostes, & antequam duodecim menses expleantur, ut ex pluribus Decretis S. Congregationis notat Nicolius *ibidem.*

60. *Quær.* An eodem die possint recipi ordines minores, ac etiam ordo Subdiaconatus?

natus? *Resp.* Esse hinc indè Doctorum opiniones. Asserit Vasquez *in* 3. *p. tom.* 5. *disp.* 246. *cap.* 5. *num.* 47. Negat Sanchez *in Opusc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 53. *num.* 2. cum aliis, quos refert Coton. *ubi supra num.* 100. ubi opinioni affirmativæ videtur adhærere; quæ tamen in praxi non amplectitur, & negativa omninò servatur.

61. *Quær.* An duo majores Ordines unica die dari possint? *Resp.* Negativè juxta *tex. in cap. Litteras. De Temporib. Ordinat.* ubi lata est suspensio contra præsumentes contrafacere; quæ censura censetur ipso jure, prout tenet Diana *par.* 5. *tract.* 10. *resol.* 36. quamvis Suarez eam reputet ferendæ sententiæ, quem refert Coton. *ante num.* 98. *&* 99. ubi advertit, non esse prohibitum, ut die Dominico detur ordo Episcopatus ei, cui Sabbato antecedenti collatus fuit Presbyteratus, quod docet Gloss. *in cap. Quod à patribus, dist.* 75. & Diana *par.* 12. *tract.* 1. *resol.* 65.

62. *Quær.* An ordinandus debeat esse in gratia? *Resp.* Affirmativè, & idcò, qui recipit Ordines existens in peccato mortali, non præmissa saltem contritione, committit Sacrilegium. Diana *par.* 12. *tract.* 1. *resol.* 52. Coton. *ubi ante num.* 106.

63. *Quær.* Qua intentione debet esse præditus ille, qui vult ordines Ecclesiasticos suscipere? *Resp.* Debet habere intentionem serviendi Deo in exercitio Ordinum, quos suscipit; & idcircò communis est Doctorum sententia, quòd peccet mortaliter, quia aliquos Ordines suscipit ad hunc finem, & effectum, ut consequatur tantummodò aliquod commodum spirituale, vel ut evadat Judicium sæculare. Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. Ledesm. *tom.* 2. *de Sacram. Ordinis cap.* 7. *concl.* 3.

64. *Quær.* An peccet mortaliter ille, qui suscipit Ordines minores animo non ascendendi ad majores? *Resp.* Esse super hoc quæsito contrarias Doctorum opiniones; nam negat Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 31. *num.* 16. & Jordan. *tom.* 1. *pag.* 212. *num.* 278. Affirmat Ledesma *ubi supra*; sed videntur concordandæ hæ opiniones sub distinctione, quòd scilicet mortaliter peccet, qui solo temporali interesse motus minores Ordines suscipit; at quòd non peccet, si in eis servire Domino proponat. Coton. *ubi ante num* 110. *&* 111.

65. *Quær.* Quis sit ordinarius Minister Ordinis? *Resp.* Esse Episcopum, & hoc esse de fide. Concil. Trident. *sess.* 23. *Can.* 7.

66. *Quær.* An validè sit ordinatus Clericus non examinatus, vel non approbatus, si Episcopus in solita interminatione protestetur, se non intendere ordinare non examinatos, & non approbatos? *Resp.* Negativè respondisse Navar. *cons.* 1. *De eo, qui furtivè.* Salzed. ad Diaz. *cap.* 25. *num.* 2. Affirmativè verò Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disput.* 18. *num.* 11. *&* 16. Pignatellus *tom.* 4. *consult.* 139. *num.* 6. ubi videas.

67. *Quær.* An Episcopus Excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus ordinando verè conferat ordines? *Resp.* Affirmativè quoad validitatem ordinis, & characterem, secùs autem quoad executionem; imò idem est dicendum, etiamsi Episcopus foret degradatus, vel hæreticus, nam semper ordinando imprimit characterem, & validè ordinat, quamvis ab hujusmodi Episcopo ordinatus sit suspensus, & careat legitimo ordinum exercitio, donec dispensetur. *cap. Daibertum* 1, *q.* 7. Diana *par.* 8. *tract.* 1. *resol.* 41. *&* *part.* 12. *tract.* 1. *resol.* 60. Coton. *ubi ante num.* 116.

68. *Quær.* An validè collati essent illi ordines alicui Clerico per eum Episcopum, qui illosmet ordines non suscepisset? exempli gratia, si Episcopus nunquam suscepisset ordines minores, posset ne illos conferre Clericis in generali ordinatione? *Resp.* Affirmativè; neque obstaret Regula Juris, *Nemo dat, quod non habet*, quia licet prædictus Episcopus non habeat ordines minores, ut supponitur, habet tamen in se aliquid supereminens, cujus virtute inferiores ordines confert; quæ tamen omnia intelligenda sunt, dummodo Episcopus suscepisset Presbyteratum, & Episcopatum, nam in dictis characteribus stat facultas generandi ministros Ecclesiæ per ordinationem. Vasquez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 243. *num.* 26. Diana *par.* 8. *tract.* 2. *resol.* 4. Coton. *d. lib.* 3. *Controv.* 1. *num.* 117.

69. *Quær.* A quibus sit consecrandus Episcopus? *Resp.* De Jure est consecrandus à suo Metropolitano cum duobus Episcopis comprovincialibus. *cap. Ne Episcopi. De Temp. ordin. cap. Non debet dist.* 65. *&* *cap. Ordinationes il primo dist.* 75. Hodie in praxi servatur, ut consecratio petatur à Summo Pontifice, qui illam committit alicui Cardinali Episcopo, cum duobus aliis Episcopis; ut quotidie fieri videtur in Curia. Verùm, si extra Curiam sit Episcopus consecrandus, commissio datur Metropolitano, & duobus consuffraganeis Episcopis. Diana *par.* 12. *tract.* 1. *resol.* 35. Coton. *ubi supra num.* 121. 122. Vel alicui Cardinali Episcopo cum duobus aliis Episcopis, ut factum est in consecratione Illustrissimi, ac Reverendissimi Baduarii, Patriarchæ Venetiarum, qui ordinatus fuit Episcopus ab Eminentissimo Cardinali Barbadico Episcopo Patavino, duobus aliis Episcopis assistentibus Anno 1688.

70. *Quær.* An numerus ternarius Episcoporum in consecratione Episcopi sit tantùm de præcepto, an verò de necessitate Sacramenti? *Resp.* Hanc esse insignem quæstionem in scholis, & utramque opinionem habere magnos Magistros. Quòd sit de necessitate Sacramenti tenet Bellarm. pluribus tex. Conciliis, & DD. citatis *lib.* 5. *de Not. Eccl. cap.* 8. Quòd verò sit tantùm de necessitate præcepti, sustinet Valentia *tom.* 4. *disp.* 9. *q.* 3. *part.* 2. & alii, quos citat Diana *part.* 12. *tract.* 1. *resol.* 27. *&* *resol.* 29. & hæc secunda opinio videtur magis communis, & omninò amplectenda, tum quia in Pontificali unus tantùm Episcopus vocatur Consecrator, & alii duo assistentes; tum etiam, quia forma profertur ab uno. Coton. *ubi ante num.* 123. *&* *num.* 126. ubi notat, S. Gregorium Papam ex dispensatione concessisse Augustino, Anglorum Episcopo, ut unus Episcopus Episcopum consecraret; & idem factum esse à Gregorio XIII. cum Patriarcha Æthyopiæ, testatur

tur Henriquez *lib. 3. de Ordin. cap. 24.* sed cæteris meliùs de hoc quæsito agit Eminentiss. Card. de Lauræa *de Sacram. Ordin. disp. 8. art. 4.* ubi ponit Decretum S. Congreg. Concilii *diei 15. Decemb. 1657.* quo dixit consecrationem validam.

71. *Quær.* An Papa possit concedere simplici Sacerdoti, ut Ordines conferat? *Resp.* Affirmativè, tam in Ordinibus minoribus, quàm in majoribus, excepto Sacerdotio, & Episcopatu. Emin. Card. de Lauræa *ubi supra d. disp. 8. articul. 2.* & Coton. *ubi ante num. 124. & 125.* ubi subdit, quòd frustra concederetur Diacono ordinare Sacerdotem; quia major non benedicitur à minori juxta Apostolum *Hebr. 7.* ex Diana *part. 2. tract. 1. resol. 25.*

72. *Quær.* An sint alii, qui jure ordinario possint conferre ordines? *Resp.* Ordines minores posse conferri à Cardinalibus in suis titulis. Barbos. *de Offic. & potest. Episcopi alleg. 5. num. 19.* Coton. *lib. 3. Controv. 8. num. 57.* Et ab Abbatibus erga suos subditos. *cap. Quoniam 69. dist. cap. Abbates. de Privileg. in 6.* Lapus *allegat. 138.* & Concil. Trident. *sess. 23. cap. 10.*

73. *Quær.* Quot requisita debeant esse in Abbatibus, qui volunt conferre primam tonsuram, & quatuor ordines minores? *Resp.* Tria requisita. *Primum*, quòd sint Sacerdotes; *Secundum*, quòd sint benedicti. Et *Tertium*, quòd eos conferant suis subditis. Si primum, & secundum requisitum deficiat, & aliàs non habeant particulare indultum eos conferendi à Sede Apostolica, nulliter conferunt, & nullus imprimitur character. Fagnan. *in cap. Quanto num. 24. & 25. de Consuetud. tom. 1. pag 262.* & Nicolius *tom. 2. Canonicar. Lucubrat. pag. 33. ubi* per extensum ponit Decretum S. Congregationis editum anno 1641.

74. *Quær.* An saltem ipsi Abbates possint conferre primam tonsuram, & quatuor minores Clericis non subditis, si tales deferant dimissorias particulares suorum Episcoporum, vel Ordinariorum? *Resp.* Negativè, quia prædictorum Abbatum facultas est restricta ad solos eorum subditos, ut cantat Decretum prædictum S. Congregationis de anno 1641. quod fuit confirmatum ab Urbano VIII. *sub die 17. Januarii 1642.* præcipiendo, ut ab omnibus observaretur, referente Nicol. *ubi supra.*; Ideò caveant Abbates, ne ordinent alienos Clericos.

75. *Quær.* An, si de facto prædicti Abbates dent ordines minores Clericis alienis, accedentibus ad illos cum dimissoriis suorum Ordinariorum, validè ordinent, & imprimant characterem? *Resp.* Esse satis implicitum hoc quæsitum ob contrarias Doctorum sententias, ac diversa Sacræ Congregationis Concilii responsa, quæ ab iisdem Doctoribus referuntur. Nihilominùs luculenter Illustrissimus Dominus Fagnanus, quo infra loco resolvit omne dubium sic distinguendo: vel Abbas ordinans habet subditos, & si ordines ab eo conferantur etiam non subditis, validè conferuntur, & imprimitur character. Si verò nullos subditos habeat, ordinando nulliter agit, & characterem non imprimit. Ratio autem est, quia Abbatibus non habentibus subditos olim competebat facultas ordinandi eos, qui cum dimissoriis accedebant, ob privilegium Apostolicum, quod revocatum fuit à Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 10.* & ideò in eis nulla est potestas ampliùs ordinandi. Abbates verò habentes subditos, ideò validè ordinant etiam non subditos, quamvis non licitè, quia facultas ordinis in eis relicta non potest esse divisibilis, sicuti est jurisdictio; & ideò, cùm vigeat in eis facultas ordinandi proprios subditos, si etiam ordinent non subditos, validè ordinant, quamvis non licitè; & dat exemplum Illustrissimus Fagnanus de famulo, cui herus daret sigillum, quo imprimeret centum imagines cereas, & non ultrà; si talis famulus ultra centum imagines alias imprimeret, validè imprimeret, nam sigillum habet, etsi non licitè ob prohibitionem Domini. Ita Fagnan. *in cap. Statuimus. num. 33. & seqq. usque ad num. 50. de Supplen. negligen. Prælat. tom. 2. pag. 173. & 174.* Cui adstipulatur Nicol. *dict. tom. 2. lib. 1. tit. 14. sub num. 2. in fine pag. 34.* ubi testatur, Sacram Congregationem *diei 26. Junii 1655.* declarasse, sic ordinatos ab hujusmodi Abbatibus non esse iterùm ordinandos, sed tantùm à Sanctissimo esse rehabilitationem obtinendam.

76. *Quær.* Quam pœnam incurrat Episcopus, qui alienum subditum ad Ordines promovet absque dimissoriis proprii Ordinarii? *Resp.* Incurrere suspensionem ab Ordinum collatione per annum ex Concil. Trident. *sess. 14. de Reform. cap. 2.* Et ex Bulla Innoc. XII. anni 1694.

77. *Quær.* An concedens dimissorias censeatur concedere Episcopo ordinaturo facultatem dispensandi super impedimentis, si quæ habeat ordinandus? *Resp.* Esse discordes super hoc Doctorum opiniones, quorum alii negant, alii affirmant, Cotonius eos referens *dict. lib. 3. Controv. 1. num. 132.* qui se restringit, ad observandas conjecturas voluntatis proprii Prælati dantis dimissorias. Ego promotus fui ad Sacerdotium ab Episcopo Vicentino cum dimissoriis mei Prælati Episcopi Patavini; & quia egebam dispensatione super interstitiis, statim Episcopus Vicentinus me repellebat ab ordinatione, sed in dimissoriis Patavinis constabat de dispensatione; qua visa, me benignè admisit. Ergò literæ dimissoriæ sine expressa concessione dispensandi super impedimentis, non tribuunt hanc facultatem apud Prælatos timoratæ conscientiæ, qualis erat Illustrissimus, & Reverendissimus Brixia Episcopus Vicentinus, à quo fui Sacerdos ordinatus anno 1656.

78. *Quær.* Quomodo Episcopus dicatur proprius Episcopus Clerici ordinandi? *Resp.* Tripliciter. Primò, si sit oriundus illius Diœcesis ipse Clericus ordinandus. Secundò, vel si in ea domicilium habeat; vel tertiò, si in eadem beneficium obtineat. *cap. Cum nullus. De Tempor. ordination. in 6.* Rota *Decis. 6. part. 4. divers.* & ideò, qui in una Diœcesi natus est, in alia domicilium habet, & in alia beneficium possidet, potest, à quo Episcopo sibi magis placuerit, promoveri, dummodo tamen ab aliis obtineat dimissorias juxta Bullam Innocentii XII. de qua *supra num. 30.*

79. *Quær.*

79. *Quær.* An Clericus, qui aliquos Ordines minores, vel majores recepit ab uno Episcopo, puta suæ originis, possit variare, & pro cæteris ordinibus habendis recurrere, vel ad Episcopum beneficii, vel domicilii? *Resp.* Canonistas communiter negare; nam omnes docent, in hoc casu, facta semel electione, non esse licitum ad alium accedere. Ita Quaran. Piasec. Barbos. Riccius, & alii, quos allegat, & sequitur Antonell. *de Regimine militant. Eccles. lib. 2. cap. 1. num. 2. & 3.* Cæterùm novissimè Jac. Pignatellus J. C. Romanus *in suis consultat. Canon. tom. 1. consult. 38.* sustinet opinionem affirmativam, quam amplexam fuisse testatur Sacram Congregationem *in una Fundana die 27. Februar. 1666.* Quæ respondit, variationem de uno Episcopo ad alium esse licitam, dummodo non sit in fraudem; & sic etiam declaravit *in una Venetiarum die 28. Novembr. 1633.* Sed hodie servanda est Bulla SS. Innoc. XII. & dictæ declarationes ad nihilum valent.

80. *Quær.* Quomodo intelligatur quis esse subditus Episcopo ratione originis? *Resp.* Ille intelligitur, qui non solùm natus est in ea Diœcesi, sed etiam si ejus Pater in illa fuisset natus, quamvis ab ea recessisset ante nativitatem filii. Ita Diana *part. 4. tract. 4. resol. 148.* & Molfes. *tom. 1. tract. 2. cap. 2. num. 7.* qui asserunt, sic respondisse Sacram Congregationem; licèt contrarium videantur docere Canonistæ, quos allegat Antonell. *ubi supra num. 4. & 5.* & Coton. *num. 135.* à quibus in praxi non est discedendum.

81. *Quær.* Ubi ordinandi sint infantes expositi, vel filii vulgò quæsiti? *Resp.* Istos esse ordinandos ab Episcopo loci maternæ originis, vel ubi ipsi nati sunt; illos verò tantummodo ab Episcopo loci, in quo fuerunt expositi, ut ex doctrina Bartoli docet Barbos. *de Offic. & potest. Episcopi alleg. 4. num. 15. & 17.*

82. *Quær.* Quid dicendum de illis, qui in peregrinatione nascuntur? *Resp.* Hos esse promovendos ab Episcopo loci paternæ originis, non autem loci, ubi nati sunt, quia non inspicitur quod per accidens est, Barbos. *d. allegat. 4. num. 18. & 19.* Verum tamen est, quòd prædicti possent ordinari ab Episcopo loci, in quo baptismum suscepissent, quia sicut per manumissionem quis dicitur nasci, & sortitur forum, ita & per Baptismum. Bart. *in l. Cives. num. 4. C. de Incol. lib. 10.* Antonell. *dict. lib. 2. cap. 1. num. 9.* Sed nunc opus esset Dimissoriis Episcopi sui domicilii.

83. *Quær.* A quo Episcopo ordinandi sint Novitii alicujus Religionis; an scilicet ab Episcopo loci, in quo situm est Monasterium, ubi ipsi Novitiatum agunt? vel ab Episcopo originis, aut paternæ domus? *Resp.* Magis communem opinionem Canonistarum esse, ut hi Novitii ordinentur ab Episcopo loci, ubi situm est Monasterium; & si ipse sit impeditus, debeat dimissorias dare *arg. tex. in cap. Cum nullus. §. Religiosi. De tempor. ord. in 6.* Vulpes *in Praxi Judic. cap. 7. num. 9.* & Riccius *in Praxi fori Eccles. part. 4. resol. 258. & 587.* ubi notat, prædictos Novitios non posse recipere ordines minores ab Abbate Monasterii, in quo Novitiatum agunt, quia non subduntur ei irrevocabiliter, cùm possint ad libitum redire ad sæculum; & hanc sententiam tenent plures DD. quos citat, & sequitur Antonell. *ubi ante num. 17. & 18.*

84. *Quær.* An Episcopus possit conferre ordines familiari suo non subdito? *Resp.* Affirmativè, si per triennium fuerit Clericus commoratus cum ipso Episcopo; & beneficium, cessante fraude, ab eodem Episcopo recipiat. Concil. Trident. *sess. 23. de Reformat. cap. 9.* Barbos. *alleg. 5. num. 16.* Ex quo inferunt Doctores, talem Episcopum esse debere habentem Diœcesim, non merè Titularem, attento alio Decreto Concil. Trident. *sess. 14. cap. 2. de Reformat.* Porrò, quod dicitur de beneficio, videtur intelligendum, si & quatenus ipse Clericus familiaris vellet promoveri ad ordines Sacros, & non haberet, unde alibi viveret, quia si habeat patrimonium, vel pensionem, poterit adhuc promoveri post triennium à præfato Episcopo, ut declarasse S. Congregationem testantur Riccius *in Praxi part. 3. resol. 450.* Garz. Barbosa, Bonacina, & alii allegati à prædicto Antonell. *d. lib. 2. cap. 1. num. 33.* Porrò nunc ex d. Bulla Innocentii XII. *de anno 1694.* etiam circa prædictos opus est Dimissoriis suorum Episcoporum, & quod intra mensem verè beneficium eis ab Episcopo ordinante conferatur.

85. *Quær.* An ultra familiares Episcopi, etiam ipsorum familiarium famuli possint ab ipso Episcopo post triennium ad ordines promoveri? *Resp.* Affirmativè, dummodò tamen habitaverint per dictum triennium in domo Episcopi; & ab eo alimenta receperint, quia Concilium hoc concesit Episcopis, fidens, posse ab eis cognosci mores familiarium, & aliorum degentium in familia sua. Sanchez *in Opusc. tom. 1. lib. 7. cap. 1. dub. 20. num. 24.* Diana *part. 4. tract. 4. resol. 145.* Et ideo, si prædicti familiares degissent in dicto triennio in aliqua regione remota, non possent promoveri ab Episcopo Domino suo, & eo minùs famuli familiarium. Quarant. *in Verb. Ordo. Vers. limita in eo.* Piasec. Bonacin. & alii, quos citatos sequitur idem Antonell. *ubi proximè num. 25. & 26.* ubi addit, quod Magister Actorum Curiæ Episcopalis, nempè Cancellarius Episcopi intelligitur ejus familiaris ad prædictum effectum ex Gratian. *Decis. March. 133.* & Barbos. *allegat. 5. num. 18.*

86. *Quær.* Quomodo consideretur ipsum triennium? *Resp.* Quòd fuerit continuum, nisi fortè ipse familiaris absens fuisset per aliquod modicum tempus ex aliqua legitima causa. Riccius *in Praxi par. 1. resol. 77.* Antonell. *dict. lib. 2. cap. 1. num. 29. & 28.* ubi subdit, sufficere etiam, si triennium ipsum incepisset, antequam Episcopus adeptus esset Episcopatum; juxta Doctrinam Vulpis *cap. 7. num. 19.* & Bonac. *de Sacr. disp. 8. qu. Unic. punct. 4. num. 16.*

87. *Quær.* Quæ scientia requiratur in promovendis ad ordines? *Resp.* Pro prima tonsura debet Clericus scire legere, & scribere, & aliqua rudimenta linguæ latinæ habere. Pro minoribus ordinibus majorem notitiam oportet ut habeat, & spes sit, ut proficiat eò magis in studiis, ad hoc ut ad altiores ordines

posſit aſcendere, ut præceptum eſt à Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *de Reſ. cap.* 4. §. 11. 13. & 14. Coton. *lib.* 3. *Controv.* 1. *num.* 153.

88. *Quær.* An Epiſcopus posſit diſpenſare cum illiteratis, & eos ad Ordines promovere? *Reſp.* Negativè, ſi penitùs ignari ſint; quòd ſi ſaltem ſciant bene legere, & mediocrem intelligentiam habeant, poterit aliquando benignè procedere; & maximè cum Regularibus, ſi bene legant, & cantus notitiam posſideant, quamvis linguam latinam non bene intelligant, nam ſatis idonei cenſentur ſervitio chori. Diana *par.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 74. Barbol. *allegat.* 46. *num.* 14. Antonell. *d. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 8.

89. *Quær.* An ordinatus in Sacris ordinibus prævio examine, ſit ampliùs examinandus pro conſecutione ſimplicis beneficii? *Reſp.* Negativè, quia iſte præſumitur habilis, & idoneus. *cap. Accepimus De ætate, & qualit.* Riccius *par.* 1. *reſol.* 340. & Antonell. *ibid. num.* 14. At in Cathedrali Patavina ſervatur, ut nulli, etſi Presbytero, conferatur Canonicatus, aut Cuſtodia, aut Capellania, niſi habeat ab Epiſcopo fidem idoneitatis quo ad mores, & ſcientiam, quando collatio fit à Capitulo, nam dicta fides idoneitatis habet vim confirmationis, quam Epiſcopi Paduani antiquitùs faciebant de electis à Capitulo.

90. *Quær.* An Corpore Vitiati posſint ad Ordines promoveri? *Reſp.* Negativè juxta *tit. de Corpor. Vitiat.* Tales autem ſunt, qui vel inhabiles evaſerunt ad officium Eccleſiaſticum exequendum, vel ſcandalum ob deformitatem gignere valent. Garz. *de Benefic. par.* 7. *cap.* 12. *num.* 3. & 30. Antonell. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 1.

91. *Quær.* Quis dicatur inhabilis ad hoc, ut reputetur indignus Ordinibus? *Reſp.* Qui eſt mutilatus, vel debilitatus, aut offenſus in aliquo neceſſario membro, ut ſi habeat oculum cæcum, manum aridam, aut quid ſimile. Navar. *in Manuali cap.* 27. *num.* 200. Antonell. *ubi ante num.* 3. & 4. quo loci notat, pro membro non intelligi dentes, vel digitos, niſi eſſent Pollex, aut Index. Clar. §. *fin. qu.* 69. *Verſ. Item quæro.*

92. *Quær.* An expediat, Epiſcopos edicere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis ad Ordines accedat cum impedimento occulto? *Reſp.* Negativè, eſſet enim injicere novos laqueos, & ideò, cùm fecerit Epiſcopus omnem diligentiam pro cognoſcendis moribus ordinandorum, quæ omninò occulta ſunt, debet Deo relinquere, & conſcientiæ ſingulorum. Cotonius *d. lib.* 3. *Controv.* 1. *num.* 155.

93. *Quær.* Quo in loco posſit Epiſcopus ordines conferre? *Reſp.* In quocunque loco ſacro, etiam in Oratorio privato; excepto tamen ordine Epiſcopatus, quem in Eccleſia publica eſſe conferendum, ajunt Doctores, & ſi ſecùs fiat, veniale peccatum fore, ait Diana *par.* 12. *tract.* 1. *reſol.* 80. mortale autem tenet Coton. *ubi ſupra num.* 159. propter rei gravitatem.

94. *Quær.* Quibus in diebus Ordines conferri posſint? *Reſp.* Quòd prima tonſura ſingulis diebus poteſt conferri; ordines minores in Sabbatis quatuor Temporum, Sabbato ante Dominicam Paſſionis, & Sabbato Sancto; & ulteriùs quovis die Dominico, aut feſto. *cap. De eo. De Temp. ordin.* Majores ordines in ſolis prædictis Sabbatis. Epiſcopatus verò ſolùm in Dominicis diebus. *cap. Qui in aliquo diſt.* 51. Vel natalitiis Apoſtolorum. In reliquis verò diebus feſtivis Epiſcopi non ſunt conſecrandi, niſi de expreſſa licentia Papæ. Jordan. *tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 6. & Diana *par.* 12. *tract.* 1. *reſol.* 61. Cotonius *dict. lib.* 3. *controv.* 1. *num.* 166. & 167. Ubi ſubdit, ſi electus ad Epiſcopatum fieret Sacerdos in die Dominico, non poſſet eodem die conſecrari Epiſcopus; Si verò eſſet dies natalis Domini, concedendum foret, ut in prima Miſſa conſecraretur Sacerdos, in ſecunda Epiſcopus, & in tertia celebrare poſſet Pontificaliter ex Diana *dict. par.* 12. *tract.* 1. *reſol.* 64. & 92.

95. *Quær.* Cur Epiſcopatus conferatur die Dominico, reliqui verò ordines die Sabbati? *Reſp.* Ob excellentiam Ordinis Epiſcopalis, cui correſpondere debet Excellentiſſimus hebdomadæ dies, inſignioribus Dei operibus deſtinatus; & idcircò reliqui Ordines conferuntur in Sabbato, quia ſicut vigilia ſervit feſto, ita alii ordinati ſerviunt Epiſcopo. Campanilis *in Diverſ. Rubr.* 6. *cap.* 4. *num.* 4. Diana *ubi ſupra*, & Coton. *num.* 167.

96. *Quær.* Quomodo intelligatur eſſe dies feſtus pro Ordinibus minoribus conferendis? *Reſp.* Alios tenere, quòd ſit feſtus dies de præcepto. Nald. *Verb. Ordo num.* 15. Alii, quòd ſit feſtus officii duplicis. Diana *par.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 97. & hæc opinio eſt magis recepta in Praxi. Gavant. *Verb. Ordines minores. num.* 15. Alii tandem tenent, quòd ſi ordinatio non ſit generalis, ſed unius, vel alterius Clerici, posſit fieri ab Epiſcopo etiam diebus ferialibus, quod cum Diana, Baſſæo, & aliis Cotonius intelligit, ſi non ordinet plures, quam ſex. *dict. lib.* 3. *controv.* 1. *num.* 171. & 172. ubi demùm notat, ſub hac prohibitione non comprehendi Regulares, qui ex Privilegiis Pontificiis aliquibus Religionibus conceſſis, & per communicationem reciprocam eorumdem Privilegiorum cenſentur quotidie poſſe ordinari in minoribus.

97. *Quær.* Qua hora ordines ſint conferendi? *Reſp.* Quòd prima Tonſura conferri poteſt in quacunque hora diei, minores ordines de jure ante prandium, quamvis uſu receptum ſit, ut ob multitudinem ordinandorum conferantur etiam Veſpere ſextæ feriæ quatuor temporum. Ordines Sacri omninò dandi ſunt in manè, & cum Miſſa, quæ hora tertia eſſet celebranda ob rationes adductas à Gloſſ. *in cap.* 1. *diſt.* 75. Etſi in praxi non ſervetur ob longitudinem miniſterii. Dian. *par.* 12. *tr.* 1. *reſ.* 63.

98. *Quær.* An omiſſio alicujus cæremoniæ in ordinatione ſit ſupplenda? *Reſp.* Si cæremonia ſit eſſentialis, & dependens à forma ſubſtantiali ordinationis, non ſolùm ipſa eſt ſupplenda, ſed repetenda tota ordinatio, ſaltem ſub conditione. Si verò eſt accidentalis, ſufficit illam ſolam ſupplere; & quidem privatim, ſi omiſſio fuit occulta; aliàs in publico, ſi publicus fuit defectus. Coton. *dict. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 177. & 178.

CAPUT

CAPUT CXXIX.

De Irregularitate.

1. *Quær.* Quid sit Irregularitas? *Resp. Est Canonica inhabilitas directè impediens Ordines susceipere, vel susceptos exercere, à solo Jure proveniens. cap. Is, qui. De Sentent. excom.* Laym. *lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 1. num. 6.* Diana *par. 8. tract. 7. resol. 28.* Ubi notat, nonnullas irregularitates existere non à Jure indictas, sed ex consuetudine introductas ob Doctorum sententiam.

2. *Quær.* An Irregularitas ita impediat, ut irritum faciat usum ordinum? *Resp.* Nonnullos Doctores affirmare, sed communis opinio est Negativa; ideò, qui Irregularitate detentus Sacerdotium susciperet, vel susceptum excerceret, validè consecraret, & in casibus permissis validè absolveret. Dian. *part. 4. tract. 2. resol. 68.* Coton. *lib. 3. controv. 2. num. 6. 7. 8. & 9.* ubi addit, irregularitatem impedire quidem susceptionem beneficii; sed jam susceipti non inducere ipso jure privationem, quia plura requiruntur ad non acquirendum beneficium, quàm ad amittendum.

3. *Quær.* An collatio beneficii facta Irregulari sit ipso jure nulla, vel veniat annullanda? *Resp.* Non deesse asserentes, ipso jure nullam nequaquam fore. Sylvest. *Verb. Excommunicatio, num. 4.* Sed communis Canonistarum opinio est, esse ipso jure nullam, & sic judicare Rotam Romanam, testatur Diana *part 11. tract. 5. resol. 1.* Coton. *ubi ante num. 13.* Qui tamen *num. 10.* scriptum reliquit, sustineri posse collationem beneficii, licèt Irregulari ex defectu factam, quando beneficium non requirit officium, cui irregularis satisfacere non possit ex Avila *De Censur. part. 2. cap. 7. disp. 2. dub. 6. concluf. 3.*

4. *Quær.* Quotuplex sit Irregularitas? *Resp.* Est duplex; una ex defectu, altera ex delicto. Tolet. *lib. 1. cap. 57. num. 3.*

5. *Quær.* Quot sint Irregularitates ex defectu? *Resp.* Sunt octo. *Prima*, ex defectu natalium. *Secunda*, ex defectu originis. *Tertia*, ex defectu liberationis. *Quarta*, ex defectu ætatis. *Quinta*, ex defectu honestæ famæ. *Sexta*, ex defectu corporis. *Septima*, ex defectu animæ. *Octava*, ex defectu Sacramenti. Ita *Praposit. in cap. 1. dist. 50.* & Tolet. *ubi supra.*

6. *Quær.* Quot sint Irregularitates ex delicto? *Resp.* Eas esse sex. *Prima*, ex delicto hæresis. *Secunda*, ex reiteratione baptismi. *Tertia*, ex mala ordinum susceptione. *Quarta*, ex mala ordinum administratione. *Quinta*, ex notorietate criminis. *Sexta*, ex homicidio, vel mutilatione, quæ extenditur ad mandantes, consulentes, & ratum habentes, de quibus omnibus Toletus *dict. lib. 1. cap. 69. & seqq.*

7. *Quær.* Quænam sit Irregularitas ex defectu Natalium? *Resp.* Est illa, quæ provenit ex illegitimitate filiorum, nam omnes filii illegitimi sunt irregulares, sivè ex fornicatione nati sint, sivè ex adulterio, stupro, aut sacrilegio. *cap. 1. & ultim. De Filiis Presbyt.* & ideò prohibiti sunt promoveri tum in detestationem criminis paterni, tum ex periculo incontinentiæ ex imitatione Patris, tum etiam propter scandalum. *cap. ultim.* & ibi Gloss. *De Filiis Presbyter. in 6.*

8. *Quær.* An sint irregulares, & illegitimi, qui nati sunt ex marito, & uxore, postquam ille factus fuit Sacerdos, & hæc votum castitatis emisit? *Resp.* Affirmativè, quia nascuntur ex sacrilego concubitu. *cap. Litteras. De Filiis Presbyter.*

9. *Quær.* An dentur casus, in quibus filii non sint irregulares, quamvis nati sint extra matrimonium? *Resp.*, Affirmativè; & hi casus duo sunt. Primus, si legitimati sint per subsequens matrimonium. *cap. Tanta. Qui fil. sint. legit.* Secundus, quando matrimonium fuit bona fide in facie Ecclesiæ à principio contractum, quamvis postea ex aliquo detecto impedimento declaretur nullum, & invalidum. *cap. Cum inter. Qui fil. sint legitim.* Imò sufficit bona fides in uno tantùm ex genitoribus, licèt alter eorum mala fide contraxisset. *cap. Ex tenore. eod. tit.* Tolet. *lib. 1. cap. 58. num. 2.*

10. *Quær.* An Episcopus possit dispensare super irregularitate ex defectu natalium? *Resp.* Affirmativè, quo ad ordines minores, & unum simplex beneficium. *cap. 1. De Filiis Presbyt. in 6.* Secùs autem quo ad majores, & quo ad beneficium curatum, personatum, seu dignitatem, quia in his solus Papa dispensat. *cap. Nimis. De Filiis Presbyter.*

11. *Quær.* An alio modo tollatur Irregularitas ex defectu natalium? *Resp.* Eam tolli per ingressum in Religionem, quando emittitur Professio, nam tunc irregularitas cessat quo ad ordines minores, & majores; non autem quo ad Dignitates, nisi dispensatio detur à Generali, seu Capitulo Religionis, cui id concessum est per Bullas Sixti V. & Gregorii XIV. Sanchez *in Decalog. tom. 2. lib. 5. cap. 5. num. 9.*

12. *Quær.* An Monialis illegitima possit esse Abbatissa sine dispensatione? *Resp.* Negativè. Majol. *De Irregular. lib. 1. cap. 10. num. 5.* Adden. à Tolet. *d. lib. 1. cap. 58. in fin.* Nicol. *in Floscul. Verb. Abbatissa num. 1.* Sed contrarium docet Diana *par. 3. tract. 2. resol. 99. & resol. 101.*

13. *Quær.* An Episcopus possit dispensare cum illegitimo, ut obtineat Canonicatum in Ecclesia Cathedrali? *Resp.* Affirmativè secundùm doctrinam Navarri *lib. 1. consil. 3. De Ætate, & Qualit. Ordin.* Imò cum hujusmodi potest dispensare etiam Capitulum Sede Vacante. Idem Navar. *lib. 1. consil. 31. De Tempor. Ordin.*

14. *Quær.* Quæ sit Irregularitas respectu originis? *Resp.* Ea est, quæ afficiebat filios natos in servitute; nam ipsi non poterant promoveri ad ordines. *Dist. 54. per totam*, & totus titulus *De Ser. non Ordin.* Porrò, si servus fuisset promotus ad Sacerdotium, efficiebatur liber; sed Domino contradicenti duplum erat solvendum vel ab Episcopo ordinante, vel ab eo, qui fuisset in culpa circa illam ordinationem. Tolet. *dict. lib. 1. cap. 59. per totum.*

15. *Quær.* Quæ sit Irregularitas ex defectu libera-

liberationis? *Resp.* Est illa, quæ afficit Curiales, & eos, qui obligati sunt ad ratiocinia ob publicam administrationem. *cap. Præterea, dist.* 51. Tolet. *dict. lib.* 1. *cap.* 60.

16. *Quær.* An Curiales finito officio possint promoveri? *Resp.* Affirmativè, duobus tamen exceptis casibus. Primò, si sententiam sanguinis tulerint, quia remanent irregulares. Gloss. *in cap. Ecce. & cap. Si quis dist.* 51. Secundò, si officium infame exercuissent, ut faciunt satellites, & carnifices. Tolet. *d. lib.* 2. *cap.* 60.

17. *Quær.* Quænam sit Irregularitas ex defectu ætatis? *Resp.* Illa est, quæ consideratur in illis, qui nondum ætatem requisitam habent pro unoquoque ordine suscipiendo; de qua ætate supra locuti sumus. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 61.

18. *Quær.* Quænam sit Irregularitas ex defectu bonæ famæ? *Resp.* Est illa, quæ oritur vel ex facto, vel ex jure. Oritur ex facto, quando quis commisit aliquod grave crimen, ita notorium, ut tergiversatione occultari non possit. Ex jure, quando sententia Judicis quis condemnatur de delicto, quod aliàs non erat notorium. Tolet. *dict. lib.* 1. *cap.* 61.

19. *Quær.* Quomodo cesset, vel tollatur hæc Irregularitas? *Resp.* Eam tolli vel per dispensationem, vel per abolitionem memoriæ patrati delicti, quando tantum tempus fluxit, ut homines de eo non ampliùs recordentur, & Irregularis vitam exemplarem fecit. Tolet. *d. cap.* 62.

20. *Quær.* Quis possit dispensare super hac Irregularitate? *Resp.* Papam posse super omni irregularitate ex infamia dispensare; Episcopum verò tantummodo super illa, quæ provenit ex delictis, à quibus potest absolvere, seu dispensare; & ideò ab infamia ob hæresin, simoniam, & homicidium, non posset dispensare, quia neque ab his delictis absolvit. Tolet. *d. cap.* 62. *num.* 5.

21. *Quær.* An Irregularitas ex defectu bonæ famæ possit tolli sine dispensatione? *Resp.* Affirmativè in uno casu, nempè quando delicta commissa sunt ante baptismum, nam dum quis baptizatur, purgatur ab omni infamia. Gloss. & DD. *in cap. Sine Pœnitentia. De consecr. distinct.* 4.

22. *Quær.* Quænam dicatur Irregularitas ex defectu corporis? *Resp.* Est illa, quæ inducit vel inhabilitatem alicujus membri necessarii ad Sacrificium, vel monstruositatem in corpore, ut quando homo est gibbosus, vel nimis parvus, aut nimis claudus juxta *tit. de Corpore vitiato, & tit. de Cleric. ægrot.* de quibus defectibus tractat abundè idem Tolet. *dict. lib.* 1. *cap.* 63.

23. *Quær.* An Episcopus possit dispensare super irregularitate ex corporis defectu? *Resp.* Quòd Episcopus non potest dispensare, sed tantummodo potest declarare, an Irregularis quis sit ex eo defectu; quòd si delaraverit, defectum esse talem, ut inducat Irregularitatem, dispensatio est petenda à Papa. Innoc. *in cap.* 1. *De corpor. vitiat. & cap. Cum æterni. De Re judic. in* 6.

24. *Quær.* Quænam sit Irregularitas ex defectu animæ? *Resp.* Illam esse, quæ insurgit ex vexatione dæmonis, & ideò energumeni dæmoniaci, arreptitii dicuntur Irregulares. *cap. Maritum. & cap. Cleric. dist.* 33. & cum his considerantur etiam lunatici, insani mente, & morbo caduco laborantes, quia licèt corpore laborent, tamen defectus refertur etiam ad animam. *cap. Usquequò.* ubi Gloss. *dist.* 33. Tolet. *dict. lib.* 1. *cap.* 64. *num.* 1. 2. & 3. ubi notat, quòd omnes prædicti si tales evadant, postquam fuerunt ad ordines promoti, permittendi non sunt in eis administrare, nisi verè liberati sint.

25. *Quær.* An sint alii sub hac Irregularitate ex defectu animæ comprehensi? *Resp.* Quòd etiam Neophyti sub ea comprehenduntur, illi tamen, qui baptizati sunt in adulta ætate, nisi tempus decem annorum fluxerit; & etiam illiterati, id est, qui scientiam sufficientem non habent, ac demum, qui publicam pœnitentiam egerint; quæ tamen nunc non est in usu. Majol. *de Irregular. lib.* 3. *cap.* 2. & 3. Tolet. *d. lib.* 1. *cap.* 64. *num.* 6. Novissimè Gasp. Ivenin. *De Sacram. tom.* 2. *Dissert.* 13. *quæst.* 5. *cap.* 5. *art.* 1. § 2 *pag.* 1086. Ego ipse *de Pœnitentia Decis.* 18. *num.* 32. & 33.

CAPUT CXXX.

De Bigamia.

1. *Quær.* Quæ sit irregularitas proveniens ex defectu Sacramenti? *Resp.* Est illa, quæ consideratur in his, qui Bigami effecti sunt, & contraxerunt bigamiam. Ivenin. *dict. art.* 1. §. 6.

2. *Quær.* Quid sit Bigamia? *Resp.* Bigamia est multiplicatio nuptiarum; qui enim pluries contraxit, bigamus censetur; & quamvis bigamia insurgat, ubi quis bis nuptias contraxerit ex vi vocabuli, tamen talis etiam dicitur, si ter, aut quater contraxisset. Tolet. *dict. lib.* 1. *cap.* 65. *num.* 1.

3. *Quær.* Quot sint species bigamiæ? *Resp.* Sunt tres, quia alia est bigamia vera; alia bigamia interpretativa, & alia bigamia similitudinaria. Tolet. *ibid.* & Majol. *lib.* 1. *cap.* 33. & Ivenin. *dict. cap.* 5. *art.* 1. §. 6. *pag.* 1093.

4. *Quær.* Quænam sit bigamia vera? *Resp.* Bigamia vera est, quando aliquis duxit plures uxores successivè, & legitimas. *cap. Qui sine crimine dist.* 26. & hoc procedit tam si unam duxisset ante baptismum, & aliam post baptismum susceptum. *cap. Auctius eod. dist.* 26. Sivè utramque ante baptismum. *cap. Una dist. eod.* Sivè utramque post baptismum. *cap. Maritum. dist.* 33. At in his omnibus casibus oportet copulam intercessisse, & matrimonium fuisse consummatum ad hoc, ut bigamia insurgat; ideòque qui primam, vel secundam uxorem non cognovit carnaliter, eò quia vel mortua est ante copulam, vel in Monasterium integra est ingressa, vir non dicitur bigamus, quamvis pluries contraxerit; & subindè non est irregularis; nam talis tunc dicitur, quando utramque uxorem carnaliter cognovit. Tolet. *d. lib.* 1. *cap.* 66.

5. *Quær.* Qua de causa bigamus dicatur irregularis, & qui plures habuit uxores, non

possit

possit ad ordines promoveri? *Resp.* Ob quatuor causas. Prima est ob defectum Sacramenti, quia in bigamo non potest esse significatio unionis Christi cum Ecclesia, quæ est unius cum una, *cap. Debitum de Bigam.* Secunda est, ob prærogativam ordinis, ut ad eum non promoveatur, qui hac imperfectione notatus est, *cap. una dist.* 26. Tertia est, quia bigamus præsumitur incontinens, *cap. Proposuisti dist.* 82. Et quarta est, quia bigamus non potest de facili hortari alios ad castitatem, & continentiam. *d. cap. Una. dist.* 26. Ivenin. *d.* §. 6. ubi allegat SS. Patres.

6. *Quær.* Quænam sit Bigamia interpretativa? *Resp.* Bigamiam interpretativam esse in tribus casibus. Primo, quando quis in uxorem duxit viduam. Secundò, quando quis duxit mulierem ab aliis corruptam. Et tertiò, quando quis cognovit uxorem suam, quæ priùs commisisset adulterium. *cap. Curandum. dist.* 34. *cap.* 2. *De Bigamis. cap. Qui in aliquo. dist.* 50. *cap. Si cujus, & cap. Si laici dist.* 34. Porrò, in primo casu opus est, ut ipsa Vidua fuerit cognita carnaliter à primo marito, & postea à secundo marito pariter cognoscatur, prout etiam in secundo casu copula mariti debet intervenire, ad hoc, ut bigamia contrahatur, & ex ea irregularitas, nam hæc insurgit ob carnis divisionem, quæ tunc evenit, ubi quis copulam maritalem habet cum muliere ab alio cognita. Tolet. DD. citans *dict. lib.* 1. *cap.* 66. per totum.

7. *Quær.* An sit bigamus, & irregularis, qui duxit uxorem in mulierem, quam priùs fornicaria copula cognoverat? *Resp.* Negativè, dummodo dicta mulier non fuerit cognita ab alio viro. Tolet. *d. cap.* 66. *num.* 5.

8. *Quær.* Quænam sit Bigamia similitudinaria? *Resp.* Quòd similitudinaria Bigamia est in duobus casibus. Primò, si Clericus sacris ordinibus initiatus de facto contrahat matrimonium; nam tunc dicitur contrahere bigamiam non veram, quia matrimonium non est validum de jure, sed similitudinariam, quia efficitur Irregularis propter intentionis affectum opere subsequuto. Secundò, si laicus uxoratus vivente uxore ducat aliam uxorem, pariter censetur bigamus, non verè, sed ad similitudinem ob affectum intentionis. Tolet. *dict. lib.* 1, *cap.* 67. *num.* 1. & 2. & idcircò prædicti non possunt ad ordines promoveri absque Apostolica dispensatione. Fagnan. *in cap. Nuper à nobis. De Bigam. à num.* 40. *usque in fin.* & Rota *decis.* 1. *de Bigam. in novis.*

9. *Quær.* An incurrat bigamiam laicus, qui mortua prima uxore contrahit matrimonium, sed nulliter; puta ob gradum consanguinitatis, vel aliud impedimentum? *Resp.* Esse hinc indè Doctores, sed magis communem opinionem reputari affirmativam, videlicet, quòd in tali casu contrahatur bigamia, & incurratur irregularitas, quia non spectatur validitas matrimonii, sed factum, & intentionis affectus cum opere subsequuto. Tolet. *ubi supra num.* 2. Contrarium tamen docet Diana Coordinatus *tom.* 5. *tract.* 5. *resol.* 146. Quæ in veteri opere est *par.* 4. *tract.* 2. *resol.* 38. Nec [illegible]on Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 9.

10. *Quær.* An Bigamus efficiatur ille, qui contraxit primum matrimonium, sed nulliter ob aliquod impedimentum, & mortua prima uxore, iterum aliud matrimonium contrahit, sed & hoc secundum est nullum, ob aliquod aliud impedimentum? *Resp.* Effici bigamum, si in utroque matrimonio consummavit, nam attenditur figura matrimonii, non validitas, intentionisque affectus cum opere subsequuto. Tolet. *d. lib.* 1. *cap.* 67. *num.* 3. Contrarium tamen tenent DD. quos allegat Diana *dict. part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 38.

11. *Quær.* An Bigamia contrahatur ab illo, qui plures habet concubinas, & cum illis carnaliter se immiscet? *Resp.* Negativè, quia in hoc casu non adest figura matrimonii. *cap. Quia circa. De Bigamia.* Tolet. *ibid. num.* 3.

12. *Quær.* An Bigamus sit vocandus ille laicus, qui suum primum contraxit matrimonium cum vidua, sed matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum? *Resp.* Negativam opinionem teneri à Navar. *in Man. cap.* 27. & à Diana *ubi supra.* Affirmativam verò ab Hostien, & à Goffred. *in Summa*, quos refert, & sequitur Tolet. *ubi supra num.* 4. Quia etiam in hoc casu adest figura matrimonii cum intentione, & copula; & ideò firmatur hæc regula, quòd scilicet, ubi matrimonium, si validum foret, induceret bigamiam; illam quoque inducit, etiamsi de jure non valeat, sed in solo facto consistat.

13. *Quær.* An Monachus professus contrahendo matrimonium de facto incurrat bigamiam? *Resp.* Affirmativè, quia idem est de Monacho professo, ac de Clerico in Sacris constituto. *cap. Quotquot.* 27. *quæst.* 1. & ratio est, quia priùs contraxerunt matrimonium spirituale cum Deo, & deinde tentant cum homine matrimonium contrahere. Tolet. *dict. lib.* 1. *cap.* 67. *num.* 5.

14. *Quær.* An ex duobus matrimoniis ratis, non consummatis, bigamia incurratur? *Resp.* Negativè, quia etiam copula cum matrimonio requiritur ad bigamiam gignendam. Sayr. & Majol. *De Irregul.* citati in *addition.* apud Tolet. *dict. cap.* 67. *in fine.* Et ratio rationis est, nam ex solo contractu non dicitur vir divisisse in plures carnem suam, & sic non deficit significatio Sacramenti. *cap. Debitum, De Bigam.* Rota *decis.* 519. *num.* 5. *part.* 2. *recent.* Alia ratio est, quia in utroque matrimonio requiritur non solùm copula, sed etiam effusio seminis virilis in vas fœminæ. DD. apud Dianam *dict. part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 42. Quæ in Coordinato est *dict. tom.* 5. *tract.* 5. *resol.* 152, *& resol.* 153. ubi quòd requiritur etiam seminatio fœminæ.

15. *Quær.* Quænam sint pœnæ provenientes ex Bigamia? *Resp.* Esse tres. Prima, quòd bigamus non potest ad ordines promoveri. Secunda, quòd obtinere non potest beneficia, aut Ecclesiasticas pensiones. Tertia, quòd si sit Clericus, & incurrat irregularitatem ex bigamia, perdit privilegium fori, & canonis, & spoliatur beneficiis, ac pensionibus. Thesaur. *de Pœnis Ecclesiast. part.* 2. *Verb. Matrimonium bigami cap.* 2. & ideò Clericus, si bigamiam incurrat, non potest ampliùs incede-

re cum habitu, & tonsura, & si præsumeret contrarium facere, foret excommunicandus. *cap. Unico De Bigamis in 6.* Posset tamen exercere ordines minores eo modo, quo laici ex consuetudine solent ea exercere. Layman. *lib. 1. tract. de Irregular. cap. 6. num. 7.* & Thesaur. *verb. Ordo cap. 2.*

16. *Quær.* Quam pœnam incurrat Episcopus, qui ordines confert Clerico bigamo? *Resp.* Plures Doctores scripsisse, quòd incurrat pœnam suspensionis per annum per *cap. Nullus pœnitentem. 55. dist.* Barbos. *alleg. 111. num. 15.* Sed communior est opinio, dictam suspensionem non esse latæ sententiæ, sed ferendæ. Garzias *de Benef. par. 7. cap. 6. num. 6.* qui sic, ait, declaratum esse à Sacra Congregatione Concilii; & refert Thesaur. *d. cap. 2. verb. Ordo.* ubi tamen notat Bullam Sixti Quinti, per quam ordinantes Bigamos suspendebantur à divinis ipso jure, esse abrogatam per aliam Bullam Clementis Octavi, quod observat etiam Garzias *ubi supra num. 11.*

17. *Quær.* Quis possit dispensare in Bigamia? *Resp.* Quòd in bigamia dispensat solus Papa. DD. quos allegat, & sequitur Tolet. *d. lib. 1. cap. 68. num. 2.* ubi advertit, prohibitionem Apostoli de bigamo non ordinando, non esse reputandam de jure divino, sed de jure positivo, in quo Papa potest dispensare. Illud tamen omnes Doctores docent, Papam difficiliùs dispensare in bigamia vera, quam in interpretativa, aut similitudinaria. Tolet. *dict. cap. 68. num. 3.* Tambur. *De Irregular. lib. 10. tract. 4. cap. 16. §. 3.*

18. *Quær.* An Episcopus possit dispensare cum bigamo tam promovendo, quàm promoto, non solùm, ut ordines saltem minores suscipiat, verùm etiam ut in susceptis administret? *Resp.* Negativè in quacunque parte quæsiti; quia sic censent omnes Canonistæ, quos refert Tolet. *dict. cap. 68.* & Thesaur. *De Pœnis Ecclesiasticis dict. cap. 2. Verb. Ordo, in fine*, ubi sic declarasse testatur Sac. Congregationem. Illud tamen est observandum, quòd Episcopus potest dispensare cum Clerico majoribus ordinibus insignito, qui de facto contraxit matrimonium, post peractam pœnitentiam, si illud cum virgine contraxerit, non autem si cum vidua, vel corrupta. Tolet. *dict. cap. 68. num. 6.* ubi tamen in fine videtur se restringere, dummodo delictum sit occultum ob facultatem à Concil. Tridentino traditam Episcopis dispensandi ab omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio, *per cap. 6. sess. 24.* Ita Tambur. *dict. cap. 16. §. 3. num. 5.* Sed hi casus rarò accidunt in nostris regionibus.

CAPUT CXXXI.

De Irregularitatibus ex delicto.

1. *Quær.* Quot sint Irregularitates ex delicto? *Resp.* Sunt sex, de quibus supra dictum est, videlicet, ex delicto hæresis, ex reiteratione baptismi, ex mala ordinum susceptione, ex mala ordinum administratione, ex notorietate criminis, & ex homicidio.

2. *Quær.* Quas personas afficiat Irregularitas ex delicto hæresis? *Resp.* Afficere non solùm hæreticos, sed etiam Apostatas à fide, quando tales notorii sunt, vel tales declarati; ac ulteriùs eorundem hæreticorum, vel Apostatarum fautores, & defensores, nec non eorundem filios, nepotesque ex linea paterna, etiamsi hæresin patris non sint imitati, sivè sint legitimi, sivè naturales tantùm. *cap. Statutum. 11. De Hæretic. in 6.* Rebuff. *in praxi De modis amitten. benefic.* & Tolet. *dict. lib. 1. cap. 69. per totum*; ubi tamen circa filios, & descendentes hæreticorum excipit duos casus, in quibus non intrat hæc irregularitas, videlicet primò, si pater hæreticus emendatus sit, & per pœnitentiam reversus sit ad Ecclesiam ante mortem; secundò si pater fuerit damnatus tanquam relapsus.

3. *Quær.* An filii, qui ordinati sunt ante lapsum parentum in hæresin, efficiantur postea irregulares, & prohibiti sint ministrare in jam susceptis? *Resp.* Negativè, quia permittuntur in jam susceptis ministrare, & beneficia ante obtenta retinere; sed in posterum non possunt promoveri, aut provideri. Glossa communiter recepta *in cap. Satis perversum. dist. 56.* & Tolet. *d. cap. 69. Vers. Octavo lib. 1.*

4. *Quær.* An Episcopus possit dispensare ab hac Irregularitate? *Resp.* Negativè, quia ibi non dispensat, ubi non absolvit; sed ab hæresi Episcopus non absolvit ob reservationem in Bulla Cœnæ Domini; Ergo neque dispensat. Intellige tam de hæresi publica, quàm de occulta; secùs de mentali tantùm. Tambur. *De Irregul. cap. 18. §. 2. num. 3.* ex Concil. Trid. *sess. 24. cap. 6. De Ref.* Ego *de Pœnit. Decis. 44. num. 10.*

5. *Quær.* An saltem Episcopus possit dispensare, si hæresis sit occulta, & in solo foro interiori ob prædictum *cap. 6. sess. 24.* Concilii Tridentini, dantis facultatem Episcopis absolvendi, & dispensandi ab omnibus irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus excepto homicidio? *Resp.* Celebrem esse hanc quæstionem inter Canonistas, & Theologos, quos cumulat adden. ad Tolet. *dict. lib. 1. cap. 69.* ubi plurimi Doctores pro utraque opinione allegantur; quod etiam facit Barbos. *in collectan. ad Concil. Trident. dict. sess. 24. de Ref. cap. 6. num. 52.* Cæterùm verior, & securior est opinio negativa, quia ibi Episcopus non dispensat, ubi non absolvit *cap. Cum illorum. 32. §. Primos. De Sentent. excommun.* Ricciul. *De Jure personar. lib. 5. cap. 16. per totum.* Plurima autem referuntur oracula Pontificia, quibus declaratum est, non posse Episcopum absolvere hæreticum etsi occultum, ut ostendi in meis Decisionibus *de Pœnitentia Decis. 45. num. 5.* Illud mihi constat, Sanctissimum Clementem Nonum ex gratia speciali concessisse Eminentissimo Cardinali Barbadico Episcopo Paduano facultatem absolvendi in casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini; sed non hæreticos quamvis occultos, nisi certis servatis conditionibus. Ergo patet, Summi Pontificis mentem esse, ut Episcopi non absolvant, neque dispensent in hæresi tametsi occulta; & sic in praxi venit servandum.

6. *Quær.*

6. *Quær.* In quibus casibus incurratur Irregularitas ex delicto ob reiterationem Baptismi? *Resp.* Ratione Baptismi malè susceptii incurri irregularitatem in quatuor casibus. Primò, si quis suscipiat baptismum bis, vel pluries scienter. *cap. Eos, quos. De Consecrat. disp. 4. cap. Confirmandum. dist.* 50. Secundò, si bis baptismum suscipiat ignorantia juris, aut ignorantia facti, sed crassa, & non invincibili. *cap. Qui bis. De cons. dist.* 4. ubi Turrecrem. Tertiò, qui baptizatus est ab hæreticis in adulta ætate. *cap. Qui in qualibet. 1. quæst.* 7. Secùs autem, si in ætate infantili, & ante usum rationis. *cap. Placuit & cap. Qui apud 1. quæst.* 3. Quartò, qui distulit diù recipere baptismum, donec inciderit in magnam infirmitatem, nam si eo tantùm tempore baptismum susceperit, & convaluerit, non potest ad ordines promoveri; nam ejus fides dubia reputatur. *cap. 1. dist.* 57. & sic baptizatus Clericus dicitur *Clinicus*, ut docet Jordan. *tom. 1. lib. 3. tit. 6. num.* 193. & Tolet. *dict. lib. 1. cap.* 70. *per totum.*

7. *Quær.* An eandem irregularitatem incurrat, qui bis, vel pluries recipit Sacramentum Confirmationis, vel Ordinis? *Resp* Negativè, ex ea fundamentali ratione, quia irregularitas non est inducenda, ubi non reperitur expressa in Jure. *cap. Is, qui. De Sentent. excommun. in 6.* Tolet. *d. cap.* 70. *num.* 2.

8. *Quær.* An Irregularitas supradicta contrahatur etiam ab illo, qui bis, vel pluries eandem personam baptizat? *Resp.* Affirmativè, si delictum sit notorium; at cum hac declaratione, quòd scilicet bis, vel pluries baptizans scienter efficitur irregularis, non ex aliquo particulari canone id statuente, sed ex communi jure, quod mandat; ubi delictum sit grave, & notorium, delinquentem effici irregularem ex notorietate criminis. Tolet. *d. lib. 1. cap.* 70. *num.* 3.

9. *Quær.* An, qui bis confirmaret, vel ordines daret eidem personæ, evaderet Irregularis? *Resp.* Negativè. Tolet. *ibid.* nisi ex delicti notorietate.

10. *Quær.* Qui sint illi, à quibus contrahitur Irregularitas ob malam ordinum susceptionem? *Resp.* Esse plures, videlicet. Primò, qui excommunicatus majori excommunicatione suscipit aliquem ordinem etiam minorem. *cap. 1. De eo, qui furt. ord. suscip. & cap. Cum illorum. De Sentent. excommun.* Quòd si minori tantùm excommunicatione esset ligatus, peccaret quidem mortaliter, sed non efficeretur irregularis. Tolet. *d. lib. 1. cap.* 71. *num.* 1. Secundò, si quis suscipiat ordines ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui, id est, tam loco, quàm dignitati, irregularis est. *cap. 1. De ordin. ab Episc. qui ren.* Quod est intelligendum, si prædictus Episcopus ordinaverit non rogatus à Diœcesano, vel sine dimissoriis; quamvis alii dicant, in hoc casu ordinatum incurrere suspensionem, non autem irregularitatem, nisi ordinem exercendo. Tolet. *ubi supra num.* 3. Tertiò, qui ordines suscipit ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, hæretico, schismatico, simoniaco, deposito, aut degradato. *cap. Cum Clericis, De ord. ab Episc. qui renunc.* Quod procedit, si super dictis censuris lata sit sententia, vel Episcopus in eam sit notoriè incursus, ac ipse ordinatus justa ignorantia non excusetur. Tolet. *ibid. num.* 4. Quartò, qui eadem die suscepit minores ordines, & subdiaconatum *cap. 2. de eo, qui furt. ord. suscep.* & Quintò. qui eadem die duos sacros ordines ausus est recipere. *cap. 3. eod.* Tolet. *d. lib. 1. cap.* 71. *num.* 5.

11. *Quær.* Quis possit dispensare in prædictis irregularitatibus? *Resp.* Si delictum sit occultum, posse Episcopum dispensare; si verò publicum sit, solum Papam. Tolet. *ubi supra.*

12. *Quær.* An Clericus ordinatus per saltum, id est, suscipiens ordinem majorem, omisso minori, fiat Irregularis? *Resp.* Plurimos Canonistas affirmasse, sed magis communem esse opinionem, quòd talis Clericus non sit irregularis, sed solummodo suspensus; adeò ut tunc incidat in irregularitatem, si sciens audeat ministrare in ordine suscepto. Concil. Trident. *sess. 23. cap. 14.* Tolet. *dict. lib. 1. cap.* 71. *num.* 7.

13. *Quær.* Quomodo, & quando incurratur Irregularitas ex mala ordinum administratione? *Resp.* Eam incurri in tribus casibus. Primò, si quis exerceat actum ordinis, quem non habet; si solemniter exerceat, & tanquam ordinem habens; ut si missam celebret, vel confessiones audiat, & non sit Sacerdos: vel ordines conferat, & non sit Episcopus. *cap. 1. De Cleric. non ord. ministr.* Excipiuntur Laici, qui minorum ordinum officia exercent, vel etiam Epistolam cantant, sed non tanquam ordinati; & ut dicunt, sine Manipulo. *cap. Ut quisquis Presbyter. De Vit. & honest. Cleric.* Tolet. *lib. 1. cap.* 72. *num.* 1. Secundò, si Ecclesiasticus ligatus majori excommunicatione scienter ordinem, quem habet, exerceat, fit irregularis. *cap. 2. De Cleric. excommun. interd. ministr.* Secùs autem, si ignoranter, vel sola minori excommunicatione irretitus. *cap. Si celebrat. eod. tit.* Tertiò, Clericus suspensus ab officio, vel à beneficio, actum gerens officii, seu beneficii, fit irregularis à solo Papa dispensabilis. *cap. 1. de Sent. excom. in 6. & cap. 1. de Sent. & re judic. in 6.* Sed hìc loci est advertendum, suspensionem tripliciter infligi posse, vel ob crimen, vel ob defectum, vel ob infamiam, seu scandalum. Si quis sit suspensus à jure, vel ab homine ob crimen, & celebret, iste fit irregularis. *d. cap. Si celebrat. & ibi* Abb. Tolet. *ubi supra num.* 7. Si quis sit suspensus ob defectum, puta quia illegitimus sit, vel corpore vitiatus, iste celebrans non fit irregularis; quia verè & propriè non est suspensus, sed est irregularis ob defectum, & regula juris est, irregularitatem non parere novam irregularitatem in celebrando, sed celebrantem peccare. Tolet. *ubi supra num.* 8. ubi dat exemplum de Clerico simplici homicida, qui ob homicidium factus est irregularis, & celebrando non incurrit aliam irregularitatem. At si esset etiam excommunicatus, puta quia occidisset alium Clericum, in hoc casu celebrando incurreret novam irregularitatem. Tandem, si quis sit suspensus ob infamiam, vel scandalum ex criminis notorietate, celebrando non incurrit irregularita-

ritatem, quia verè, & propriè talis non est suspensus, sed potiùs est irregularis; nisi crimen haberet in se inclusam suspensionem, ut concubinatus, simonia in ordine, vel beneficio; nam in hoc casu celebrando incurreret irregularitatem. Tolet. *ubi supra d. cap. 72. à num. 8. & 9.*

14. *Quær.* An prædicta Irregularitas incurratur etiam per celebrationem, seu administrationem ordinis in spretum interdicti? *Resp.* Affirmativè; & ideò Clericus interdictus personaliter exercens actum ordinis, vel si interdictum sit locale, exercens, aut celebrans in loco interdicto, incurrit irregularitatem. *cap. Is, qui. de Sent. excommun. in 6. & cap. Is, cui eod.*

15. *Quær.* Quæ, & qualis sit Irregularitas proveniens ex criminis notorietate? *Resp.* Esse illam, quæ provenit ex criminibus enormibus, quibus si Clericus sit notoriè contaminatus, etiamsi agat pœnitentiam, remanet irregularis, & absque dispensatione non potest ad ordines promoveri, aut promotus in eis ministrare. *cap. At si Clerici. De Judic. ubi DD. & in cap. Ex tenore. de Tempor. ordin.*

16. *Quær.* Quæ sint crimina enormia? *Resp.* Ea esse, quæ faciunt homines depositione, seu degradatione dignum, qualia sunt, Homicidium, Perjurium, Adulterium, Stuprum, Sacrilegium, Furtum, falsum Testimonium, Hæresis, Simonia, Peccatum nefandum, & his similia, quando notoria sunt. Tolet. *lib. 1. cap. 74. in princ.*

17. *Quær.* Quotuplex sit Notorium? *Resp.* Quòd notorium est duplex, videlicet, Notorium juris, & Notorium facti. Notorium juris fit tripliciter; primò ex propria Confessione in judicio; secundò ex indubitata probatione; & tertiò ex sententia. Notorium facti est, quod constat toti populo, vel majori parti viciniæ, aut ita clarum est, ut tergiversatione celari non possit. Tolet. *d. cap. 74. num. 1. & 2.*

18. *Quær.* An delicta enormia, si notoria non sint, inducant Irregularitatem? *Resp.* Negativè, nisi talia sint, quæ habeant annexam de jure suspensionem; qualis est hæresis, simonia, & similia. Tolet. *dict. cap. 74. num. 3.*

19. *Quær.* Quæ, & qualis sit Irregularitas ex homicidio? *Resp.* Irregularitas ex homicidio est multiplex: Nam alia est, quæ provenit ex homicidio voluntario; alia ex mutilatione; alia ex homicidio casuali; alia ex mandato; alia ex consilio; alia ex cooperatione; alia ex ratihabitione; & alia ex omissione, de quibus sigillatim quæsita magis necessaria examinanda erunt. Tolet. *dict. lib. 1. à cap. 75. & seqq. usque in finem libri*; & Tambur. *de Irregular. cap. 15. per totum.*

20. *Quær.* Quotuplex sit Homicidium? *Resp.* Homicidium aliud esse spirituale, nempè quando anima occiditur per peccatum. *cap. Homicidiorum. & cap. Nolite putare. De Pœnit. dist. 1.* & hoc non parit irregularitatem. Et aliud esse homicidium corporale, à quo irregularitas provenit. Rursum corporale homicidium vel est justum, ut si judicis mandato fiat, vel in justo bello; vel est injustum; & utrumque parit irregularitatem, quamvis diversarum specierum, nam ex justo nascitur irregularitas ex defectu; at ex injusto irregularitas ex delicto. *cap. si quis viduam. dist. 50.* Tolet. *dict. lib. 1. cap. 75. num. 1.* Item aliud est homicidium voluntarium, quod ex animi deliberatione procedit; & aliud casuale, quod præter intentionem accidit. Idem Tolet. *dict. lib. 1. cap. 77. per totum.*

21. *Quær* Ob quas rationes homicidæ, seu mutilantes fiant irregulares, & repellantur ab ordinibus sacris? *Resp.* Ob multas rationes, videlicet, ob horrorem, & scandalum, quod eveniret, si poneret manus in Sanguinem Christi ille, qui effudit sanguinem hominis. Item, quia ministri novæ legis debent esse ministri mansuetudinis, & imitari Dominum Redemptorem, *qui cùm pateretur, non comminabatur.* Ac etiam, quia Clerici sunt Ministri Sacramenti unionis, & vivificationis, nempè Eucharistiæ, & tales non possunt reputari homicidæ. Tolet. DD. cumulans *dict. cap. 75. per totum.*

22. *Quær.* Quid sit mutilatio? *Resp.* Quòd Mutilatio est abscissio alicujus membri, illud à corpore separando. *cap. His, à quibus. 23. quæst. 8.* Tolet. *d. lib. 1. cap. 76. num. 1. & 2.* ubi notat, mutilationem differre à debilitatione; quia hæc non separat membrum à corpore, & sic non inducit irregularitatem. *cap. Sicut urgeri. 1. quæst. 1.*

23. *Quær.* Quid, & quotuplex sit membrum? *Resp.* Membrum ad effectum irregularitatis inducendæ, illud à Doctoribus censeri; quod habet in corpore officium separatum ab aliis partibus, & solet dividi, ut aliud sit magnum, seu principale, & aliud parvum, seu minùs principale. Membrum magnum appellatur manus, pes, oculus, nasus & aures. Parvum verò membrum dicitur dens, digitus, & mammilla; & circa hæc parva membra discrepant Canonistæ, an per eorum abscissionem inducatur Irregularitas? & videtur prævalere pars negativa; nam hæc consideratur in solis membris magnis, & principalibus. Tolet. *dict. cap. 76. per totum.* Porrò Pollex, & Index, tanquam digiti necessarii ad consecrationem, si abscinderentur, causarent irregularitatem. Antonell. *de Regim. milit. Eccl. lib. 2. cap. 5. num. 5.* etsi contrarium sentiat Giballin. *de Irregular. cap. 4. quæst. 1. num. 46.* Membris magnis sunt addenda lingua, & membrum genitale ex doctrina Ugolini *de Irregul. cap. 4. §. 4. pag. 16.*

24. *Quær.* An ex vulneratione proveniat Irregularitas? *Resp.* Negativè, quamvis fiat cum magna sanguinis effusione, nam provenit ex solo homicidio, aut mutilatione membri. Tolet. *dict. cap. 76. num. 4.*

25. *Quær.* An fiat Irregularis ille, qui percutiendo aliquem, reddit eundem Irregularem ex defectu, ut si faciat eum claudum, vel vulnus remaneat in facie cum deformitate? *Resp.* Negativè, ex supradicta ratione, quia irregularitas ex delicto nascitur aut ex homicidio, aut ex mutilatione. Tolet. *d. cap. 76. num. 4. & 5.* ubi eandem negativam extendit, si quis excœcaverit alium in oculo, illum tamen non extrahendo; vel si potio-

nem

nem dederit fœminæ, qua privetur potentia generativa. Gloss. *in cap. Si aliquis. De Homicid.*

26. *Quær.* An sit Irregularis, qui obtruncat caput, vel brachium, aut aliud membrum homini mortuo? *Resp.* Negativè, quia mortuus non est verus homo, cùm careat anima, & vita. Archid. *in cap. Si quis. 15. quæst. 1.*

27. *Quær.* An percutiens fœtum in ventre matris sit Irregularis? *Resp.* Si ex ea percussione fœtus pereat, & fiat abortus, quia fœtus jam fuerit animatus, percutiens evadit irregularis. *cap. Sicut il secondo de Homicid.* Secùs autem, si fœtus non erat animatus, vel si ex percussione non sequatur abortus. Tolet. *dict. lib. 1. cap. 76. num. 5. & 6.* ubi hanc doctrinam extendit ad quamcunque percussionem, ex qua non deveniat prætensus effectus vulnerationis, mutilationis, seu homicidii.

28. *Quær.* Quando fœtus dicatur animatus? *Resp.* In hoc quæsito esse dissidentes non tam Canonistas, & Theologos, quàm ipsos medicinæ professores, ut videre est apud Narbonam *De Ætate Ann primo quæst. 2.* & apud Florent. *de Baptismo Abortivor. disp. 1. sect. 2. & 3.* ubi distinguunt, dicentes, fœtum primò vivere anima vegetativa, deinde sensitiva, postea rationali juxta mentem S. Thomæ *part. 1. quæst. 76. art. 3. ad 3. & quæst. 118. art. 2. ad 2.* Cæterùm quàmvis multi multa dicant, communis opinio Doctorum est, masculum fœtum quadragesimo die, fœmineum verò octogesimo animari. Barbos. *in Votis decisivis lib. 1. vot. 12. num. 27. ubi DD.* Narbona *d. quæst. 2. num. 37. & 38.* ubi pro una ex rationibus per Doctores allegatis notat, Legem Mosaycam præcepisse, ut mulier pariens masculum, maneret in sanguine purificationis suæ quadraginta diebus; quæ verò peperisset fœminam, octoginta diebus immunda censeretur. *cap. 12. Levit. ubi Abulens. quæst. 1. §. Jussit autem.* Illud non est ignorandum, quod notat idem Narbona *dict. qu. 2. num. 44.* Corpus, scilicet, Domini Nostri JEsu Christi in Utero Virgineo Deiparæ, non die quadragesimo à conceptione, sed primo momento animatum fuisse virtute Spiritus Sancti; & liberum arbitrium possedisse ex Canisio *lib. 3. cap. 22.* & Salmeron. *tom. 3. tract. in 4. dist. 3.* Idemque probabilem reputandum de ipsa Virgine Sanctissima, docent Doctores citati per eundem Narbon. *dist. quæst. 2. num. 45.* Porrò studiosus non obliviscatur opinionis Cardenæ, de qua supra *cap. 59. quæs. 2.* circa animationem fœtus.

29. *Quær.* An sint aliquæ personæ, quæ licèt occidant, vel mutilent, non incurrant Irregularitatem? *Resp.* Affirmativè; & harum personarum tria genera sunt; nempè infantes, furiosi, & dormientes; hi enim si occidant, vel mutilent, dum rationis usu carent, non habentur irregulares. *Clement. Si furiosus. De Homicid.* Tolet. *lib. 1. cap. 78. ubi num. 4. in fine* notat, prædictis jungi posse ebrium, si solitus non fuerit in ebrietate furere in alios, vel quatenùs solitus fuisset præcavere curaverit.

30. *Quær.* An judices sententiando aliquem ad mortem, incurrant aliquando Irregularitatem ex delicto ob homicidium? *Resp.* Eos incurrere irregularitatem ex delicto, nisi in proferendo sententiam mortis concurrant quatuor requisita. Videlicet, legitima potestas, justa causa, justus ordo, & justus animus. Ideò, si judex non sit legitimus, vel condemnet innocentem, vel absquæ legali processu, aut ex odio, & amore vindictæ principaliter, non autem zelo justitiæ, erit irregularis ex delicto homicidii. Dictum est principaliter, quia si zelus justitiæ obtineat primum locum in animo, licèt secundo loco succedat odium, vel desiderium vindictæ, peccabit quidem, sed non erit irregularis ex homicidio. Tolet. *dict. lib. 1. cap. 79.*

31. *Quær.* Si quis percutiat Titium lethaliter, ut Titius, antequam moriatur, occidatur ab altero, an primus percussor sit irregularis ex homicidio? *Resp.* Affirmativè. *cap. Significasti 2. De Homicid.* Imò erit irregularis, licet percusserit non lethaliter, quando habebat animum occidendi, & percussus fuit ab aliis occisus. Quòd si non habuisset animum occidendi, neque lethaliter percussisset, non esset irregularis ex homicidio voluntario, sed tantùm ex casuali. Tolet. *dict. lib. 1. cap. 79. in fin.*

32. *Quær.* An oriatur Irregularitas ex homicidio voluntario, si homicidium factum sit in rixa repentina, & calore iracundiæ? *Resp.* Affirmativè, etiamsi culpa non sit gravis. Jo. Andr. *in cap. De Infantibus. De iis, qui fil. occid.* Tolet. *d. cap. 79. in fine:* ubi subdit, quòd quando multi interfuerunt ad percutiendum unum, & nescitur, cujus vulnere is occisus sit, debet quisque reputari irregularis. *cap. Significasti 2. de Homicid.*

33. *Quær.* Quodnam sit homicidium ex necessitate? *Resp.* Homicidium ex necessitate dicitur in tribus casibus. *Primò*, si quis occidat aggressorem, ut tueatur propriam vitam. *Secundò*, si id agat, ut proximum à morte injusta liberet; & *Tertiò*, ut sua bona defendat. Tolet. *dict. lib. 1. cap. 80. num. 1.* ubi *num. 8.* notat, nunquam in his casibus homicidium dici voluntarium, & licèt aliquando committatur injustè, & non servato moderamine, ac proinde contrahatur irregularitas vel ex defectu, vel ex delicto; dicta irregularitas erit dispensabilis ex Concilio Tridentino, quia *in sess. 14. cap. 7.* prohibet dispensationem irregularitatis ex homicidio voluntario; qualis non est illa, quæ provenit ex homicidio ob necessitatem in tribus casibus supradictis, aut ex homicidio casuali. Concordat Tambur. *de Irregul. d. cap. 15. §. 17. ubi DD.*

34. *Quær.* An sit Irregularis, qui interficit aggressorem ad propriam vitam tuendam? *Resp.* Cum distinctione. Vel necessitas est inevitabilis, & aliter suam vitam tueri non poterat, nisi occidendo; & in hoc casu sive sit Laicus, sive sit Ecclesiasticus, occisor non peccat, & non est irregularis; ut statutum est in *Clem. Si furiosus. de Homicid.* per quem textum correcta sunt jura antiqua, & Doctorum dicta, quæ faciebant occisorem irregularem ex

defectu. Tolet. *dict. lib.* 1. *cap.* 80. *num.* 2. & 3. Ubi notat, aggressorem dici, qui in nos irruit cum armis, non provocatus, & quem aliter evadere non possumus absque nostra culpa, aut infamia. Ideò, qui poterat fugiendo vitam tueri, sed timore infamiæ non fugit, sed occidit; si erat vir nobilis, aut miles, non peccat occidendo, sed remanet irregularis tantùm ex defectu. Si verò fuisset Ecclesiasticus, aut alia persona, cui fugere non esset infamia, occidendo peccaret mortaliter, & esset irregularis ex delicto; prout etiam ille, qui dedisset causam, ut si fur intrasset domum ad furandum, contra quem si habitantes insurgant, & ipse fur se defendendo aliquem occidat, peccabit, & erit irregularis ex delicto, quia fuit in causa illius. Vel necessitas est evitabilis, quia vel invasor recedebat ab invasione, & in hoc casu si invasus prosequatur invasorem, & occidat; erit irregularis ex delicto, licèt priùs fuisset vulneratus, nam per recessum invasoris cessavit necessitas defensionis. Gloss. *in cap. Si perfodiens. De Homicid.* Vel quia poterat suam vitam tueri mutilando invasorem, quem voluit occidere; & tunc pariter erit irregularis ex delicto. Tolet. *dict. cap.* 80. *num.* 7. quòd si occidat invasorem ad evitandam sui ipsius mutilationem, quam aliter effugere non possit, non peccat, sed contrahit irregularitatem ex defectu; etenim non incurritur irregularitas, quando qui occidit, non poterat aliter mortem propriam vitare. *d. Clem. Si furiosus. De Homicid.*

35. *Quær.* An sit Irregularis, qui occidit invasorem ad tuendam vitam proximi? *Resp.* Pariter cum distinctione; vel aliter non poterat tueri vitam proximi sui, & tunc non peccat, sed remanet Irregularis ex defectu. Vel poterat aliter tueri, & tunc peccat, & remanet irregularis ex delicto. Tolet. *dict. cap.* 80. *num.* 10. ubi notat, prædictam irregularitatem in utroque casu censeri ex homicidio voluntario, non ex necessitate; & sic esse comprehensam sub decreto Concilii Tridentini prohibentis dispensari Irregularitatem ex homicidio voluntario provenientem; nam ex necessario homicidio illa sola est, quando patratum fuit ad propriæ vitæ defensionem.

36. *Quær.* An sit dicendus irregularis ille, qui juvat invasum contra invasorem, si ipse non occidat, sed tantùm vulneret invasorem, quem postea invasorem ipse invasus occidat? *Resp.* Negativè; quia sicut in bello justo universali non est irregularis, qui vulnerat, & non occidit; sic in hoc bello particulari, quod justum est, qui juvans non occidit, sed tantùm vulneravit, non fit irregularis. *cap. Petitio. De Homicid.*

37. *Quær.* Qui occidit invasorem ad tuenda sua bona temporalia, an incurrat irregularitatem? *Resp.* Cum distinctione circa qualitatem personarum. Nam si persona, quæ committit homicidium ad defendenda sua bona temporalia, est persona Ecclesiastica, & hæc incurrit Irregularitatem ex delicto, quia Ecclesiastici debent potiùs jacturam bonorum pati, quàm occidere. *cap. Interfecisti*, & *cap. Suscepimus. De Homicid.* Genuens. *in Practicabil. Eccles. qu.* 660. & Fagnan. *in dict. cap. Suscepimus*, *num.* 13. Vel persona prædicta erat laica, & sæcularis, & in hoc casu est subdistinguendum; vel bona erant parvi momenti, aut alio modo, quàm per occisionem furis poterant recuperari, & hæc pariter incurrit Irregularitatem ex delicto: vel bona erant magni valoris, & aliter recuperari non poterant, & in hoc casu laica persona occidens furem non peccat, sed contrahit Irregularitatem ex defectu. Tolet. *dict. lib.* 1. *cap.* 80. *num.* 11. 12. & 13. Ubi notat, in utroque casu, & in utraque Irregularitate homicidium non dici voluntarium, sed ex necessitate; quod extendit, etiamsi dominus bonorum occideret latronem fugientem cum ipsis bonis, quando id faceret incontinenti, quia non insequitur ad vindictam, sed ad bona recuperanda. Gloss. *in cap. Significasti.* 2. *De Homicid.*

38. *Quær.* Quæ, & quot sint necessaria ad hoc, ut qui occidit, dicatur occidisse sine culpa, & cum moderamine inculpatæ tutelæ? *Resp.* Tria esse necessaria. *Primò*, Æqualitas armorum, quia non licet pugione ferire illum, qui percutit pugno. *Secundò*, ut incontinenti fiat repercussio; nam, si post moram, dicitur vindicta. *Tertiò*, ut aliter aggressus non possit salvare suam vitam; aut, si nobilis laicus sit, etiam suum honorem. Ita Bordon. *dec.* 81. & Barbos. *de Jure Ecclesiastico Univ. lib* 1. *cap.* 39. *num.* 66.

39. *Quær.* Quando, & quomodo incurratur Irregularitas ex homicidio casuali? *Resp.* In homicidio casuali, quod talè est, quia evenit præter intentionem occidentis, quamvis ipse det causam homicidii, tres casus sunt distinguendi. *Primus* est, quando occidens dabat operam rei illicitæ. *Secundus*, quando dabat operam rei licitæ, sed non adhibuit debitam diligentiam. *Tertius* est, si dat operam rei licitæ, sed cum intentione nocendi. In his tribus casibus occidens incurrit Irregularitatem ex delicto ob homicidium casuale. Fagnanus *in cap. Ad audientiam. De Homicid. à num.* 18. *& seqq.* qui sequentia adducit exempla. In primo casu irregularis est Clericus, qui in venatione telum in feram immittens, hominem interfecit; secùs autem, si porcos ex agro pellens lapidem projiciat, quo inadvertenter puerum occidat: nam in primo exemplo dabat operam rei illicitæ, secùs in secundo. Similiter irregularis fit, qui mandat verberare, si executor mutilet, vel occidat; aut si mandet occidere Petrum, & executor occidat Joannem; qui enim ita mandat, illicitè agit. Fagnanus *ubi supra num.* 27. *& num.* 53. *&* 58. Exempla secundi casus sunt, si quis sciat in somnis gerere arma; & ea, antequam dormitum vadat, non removet. Si ex negligentia chirurgi laici, mors sequatur; qui tenet ursos, vel leones malè alligatos, à quibus homicidia fiant. Qui puerum demisit in puteum ad quærendam suppellectilem, si fune fracto ibi occumbat; In quibus casibus agens incurrit irregularitatem, quia licèt agat licita, non adhibet debitam diligentiam. Fagnan. *in dict. cap.*

Ad

Ad audientiam, à numer. 35. & seqq. qui *num.* 44. notat, Sacram Congregationem Concilii respondisse, Clericum esse irregularem, qui in Campanili existens attraxit funem campanæ, ne quis deorsum eam pulsaret, & alligavit trabi; sed cùm eidem funi manibus puer se teneret, & permisisset se sustolli usque ad primum fornicem campanilis; indè cadens, mortem oppetiit; nam consideravit Sacra Congregatio, prædictum Clericum debitam diligentiam non adhibuisse, siquidem sentiendo funem gravi pondere onustum, cogitare debebat, aliquem ei appensum esse. Exempla tandem tertii casus sunt. Si quis fenestram aperiat, sciens aliquem se projecturum ex ea; vel furem tradit, aut denunciat Judici, ut eum morti condemnet. Fagnan. *ubi supra num.* 45. qui prædictos tres casus latè prosequitur. Tolet. *dict. lib.* 1. *cap.* 81. plurima alia adducens exempla, & tandem *sub num.* 8. ex jam dictis colligit hanc regulam; quando aliquis operam dat rei licitæ, & adhibet diligentiam, ne sequatur mors, si casu aliquo, & præter ejus intentionem mors sequatur, non est Irregularis; & allegat exempla relata *in cap. Lator, in c. Dilectus. & in cap. Ex litteris il primo, & il secondo in cap. Exhibita. & in cap. Joannes. De Homicid.*

40. *Quær.* Quænam sit differentia circa Irregularitatem inter homicidium voluntarium, necessarium, & casuale? *Resp.* Hanc esse differentiam, quòd ex homicidio voluntario, & necessario, licèt committatur sine culpa, aliquando oritur Irregularitas saltem ex defectu, ut supra explicatum est; At ex homicidio casuali, quando est sine culpa, nunquam oritur Irregularitas neque ex delicto, neque ex defectu; & ratio est, quia in illis intrat aliquo modo voluntas occidendi; in isto autem nullo modo intrat. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. Tolet. *dict. lib. prim. cap.* 82. *num.* 1. ubi confutat glossam *in cap. Dilectus. De Homicid.* docentem ob homicidium casuale sine culpa esse repellendum ab ordinibus tanquam Irregularem eum, qui nondum erat promotus, nam in contrarium stat communis doctrina Theologorum, & Canonistarum.

41. *Quær.* An in homicidio casuali semper sequatur Irregularitas, si Agens dabat operam rei illicitæ? *Resp.* Negativè; nam tunc solùm Irregularitas contrahitur, quando res illicita est causa immediata mortis; secùs autem si mediata tantùm. Tolet. *dict. cap.* 82. *num.* 2. & 3. ubi ponit exempla, & inter alia illud de adulterio commisso, propter quod maritus injuria affectus se ipsum occidit; nam adulter non fit irregularis ex homicidio, eò quia adulterium, quamvis res illicita, non est causa immediata homicidii. Sot. *lib.* 5. *de Justit. & Jur. quæst.* 1. *art.* 9. Tolet. *ubi ante num.* 5. Qui tamen, quando res illicita non est causa immediata, sed mediata homicidii casualis putat distinguendum. Vel ipsa res erat ex se periculosa, & apta ad inducendum homicidium, & in hoc casu parit irregularitatem, ut si quis sollicitaret Virginem ad turpia, quæ protestaretur se ipsam occisuram, nisi desisteret à sollicitatione; nam si non desistat, & illa se occidat, sollicitans remanet irregularis, quia egit rem illicitam, & periculosam homicidii, stante protestatione ipsius puellæ. Si verò res illicita non sit periculosa, tunc si sequatur homicidium casuale, nulla incurritur irregularitas.

42. *Quær.* An ego sim irregularis, si recusavero dare centum aureos Titio, illos petenti cum comminatione occidendi seipsum, nisi dedero; si verè se occidat? *Resp.* Negativè, quando ego non sim certus debitor aureorum centum; nam nulla est culpa mea; & scandalum est passivum ipsius Titii. Tolet. *d. cap.* 82. *num.* 7.

43. *Quær.* Quæ, & qualis culpa requiratur ad inducendam irregularitatem ex homicidio casuali? *Resp.* Cum distinctione: Si homo vacabat rei licitæ, quæ fuit causa immediata homicidii, & in hoc casu culpa lata tantùm inducit irregularitatem; non levis, vel levissima. Si verò causa fuit mediata, tunc requiritur tanta culpa, quæ faciat crimen mortale. Quando verò vacabat rei illicitæ, omnis culpa tam lata, quàm levis, & levissima semper parit irregularitatem. Tolet. *d. cap.* 82. *num.* 9.

44. *Quær.* Quæ culpa requiratur in parentibus, quorum filii lactentes suffocantur in lecto ad incurrendam irregularitatem? *Resp.* Sufficere quamcumque culpam, etiam levissimam; quia obligati sunt adhibere exactissimam diligentiam *cap. Quæsitum. De Pœnitent. & Remission. in cap. Consuluisti.* 2. *q.* 5. Tolet. *ubi supra in fine.* & Sayr. *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 21.

45. *Quær.* Quodnam sit homicidium, quod committitur lingua? *Resp.* Esse illud, quo quis reus evadit, vel quia mandavit homicidium fieri, vel quia consuluit, vel quia defendit. Tolet. *d. lib.* 1. *cap.* 83. *num.* 1.

46. *Quær.* Quæ, & qualis irregularitas nascitur ex homicidio lingua perpetrato? *Resp.* Non semper eamdem irregularitatem nasci, sed juxta casuum circumstantias; nam si Judex mandat justè reum occidi, fit irregularis ex defectu, si minister ex vindicta occidat, erit irregularis ex delicto; è contra si Clericus consulat laico occidere bannitum cum pœna capitali, erit irregularis ex delicto, ipse verò laicus occidens erit ex defectu. Tolet. *ibidem dict, num.* 1. & 2. ubi alia exempla adducit.

47. *Quær.* Quando mandans mutilare, vel occidere sit irregularis? *Resp.* Quando realiter facta est mutilatio, vel occisio. *cap. Si quis viduam, dist.* 50. Tolet. *cap.* 84. *num.* 1.

48. *Quær.* An dentur casus, in quibus mandans non sit irregularis, licèt homicidium sequatur? *Resp.* Dari quinque casus. *Primus* est, de conditoribus legum, nam licèt in eis statuant pœnam mortis delinquentibus, ipsi non fiunt irregulares, quando Judices juxta easdem leges damnant reos ad mortem. *Secundus* est, de personis Ecclesiasticis habentes dominium temporale, & deputantes Judices laicos cum commissione puniendi delinquentes, nam licèt ad mortem damnent, ipsi Domini non sunt irregulares. *Tertius* est, si quis mandavit rem licitam, ex qua proveniat homicidium, quod non potuit prævidere.

dere. *Quartus* est, si ille, qui mandavit homicidium fieri, revocavit mandatum re integra expressè, & sine fictione. *Quintus* est, quando mandatarius erat jam dispositus occidere proprio nomine, & nomine proprio tantùm occidit. In his quinque casibus solus mandatarius efficitur irregularis, & mandans remanet immunis ab irregularitate. Tolet. *dict. cap.* 84. *num.* 2. 3. & 4. Tamburin. *de Irregularit. cap.* 15. §. 8. *num.* 22.

49. *Quær.* An dentur casus, in quibus mandatarius occidendo non sit irregularis, & tamen mandans afficiatur irregularitate? *Resp.* Affirmativè, nempè si quis ad justam sui ipsius defensionem nolit aggressorem occidere; sed excitatus, consilio, vel mandato alterius aggressorem occidat; in hoc casu occidens nullam contrahit irregularitatem, quia ad necessariam defensionem vitæ occidit; sed mandans, vel excitans remanet irregularis ex defectu; ut supra docuimus. Item in venatione licita, & omni adhibita diligentia, si quis suadeat servum exonerare sclopetum, sciens tamen, ibi latitare suum inimicum, de quo servus nullam notitiam habebat, vel habere poterat; si exonerando, inimicum occidat, nullam irregularitatem servus incurrit, sed mandans remanet irregularis. Tolet. *d. cap.* 84. *num.* 5.

50. *Quær.* An Judices Ecclesiastici tradentes reos dignos morte Curiæ Sæculari, ad hoc ut occumbant, evadant irregulares? *Resp.* Affirmativè, si cum hac expressione mortis inferendæ illos tradant; secùs autem si cum protestatione citra pœnam sanguinis, vel quod juxta leges tantùm procedant. Tolet. *ubi supra num.* 7.

51. *Quær.* Quam irregularitatem incurrat mandans verberare, si mandatarius excedendo non solùm verberet, sed occidat? *Resp.* Esse irregularem ex delicto homicidii, sed casualis. *cap. ult. De Homicid. in* 6. Tolet. *dict. cap.* 84. *num.* 8. ubi notat, id esse intelligendum de injusta verberatione, quia si justa fuisset, & mandatarius excessisset, nec mandans potuisset prævidere excessum, ipse nullam incurreret irregularitatem, sed solus mandatarius, qui remaneret irregularis ex delicto.

52. *Quær.* An fiat irregularis ille, qui mandat occidere aliquem, & in executione mandatarius ipse remanet occisus? *Resp.* Cum distinctione, si mandans habebat intentionem, ut mandatarius remaneret occisus, prout habebat Saul mandans David contra Philistæos, & tunc mandans fit irregularis ex homicidio voluntario; vel non habebat hanc intentionem, & tunc est subdistinguendum, vel agitur de occisione justa. ut quando Princeps, vel Judex mandat occidere bannitos, & in hoc casu nullam incurrit irregularitatem ex delicto, si cautè misit. Vel occisio erat injusta, & in hoc casu remanet irregularis ex homicidio casuali tantùm, quia quoties mandatum est illicitum, & periculosum mortis, semper contrahitur irregularitas ex homicidio, & quidem voluntario, si hoc habebat in intentione; sed casuali, si præter intentionem. Toletus *dict. cap.* 84. *num.* 8. ubi DD.

53. *Quær.* An ex Consilio contrahatur irregularitas? *Resp.* Aliquando contrahi, & aliquando non contrahi secundùm circumstantias casuum, in quibus datur consilium. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 85. *per totum.*

54. *Quær.* Qui sint casus, in quibus consulens mortem non incurrit irregularitatem? *Resp.* Esse sequentes. *Primò*, qui consulit Principi in condendis legibus sub pœna mortis contra facinora. *Secundò*, qui consulit alicui se exponere morti pro fide Christi, pro Patria, aut amicis, servato ordine charitatis; nam iste non consulit, ut mortem det, sed quòd vitam licitè exponat, quamvis mors sit inferenda à malitia aliorum. *Tertiò*, qui in bello justo consulit, exhortatur, & incitat milites, ut pugnent, & vincant hostes; dummodo non præbeant actualiter arma ad occidendum. *cap. Petitio. De Homicid.* Tolet. *d. cap.* 85. *num.* 5. *Quartò*, qui consultus à Judice, qua pœna tale delictum sit plectendum, & ipse generaliter loquendo, ait, pœna mortis, dummodo interrogatio non respiciat casum particularem, sed sit universalis. Tolet. *d. cap.* 85. *num.* 6. *Quintò*, qui clamat contra latrones pro defensione suæ vitæ; nam licèt concurrant gentes, quæ occidant latronem, nullam incurrit irregularitatem, nam poterat licitè ipse occidere. Quòd si clamasset in defensionem rerum suarum, in hoc casu; si non prævidebat sequuturam mortem, non fit irregularis; si prævidere poterat, & clamavit, tunc si laicus est, evadit irregularis ex defectu; si Clericus ex delicto. Tolet. *ibid. num.* 7. Et *Sextò*, Prælati, & Personæ Ecclesiasticæ convocantes milites in sui defensionem, & tutelam, non sunt irregulares, si milites aliquem adversarium occidant. *cap. Maximianus.* 23. *quæst.* 3. ubi Gloss. & Tolet. *dict. cap.* 85. *num.* 8. ubi addit, posse absque irregularitate Prælatos habentes jurisdictionem temporalem bellum justum indicere, & hortari suos milites, ut pugnent.

55. *Quær.* Quando incurratur irregularitas ob consilium? *Resp.* Semper incurri, quando consilium est efficax ad mortem inferendam, si mors inferatur. Et quidem, si consilium sit injustum, consulens remanet irregularis ex homicidio voluntario. Si verò sit justum, ut in assessoribus, vel aliis hortantibus Judices ad feriendum gladio aliquem malefactorem, in hoc casu consulens, si laicus est, fit irregularis ex defectu; si verò Clericus, erit irregularis ex delicto, quia Clericis non licet se ingerere, ubi agitur de pœna sanguinis. Tolet. *d. cap.* 85. *num.* 9.

56. *Quær.* Quid agendum ab eo, qui dedit Consilium de injusto homicidio faciendo, si nondum factum sit, ad hoc ut fugiat irregularitatem? *Resp.* Diversas esse Doctorum opiniones; nam alii dicunt, satis esse, si det contrarium consilium, quamvis homicida nolit se removere à consilio primo. Alii docent, teneri admonere personam, contra quam machinatur homicidium, ut caveat: & tandem alii tenent, consulentem debere omninò dissuadere homicidam à resolutione occi-

occidendi, allegando rationes, quibus recedat à primo consilio; à quo si nolit recedere, & occidat consulentem, remanere irregularem. Tolet. *dict. cap.* 85. *num.* 1. Quæ tamen opinio videtur nimis rigorosa, quia ubi fecerit omne posse pro dissuadendo homicida, si ex sua perversitate noluerit abstinere ab homicidio, non videtur ampliùs occidere vi consilii, sed ob suam malitiam. Tamburin. *De Irregul. dict. cap.* 15. § 8. *à num.* 17. *& seqq.* ubi plura dicit, & Doctores allegat concordantes.

57. *Quær.* Quam irregularitatem incurrant illi, qui non occidunt, sed defendendo proximum suum, præbent aliis vim, & ansam occidendi? *Resp.* Si defensio sit in casu licito; & tunc si defendens sit persona laica, incurrit irregularitatem ex defectu: Si Clericus, ex delicto, & quidem voluntario, si habuit animum, ut aliquis in ea defensione occideretur, at casuali tantùm, si id præter intentionem accidisset. Tolet. *dict. libro primo cap.* 86. *num.* 1.

58. *Quær.* An præter Judicem condemnantem reos ad mortem, sint alii, qui incurrant irregularitatem? *Resp.* Affirmativè; videlicet, omnes cooperantes in formatione processus, expeditione causæ, & executione sententiæ; & ideò fiscales, notarii, accusatores, testes, satellites, fautores, & alii cooperatores fiunt irregulares ex defectu, si laici sint, & judicium sit justum; ex delicto, si injusta sit sententia; vel prædictorum aliquis sit Clericus. quia ut dictum est, Clericus non licet se ingerere, nisi ubi aliter evitare non possint, cum protestatione de non consentiendo, aut de non intendendo pœnam sanguinis. Tolet. *ubi supra num.* 2. & est textus *in cap. Prælatis. De Homicid. in* 6.

59. *Quær.* An protestatio non intendendi pœnam sanguinis, juvet quascunque personas? *Resp.* Negativè, sed tantummodo Clericos, & hos dummodo denuncient pro sui, rerumque suarum defensione tantùm, & verè in animo non intendant pœnam sanguinis. Ideò testes, advocati, & alii ministri, licèt protestentur, fiunt irregulares, ubi pœna sanguinis infligatur. Tolet. *dict. lib.* 1. *cap.* 86. *num.* 4. ubi tamen advertit, plurimos Doctores scribere, quòd dicta protestatio liberat ab irregularitate, etiam denunciantes laicos, quando verè non intendunt denunciare ad vindictam sanguinis; & sic expressè protestantur. Quòd si animus esset in contrarium, non obstante contraria protestatione, forent irregulares saltem in conscientia.

60. *Quær.* An sint irregulares, qui vendunt funes, quibus suspenduntur fures; aut sclopetos, enses, & arma, quibus milites, vel alii facinorosi homines homicidia committunt? *Resp.* Negativè; nam tales vendentes licitè vendunt, & habentur tanquam causa remota, non autem propinqua mortis, cùm vendant ex officio, & non tanquam parantes Instrumentum mortis illi, vel illi. Quòd si ad hunc deliberatum finem pararent, & darent pro morte alicujus in particulari, intendentes cooperari ad homicidium, vel mortem illam determinatè, utique forent irregulares. Tolet. *ubi supra dict. cap.* 86. *num.* 6. ubi dat etiam exemplum de afferente ligna pro comburendo hæretico; nam evaderet irregularis; secùs autem si ex officio ligna venderet emere volenti unicuique.

61. *Quær.* An, qui pulsat campanam, pro signo executionis sententiæ mortis, sit irregularis? *Resp.* Esse hinc indè Doctorum opiniones; at affirmativa censetur tutior, quando sonat tanquam minister Justitiæ. Tolet. *ibidem num.* 6.

62. *Quær.* An, qui indicat latronem Judici, vel pulsat campanam *à martello*, ut comprehendatur, fiat irregularis, si latro occidatur? *Resp.* Affirmative, si intendebat mortem latronis; secùs si capturam tantùm intendisset, & protestatus fuisset, se non intendere vindictam sanguinis. Tolet. *ibidem num.* 7.

63. *Quær.* An fiat irregularis socius ejus, qui ibat ad occidendum, vel qui rixam contraxit, & homicidium commisit? *Resp.* Cum distinctione: vel iste associabat ex proposito, ut alter fieret animosior, & in hoc casu si homicidium sit injustum, erit irregularis ex delicto voluntario; si justum, ob justam defensionem, & erit irregularis ex defectu; nisi esset Clericus, quia Clericus evadit irregularis ex delicto. Vel non associabat ex proposito, sed casu inopinato, & per accidens, & rixa exorta est: & tunc ille tantùm est irregularis, qui occidit, vel mutilat; secùs autem, qui eum associabat. *cap. Significasti. De Homicid.* Tolet. *dict. cap.* 86. *num.* 9.

64. *Quær.* An per ratihabitionem incurratur irregularitas; videlicet, quando quis ratum habet homicidium nomine ejus factum, etiam ipso ignorante? *Resp.* Duplicem esse Canonistarum opinionem; quidam enim affirmant vigore Text. *in cap. Ratihabitionem. De Reg. Jur. in* 6. ubi dicitur, quòd in delictis ratihabitio æquiparatur mandato; & *in cap. Cum quis. De Sent. Excommunic. in* 6. ubi declaratur excommunicatus, qui ratam habuit percussionem Clerici, factam ejus nomine. Alii verò negant per Text. *in cap. Is, qui. De Sent. Excommunic. in* 6. ubi statuitur, neminem irregularem esse censendum, nisi sit in Jure expressum; at nullo jure exprimitur, per ratihabitionem homicidii; nomine alicujus, eo ignorante, facti. Et hanc negativam opinionem censet veriorem Tolet. *lib.* 1. *cap.* 87. *num.* 1. quo loci utriusque opinionis Assertores refert; & *text.* contrariis respondet, dicendo, ratihabitionem æquiparari mandato quoad peccatum, & cæteras pœnas, excepta irregularitate; nec valere exemplum excommunicationis, quia de ipsa extat juris determinatio.

65. *Quær.* An incurratur Irregularitas per omissionem; nempè quando aliquis non liberat à morte eum, quem poterat auxiliando liberare? *Resp.* Super hoc quæsito reperiri varias Doctorum responsiones; quarum magis tutæ sunt tres. *Prima*, si agatur de morte justa, ut de damnatis à Judice ad mortem, nemo efficitur irregularis, qui posset reum à morte liberare, & non liberat. *Secunda*, si agatur de morte injusta, ut de impediendo

homicidio, vel de impedienda morte naturali; & in hoc casu, qui tenetur non de justitia, sed ex sola charitate impedire, & non impedit, puta dives non dando eleemosynam pauperi; & hìc pariter non impediendo mortem, non incurrit irregularitatem, nisi fortè, non auxiliando, consentiret, & intenderet mortem proximi. *Tertiò*, si verò non impediens teneatur impedire ex officio, vel de justitia; ut si Medicus, qui suscepit curam infirmi, cognoscens necessariam medicinam, eam dare nolit; vel sanguinis emissionem, & recuset sanguinem emittere ab iufirmo; vel Judex, aut Potestas, sciens aliquos insidiari vitam Titii, & non animadvertat in insidiatores, in hoc casu omittens impedire mortem, incurreret irregularitatem. Navar. *in Sum. cap.* 27. *num.* 231. Tolet. *d. cap.* 87. *num.* 2. 3. 4. *& seqq.* ubi plurima affert exempla, & notat, quòd si medicus non suscepisset curam infirmi, & non teneretur ex officio eam suscipere, sed ex sola charitate, si omitteret infirmum curare, & sineret eum mori, peccaret quidem, sed non incurreret irregularitatem, quia id non est in jure expressum. Videatur Tamburin. *de Irregular. d. cap.* 15. §. 9. per totum.

66. *Quær.* An, qui scit tractatum contra aliquem in mortem ejus, si non revelet illi, ita, ut occidatur, fiat Irregularis? *Resp.* De hoc Doctores plura dicere, ut videre est in *cap. Petrus de Homicid.* Sed opinio magis communis eorum est, quòd in tali casu non revelans nullam incurrat irregularitatem, quia non tenetur ex justitia, sed ex sola charitate revelare. Tolet. *d. lib.* 1. *cap.* 87. *num.* 8.

67. *Quær.* An Irregularitas ex homicidio voluntario sit introducta de jure divino? *Resp.* Negativè, sed tantùm de jure humano, quamvis nonnulli contrarium scripserint, moti ex Scriptura, & facto David, quem Deus noluit fabricare sibi Templum, tanquam virum sanguinis, & homicidam; quia ex ea non bene infertur ad irregularitatem, sed ad aliam mysticam significationem Christi Domini, Regis Pacifici, fabricantis Templum spirituale Deo, id est, Ecclesiam. Hinc sequitur, Papam posse dispensare ab irregularitate ex homicidio voluntario, etsi se difficillimum reddat, maximè in foro exteriori, quando homicidium est publicum. Tolet. *lib.* 1. *tit.* 88. *num.* 1.

68. *Quær.* An Baptismus auferat Irregularitatem ex quocunque homicidio provenientem tam licito, quàm illicito? *Resp.* Affirmativè. Imò meliùs potest responderi, non baptizatos nullam incurrere irregularitatem ex homicidio, quia ea alligantur soli baptizati, committentes homicidium post baptisma. Tolet. *d. cap.* 88. *num.* 2.

69. *Quær.* Quis possit dispensare tam ad ordines, quàm ad beneficia cum irregularibus ob homicidium? *Resp.* Esse distinguendos quatuor casus. *Primus* est de homicidio justo; ex quo insurgit irregularitas ex defectu lenitatis, nempè in Judicibus, ministris justitiæ, & militibus in bello justo. *Secundus* est casus de homicidio injusto, sed casuali. *Tertius* de homicidio injusto voluntario; & *Quartus* est de mutilatione. In his omnibus casibus Papa potest dispensare, quia (ut jam antea dictum est) irregularitas non est de jure Divino, sed de jure Ecclesiastico; & quamvis aliquando appellari soleat in jure indispensabilis; id fit, quia difficillimè Papa solet dispensationem concedere. Pyrrh Corrad. *de Dispensat. lib.* 7. Tambur. *de Irregular. d. tract.* 4. *cap.* 15. §. 17. *num.* 12. Quòd si inquiramus, an in dictis casibus Episcopus possit dispensare? respondendum est: Quoad primum, Negativè, ut contra Dianam, Pasqualigum, & alios probat Tambur *d. tract. de Irregul. cap.* 15. §. 17. *num.* 4. 5. 6. *&* 7. Quoad secundum casum, si homicidium casuale sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum; Episcopus poterit dispensare ex Concil. Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 6. *de Ref.* Si verò fuerit publicum, seu ad forum contentiosum deductum, non poterit Episcopus dispensare, ut contra Marchinum de Ordine contrarium docentem tenet ipse Tamburin. *d. cap.* 15. §. 17. *num.* 10. ubi tamen notat, probabile esse ex Henriquez, & Diana, quòd Episcopus dispensare possit in hoc casu pro ordinibus minoribus tantùm, & pro simplici beneficio. Quoad tertium Episcopus nullo modo dispensat, sive homicidium sit occultum, sive non, resistente Concilio Tridentino. *dict. sess.* 24. *cap.* 6. neque pro habendis majoribus ordinibus, neque minoribus. Tamburin. *d. cap.* 15. §. 17. *num.* 18. *& seqq.* ubi sub *num.* 23. subjungit, non esse improbabile, quòd Episcopus possit concedere huic irregulari usum minorum ordinum antea receptorum, non verò receptionem aliorum, ac ulteriùs non esse prohibitum, eidem irregulari conferre Pensionem Ecclesiasticam, quia Pensio non est beneficium, quod docuit etiam Garzias *de Benefic. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 136. Quo verò ad quartum casum; si mutilationis delictum sit occultum, poterit Episcopus ab irregularitate mutilantem dispensare; si autem delictum publicum foret, vel fuit mutilatio commissa voluntariè, & Episcopus non poterit dispensationem concedere, si verò casualiter, poterit dispensare. Tambur. *d. cap.* 15. §. 17. *num.* 25. 26. 27. *&* 28. Quòd si quis interrogaret, an dispenset Episcopus ab irregularitate ob homicidium justum necessarium? jam dictum est, ex eo non insurgere irregularitatem, quando factum est ad propriæ vitæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ Tolet. *lib.* 1. *cap.* 88. *num.* 8.

70. *Quær.* An præter dispensationem sint alii modi, quibus tollatur irregularitas? *Resp.* Esse tres alios modos, nempè Baptismum, Professionem Religiosam, & causæ cessationem. Tambur. *de Irregul. cap.* 23. §. 1.

71. *Quær.* Quas Irregularitates tollat Baptismus? *Resp.* Baptismum tollere omnes irregularitates ex delicto; nisi fortè, ut supra notavimus, melius sit dicere, irregularitates ex delicto non contrahi ante Baptismum. Irregularitates verò ex defectu non tolluntur per baptismum, excepta irregularitate ex defectu lenitatis, quæ vel non contrahitur ante baptismum, vel contracta per baptis-

mum

mum tollitur. Cæteræ irregularitates ex defectu non tolluntur per baptismum, & multò minùs bigamia. Tambur. *dict. cap.* 23. §. 1. *num.* 2. & 3.

72. *Quær.* Quid dicendum in hoc casu, Petrus nondum baptizatus propinavit venenum Cajo, deinde sacro baptismate ritè lotus est. Sed accidit, ut post susceptum ab ipso Petro baptismum, Cajus ex assumpto veneno moreretur; eritne Petrus tunc irregularis? *Resp.* Affirmativè, quia tunc incurritur Irregularitas, quando homo moritur, & mors sequitur post susceptum baptismum. Tambur. *dict. cap.* 23. §. 1. *num.* 5. & 6.

73. *Quær.* Quomodo tollantur Irregularitates per professionem Religiosam? *Resp.* Quòd per illam de jure nulla tollitur Irregularitas, nisi ea, quæ est ex defectu Natalium. De consuetudine verò potest tollere omnes irregularitates, ideò si alicubi adest, & sit legitimè præscripta, potest servari. Tamburin. *d. cap.* 23. §. 2. *num.* 1. & 2.

74. *Quær.* Quomodo tollantur Irregularitates ex causæ cessatione? *Resp.* Quòd ubi causæ sunt perpetuæ, nunquam tolluntur irregularitates, & tales sunt Bigamia, Homicidium, Hæresis, illegitimitas natalium &c. Si verò non sint perpetuæ, cessant Irregularitates, cessantibus causis ipsis, ut sunt defectus ætatis, scientiæ, libertatis, sanitatis, & similes. Tambur. *d. cap.* 23. §. 2.

75. *Quær.* An liberatio ab Irregularitate ex defectu natalium tollatur ipso jure per professionem Religiosam, vel sit expectandum decretum Prælati? *Resp.* Tolli ipso jure, nullamque expectandam sententiam, ut contra contrarium scribentes sustinet Tambur. *de Irregular. cap.* 17. §. 4. *num.* 8. & 9. & *seqq.* ubi responsum limitat circa capacitatem Prælaturæ, nam ad eam habendam attendenda sunt statuta, seu Privilegia Religionum, ex quibus dari potest, ut requiratur sententia super capacitate; prout eam requiri etiam in Monialibus illegitimis, quæ non nisi dispensante Episcopo, possunt esse Abbatissæ, docet idem Tambur. *dict. cap.* 17. §. 4. *num.* 26. Quamvis non esse opus aliqua dispensatione pro Abbatissis dicant alii, ut notatum est supra *cap.* 129. *num.* 12.

76. *Quær.* An Irregularitas ex defectu natalium deleta per professionem Religiosam reviviscat, si Religiosus egrediatur de Religione, & ad sæculum revertatur? *Resp.* Cum distinctione. Vel revertitur ad sæculum reclamando contra professionem, & obtinendo eam nullam declarari; & tunc reviviscit irregularitas; quæ potiùs nunquam fuit delata. Vel revertitur ad sæculum ex dispensatione Pontificis, aut ex licentia Religionis, ut in Societate Jesu ante tertii voti emissionem, & in hoc casu irregularitas non reviviscit. Tambur. *d. cap.* 17. §. 4. *à num.* 13. & *seqq. usque in fine*; ubi tandem subdit, etiam contrariam opinionem esse probabilem.

77. *Quær.* Quando aliquis dispensatur ab Irregularitate ob delictum cum conditione, ne celebret in loco delicti, an suburbia comprehendantur in prohibitione, & sub dicta conditione? *Resp.* Negativè, quia in odiosis suburbia non veniunt nomine civitatis; & ideò, qui deliquisset in Civitate Venetiarum, posset celebrare in Insulis adjacentibus S. Georgii, S. Clementis, S. Christophori, & similibus. Dian. *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 123. secùs autem in aliis vicis, seu contratis ejusdem Civitatis, quamvis remotis, & distantibus à loco, seu vico, in quo fuit commissum delictum. Idem Tamburin. *dict. tract. de Irregul. cap.* 15. §. 17. *num.* 13. & *seqq.* Et hæc satis sint de Irregularitate.

CAPUT CXXXII.

De Sacramento Matrimonii.

1. *Quær.* Quandonam sit Institutum Matrimonium? *Resp.* Matrimonium in ratione contractus institutum fuisse in ipso mundi exordio ad homines propagandos, & post lapsum Adæ ad remedium concupiscentiæ in illis verbis: *Crescite, & multiplicamini. Gen.* 1. Ita Sanctus August. *De Civit. Dei. lib.* 14. *cap.* 2. At ad rationem Sacramenti fuisse elevatum à Christo Domino vel in Nuptiis Canæ Galileæ; vel dum dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet. Matth.* 19. Ita Tambur. *lib.* 8. *de Matr. tract.* 5. *cap.* 1. & Sanchez *de Matrimon. lib.* 2. *disp.* 4.

2. *Quær.* Quæ, & quot Ecclesiasticos scire oporteat circa Matrimonium? *Resp.* Octo. Videlicet. 1. Impedimenta tam dirimentia, quam non dirimentia. 2. Eorundem dispensationes. 3. Sponsalia. 4. Substantialia matrimonii tanquam contractus. 5. Substantialia ejusdem tanquam Sacramenti. 6. Solemnitates in eo celebrando. 7. Obligationes ex eodem insurgentes. Et 8. Ejus dissolutionem quoad thorum, quæ fit per divortium. Qui hæc omnia rectè norit, multa scire dicendus est; nam Sanchez de prædictis agens magnum opus perfecit, tribus tomis comprehensum, & in libris decem distinctum.

3. *Quær.* Quid sciendum circa impedimenta Matrimonii? *Resp.* Quòd sunt in duplici differentia; Alia scilicet, quæ impediunt contrahendum, & dirimunt, si de facto contrahatur. Et alia, quæ impediunt quidem, sed si contrahatur, non dirimunt; nam remanet validum. DD. communiter & Tamburin. *in tract. de Triplici Jure libr.* 8. *cap.* 1. *num.* 1. & 2.

4. *Quær.* Quæ, & quot sint impedimenta dirimentia? *Resp.* Esse quatuordecim, quæ & his versibus comprehenduntur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis.
Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta;
Hæc scienda vetant connubia, facta retractant.

5. *Quær.* Quæ, & quot sint impedimenta impedientia tantùm, & non dirimentia? *Resp.* De Jure antiquo ea fuisse duodecim, his carminibus comprehensa:

Eccle-

Ecclesiæ vetitum, nec non Tempus feriatum,
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito Votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri,
Incestus, Raptor Sponsæ, Mors mulieris,
Susceptor propriæ sobolis, Mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.

Porrò præsentibus temporibus partim à Concilio Tridentino, partim à consuetudine abolita sunt, adeò, ut quatuor tantùm remaneant in observantia; quæ hoc versu continentur.

Sacratum Tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.

Ita Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 17. ubi DD.* & Tambur. *d. lib. 8. cap. 16. num. 1.*

CAPUT CXXXIII.

De Impedimentis dirimentibus Matrimonium.

1. *Quær.* Quo Jure sint introducta Impedimenta dirimentia? *Resp.* Ea esse introducta partim à jure naturæ, partim à jure Ecclesiastico. Jure naturali quatuor sunt introducta, videlicet: *Error in persona, impotentia perpetua, consanguinitas in primo gradu rectæ lineæ*, nempè Patris cum filia; *& Ligamen.* Cætera à jure Ecclesiastico proveniunt; & hinc fit, ut illa quatuor sint indispensabilia, & locum habeant etiam in matrimoniis infidelium; reliqua verò possint dispensari, & non arctent infideles. Tambur. *d. lib. 8. cap. 1. num. 5. & 6.* Et ego ipse in meis Decisionibus anni 1683. in quibus omnia & infrascripta impedimenta dirimentia latè explicavi.

2. *Quær.* Quid, & quotuplex sit impedimentum *Erroris*? *Resp.* Erroris impedimentum est, cum quis non contrahit, cum qua intendebat contrahere, & est duplex, vel circa personam, ut si credat quis ducere Mariam, & ducat Catharinam, vel circa qualitates; ut si quis intendat contrahere cum Maria pulchra, vel nobili, vel divite; & inveniat eam aut deformem, aut ignobilem, aut pauperem. Tamburin. *dict. lib. 8. cap. 2. §. 1. num. 1.* & Mastrius *in Theol. Moral. disp. 20. num. 97.*

3. *Quær.* Quando dirimatur Matrimonium per Erroris impedimentum? *Resp.* Quando error est circa personam, semper matrimonium est nullum; ut si quis intendat ducere Mariam, & inveniat esse Bertam, quod sic est intelligendum, ut intentio esset directa in Mariam, tanquam personam distinctam à Berta, non autem in Mariam, quasi habentem hoc nomen: nam si sic intenderet, & postea reperiret, eam appellari Bertam, matrimonium teneret, quia error non esset in substantia personæ, sed in nomine tantùm. Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 18. num. 7.* Tamburin. *dict. lib. 8. cap. 2. num. 1. & num. 6. cum seqq.* Quando autem error versatur non circa personam, sed circa qualitatem personæ, matrimonium est validum, duobus tamen casibus exceptis. Primo, si expressè quis contraxisset sub conditione illius qualitatis, nempè duco Mariam, si sit dives, vel si sit virgo, vel nobilis, vel non sit ex progenie Judæorum; nam si qualitas sic requisita deficiat, Matrimonium est nullum, nam deficit consensus contrahentis; & idem est, si qualitas fuisset requisita non solùm expressè, sed etiam virtualiter tantùm, quod fit, quando ab initio fuit protestatum de ea; secùs autem, si tantùm habitualiter. Sanchez *lib. 10. cap. 9. num. 14.* Pontius *de Matrim. lib. 4. cap. 21. num. 13.* Barbos. *in Votis decisivis Vot. 19. art. 3.* Tamburin. *dict. lib. 8. cap. 2. §. 1. num. 14. & seqq.* Secundò, si error circa qualitatem redundet in substantiam personæ, ut si quis audiat, aliquem habere duas filias, unam Virginem, aliam non Virginem; & virginem quidem esse pulchriorem, ideòque petat in uxorem pulchriorem; nam si daretur ei alia non pulchrior, matrimonium esset invalidum, non ex defectu, seu ex errore qualitatis, sed ex defectu substantiæ; quia cùm respexerit ad qualitatem pulchritudinis, formavit conceptum, & direxit consensum ad filiam Virginem, distinctam à non Virgine, & sic error qualitatis redundat in personam. Sanchez *lib. 7. disp. 18. num. 5.* Pontius *lib. 4. cap. 21. num. 13.* Barbos. *d. Voto 19. num. 3.* & Tamburin. *d. §. 1. num. 20.* ubi subdit, in praxi rectè judicare valdè operosum, & laboriosum esse, & allegat casum, in cujus decisione Pontius discrepat à Tabiena, & à Sanchez: & alium de quodam Anglo vilis conditionis, qui Romam petiit, & duxit nobilem puellam, asserendo se esse filium Regis Angliæ; super cujus matrimonii validitate, seu invaliditate, multum altercantur Doctores, quos allegat Barbos. *d. Vot. 19. art. 3.* quamvis ferè omnes conveniant pro nullitate, quia illa nobilis puella non consensit in eum hominem tanquam filium Regis; sic enim fuisset error in qualitate non dirimens; sed in filium Regis, quem putavit esse illum hominem, & sic error fuit in substantia personæ. Emin. Cardin. de Lauræa *de Matrim. disp. 21. art. 5. per totum.*

4. *Quær.* In quo consistat Impedimentum *Conditionis*? *Resp.* Consistit in hoc, ut si quis contrahat matrimonium cum persona, quæ sit verè serva, credens eam potiri libertate, matrimonium sit invalidum; quòd si sciret, eam esse servam, & contraheret; tunc Matrimonium valeret, etiam non consentiente Domino; ea ratione, quia Dominus non habet jus tollendi à servo remedium concupiscentiæ. S. Thom. *in 4. dist. 29. quæst. unic. art. 4. cap. ad Nostram. 4. de Conjugio servorum. cap. Cujus rei 29. quæst. 2.* Sanch. *de Matrim. lib. 4. disp. 22. num. 4.*

5. *Quær.* An esset validum Matrimonium, si quis contraxisset cum persona serva, quæ tamen crederetur communiter esse libera, ita, ut ipsamet non haberet notitiam suæ servitutis? *Resp.* Negativè, quia statim ac manifesta fit servitus, quæ vigebat tempore contracti matrimonii, ipsum habetur pro nullo; nam in hoc impedimento ignorantia tam juris, quàm facti nullam potest dare validitatem

tem Sacramento. Tamburin. *dict. lib.* 8. *cap.* 3. §. 1. *num.* 5. & Mastrius *d. disp.* 20. *num.* 99. & 100.

6. *Quær.* Quando quis scienter contrahit matrimonium cum serva, in cujus potestate sit futura proles nascitura? *Resp.* In potestate domini ipsius servæ, quia partus sequitur ventrem; nisi fortè mater potita esset libertate, vel tempore conceptionis, vel tempore medio, vel tempore partus, quia in hoc casu proles esset libera, & sui juris. §. 1. *Inst. de Ingenuis.* Sanchez. *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 24. *num.* 10.

7. *Quær* An peccet servus, seu mancipium, contrahendo Matrimonium contra voluntatem Domini sui? *Resp.* Negativè, quia Domini non habent jus prohibendi Matrimonium suis servis, nisi ageretur de eorum aliquo gravi incommodo. Sanch. *dict. lib.* 7. *disp.* 21. *num.* 5.

8. *Quær.* An peccet Dominus vendendo servum suum uxoratum, vel eum mittendo in regionem longinquam, ubi uxor sequi non valeat? *Resp.* Eum non peccare contra justitiam, sed contra charitatem tantùm, quando sine suo gravi damno posset ab illa venditione, vel nimia separatione abstinere. Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 42. *num.* 6. Mastrius *d. disp.* 20. *num.* 100.

9. *Quær.* Si quis ignoranter contrahat cum serva, quæ post annum vel sex menses, ex testamento Domini, sit habitura libertatem, eritne validum Matrimonium? *Resp.* Aliquos Doctores respondisse affirmativè, si post sex menses libera evadat, nam parum pro nihilo reputatur. Ita Sanchez *d. lib.* 7. *disp.* 19. *num.* 4. & Perez *de Matrim. disp.* 21. *sect.* 1. Porrò Negativam responsionem dedit Pontius *d. lib.* 7. *cap.* 43. *num.* 1. *in fine*; cui adhæret idem Tambur. *d. lib.* 8. *cap.* 3. §. 2. *num.* 2. Quia Sacri Canones indistinctè loquuntur, nec excipiunt temporaneam servitutem.

10. *Quær.* Si quis concedat libertatem ancillæ suæ per duos, vel tres annos, & interim ipsa nubat alicui nescienti hanc futuram servitutem, eritnè validum Matrimonium? *Resp.* Negativè, quia per dictam concessionem libertatis servitus non est soluta, sed dormit. Tambur. *d. cap.* 3. §. 2. *num.* 4.

11. *Quær.* Si ancilla absolutè dimissa è servitute, & liberta effecta nubit alicui nescienti præcedentem servitutem, & credenti eam esse ingenuam, non libertam, valebit Matrimonium? *Resp.* Affirmativè, quia mulier liberta est verè libera. Rebell. *lib.* 3. *sect.* 2. *num.* 19. & Perez *d. disp.* 21. *sect.* 1.

12. *Quær.* An valeat Matrimonium, si quis ducat mulierem liberam, credens eam esse servam? *Resp.* Valere, quia impedimentum est constitutum in servitute vera, non in putativa. Tamburin. *dict. lib.* 8. *cap.* 3. §. 3. *num.* 6.

13. *Quær.* Si Petrus servus ducit Mariam servam, credens eam esse liberam, eritnè validum Matrimonium? *Resp.* Affirmativè; quia Ecclesia irritat Matrimonium, quod contrahit persona libera ignoranter cum persona serva; non autem quod servus contrahit cum serva, licèt ignoranter. Aversa *de Matrim. quæst.* 12. *sect.* 12.

14. *Quær.* Si Titius liber contrahat cum Lucia serva, credens eam esse liberam, sed cum animo eandem ducendi, etiamsi esset serva, an validè contrahat? *Resp.* Negativam opinionem tenere Sanchez cum aliis à se citatis *lib.* 7. *disp.* 18. *num.* 6. Affirmativam docere Bossium cum allegatis *de Matrim. cap.* 2. *num.* 85. Prior opinio videtur magis juri consona, quia contractus est cum persona serva ignorata, quo casu matrimonium non valet. Tambur. *dict. cap.* 3. §. 3. *num.* 9. sed secundæ adhæret Mastrius *d. num.* 100.

15. *Quær.* An contracto nulliter Matrimonio de facto ob servitutem ignoratam, si ea cognoscatur, possint de facto conjuges abire, & seipsos separare? *Resp.* Affirmativè, sed ad tollenda scandala, & fraudes, tutius esset recurrere ad Judicem Ecclesiasticum, & sententiam nullitatis matrimonii postulare. Tambur. *d. lib.* 8. *cap.* 3. §. 5. *num.* 1.

16. *Quær.* An contracto Matrimonio nulliter ob ignoratam servitutem, si ea detecta conjux liber velit ratificare Matrimonium, & in eo perseverare, possit persona serva contradicere, & resilire? *Resp.* Affirmativè, etiam si ab initio fraudulenter suam servitutem occultasset; licèt enim peccaverit attentando matrimonium, quod Ecclesia prohibet, tamen quia re vera nullum illud est pro utraque persona, & non debet in aliqua parte claudicare, ideò æquè utraque persona resilire potest, & sic persona decipiens non obligatur invita consentire, etiamsi decepta id requirat. Tambur. *d. cap.* 3. §. 3. *num.* 3.

17. *Quær.* Quo tempore cessarint servitutes hominum in hac Civitate Paduæ? *Resp.* Post annum MCC. Nam de anno 1195. Henricus Canonicus Patavinus in testamento reliquit libertatem servo suo. Ita *in libr. Privil. Eccles. Cathol. pag.* 41.

18. *Quær.* Quale sit impedimentum voti dirimens Matrimonium? *Resp.* Esse illud, quod insurgit ex voto solemni inito per Professionem Religiosam, ideòque Regularis professus, tam masculus quàm fœmina, non potest matrimonium contrahere, & si de facto contraxisset, matrimonium esset nullum, & sic contrahens, ultra peccatum grave, incurreret in excommunicationem latam *in Clem. unic. de Consanguinit. & affinit.* Eadem nullitas provenit ex voto solemni castitatis facto in susceptione ordinis sacri, sed de hoc inferiùs specialiter est agendum. Votum verò simplex castitatis non dirimit matrimonium, sed impedit duntaxat; excepto tamen voto simplici, quod peracto biennio emittunt Patres Societatis Jesu, nam illud dirimit matrimonium ex speciali Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino.* Bonacin. *de Impedimen. Matrim. qu.* 3. *punct.* 4. *num.* 2. & 3.

19. *Quær.* An Matrimonium contractum post professionem sit nullum de jure naturæ, vel solo jure Ecclesiastico? *Resp.* Plures plura dicere, sed magis communem opinionem esse, quòd nullum sit solo jure Ecclesiastico, ut disputando concludit Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 6. & 7. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 26. *num.* 4. & Mastrius *d. disp.* 20. *num.* 101.

20. *Quær.* An Professio Religiosa dirimere possit Matrimonium non post, sed ante illam contractum? *Resp.* Affirmativè, si tamen nondum fuerit consummatum; Quia certa est juris regula, matrimonium ratum, non consummatum dissolvi per Religiosam professionem alterius conjugis. Concil. Trident. *sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 6. & licèt de jure soleant assignari duo menses ad deliberandum conjugi volenti Professionem emittere, nihilominùs etiam post duos menses potest profiteri, & dirimere matrimonium ratum, & non consummatum; & facta professione, alter conjux, qui remanet in sæculo, potest matrimonium cum alio inire. Sanchez *d. disp.* 27. Bonac. *dict. punct.* 4. *num.* 4. *&* 5. Ubi id procedere notat etiam in Militibus, seu Equitibus S. Joannis Hierosolymitani; & docet Lessius *lib.* 4. *cap.* 41. *dub.* 8. *num.* 69. & Sperell. *decis.* 21. *num.* 44.

21. *Quær.* An Matrimonium ratum, non consummatum dissolvatur per susceptionem sacrorum ordinum, aut consecrationem in Episcopum, sicut fit per professionem Religiosam? *Resp.* Negativè, quia hoc privilegium concessum est soli Religiosæ Professioni. *DD. in cap. Verum* 2. *De Convers. conjugat.* Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 4. Bonacin. *de Impedim. Matrim. dict. quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 6.

22. *Quær.* An Matrimonium consummatum possit dirimi per subsequentem professionem? *Resp.* Negativè, licèt consummatio facta fuerit intra duos menses, quia tunc conjuges facti sunt una caro, & non nisi per mortem possunt separari. *cap. Si quis conjugatus.* 27. *qu.* 2. *& d. cap. verum. De Convers. conjugat.* Quod procedit, etiamsi conjux fuisset cognita per vim, & metum, ut tenet Guttierez *cap.* 54. *num.* 28. & Henriquez *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 10. Quamvis contrarium putet verius Sanchez *lib.* 2. *disp.* 21. & Bonac. *d. punct.* 4. *num.* 8.

23. *Quær.* An Milites Sancti Stephani, vel Sancti Mauritii, qui ex voto suæ Religionis non possunt contrahere Matrimonium nisi semel, & cum Virgine, si prima mortua contrahant cum secunda, licitè, & validè contrahant? *Resp.* Eos contrahere non licitè, sed tamen validè, quia isti non sunt propriè Religiosi. Dian. *par.* 2. *tract.* 2. *resol.* 30. Thesaur. *de Pœnis. Verb. Matrim. par.* 2. *cap.* 4. ubi alios DD. citat; & Tambur. *lib.* 8. *de Matrim. tract.* 5. *cap.* 6. §. 2. *num.* 8. *&* 9.

24. *Quær.* An quis possit validè professionem Religiosam facere post consummatum Matrimonium absque consensu sui conjugis? *Resp.* Negative. *cap. Notificasti* 35. *qu.* 1. *& cap. Veniens. De convers. conjugat.* Ideò, si quis credat conjugem suum mortuum, & emittat professionem Religiosam, eo adveniente tenetur reverti ad illum, & cum illo cohabitare. Verum tamen est, quòd non poterit petere debitum, sed tantùm reddere *cap. Placet. De Convers. conjug.* Sanchez *lib.* 7. *disp.* 34. *&* 35. *num.* 2.

25. *Quær.* Utrùm uterque conjux post consummatum Matrimonium possit de communi consensu ingredi Religionem, & profiteri, aut continentiam vovere? *Resp.* Affirmative. *cap. Qui uxorem* 33. *qu.* 5. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 33.

26. *Quær.* An unus conjux possit ingredi Religionem post consummatum Matrimonium altero conjuge remanente in sæculo? *Resp.* Affirmativè, tribus conditionibus concurrentibus. Prima, ut qui remanet in sæculo, sit provectæ ætatis, & non subjectus periculo Incontinentiæ. Secunda, ut emittat votum simplex castitatis; & Tertia, ut Episcopi licentia interveniat. Bonacin. *dict. qu.* 3. *punct.* 4. *num.* 12.

27. *Quær.* Quodnam sit impedimentum proveniens à Cognatione? *Resp.* Esse illud, quod nascitur ob conjunctionem, seu attinentiam inter se volentium simul contrahere, vel respectu sanguinis, vel respectu Sacramenti, vel respectu adoptionis; ideòque cognatio est triplex, alia Naturalis, alia Spiritualis, & alia Legalis. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 50. & Mastrius *d. disp.* 20. *num.* 102.

28. *Quær.* Quid sit cognatio Naturalis? *Resp.* Est vinculum personarum descendentium ab eodem stipite per carnalem propagationem. Sanchez *ubi supra*, & Tambur. *de Triplici jure d. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 1. Vocatur autem hæc cognatio consanguinitas. Mastrius *dict. num.* 102.

29. *Quær.* Ad quem usque gradum cognatio Naturalis dirimat Matrimonium? *Resp.* De jure naturæ dirimere matrimonium in primo gradu, tam in linea recta, nempe inter Patrem, & filiam; & inter Matrem, & filium; quàm in linea transversali, nempe inter fratrem, & sororem. Bonac. *de Matrim. qu.* 3. *punct.* 5. §. 1. *num.* 12. ubi citat Doctores; quamvis alii id negent in linea transversali de jure naturæ. Tambur. *dict. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 22. & tenuit Gloss. *in cap.* 1. *Verb. Honestissima.* 35. *quæst.* 2. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 289. De Jure verò Ecclesiastico in linea transversali cognatio naturalis dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè. *cap. Fin. de Consanguin.* Perez *de Matrim. disp.* 28. *sect.* 7. *num.* 5. Extra dictum gradum licitum est matrimonium inter transversales; ac etiam inter ascendentes, & descendentes ut recedendo ab opinione antiquorum docent moderni, quos allegat, & sequitur Tambur. *d. cap.* 5. *num.* 21. & scribit Fagnan. *in cap. Vir, qui. num.* 22. *& seqq. De Consanguin. & Affinitat. tomo* 6. *pag.* 78. *&* 79.

30. *Quær.* Quæ, & quot scire oporteat Parochum ad rectè numerandos consanguinitatis gradus? *Resp.* Scire oportet, quid sit Stipes? quidve, & quotuplex sit linea? *Stipes* est illa persona, à qua omnes aliæ personæ, de quarum cognatione agitur, descendunt. *Linea* est illa series personarum, quæ per varias generationes descendunt à prædicto Stipite, *Linea* verò alia est recta, quæ ascendentes, & descendentes numerat; & alia est transversalis, quæ collaterales amplectitur; & hæc subdividitur, ut alia sit æqualis, & alia inæqualis. Ideò ad numerandos gradus, oportet numerare generationes; & quot sunt generationes, tot sunt gradus, Stipite dempto. Et in materia matrimonii gradus remotior attenditur, qui si respectu Stipitis sit extra quartum gradum,

tunc

tunc potest fieri matrimonium cum quocunque alio collaterali. Si verò gradus remotior sit in quarto gradu, vel supra; tunc opus est dispensatione Pontificia, & pro ea obtinenda oportet narrare non solùm gradum remotiorem, sed etiam proximiorem, ut latiùs docet Tambur. *dict. cap. 5. à num. 1. & seqq.* & præcipuè *num. 16.* ac latissimè *eod. lib. 8. tract. 1. de Dispensat. cap. 9. §. 7.* Item Mastrius *in 4. sent. disp. 7. quæst. 17.*

31. *Quær.* Quid sit cognatio Spiritualis? *Resp.* Est vinculum, seu connexio inter aliquas personas procedens ex regeneratione spirituali, id est, ex Baptismo, vel Confirmatione, nam ex aliis Sacramentis hujusmodi cognatio non oritur. Tambur. *dict. lib. 8. cap. 5. de Impediment. §. 2. num. 1.* Mastrius *in Theol. Mor. d. disp. 20. num. 103.*

32. *Quær.* Quas personas complectatur Spiritualis cognatio? *Resp.* De jure antiquo plures personas complecti; at de jure novissimo, nempè ex Concilio Tridentino, in baptismo baptizatus conjungitur spiritualiter cum baptizante, necnon cum Patrino, & Patrina. Et ulteriùs Pater, & Mater baptizati, pariter remanent spiritualiter conjuncti cum baptizante, & cum Patrino, & Patrina. Concil. Trident. *de Reform. Matrim. sess. 24. cap. 2.* Tambur. *d. cap. 5. §. 2. num. 2.* & idem dicendum est in Confirmatione respectiva ad Confirmantem.

33. *Quær.* An hæc Spiritualis cognatio contrahatur inter Patrinos ex una, & genitores baptizati, seu confirmati ex alia, si hi ignorentur omninò à Patrinis, puta quia filius fuit expositus, & ut vulgò dicitur *posto alla Casa di Dio*? *Resp.* Affirmativè, quia ignorantia non potest impedire, quod Ecclesia ordinavit. Aversa *de Matrimon. quæst. 16. sect. 2. vers. Habet hæc spiritualis.*

34. *Quær.* Si quis Procuratorio nomine suscipiat puerum in Baptismo, vel in Confirmatione, an contrahat spiritualem hanc cognationem? *Resp.* Negativè; quia ipsa contrahitur à mittente, seu mandante, cujus nomine Procurator tenet, prout respondit Sacra Congregatio *in una Veronen. 29. Martii 1582. & 15. Martii 1631.* teste Nicolio *in suis Elucubrat. Civilib. lib. 1. tit. 10. impedim. 4. vers. An verò.* Et ego dixi supra de Sacramento Baptismi *cap. 115. num. 63. & Decis. 40. de Baptismo*, notatque Tambur. *de Baptism. lib. 2. cap. 4. §. 4. num. 6.*

35. *Quær.* Si plures Patrini eundem puerum de fonte suscipiant, vel in confirmatione teneant, quis eorum contrahat hanc cognationem? *Resp.* Cavendum esse in facto, ne plures suscipiant, sed quòd unus tantùm Patrinus teneat, vel saltem unus, & una in baptismo juxta decretum Concilii Tridentini *cap. 2. de Ref. Matrim. sess. 24.* Porrò, si de facto plures tenerent, seu levarent, & incertum esset, quis eorum fuisset designatus ad tenendum, & quis primus tenuisset, omnes contraherent spiritualem cognationem, ut respondisse Sac. Congregationem testatur Fagnan. *in cap. Ex litteris. num. 5. De Cognat. Spiritual. tom. 6. pag. 70.* & habetur Textus, & ibi Gloss. *in cap. fin. de Cognat. Spirituali in 6.* Secùs autem, si de primo tenente constaret. Concil. Trident. *dict. cap. 2. sess. 24.* Tambur. *De Baptism. lib. 2. cap. 4. §. 2. num. 9.* Ego *de Confirm. Decis. 60.*

36. *Quær.* An Patrinus non confirmatus tenens puerum in confirmatione, contrahat spiritualem hanc cognationem? *Resp.* Negativè, juxta mentem, & responsum ejusdem Sacræ Congregationis *in una Licien. 13. Junii 1654.* de qua assertor est novissimè Pignatellus in suis Consultationibus Canonicis *tom. 1. Consultat. 10. num. 3.* ideòque non est ampliùs insistendum in ambiguitate Doctorum circa hoc quæsitum, de qua Tambur. *De Baptism. lib. 2. cap. 4. §. 2. num. 4.* Vide supra *cap. 116. num. 32. & Decis. 59. de Confirm.*

37. *Quær.* An Patrinus tenens puerum in privata baptismi administratione, nempè dum datur ei aqua domi ob periculum mortis, contrahat hanc cognationem? *Resp.* Esse hinc inde contrariam Doctorum opinionem, quos refert Tamburin. *De Baptism. dict. lib. 2. cap. 4. §. 3.* ubi negantibus adhæret, quia nullum jus decernit eam contrahi, nisi in solemni administratione, quamvis non ita sit de baptizante, nam iste contrahit etiam privatè baptizans. Dian. *par. 3. tract. 4. resol. 18.* & Mastrius *dict. disp. 20. num. 103.* Vide meam *Decis. 37. de Baptism.*

38. *Quær.* Quid juris, si hæc cognatio superveniat post contractum matrimonium? *Resp.* Eam impedire petitionem, & redditionem debiti conjugalis, donec dispensatio obtineatur. Tambur. *De Baptism. lib. 2. cap. 2. §. 2. num. 10. & cap. 4. §. 2. num. 17.*

39. *Quær.* An Patrinus, & Patrina contrahant inter se hanc cognationem? *Resp.* Negativè. Mastrius *d. num. 103.*

40. *Quær.* Quid sit cognatio legalis? *Resp.* Esse attinentiam personarum ex adoptione alicujus in filium provenientem. Nicol. *in Lucubrat. Civilib. lib. 1. tit. 10. num. 39.*

41. *Quær.* Quas personas afficiat hæc cognatio legalis, & usque ad quem gradum? *Resp.* Cognatio legalis vel consideratur inter ascendentes, & descendentes, & hæc impedit, & dirimit matrimonium usque ad quartum gradum, etiam dissoluta adoptione. Vel de ea quæritur inter collaterales, & hæc afficit personam adoptatam ex una, & filios legitimos, ac naturales simul adoptantis in ejus potestatee existentes ex alia; & hæc durat, quousque dissolvatur adoptio, vel filius legitimus, & naturalis emancipetur, vel aliàs per mortem Patris incipiat esse sui juris. Nicol. *ubi supra d. num. 39.* & Diana *part. 4. tract. 4. resol. 121.* ubi notat, hanc cognationem non afficere filios, seu filias naturales tantùm adoptionis, neque ejus fratres, aut sorores. Tandem vel consideratur hæc cognatio inter filium adoptatum, & uxorem Patris adoptantis, & inter hos intrat impedimentum, & durat etiam dissoluta adoptione, *cap. Diligere. 30. quæst. 3. cap. Unico. De cognat. legal.*

42. *Quær.* An hæc cognatio legalis proveniat ex simplici adoptione? *Resp.* Plures Doctores affirmare; sed plurimos negare, docentes, eam provenire ex solemni adoptione tantùm, quæ in jure appellatur *Arrogatio*;

& fit, quando Arrogatus transit in potestatem Arrogantis cum omnibus suis bonis, & fit ei hæres necessarius; nam impedimenta matrimonii sunt strictè interpretanda. Sanchez *de Matrimon. lib. 7. disp. 63. num. 9.* Sed contrarium docent Scotistæ apud Mastrium *dict. quæst. 20. num. 104.* Quamvis Tamburin. *De Matrim. impedim. lib. 8. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 9.* utramque opinionem probabilem dicat; & subdat, quòd si hæc cognatio superveniat matrimonio jam contracto, non impedit petere, vel reddere debitum conjugale.

43. *Quær.* Quid, & quotuplex sit impedimentum criminis dirimens matrimonium? *Resp.* Esse illud crimen, quod consistit in occisione alterius conjugis, vel in adulterio cum promissione futuri matrimonii; & cadit in quatuor casibus. *Primus* est, si homicidium unius conjugis sequatur ex conspiratione alterius conjugis, & personæ, cum qua intendit contrahere matrimonium, & ad talem effectum. Sanchez *De Matrim. lib. 7. disp. 78. num. 8. & 13.* ubi requirit, quòd dicta intentio contrahendi matrimonium sit finis principalis homicidii, & sit explicita, non autem mente retenta. *Secundus* est, si unus conjux committat adulterium cum alia persona, & postea, ut cum ea contrahere possit, conjugem occidat, quamvis illa persona nihil sciverit de homicidio futuro. *cap. Significavit nobis. De eo, qui duxit. Textius* est, si adulterium committat, sine homicidio, sed cum promissione futuri matrimonii, post mortem conjugis. *cap. Si quis vivens. cap. Relatum. 31. quæst. 1. & dict. cap. Significavit nobis. Quartus* est, si post commissum adulterium, adulteri attentent de facto inter se matrimonium contrahere, vivente adhuc altero conjuge. Tambur. *De Matrim. dict. lib. 8. cap. 6. §. 1. 2. 3. & 4.* ubi hos omnes casus ampliationibus, & limitationibus ornat.

44. *Quær.* An ignorantia impedimenti efficiat, ut impedimentum non obsit valori matrimonii? *Resp.* Negativè, ut probat Gobat. *De Sacram. tract. 9. casu prim. num. 67. & casu 10. à num. 202. & seqq.* ubi reprobat Bautium, & Dianam malè asserentes contrarium.

45. *Quær.* An prædicti casus locum habeant inter infideles, ita ut homicidium, vel adulterium cum dicta promissione patratum dirimat matrimonium inter delinquentes ipsos? *Resp.* Negativè, quia criminis impedimentum à solo jure Ecclesiastico provenit, & sic non afficit infideles, qui sunt extra Ecclesiam; ideòque validum fuit matrimonium à Davide cum Bathseba contractum, non obstante Uriæ interfectione, jussu Davidis sequuta. Tambur. *ubi supra §. 5.* & Nicol. *dict. lib. 1. tit. 10. num. 40.* ubi notat, intrare hoc impedimentum criminis, si fuerit patratum ab uno fideli cum conjuge infideli, vel è contra, etiam ad procurandam conversionem infidelis, quia recusat Ecclesia compensare lucrum cum tali damno. *cap. 1. De Conversi. infidel.*

46. *Quær.* Quid sit impedimentum disparitatis cultus? *Resp.* Hoc impedimentum impedire, & dirimere matrimonium, quod contraheret baptizatus cum non baptizata, licèt esset catechumena; & quamvis non reperiatur textus expressus de hoc impedimento, ut disputando docet Pontius *De Matrim. lib. 7. cap. 47.* nihilominùs ex inveterata consuetudine Ecclesiæ de eo dubitari non potest. Tambur. *ubi supra cap. 7. num. 1.* & Mastrius *disp. 20. num. 107.*

47. *Quær.* An nullum censendum sit matrimonium, si contrahatur à baptizato cum muliere hæretica, seu apostata à fide, vel è contra? *Resp.* Negativè, quia matrimonium est validum. *cap. Cave.* & ibi Gloss. *28. quæst. 1.* quamvis sic contrahens absque legitima causa peccaret mortaliter, & esset suspectus de fide; ideòque Inquisitores contra eum procedere possent. Dian. *par. 4. tract. 7. resol. 5.* & de jure dos mulieris contrahentis cum hæretico confiscanda venit. *cap. Decrevit. 14. De Hæret. in 6.* Dian. *par. 4. tract. 8. resol. 62.*

48. *Quær.* An matrimonium ex dispensatione Pontificia possit constare inter fidelem, & infidelem; & inter catholicum, & hæreticam? *Resp.* Affirmativè, dummodo proles possit catholicè educari, & sic quoad regiones, in quibus hæreses impunè grassantur, censuit Urbanus Octavus *die 14. Martii 1630.* & circa Chinenses, & Japonios tenuit Lessius in consultatione Romæ habita, prout testatur Nicolius *dict. tom. 1. Lucubrat. Civil. lib. 1. tit. 10. num. 42.* ex quo infert, hoc impedimentum disparitatis cultus non esse de jure naturæ, vel de jure divino, sed tantùm de jure Ecclesiastico; & licèt vigeret etiam in lege Mosayca; tamen dicendum est, vel fuisse cæremoniale, & sic nunc cessare; vel si morale fuisset, tale fuisset quoad obligationem, non quoad nullitatem, & allegat Concil. Tolet. III. *in cap. 14.*

49. *Quær.* Quid agendum, si infidelis uxoratus convertatur ad fidem, sed ejus uxor nolit converti? *Resp.* Si potest cohabitare cum illa absque contumelia Creatoris, & fidei Christianæ, bonum est, & cum illa cohabitet secundùm Apostoli consilium. *1. Cor. 7. 12.* Quòd si de contumelia timeatur, eò quia conjux infidelis studeat fidelem à fide avertere, vel ad peccatum inducere, vel Christi nomen nisi cum despectu vult audire, aut satagit familiam à fide Christiana retrahere; tunc potest fidelis aliam uxorem fidelem accipere, juxta Text. *in cap. Gaudemus. De Divortiis.* Et idem est, si ob nimiam distantiam non possit haberi notitia de intentione conjugis infidelis, sed in hoc casu præcedere debet Apostolica facultas, ut de Turcis conversis, Persis, & Indis servatum fuisse sub Gregor. XIII. Clemente VIII. & Paulo V. ostendit Nicolius *d. lib. 1. tit. 10. num. 43.*

50. *Quær.* Quale sit Vis impedimentum? *Resp.* Esse illud, quod reddit matrimonium nullum, eò quia contrahitur non libera voluntate, sed coacta per vim, & metum, Tamburin. *dict. lib. 8. tract. 3. de Spons. cap. 2. §. 2.*

51. *Quær.* Quid sit Vis, & Metus? *Resp.* Vis, & Metus est trepidatio mentis, causa instantis, vel futuri periculi. *lib. 1. ff. Eo quod met. causa.*

52. *Quær.* Quotuplex sit Vis, & Metus?

Resp.

Resp. Est duplex, alter levis, de quo in jure non habetur ratio; & alter gravis, qui dicitur cadens in constantem virum: & hic cognoscitur ex circumstantiis arbitrio boni viri; & regulariter talis censetur ex objecto mali, si inferatur metus mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, longi carceris, exilii diuturni, servitutis, stupri, sivè in fœmina, sive in viro, amissionis status honorifici, vel omnium bonorum, aut magnæ partis, vel rei magnæ, & notabilis, prout etiam, si intret metus infamiæ, injustæ excommunicationis, ac metus reverentialis, quo quis timet offensam diuturnam Patris, vel Superioris, cum vultus asperitate, cum verberibus, aut alia mala tractatione. Sanchez *De Matrimon. lib.* 4. *disput.* 4. *& seqq.* Nicol. *dict. lib.* 1. *tit.* 10. *num.* 44. ubi subdit, præmissa cautare metum gravem, licèt non nobis, sed personis aliàs nobis conjunctissimis quis illa minetur, nempè patri, matri, filiis &c. *l. Ubi quidem* 8. *ff. Eo quod met. caus.* dummodo prædicta mala probabiliter immineant. Et tandem addit, causari metum gravem etiam per preces importunas, id est, sæpiùs, instanter, inverecundèque replicatas. Dian. *part.* 3. *tract.* 5. *res.* 20. Mastrius *dict. disp.* 20. *num.* 108. & Lezana *Consult.* 47.

53. *Quær.* Quomodo fiant probationes vis, & metus? *Resp.* Eas posse fieri etiam per testes domesticos, singulares, & aliàs inhabiles; nec non per præsumptiones, ut latè ostendit Rota apud Ludovis. *Decis.* 326. *& part.* 1. *recent. Decis.* 643. quæ Magistralis appellatur in hac materia.

54. *Quær.* Quo jure nullum sit matrimonium contractum per vim, & metum? *Resp.* Alios dicere, jure naturali, alios verò tantùm jure Ecclesiastico; ideòque matrimonia infidelium per vim, & metum contracta non esse ipso jure nulla, quia vis, & metus, licèt gravis, non facit contrarium involuntarium simpliciter, sed tantummodo secundùm quid. Dian. *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 33. Nicol. *d. tit.* 10. *num.* 45. Lezana *d. Consult.* 47.

55. *Quær.* Qualis metus dirimat matrimonium? *Quær.* Metum levem nequaquam dirimere. *cap. De muliere* 6. ubi Gloss. *De Sponsalib. cap. Cum dilectus.* 6 *de his, quæ vi.* Metum verò gravem dirimere matrimonium tribus concurrentibus conditionibus. *Primò*, ut sit injustus, nempè, ut quis non possit juridicè compelli ad matrimonium. Ludovis. *Decis.* 376. & Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 206. Quamvis de nullitate matrimonii agi posse, ubi per justam sententiam quis fuit à Judice coactus cum gravi pœna, sentiat Diana *part.* 4. *tract.* 4 *resol.* 33. *Secundò*, ut metus sit incussus à causa libera, scilicet ab homine: undè timor Inferni, vel naufragii, vel infirmitatis non dirimit. *cap. Porrectum.* 13. *De Regular. Tertiò*, ut sit incussus ad hoc, id est, ad extorquendum consensum; quare, qui ad sedandas inimicitias, vel ad evadendam mortem alia ex causa inferendam, contrahit matrimonium, non potest de nullitate illud impugnare. Nicol. *d. num.* 45.

56. *Quær.* Si pars metum passa velit ratificare matrimonium nullum, an possit pars, quæ metum incussit, resilire, vel teneatur & ipsa consentire? *Resp* Esse hinc indè opiniones; sed magis probabile esse, quòd possit resilire, & nisi velit, non possit cogi ad ratificandum. Castropal. *De Sponsalib. disput.* 2. *punct.* 12. *num* 2. & Sanchez *De Matrim. libr.* 4. *disp.* 15. *num.* 5.

57. *Quær.* An matrimonium metu gravi contractum, cessante metu censeatur per copulam cum libero consensu revalidatum? *Resp.* Negativè, nisi iterùm præstetur consensus cum Parocho, & testibus. Pontius *de Matrimon. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 12. Rota apud Farinac. *in collect. de contract. decis.* 265. *num.* 8. Thesaur. *de Pœn. verb. Matrimonium cap.* 7. *num.* 2. Sacra Congregatio apud Fagnan. *in cap. De illis. num.* 13. *de Despons. impub. tom.* 6. *pag.* 23.

58. *Quær.* Quam pœnam incurrant cogentes aliquem inire matrimonium per vim, & metum? *Resp.* Si cogens sit persona publica, Judex, aut Magistratus, incurrit excommunicationem latæ sententiæ per Concil. Trident. *sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 9. Qua pœna affici etiam Judices Ecclesiasticos injustè cogentes ad matrimonia, & quoscunque alios Judices, licèt non cogentes directè, saltem impedientes, ne quis cum aliqua contrahat, docent plures Doctores, quos allegat Thesaur. *de Pœnis Ecclesiasticis dict. cap.* 7. ubi ait, probabilem esse opinionem, quòd eadem excommunicatio afficiat etiam parentes, & alios, qui privata auctoritate cogunt filios, vel subditos ad matrimonia, vel impediunt ne contrahant; & concordat Diana, *part.* 1. *tract.* 2. *resol.* 74. Dicta autem excommunicatio nulli est reservata. Thesaur. *ibid. vers. Limita tertiò.*

59. *Quær.* Qualis Ordo dirimat matrimonium? *Resp.* Omnis Ordo Sacer, nempè Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotii: quod in Ecclesia Latina est de fide. Concil. Tridentin. *sess.* 24. *de Reform. Matrimon. can.* 9. Mastrius *in Theolog. Moral, dict. disput.* 20. *num.* 109.

60. *Quær.* An Græci ordinibus Sacris insigniti possint Matrimonium contrahere? *Resp.* Tamburin. *dict. lib.* 8. *de Matrimon. tract.* 1. *cap.* 9. *num.* 4. allegare Arcudium virum doctum ex Græcis, & in suis ritibus peritissimum, qui asserit, Græcos, licèt Sacris Ordinibus insignitos, validè matrimonia contrahere. Porrò id negant communiter Doctores, inter quos Azor. *tom.* 1. *tract.* 13. *cap.* 14. *quæst.* 7. & Nicol. *dict. tit.* 10. *num.* 48. ubi docent, Græcis Sacerdotibus, vel Diaconis licitum quidem esse in matrimonio ante ordines sacros inito, continuare; sed non etiam post habitos sacros ordines matrimonia inire; & hoc non vi voti, sed virtute ipsorum sacrorum ordinum. At Abbas Papadopoli asserit, Græcos contrahentes Matrimonium, quamvis in Sacris constitutos, validè, sed illicitè contrahere; eò quia ipsi in ordine sacro non emittunt Votum solemne castitatis. Ita in suis *Prænotionibus Mystagog. Resp.* 2. *Sect.* 2. *num.* 12.

61. *Quær.* Quam speciem peccati committat ordinatus in sacris, matrimonium de facto

cto contrahens? *Resp.* Si contrahens etiam consummet, committit sacrilegium; ut passim omnes Doctores scribunt; dummodò ordinatus in Sacris sit latinus; nam si Græcus foret, iste non committeret sacrilegium, quia Græci non vovent castitatem; ut ostendit Tamburin. *in Decalog. lib. 2. cap. 6. §. 3. num. 3.* & Abbas Papadopoli *d. num. 12.*

62. *Quær.* Quas pœnas incurrat ordinatus in Sacris contrahens matrimonium? *Resp.* Ipsum incurrere I. In excommunicationem per *Clem. unic. De Consanguin.* II. Suspensionem à divinis, quamvis alii de hac pœna dubitent. Sanchez *lib. 7. disp. 85. num. 2.* III. Irregularitatem vel ex delicto, vel ex bigamia similitudinaria. Sanchez *ibidem.* IV. Privationem beneficiorum saltem post sententiam Judicis. Garz. *De Benef. part. 11. cap. 8. num. 17.* nec non pensionum. Thesaur. *de Pœnis part. 2. verb. Apostasia cap. 4.* Et V. Fit suspectus de hæresi, & Inquisitores possunt contra eum procedere. Idem Thesaur. *d. part. 2. verb. Matrimonium, cap. 4.* ubi notat, Excommunicationem antedictam nulli esse reservatam, sed incurri ex solo matrimonio rato, licèt non consummato; quod secùs est in aliis pœnis.

63. *Quær.* An per susceptionem ordinis Sacri dirimatur matrimonium antea initum, si nondum fuerit consummatum? *Resp.* Negativè, quia hoc concessum est solùm facienti Professionem Religiosam. *Extravag. Antiqua. De Voto.* Tambur. *dict. lib. 8. de Matrimon. tract. 5. cap. 6. §. 2. num. 13.* ubi id affirmat, etiamsi Conjugatus reciperet Episcopatum; quod tamen intelligendum est, si promoveatur absque dispensatione Pontificia, nam ea intercedente potest dissolvi matrimonium ratum non consummatum per sumptionem ordinis Sacri; prout respondisse Sacram Congregationem *die 20. April. 1613.* testatur Fagnanus *in cap. Perniciosum num. 61. de Offic. ordin. tom. 2. pag. 433.*

64. *Quær.* Quid juris, si uxoratus absque dispensatione sumat ordinem sacrum? *Resp.* Validè quidem ordinari, illicitè tamen, & cum peccato mortali; & si uxor instet, ut ad eam revertatur, debet reverti, & reddere debitum, non autem petere; ipse tamen est suspensus, ac irregularis, ut supra diximus, & docet Tambur. *dict. lib. 8. tract. 7. §. 2.*

65. *Quær.* Quodnam sit Impedimentum *Ligaminis?* *Resp.* Est illud, quod insurgit ex præcedenti matrimonio nondum per mortem dissoluto. Nam nec una mulier plures viros, nec unus vir plures simul uxores habere potest. *tot. tit. Decretal. de Sponsa duor.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 80.* Mastrius *d. disp. 20. num. 110.*

66. *Quær.* Quo jure prohibita sit pluralitas uxorum, & maritorum? *Resp.* Jure divino Naturali. Concil. Tridentin. *sess. 24. de Matrimon. can. 2. & cap. Gaudemus. De Divortiis.*

67. *Quær.* Si jure divino Polygamia prohibita dicitur, quomodo legitur, Sanctos Patres habuisse frequenter plures uxores simul? *Resp.* Eos duxisse plures uxores ex divina dispensatione, quæ eis concessa fuit ad plures gignendos filios veri Dei cultores, & quæ eis innotuit ex quadam specifica inspiratione. *dict. cap. Gaudemus de Divortiis.* Sanchez *dict. disp. 80.* & Clemens Abbas Tosius *in Historia Indiarum tom. 2. in discursu primo de Polygamia,* ubi ex S. Augustino etiam hanc rationem reddit, Hebræis Deum concessisse Polygamiam ad significandum, quòd Christus erat generaturus animas spirituales filias, non ex sola Synagoga, sed etiam ex Gentilitate, tanquam ex pluribus mysticis sponsis.

68. *Quær.* Si Deus dispensando concessit viro ducere plures uxores, cur non legatur dispensatum, & concessum mulieri ducere plures viros? *Resp.* Quia mulierem nubere pluribus viris eodem tempore repugnat fini principali matrimonii, nempè procreationi prolis, quæ ex confusione seminum remanet impedita, ut experientia demonstrat in meretricibus; at virum habere plures uxores, non repugnat eidem principali fini, quia potest eas omnes fœcundare, sed solùm implicat cum fine secundario, nempè pace domestica, & significatione unionis Christi cum Ecclesia. Sanchez *d. lib. 7. de Matrimon. disp. 80. ubi latè.* & Nicol. *in Lucubrat. Civil. lib. 1. tit. 10. num. 51.*

69. *Quær.* An infideles olim potirentur, & nunc potiantur prædicta dispensatione; ita, ut non peccent, ducendo plures uxores? *Resp.* Non esse inter se concordes Doctores in quæsito hoc resolvendo; sed probabilis videtur sententia, quòd infideles non peccent, si amore prolis plures ducant uxores, & sic potiantur dispensatione antiqua. S. Thomas *in Supplem. q. 65. art. 1. & 2.* & Nicol. *ubi supra num. 51.*

70. *Quær.* Si infidelis habens plures uxores venit ad baptismum, quam possit retinere ex ipsis uxoribus? *Resp.* Illam, quam primam in uxorem duxit, si & ipsa suscipiat baptismum, vel secum velit habitare absque injuria Creatoris. Quòd si id haberi non possit, tunc poterit unam ex aliis pro libito desponsare; nam prima excepta, aliæ non sunt veræ uxores. *dict. cap. Gaudemus. De Divortiis.* & Sanchez *dict. libr. 7. disputat. 40. numer. 14.*

71. *Quær.* Quæ sint cautelæ adhibendæ ad evitandum vitium Polygamiæ? *Resp.* Ut in nuptiis celebrandis pro personis de Parochia, præmittantur denunciationes. Si alter ex sponsis conjux dicatur mortuus, ostendatur certa probatio per juratam depositionem testium de visu. Si unus ex sponsis sit extraneus, non admittantur ejus attestationes de libertate; nisi proveniant ab ejus Episcopo; vel Vicario generali, cum propria subscriptione, & sigillo. Et tamen, si testes examinandi sint super libertate sponsorum, servetur Instructio Sacræ Congregationis, quæ passim typis impressa in Cancellariis Episcopalibus reperitur; & ponitur à Nicolio *dict. libr. primo tit. 10. numer. 53. Lucubrationum Civilium.*

72. *Quær.* Qua pœna sit plectendus, qui Polygamiam dolosè incurrit? *Resp.* Est suspectus de fide, & puniri debet per Inquisitionis officium. Dian *part. 4. tract. 7. resol. 4.*

Pigna-

Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 115. & pœna est triremium, seu fustigationis, & carceris perpetui ex Decreto Urbani Octavi, quod refert Nicolius *ubi supra sub num.* 53. *in fine.*

73. *Quær.* Quid sit impedimentum publicæ honestatis, & undè oriatur? *Resp.* Esse impedimentum ob quandam decentiam inductum: & oriri vel ex sponsalibus jam contractis: Vel ex matrimonio rato, non consummato: In primo casu dirimit matrimonium in primo gradu tantùm; ita, ut unus ex sponsis non possit nubere parenti prioris sponsi, eidem in primo gradu conjuncto. In secundo casu dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè. Nicol. *dict. lib. primo tit.* 10. *num.* 54. & Tambur. *dict. libr.* 8. *de Matrimon. cap.* 11.

74. *Quær.* An sponsalibus validè ab initio contractis, deindè mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum hoc publicæ honestatis? *Resp.* Olim Doctores fuisse discordes in responsione, quia alii asserebant, alii verò negabant. Porrò Sacra Congregatio *die* 6. *Julii* 1658. censuit, impedimentum non esse sublatum; & Sacr. Congregationis sententiam Summus Pontifex Alexander Septimus approbavit, & sic sentiendum decrevit; quare nunc certum est, impedimentum etiam sponsalibus dissolutis durare. Nicol. *dict. lib.* 1. *tit.* 10. *num.* 54.

75. *Quær.* An hoc impedimentum publicæ honestatis locum habeat, si sponsalia ex aliquo defectu sint nulla, puta ex defectu consensus, vel ob aliquod impedimentum occultum? *Resp.* Non habere locum. Hurtad. *De Matrim. disp.* 21. *diffic.* 1. *num.* 3. & Tambur. *d. cap.* 11. §. 2. *num.* 2. ubi notat Sanchez, Pontium, & alios contrarium sentire.

76. *Quær.* An intret prædictum impedimentum ex sponsalibus conditionatis? *Resp.* Ante impedimentum conditionis non intrare, quia nondum sunt sponsalia; sed conditione adimpleta, intrare impedimentum; jam enim sponsalia valida facta sunt. Tambur. *dict. cap.* 11. §. 2. *num.* 9.

77. *Quær.* An præfatum publicæ honestatis impedimentum oriatur ex matrimonio rato, sed invalido? *Resp.* Cum distinctione, quæ menti est valdè mandanda. Vel invaliditas provenit ex defectu consensus, puta ob errorem in personam, aut per vim, aut metum; & in hoc casu impedimentum publicæ honestatis non oritur. Vel invaliditas provenit ex quocunque alio impedimento, vel defectu, & in hoc casu oritur. Tamburin. qui alios allegat *dict. lib.* 8. *de Matrim. tract.* 1. *De impedim. cap.* 11. §. 3. *num.* 1. 2. *&* 3. ubi advertit, quòd si matrimonium sit nullum ex defectu sufficientis consensus ob non debitam ætatem, in hoc casu non oritur impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato; sed oritur ex sponsalibus, quia licèt matrimonium non valeat, valent sponsalia; quod repetit idem Tambur. *dict. lib.* 8. *tract.* 3. *De Sponsal. cap.* 2.

78. *Quær.* An ex Matrimonio rato sub conditione de futuro hoc impedimentum resultet? *Resp.* Non resultare, si conditio non compleatur; resultare conditione completa, Tambur. *d. tract.* 1. *cap.* 11. §. 3. *num.* 5.

79. *Quær.* An conditione completa super Matrimonio apposita, impedimentum resultans dirimat usque ad primum gradum tanquam à solis sponsalibus proveniens; vel dirimat usque ad quartum, tanquam à Matrimonio proficiscens? *Resp.* Esse hinc inde opiniones Doctorum, sed magis probabilem reputari, quòd dirimat solùm usque ad primum gradum, & habeatur tanquam proveniens à sponsalibus, eò quia matrimonium contractum sub conditione de futuro videtur habere vim sponsalium; nam conditione adimpleta adhuc opus est consensu ad perficiendum matrimonium. Tambur. *dict.* §. 3. *num.* 6. *&* *dict. libr.* 8. *tract.* 4. §. 4. *numer.* 11. ubi ait, utramque opinionem esse probabilem.

80. *Quær.* Quid, & quotuplex sit Affinitas? *Resp.* Affinitas est propinquitas, seu attinentia quædam ex copula carnali proveniens inter consanguineos viri, & mulierem ab ipso viro cognitam; nec non inter consanguineos mulieris, & ipsum virum, qui cum ea copulam habuit. Est autem duplex. Una est copula licita, nempè ex matrimonio, & hæc dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè; & altera ex copula illicita; & hæc dirimit matrimonium solummodò usque ad secundum gradum. *cap. Non debet. De Consanguin. & affinit.* Concil. Trid. *sess.* 24. *de Matrimon. cap.* 4.

81. *Quær.* Quid juris, si contracto jam Matrimonio superveniat affinitas, nempè, quia maritus habeat carnalem copulam cum consanguinea uxoris suæ in primo, vel secundo gradu? *Resp.* Quòd ipse maritus ob hanc incestuosam copulam non potest petere debitum cum uxore sua, sed solùm reddere, donec dispensationem obtineat. Nicol. *d. lib.* 1. *tit.* 10. *num.* 55.

82. *Quær.* Quid dicendum, si maritus cognoscat carnaliter consanguineam uxoris suæ in tertio, vel quarto gradu? *Resp.* Incestum quidem committere, sed non incurrere pœnam non petendi debitum, quia hæc inflicta est ob copulam incestuosam in primo, vel secundo gradu tantùm. Tamburin. *d. lib.* 8. *tract.* 1. *cap.* 12. §. 3. *num.* 3.

83. *Quær.* An jus petendi debitum à marito perdatur, si cognoscat carnaliter aliquam ex consanguineis suis? *Resp.* Negativè. Tambur. *ubi supra d. num.* 3.

84. *Quær.* Quando excusetur incestuosus conjux à pœna non petendi debitum? *Resp.* Si copulam patiatur per vim, aut per metum, vel ex ignorantia juris, aut facti. Diana *par.* 11. *tract.* 5. *resol.* 38.

85. *Quær.* Quomodo intelligenda sit illa communis Regula, *Affinitas non parit affinitatem*? *Resp.* Sic esse intelligendam, ut hodie nulla sit affinitas inter consanguineos mariti, & consanguineos uxoris ad invicem; eò quia affinitas afficit tantummodo ex una parte uxorem, & consanguineos mariti; & ex alia maritum, & consanguineos uxoris: unde fit, ut duo fratres possint sine dispensatione accipere in uxores duas sorores; prout etiam Pater, & filius, Matrem, & filiam, Sanchez *de Matrimon. dict. lib.* 7. *disp.* 67. *num.* 3. &

3. & Tambur. *dict. lib.* 8. *cap.* 12. *tract.* 1. §. 1. *num.* 4. & 5.

86. *Quær.* An Affinitas afficiat consanguineos conjugum viventes, durante Matrimonio tantùm; vel etiam eos, qui nascuntur, soluto jam Matrimonio? *Resp.* Afficere etiam eos, qui soluto jam matrimonio (puta per mortem unius ex conjugibus) nascuntur: ideòque si Petrus habeat uxorem, & ea mortua nascatur aliqua filia ex sorore, vel nepte ejusdem uxoris præmortuæ, & crescat, ita, ut efficiatur viripotens, non poterit nubere eidem Petro, tanquam ejus affinis. Licèt enim non esset nata, quando vivebat uxor Petri, & sic non esset ejus uxoris tunc consanguinea; tamen esse non potest, quòd postquam nata est, non numeretur inter consanguineos præfatæ uxoris, quamvis præmortuæ; & per consequens censetur affinitate conjuncta cum ipso Petro. Ita Tamburin. *dict. lib.* 8. *de Matrimon. tract.* 1. *cap.* 12. §. 1. *num.* 7. ubi ait, apud nullos reperisse propositum hunc casum, qui tamen in praxi evenire potest, undè est memoriæ mandandum.

87. *Quær.* An copula carnalis habita ab infideli cum infideli causet impedimentum affinitatis cum ipso, & aliis consanguineis mulieris conversis ad fidem? *Resp.* Affirmativè, ut probat Ricciullus *de Personis extra grem. lib.* 2. *cap.* 3. & Jordan. *tom.* 1. *pag.* 255. *num.* 259.

88. *Quær.* An impedimentum affinitatis oriatur ex quacunque carnali copula? *Resp.* Negativè, sed tantùm ex copula carnali consummata intra vas fœminæ, ubi effundatur semen. Idcircò actus quicunque turpes, copula sodomitica, copula extra vas, vel cum mortua non pariunt affinitatem. Tamburin. *d. cap.* 12. §. 4. *num.* 2.

89. *Quær.* An copula carnalis cum consanguineis alterius conjugis habita per vim, aut metum gravem liberet à contractu affinitatis? *Resp.* Negativè, licèt enim in tali copula non contrahatur pœna non petendi debitum, ut diximus supra, non etiam fit, ut non contrahatur affinitas; quia hæc semper insurgit, ubi vera copula cum seminis effusione in vas fœmineum patratur. Tamburin. *ibidem num.* 4. ubi notat, eam insurgere etiam, si copula fiat cum ignorantia juris vel facti.

90. *Quær.* An Affinitas oriatur, si seminante viro cum consanguinea uxoris, ipsa consanguinea non seminet? *Resp.* Alios negare, & alios affirmare. Utramque sententiam probabilem dicit Tambur. *d.* §. 4. *num.* 6. & 7. Sed affirmativa est tenenda.

91. *Quær.* Quid sit impedimentum impotentiæ coëundi? *Resp.* Esse impedimentum dirimens Matrimonium, consistens in eo, quòd quis sit inhabilis ad actum conjugalem exercendum, quæ impotentia de jure Canonico vocatur frigiditas; sed differt à sterilitate; nam hæc non dirimit matrimonium, quia licèt deficiat bonum prolis, tamen non deficit remedium concupiscentiæ, quia maritus potest commisceri cum sterili; quæ commixtio haberi non potest cum frigidis, vel impotentibus ad copulam. *tot. tit. De Frigid. & Maleficiat.* Tamburin. *d. lib.* 8 *de Matrimon. tract.* 1. *de Impedim. cap.* 13. §. 1. & Mastrius *d. disp.* 20. *num.* 114.

92. *Quær.* An hoc impedimentum debeat attendi, si impotentia accidat post contractum Matrimonium? *Resp.* Negativè, quia dirimit matrimonium, si ante ejus contractum extet; secùs si eveniat post contractum. Tamburin. *d. cap.* 13. §. 1. *num.* 3. etiamsi post ratum, & non consummatum. Mastrius *d. num.* 114.

93. *Quær.* In quo consistat hæc impotentia coëundi, & ex quibus cognoscatur? *Resp.* Consistere in tribus, & ex uno horum trium cognosci; videlicet, vel si desit potentia ad penetrationem vasis; vel si desit potentia ad emittendum verum semen; Vel si emitti non possit intra vas; non enim sufficit illud emittere extra vas, quamvis in ore vasis. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 92. & *disp.* 107. Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 60. *num.* 3. Tamburin. *dict. cap.* 13. §. 1. *num.* 4. & Zacchias *in QQ. Medicoleg. lib.* 3. *tit.* 1. *q.* 2. *num.* 10.

94. *Quær.* Quot sint species impotentiæ coëundi? *Resp.* Esse tres; scilicet, aliam Perpetuam, aliam Temporalem, aliam verò Dubiam. Tamburin. *dict. cap.* 13. §. 1. *num.* 6.

95. *Quær.* Quis sit effectus impotentiæ perpetuæ? *Resp.* Quòd absque difficultate matrimonium pronuncietur nullum, puta si vir habeat amputata virilia, vel ea omninò arida. *cap. Fraternitatis. De Frigid. & Maleficiat.* Tamburin. *dict. cap.* 13. §. 2. *num.* 1. Vel si mulier adeò sit arcta, ut nulla incisione, vel remedio adjuvari possit. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 93. Imò licèt per incisionem posset fieri apta ad copulam, reputatur impotens impotentia perpetua, quia non tenetur pati incisionem; ut tenent moderni, inter quos Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 62. Diana *part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 11.

96. *Quær.* Quid agendum, si impotentia coëundi procedat ob maleficia? *Resp.* Recurrendum esse ad remedia naturalia, & ad spiritualia, quæ si non profint, & sit necessarium opus malefici ad solvendum maleficium, si absque novo maleficio possit adhiberi, licitum erit eo uti; sin minùs, est omninò abstinendum, & impotentia reputabitur perpetua; conjugesque erunt separandi per judicis sententiam. *cap. Laudabilem. De Frigid. & Maleficiat.* Tamburin. *dict. lib.* 8. *de Matrimon. tractat.* 1. *de impediment. cap.* 13. §. 2. *num.* 4. & 5.

97. *Quær.* An Eunuchi, seu Spadones possint contrahere Matrimonium? *Resp.* Negativè, si careant ambobus testibus, nam verum semen emittere non valent, & ita definitum esse à Sixto Quinto, testatur Guttierez *Quæst. Canon. lib.* 1. *cap.* 15. Quòd si unum testiculum sanum habeant, poterunt contrahere. Perez, quem allegat, & sequitur Tamburin. *ubi supra num.* 6.

98. *Quær.* An senes, & decrepiti possint inire Matrimonium? *Resp.* Esse discordes inter se Doctores; nam alii asserunt, & alii negant, tam in viris quàm in fœminis, & utram

tramque opinionem vocat probabilem Tambur. *ubi ante num.* 8. *&* 9.

99. *Quær.* An conjuges effecti senes, & decrepiti, qui non possunt ampliùs filios generare, possint licitè conari ad copulam, & tactus inter se exercere? *Resp.* Affirmativè, dummodò ex debilitate non seminent extra Vas; quia licèt inepti sint ad generandum, habent jus ad copulam saltem ad concupiscentiam sedandam, & amorem mutuum fovendum. Tamburin. *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 3. §. 5. *num.* 37. *&* 38.

100. *Quær.* An mulier vidua, quæ in præcedenti conjugio semper peperit cum morte prolis absque baptismo, vel cum periculo suæ vitæ, possit iterùm nubere? *Resp.* Esse hinc indè opiniones; & affirmativam moderni tuentur, maximè si id futuro marito notum faciat. Tambur. *de Matrim. dict. lib.* 8. *tract.* 1. *cap.* 13. §. 2. *num.* 11. *& seqq.*

101. *Quær.* An impuberes possint contrahere matrimonium? *Resp.* Negativè, nisi malitia suppleat ætatem. *tot. tit. De Desponsat. Impub.* Et impuberes dicuntur, si masculus non habeat decimum quartum annum, fœmina verò, si duodecimum nondum compleverit. Quamvis a Medicis, & Historicis referantur exempla de pueris, ac puellis venerem agentibus in teneriori ætate, de quibus Zacchias *in QQ. Medicol. lib.* 1. *tit.* 1. *qu.* 4. *num.* 28. Tunc verò malitia dicitur supplere ætatem, si impuberes polleant sufficienti judicio ad contrahendum matrimonium cum usu rationis; & si apti facti sint ad coeundum, & ad semen in vas fœmineum emittendum. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 104. Tambur. *ubi supra dict.* §. 2. *num.* 16. *& seqq.* Qui *num.* 23. notat, quòd si impuberes contrahant matrimonium, malitia non supplente ætate, non peccant; quia non valet ut Matrimonium, sed ut sponsalia. Quòd si ob malitiam supplentem ætatem velint contrahere, opus est decreto Episcopi, cum aliqua justa causa. Corrad. *in Praxi dispens. cap.* 43. *num.* 3. nam si absque decreto Episcopi contraherent, peccarent mortaliter; & si inito matrimonio, reperirentur inhabiles ad copulam, esset expectandum complementum pubertatis.

102. *Quær.* Quid agendum, si impuberes, facti puberes, adhuc inepti sint ad copulam maritalem? *Resp.* Duo sunt casus distinguendi. Unus est, quando vir, & mulier concordes sunt in asserenda eorum impotentia ad copulam; & in hoc casu Judex non debet venire ad sententiam super nullitate matrimonii, nisi tribus concurrentibus. Primò, ut per triennium conjuges frequenter experiantur, an simul possint coire. Secundò, ut transacto triennio, & non valentibus coire, jurent, se frequenter conatos, non potuisse copulam habere. Et tertiò, ut accedat etiam testimonium septimæ manus, id est, ut septem parentes ex parte viri, & totidem ex parte fœminæ jurent, se credere, ipsos conjuges verum dicere, neque fictitiam, aut fraudulentam esse eorum impotentiæ assertionem. Diana *part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 8. Jordan. *in suis Elucubrat. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 7. *num.* 379. *& seqq.* ubi Rotæ decisionem ponit, ex qua deducitur, prædicta esse observanda, si signa impotentiæ sint dubia, secùs si certa, ut abscissio genitalium, ariditas totius virgæ &c. nam tunc poterit, prædictis non servatis, Judex procedere ad declarandum nullum matrimonium. Alter casus est, si unus conjux asserat impotentiam, & alius neget, affirmando potentiam, & tunc Judex debet maturè procedere, & diligenter exigere probationes juxta abundè tradita per Doctores, quos latè citat Jordan. *ubi supra*; & Tambur. *d. cap.* 13. §. 13. *per totum.*

103. *Quær.* Quid juris, si impotentia superveniat, Matrimonio jam ante legitimè contracto? *Resp.* Tunc Matrimonium esse indissolubile, ut dictum est supra; etiamsi matrimonium nunquam fuisset consummatum, sed solùm fuisset ratum; nam semel validum, semper est validum. *cap. Hi, qui.* 32. *qu.* 7. Tamburin. *dict. cap.* 13. §. 5. ubi notat, conjugibus istis non esse prohibitos tactus, & oscula, si periculum pollutionis non adsit.

104. *Quær.* Quid dicendum, si impotentia sit respectiva quo ad ipsos conjuges tantùm, puta quia mulier sit arcta, & vir habeat genitale Instrumentum nimis grande respectu arctæ, quod nimium non erit cum non arcta? *Resp.* In hoc casu posse deveniri ad declarandum nullum matrimonium; sed servatis de jure servandis. Pontius *lib.* 7. *de Matrimon. cap.* 62. Jordan. *dict. lib.* 3. *tit.* 7. *à num.* 379. *& seqq.*

105. *Quær.* Quid agendum cum Hermaphrodito, volente contrahere Matrimonium? *Resp.* Vel in eo prævalet alter sexus, & juxta illum debet contrahere; vel uterque sexus est in eo æqualis, & tunc unum debet eligere, quem maluerit, & juxta eum copulari, non recessurus ab eo sexu sub pœna peccati mortalis; neque si viduus fiat; quo tamen casu, scilicet viduitatis, si pro alio sexu se gereret, & contraheret, valide contraheret. Quòd si post initum matrimonium fœmina evaderet vir, vel maritus sexum fœmininum nancisceretur, tunc essent separandi, quia matrimonium à principio reputaretur nullum ob dispositionem corporum ad alium sexum, quamvis occultum, ut pulchrè considerat Tamburin. *dict. lib.* 8. *de Matrimon. cap.* 13. §. 2. *numer.* 25. *& seqq.* Sed ubi ageretur de Hermaphroditis maritandis, non omittas legere meam *Decisionem XLIII. de Pœnitentia*, in qua reperies regulas certas pro resolutione omnium dubiorum tam circa Matrimonium, quàm circa Ordines, ac Professionem Regularem; necnon ad feuda, & fideicommissa.

106. *Quær.* Quot sint species Hermaphroditorum? *Resp.* Esse quatuor; tres virorum, qui in diversis locis apud genitale habent etiam pudendum muliebre; & unam mulieris, quæ apud vas habet etiam penem; de quibus differit Zacchias *QQ. Medicol. lib.* 7. *tit.* 1. *qu.* 8. ubi plura non minùs docta, quàm curiosa, & ego *d. Decis.* 43. *de Pœnitentia.*

107. *Quær.* Quid sit Raptus? *Resp.* Raptus est peccatum Luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia ad carnalem co-

pulam cum ea habendam, quamvis sub prætextu matrimonii. Tamburin. *lib. 7. in Decal. cap. 6. §. 1.* & est impedimentum dirimens matrimonium inter Raptorem, & Raptam, donec in ejus potestate steterit, à Concilio Tridentino introductum *sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 6.*

108. *Quær.* Quot requirantur ad constituendum Raptum? *Resp.* Tria. Primò vis illata; ideò, si mulier consentiens abducatur, non erit Raptus, quamvis invitis parentibus; non tamen respectu culpæ, sed respectu pœnarum à Concilio Tridentino statutarum contra Raptores sponsarum. Secundò, finis inhonestæ libidinis, quæ talis est, etiamsi intendatur futurum matrimonium; ideò si raperetur puella, ut fieret serva, esset Plagium, non Raptus. Tertiò Abductio; ideò qui per vim cognosceret puellam carnaliter, sed in loco, ubi eam reperit, non committeret Raptum; & idem esset dicendum, si eam adduceret de cubili ad cubile, sed in eadem domo, vel loco; nam opus est ad Raptum, eam abducere de loco, in quo erat, ad alium locum diversum, & vera distantia separatum. Tamburin. *dict. lib. 7. cap. 6. §. 2. per totum*, & Mastrius *dict. disp. 20. num. 108.*

109. *Quær.* An sit Raptus, si mulier rapiat virum? *Resp.* Non esse Raptum quo ad pœnas à Concilio Tridentino statutas; quia eas fulminat contra Raptores mulierum; non è contra in Raptrices virorum. Bene tamen esset Raptus quo ad culpam. Dian. *part. 10. tract. 16. resol. 83.* Sed esse Raptum ad utrumque effectum docent Scotistæ, inter quos Mastrius *in 4. Sentent. disp. 7. num. 408.* ubi alios cumulat. Et ego quoque dixi in Decisionibus meis de Matrimonio *Anno 1683. Mense Novembri.*

110. *Quær.* Quas pœnas statuerit Concilium Tridentinum contra Raptores mulierum? *Resp. Primò*, ut Raptores, & eis consilium, auxilium, vel favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. *Secundò*, ut inter Raptorem, & Raptam, quamdiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum possit consistere matrimonium. Et *Tertiò*, ut Raptor teneatur mulierem Raptam judicis arbitrio dotare. Concil. Trident. *dict. sess. 24. cap. 6.*

111. *Quær.* Quomodo incurrantur hæ pœnæ? *Resp.* Nullitas matrimonii, & excommunicatio incurritur ipso jure; obligatio verò dotandi, solummodò post sententiam judicis. Tamburin. *dict. lib. 7. cap. 6. §. 2. num. 13.* ubi notat, excommunicationem nulli esse reservatam.

112. *Quær.* An incurrat has pœnas, qui rapit mulierem, non pro contrahendo Matrimonio cum illa, sed pro inhonesta libidine explenda? *Resp.* Negat Sanchez *de Matrimon. lib. 7. disp. 13. num. 4.* Affirmat Bonac. *de Matrim. qu. 4. punct. 18. num. 2.* Utramque opinionem dicit probabilem Tambur. *ubi supra n. 11.* & Sac. Congreg. tenuit affirmativam, ut notat Nicol. *Instit. Civil. lib. 1. tit. 10. num. 68. Vers. Sed contrarium.*

113. *Quær.* An dictæ pœnæ incurrantur à Raptore, si abstineat à copula, & Raptam intactam servet? *Resp.* Affirmativè. Tambur. *ubi supra num. 12.*

114. *Quær.* Quid dicendum, si quis rapiat sponsam de futuro, id est eam, cum qua contraxit sponsalia? *Resp.* Raptorem incurrere pœnas Concilii, si invitam rapiat, secùs verò si volentem, quamvis parentibus invitis. *cap. Cum causam. de Raptor.* Nicol. *ubi supra num. 68. Vers. De jure tamen Canonico*: nam fœmina de jure Canonico, quo ad matrimonium, est sui juris. Dian. *part. 3. tract. 4. resol. 261.*

115. *Quær.* An idem sit, si quis rapiat sponsam, cum qua contraxerat per verba de præsenti? *Resp.* Negativè, quia tunc est sua uxor; nisi fortè id faceret intra duos menses, quos ipsa peteret ad deliberandum de Religione. *cap. Ex publico. 7. De convers. conjug.* Nicol. *ubi supra num. 68. vers. Limita secundò.*

116. *Quær.* An puella Rapta nomine Titii, sed Titio ignorante, possit nubere statim ipsi Titio? *Resp.* Affirmativè, quia Titius, qui nullum consensum præbuit Raptui, est omninò innocuus à pœnis. Tambur. *d. lib. 7. in Decal. cap. 6. §. 2. num. 16.* ubi addit, neque Raptorem in hoc casu incurrere pœnas Concilii, & posse contrahere cum eadem Rapta puella; quia, inquit, Concilium pœnas infligit contra Raptores pro se, non intuitu alterius matrimonii. Quod tamen non ita de plano ego admitterem; nam Concilium loquitur generaliter, inter Raptorem, & Raptam non posse consistere matrimonium; Raptoresque, ac fautores incurrere excommunicationem; ideòque crederem, in praxi esse priùs adhibendum remedium à Concilio statutum, id est, ut in loco tuto reponatur.

117. *Quær.* Quo remedio utendum, ut inter Raptorem, & Raptam possit fieri matrimonium? *Resp.* Ut Rapta separetur à Raptore, ac in loco tuto reponatur; ubi si sponte dixerit, velle nubere Raptori, poterit cum eo contrahere; & eidem absolutio erit ab excommunicatione danda cum debita pœnitentia. Concil. Trident. *dict. sess. 24. cap. 6.* & Nicol. *dict. lib. 1. tit. 10. num. 68. Vers. Limita tamen primo.*

118. *Quær.* An puella existens in potestate Raptoris possit validè nubere alii, quàm ipsi Raptori? *Resp.* Affirmativè, quia pœna nullitatis viget inter Raptorem, & Raptam, non inter Raptam, & alium, qui non consensit raptui. Nicol. *ubi supra num. 68. Vers. Limita nonò.*

119. *Quær.* An Raptum committat, qui mulierem dormientem carnaliter cognoscit? *Resp.* Negativè, quia licèt adhibeat fraudem, quæ assimilatur vi, tamen eam de domo non abducit; peccabit tamen, ultra speciem carnalis culpæ, etiam contra justitiam, idque in confessione debebit exprimere. Diana *part. 9. tract. 8. resol. 2.* Tambur. *dict. lib. 7. in Decal. cap. 6. §. 2. num. 17.*

120. *Quær.* Quidnam statutum sit ab Ecclesia circa præsentiam Parochi, & Testium in contrahendo Matrimonio? *Resp.* Statutum est in Conc. Trid. *sess. 24. de Ref. Matr. cap. 2.* propter bonum cõmune totius Reipubl. Christianæ, & ad tollenda matrimonia clandestina, quorum causa plurima scandala vigebant; nulla esse illa

matrimonia

monia inter fideles contracta, quæ celebrarentur sine præsentia Parochi, & duorum saltem Testium in locis, ubi publicatum fuerit hoc Concilii Decretum. Tambur. *de Matrim. lib. 8. tract. 6. cap. 2. §. 1. & 2.*

121. *Quær.* An præsentia Parochi necessaria sit etiam in casu urgentissimæ necessitatis, nempè si expediret morti proximos adinvicem contrahere? *Resp.* Affirmativè, ut confutatis contrarium docentibus tenet Tambur. *ubi supra §. 2. num. 1.*

122. *Quær.* Quid dicendum de Matrimoniis fidelium in locis, ubi non est publicatum Concilium Tridentinum, vel si jam publicatum, nunc causa persecutionis, vel ab hæreticis, vel ab infidelibus illatæ, nullus Parochus reperitur? *Resp.* Concilium non obligat ad hanc solemnitatem, ubi non fuit publicatum; ubi verò publicatum fuit, sed nullus Parochus reperitur, sufficit contrahere coram duobus testibus, ut decidisse Sac. Congreg. testatur Tambur. *ubi supra num. 10.* & Nicolius, qui Decreta pro Japoniis exscribit *dict. lib. 1. Instit. civil. tit. 10. num. 59. & 60.*

123. *Quær.* An Græci inter Latinos viventes, vel etiam in Græcia commorantes, at Ecclesiæ Catholicæ uniti, teneantur in Matrimoniis hoc Decretum servare? *Resp.* Affirmativè, quia vigore unionis Ecclesia Græca obligatur recipere leges Apostolicas etiam in his, quæ spectant ad jus humanum; ut allegatis Constitutionibus Pontificiis docet Nicol. *ubi supra dict. num. 60. Vers. secundo, quòd ex forma.*

124. *Quær.* An valeat Matrimonium illorum, qui ne contrahant coram Parocho, transeunt ad locum Hæreticorum, ubi non sunt Parochi, & more Incolarum illius loci contrahunt? *Resp.* Cum distinctione, vel transierunt animo mutandi domicilium, & tunc validè contraxerunt; si verò cum animo revertendi, & non mutandi domicilium, & tunc invalidè, prout ita diffinitum per Breve Urbani Papæ Octavi, testatur Cardin. de Lugo *lib. 1. Resp. Moral. dub. 36.* & Tambur. *dict. lib. 8. de Matrimon. tract. 6. cap. 2. §. 2. num. 16.*

125. *Quær.* Quid juris, si sponsi sint de loco, in quo non est publicatum Concilium Tridentinum, & veniant contracturi Matrimonium in locum, ubi publicatum est? *Resp.* Eos teneri adhibere Parochi, & duorum testium præsentiam, aliàs nulliter contrahere. Tambur. *ibid. num. 17.* & Pontius *de Matrim. lib. 5. cap. 7. §. 1. & seqq.*

126. *Quær.* Quid dicendum, si sponsus sit de loco, in quo publicatum est Concilium, sponsa verò sit de loco, in quo non sit publicatum, vel è contra? *Resp.* Habendam esse rationem loci, in quo matrimonium per verba de præsenti celebratur; ita ut si locus sit ille, in quo Concilium publicatum est, adhibendus sit Parochus cum testibus; sin minùs, omitti potest eorum præsentia. Tamburin. *ibid. num. 18. & 19.*

127. *Quær.* An quæcunque præsentia Parochi, & testium sufficiat, etiamsi sit involuntaria? *Resp.* Præsentiam physicam, & materialem tantùm non sufficere; sed humanam, & moralem, qua scilicet intelligant, & advertant, quid à contrahentibus agatur, licèt coactè, seu involuntariè. Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp. 39.* & Bossius *cap. 3. §. 1.* Hinc amentes, furiosi, infantes, ebrii, dormientes, non sunt testes idonei quamvis sint præsentes matrimonio, quia de eo testificari non possunt. Tambur. *dict. cap. 2. §. 3. num. 4.*

128. *Quær.* An sufficiat præsentia non advertentis, seu, ut dici solet assistentia virtualis, cùm scilicet quis volebat advertere, sed distractus mente ad aliud negotium, non attendit ad contractum sponsorum? *Resp.* Negativè. Tambur. *ibid. num. 5. & 6.* ubi idem asserit, si contrahentes sint velo cooperti, & non cognoscantur certò à testibus.

129. *Quær.* An sufficiat præsentia casualis ipsorum testium, & Parochi, id est, si non rogati, sed casu ibi accedant? *Resp.* Affirmativè, dummodo intelligant, quid contrahentes agunt: secùs si non intelligant, vel non advertant. Sanchez *d. lib. 3. disp. 39. num. 11.* Tambur. *ibid. num. 7.* ubi refutat Pontium, contrarium sentientem.

130. *Quær.* An satis sit assistentia testium non intelligentium idioma sponsorum, sed per interpretem moneantur de Matrimonii contractu? *Resp.* Negativè, nisi ex actibus sponsorum externis certò capiant, eos matrimonium contrahere; quod tamen est periculosum, & subjectum deceptioni, quia si alterum ex contrahentibus pœniteret, dicere posset, tunc promisisse per verba de futuro, & contraxisse sponsalia, non autem matrimonium. Pontius *de Matr. lib. 5. cap. 21. n. 10. & 11.*

131. *Quær.* An valeat Matrimonium coram Parocho per vim, seu metum detento, una cum testibus; vel si ipse dederit licentiam per vim, aut metum alii Sacerdoti assistendi, aut fuerit extorta per mendacia? *Resp.* Affirmativè; sed sic contrahentes peccare mortaliter, & posse ab Episcopo puniri. Tambur. *dict. lib. 8. de Matrim. Impedim. tract. 6. cap. 2. §. 3. num. 9. & seqq.* ubi tenet, vim, metumve illatum testibus, non autem Parocho videri solùm venialem culpam.

132. *Quær.* An Matrimonium sit validum, si Parochus ei assistat, vel det licentiam alii Sacerdoti assistendi, contra expressam præcedentem prohibitionem sibi ab Episcopo factam etiam cum decreto irritante; seu sub pœna nullitatis Matrimonii? *Resp.* Esse validum, quia Episcopus potest quidem punire Parochum inobedientem, sed non irritare matrimonium ex capite assistentiæ, quæ à jure communi, & à Concilio Tridentino decreta est sufficiens, cui Episcopus derogare non potest, neque novum impedimentum dirimens instituere. Tambur. *ibid.* pluribus citatis *num. 18. & 19.* qui *num. 22.* non approbat doctrinam contrariam Dianæ *part. 11. tract. 3. resol. 32.*

133. *Quær.* An Summus Pontifex possit interdicere Parocho, ne assistat sub pœna nullitatis Matrimonii? *Resp.* Affirmativè. Tambur. *dict. §. 3. num. 23.*

134. *Quær.* Quibus pœnis subjaceant contrahentes Matrimonium absque præsentia Parochi, & testium? *Resp.* Eos subjacere pœ-

næ nullitatis matrimonii, peccati mortalis, & illegitimitatis filiorum. Boss. *de Matrim. cap.* 6. Quod tamen intelligendum est, si scienter uterque conjux præsumpserit contrahere absque proprii Parochi præsentia; nam si eorum alter bona fide contraheret, puta quia deceptus, filii forent legitimi pronunciandi; ut ego obtinui in Episcopatu isto, dum advocati munere fungerer coram Abbate Marco Marchiano Vicario Generali, Canonista eximio, (qui postea fuit ad Episcopatum Feltren. ab Alexandro Septimo evectus) nam cùm me instante declarasset, nullum matrimonium ejusdam fœminæ nobilis, quæ decepta à marito, ei nupserat coram Regulari, asserente falsò se habuisse licentiam à proprio Parocho assistendi; filias tamen inde natas legitimas pronunciavit ob bonam fidem matris; ideòque fuerunt dotatæ de bonis ipsius mariti juxta statum nobilitatis suæ.

135. *Quær.* An sint de essentia verba illa, quæ ex Rituali Romano profert Parochus in celebratione matrimonii, scilicet: *Ego conjungo vos in Matrimonium in nomine Patris &c. Resp.* Negativè, quia idem sonant, ac si diceret: *Ego declaro vos contraxisse legitimum Matrimonium.* Porrò Parochum ea omittentem peccare mortaliter, alii docent; alii verò venialiter tantùm. Tamburin. utrosque allegans, & posteriori opinioni adhærens *d. cap.* 2. §. 4. *num.* 4.

136. *Quær.* An necessaria simpliciter sit interrogatio facienda à Parocho circa consensum contrahentium? *Resp.* Negativè; quare si illum satis exprimant non interrogati, potest absque culpa omitti. Tambur. *ibid. num.* 5.

137. *Quær.* Sub qua pœna Parochus teneatur describere in libro suo Parochiali celebrationem Matrimoniorum? *Resp.* Sub pœna peccati mortalis, & aliis, ad arbitrium Episcopi. Tamburin. *dict. cap.* 2. §. 4. *num.* 6. & 7.

138. *Quær.* An vir, & uxor, nescientes rudimenta fidei, sint arcendi à contractu Matrimonii? *Resp.* Negativè, si de absoluta rejectione agatur; secùs si ad aliquod tempus, donec ea discant. Tamburin. *ibid. num.* 9.

139. *Quær.* An nomine Parochi in hac materia veniat solus Parochus, id est, Sacerdos investitus in Beneficio? *Resp.* Appellatione Parochi venire, ultra Sacerdotem in beneficio Curato Deputatum, etiam Episcopum in tota Diœcesi, ac ejus Vicarium Generalem, necnon Vicarium Capitularem Sede Episcopali vacante; Item Cardinales in suo titulo; Legatum à latere in Legationis suæ Provincia; Archiepiscopum in visitatione Diœcesim suorum Suffraganeorum, vel ubi fuit ad eum à sententia Episcopi appellatum; Summum Pontificem in toto orbe: Sanchez *de Matrimon. lib.* 3. *disp.* 7. *num.* 10. Pontius *lib.* 5. *cap.* 10. & Tambur. *ubi supra cap.* 2. §. 5. *num.* 1. ubi id extendit etiam ad Abbates, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem; si tamen sint in Abbatia instituti, non autem si tantùm in Commendam habeant. Dian. *part.* 11. *tract.* 3. *resol.* 35.

140. *Quær.* An validè assistat Parochus censuris quibuscunque irretitus, sivè irregularis? *Resp.* Affirmativè, quamvis non licitè assistat, & absque peccato; nam censuræ non auferunt jus assistendi; quia tale jus non est actus jurisdictionis, sed qualitas proveniens à titulo Parochiali residente in ipso Parocho, ideò potest tale jus alteri delegare; etiamsi foret intrusus; dummodo habeat titulum coloratum, & communiter credatur verus Parochus. Diana *par.* 11. *tract.* 3. *resol.* 33.

141. *Quær.* An valeat Matrimonium contractum coram Parocho Hæretico? *Resp.* Negativè, quia per hæresin beneficia vacant ipso jure, & sic Parochus Hæreticus non est ampliùs Parochus. Ita S. Congreg. apud Fagnan. *in cap. Ad abolendam num.* 38. *de Hæretic.*

142. *Quær.* An valeat Matrimonium factum à Parocho contra prohibitionem Episcopi sub pœna nullitatis? *Resp.* Valere. Fagnan. *in cap. Litteræ quas. à num.* 5. *de Matrim. contract. contra interdict. Eccles. tom.* 6. *pag.* 81. quod diximus mox supra *quæst.* 132. Sed Parochus esset puniendus.

143. *Quær.* An quæcunque persona possit à Parocho delegari, ut assistat Matrimonio? *Resp.* Negativè, sed tantùm Sacerdos. Concil. Trident. *sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. Tamburin. *dict.* §. 5. *num.* 3. ubi subdit, delegationem prædictam fieri posse per Parochum alteri Sacerdoti tam scripto, quàm verbo, tam generaliter, quàm particulariter.

144. *Quær.* An Capellanus, qui obtinuit ab Episcopo licentiam adjuvandi Parochum in administratione Sacramentorum sine alia specificatione, validè assistat celebrationi Matrimonii? *Resp.* In hoc esse discordes Doctores, quos allegat Diana *part.* 11. *tract.* 3. *resol.* 32. & *tract.* 5. *resol.* 10. At utramque opinionem esse probabilem docet Tambur. *dict. lib.* 8. *de Matrim. tract.* 6. *cap.* 2. §. 5. *num.* 4. Tu dic, quòd si Episcopus dedisset facultatem pro Confessionibus audiendis tantùm, validè non assisteret matrimonio. Secùs, si pro coadjuvando Parocho circa omnia Sacramenta.

145. *Quær.* An valeat Matrimonium contractum coram non Parocho, qui tacitam licentiam habere confidit à proprio Parocho? *Resp.* Si tacita licentia est de præsenti, puta quia Parochus non est absens, & posset prohibere, si vellet, sed non prohibet, imò videt, & tacet, & in hoc casu matrimonium valet. At si tacita licentia est de futuro; puta, quia Parochus abesset, & alius Sacerdos diceret, est amicus meus, spero eum ratum habiturum assistentiam meam, & sic assistat; matrimonium non erit validum, nam non potest pendere in incerto. Hurtad. quem citat, & sequitur Tamburin. *ibidem num.* 5.

146. *Quær.* Quid dicendum, si Sacerdos assistens Matrimonio obtinuisset licentiam à Parocho per vim, dolum, aut metum? *Resp.* Matrimonium valere. Tambur. *ibid. num.* 5.

147. *Quær.*

147. *Quær.* An possit assistere Matrimonio ille, qui licentiam obtinuit à Parocho, si iterum Parochus mortuus sit, vel privatus beneficio? *Resp.* Cum distinctione. Vel assistens habet notitiam mortis, vel privationis prædictæ, & non potest ampliùs assistere, quia delegatio ad causam determinatam spirat mortuo delegante. Vel adhuc notitiam non habet; & ob bonam fidem, & titulum coloratum validè assistet. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 28. *à num.* 64. Card. de Lugo *lib.* 1. *Resp. Mor. dub.* 35. Tambur. *d.* §. 5. *num.* 6.

148. *Quær.* Si Parochus dedisset licentiam alteri Sacerdoti, ut assisteret Matrimonio; sed iste nesciret, datam esse sibi licentiam, & nihilominùs assisteret; esset ne Matrimonium validum? *Resp.* Distinguendo; vel ipse assistens miserat ad petendam licentiam, & ea obtenta, antequam sibi notificaretur, assisteret; peccaret quidem, exponendo se periculo nullitatis, sed validè assisteret, quia concessio gratiæ incipit valere à puncto concessionis factæ oratori petenti, & acceptanti. At si nullo petente fuisset licentia data ultrò per ipsum Parochum; matrimonium esset nullum, quia cùm à nullo dicta licentia sit acceptata, nullum parit effectum. Castropal. *disp.* 2. *de Sponsal. punct.* 13. *num.* 6. Dian. *part.* 12. *tract.* 3. *resol.* 32. & est Textus *in cap. Si tibi absenti. de Prabend. in* 6. Tambur. *dict. lib.* 8. *tract.* 6. *cap.* 2. §. 5. *num.* 7.

149. *Quær.* An Capellanus conductus à Parocho, ut sibi serviat in administratione Sacramentorum, possit dare licentiam alii Sacerdoti assistendi Matrimonio? *Resp.* Affirmativè, quia delegatus ad universitatem causarum, potest subdelegare. Tamburin. *ubi proximè num.* 8. Gobat. *de Sacrament. Matrimon. tract.* 9. *num.* 487. & 534. Fagnan. *in cap. Quid nobis num.* 32. *de Cland. Desponsat.* si tamen Capellanus operaretur ad nutum Parochi absque commissione generali exercendi totam curam, in hoc casu non posset dare dictam licentiam, ut firmatum fuit in meis Decisionibus *de Matrimonio Mense Decembri* ad Primum Casum ex Bossio *de Matrim. cap.* 4. *num.* 80. & Pontio *lib.* 5. *cap.* 28. *num.* 2. *in fine.*

150. *Quær.* An Parochus possit revocare licentiam antea datam? *Resp.* Affirmativè, sed antequam matrimonium sit contractum, & cum certa intimatione revocationis ipsimet Sacerdoti, cui licentia fuerat concessa. Idem Tamburin. *num.* 9.

151. *Quær.* Quomodo cognoscatur, an quis sit de Parochia ad effectum contrahendi validè Matrimonium coram proprio Parocho? *Resp.* Esse distinguenda quatuor genera habitantium. Primum est eorum, qui fixum habent domicilium per totum annum in Parochia. Secundum est illorum, qui habitant pro majori parte anni tantùm, ut Scholares Patavii, vel litigantes Venetiis. Tertium illorum, qui per paucos dies occasione solatii, aut recreationis. Quartum illorum, qui vagi sunt, & nullibi morantur, ut sunt comici, & circulatores. Modò, personæ primi, & secundi generis absque dubio contrahunt coram Parocho, in cujus Parochia morantur. Secùs est de illis tertii generis; quia non dicuntur habere domicilium ibi, ubi ex itinere morantur. Personæ quarti generis censentur de Parochia, ubi se firmant, quamvis citò discessuri. Barbos. *in Collectan. DD. ad Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 7. Tamburin. *dict. cap.* 2. §. 5. *num.* 10. 11. & 12. ubi tamen *num.* 13. advertit, non debere Parochum matrimoniis vagorum assistere, nisi priùs exhibeant licentiam Ordinarii, & attestationem libertatis eorumdem ad tradita per Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 7. *de Reform. Matrim.*

152. *Quær.* Si conjuges habitent in diversis Parochiis, an sit contrahendum Matrimonium coram Parocho viri, vel coram Parocho mulieris? *Resp.* Posse contrahi tam coram isto, quàm coram illo quò ad validitatem; etsi quò ad convenientiam sit servanda consuetudo loci, quæ Patavii est, ut contrahatur coram Parocho mulieris. Tambur. *ibid. à num.* 15. *& seqq.*

153. *Quær.* Quam pœnam incurrat Parochus, qui assistit matrimonio alienorum Parochianorum? *Resp.* Incurrere pœnam suspensionis à divinis ipso facto ex Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* à qua non potest absolvi, nisi ab Episcopo.

154. *Quær.* Si Parochus det licentiam alicui Sacerdoti assistendi Matrimonio alienorum Parochianorum, an suspensio incurratur per dictum Parochum, vel per dictum Sacerdotem? *Resp.* Eam incurri per dictum Sacerdotem, quia Concilium Tridentinum infligit suspensionem in assistentem. Avers. *quæst.* 6. *sect.* 8. *Vers. demum.*

155. *Quær.* Tandem, si sponsi sint diversarum civitatum, & faciant mandatum Procuræ duobus amicis in alia civitate commorantibus, ut eorum nomine matrimonium contrahant, quæritur, an Parochus Procuratorum fuerit verus Parochus, & potuerit validè assistere tali Matrimonio? *Resp.* Hunc casum non inveniri apud Doctores discussum, ut notat Tambur. *dict. lib.* 8. *tract.* 6. *cap.* 2. §. 6. *num.* 23. Ubi doctè equidem sic distinguit; vel unus sponsus tantùm est absens; & ejus loco deputatur Procurator; & tunc matrimonium poterit celebrari coram Parocho sponsi præsentis cum interventu Procuratoris pro sponso absente: At si ambo sponsi absint; & uterque eorum fecerit Procuratorem ad contrahendum, qui Procuratores stent in alia Civitate; Parochi istorum Procuratorum nequaquam possunt validè assistere matrimonio per eos Procuratorio nomine contrahendo, quia neuter illorum est Parochus sponsorum. Ideò necesse erit, ut Parochus sponsorum deleget facultatem Parocho Procuratorum assistendi prædicto matrimonio; quod non est neque difficile, neque grave, quia debent etiam eidem sponsi mittere attestationes suæ libertatis. Ita Tambur. *ubi supra dict. num.* 23.

156. *Quær.* Quomodo testes debeant esse præsentes contractui matrimonii? *Resp.* Eos ita præsentes esse oportere; ut duo saltem simul cum Parocho, unitim, interveniant contractui, dum actualiter consensus de præsenti datur; adeò, ut non sufficiat, si unus audiat consensum viri tantùm, alter verò consen-

sum mulieris. Tamburin. *dict. cap.* 2. §. 6. *num.* 2.

157. *Quær.* Quæ debeant esse qualitates istorum testium? *Resp.* Unica qualitas est necessaria in his testibus, & hæc est, quòd sint compotes mentis, usu rationis polleant, & advertant, quid agatur. Idcircò in hoc negotio matrimonii contrahendi, habiles testes sunt etiam infames, excommunicati, propinqui, fœminæ, servi, infideles; ac etiam pueri, si ad annos discretionis advenerint. Sanchez *de Matrimon. lib.* 3. *disp.* 39. & 41. Diana *part.* 11. *tract.* 3. *resol.* 33.

158. *Quær.* An iidem omnes sint sufficientes ad testificandum super nullitate quacunque matrimonii? *Resp.* Negativè, quia in ea causa testes debent esse omni exceptione majores *cap.* 1. *de Consanguin.* Tamburin. *ubi supra num.* 4.

159. *Quær.* Tandem, si alter sponsorum, ad effugiendas contradictiones proprio Parocho delatas, transeat ad habitandum per aliquot dies in alienam Parochiam, animo ibi contrahendi Matrimonium coram illo Parocho, & postea revertendi ad suam propriam Parochiam, & propriam domum, & hoc modo cum altero suo sponso contrahat, An hoc matrimonium sit validum? *Resp.* Negativè, quia ad contrahendam Parochiam ad effectum contrahendi matrimonium non quælibet habitatio sufficit (prout pro recipiendo Viatico, ac Extrema Unctione) sed oportet contrahere verum domicilium, pro quo duo requiruntur, scilicet animus non ampliùs revertendi ad primam domum, & verè habitandi in secunda Parochia, ut decisum est à Rota *decis.* 498. *part.* 14. *recent. ac part.* 15. *decis.* 162. Et docent Barbosa *in Votis consult. lib.* 2. *Vot.* 19. *art.* 1. Card. de Luca *disc.* 1. *de Matrimon. num.* 10. Et ita respondi ad quoddam matrimonium Villæ Broliani Vicentinæ Diœcesis, super cujus nullitate consultus fui.

CAPUT CXXXIV.

De Impedimentis non dirimentibus.

Cùm dictum sit in principio hujus tractatus, quatuor tantùm esse impedimenta non dirimentia, hoc carmine comprehensa, videlicet:

Sacratum Tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.

1. *Quær.* Quid significet *Sacratum Tempus*? *Resp.* Quòd ex novo Jure Concilii Trident. *sess.* 24. *de Reformat. Matrimon. cap.* 10. prohibitum est celebrare matrimonia ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam, & à die Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusivè; quod à Doctoribus intelligitur, si solemni pompa matrimonia sint celebranda, secùs si privatim; Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *disp.* 6. *num.* 6. & Pontius *lib.* 6. *cap.* 7. Tamburin. *dict. lib.* 8. *de Matrimon. cap.* 16. *num.* 2. Quamvis Praxis sit in contrarium his nostris regionibus, in quibus talis, & tanta est pietas fidelium, ut neque privatim matrimonia contrahant tempore Sacrato, nisi ex magna necessitate, & tunc cum præcedenti licentia Episcopi; & ideò ab hac praxi non esse recedendum, firmat Cucchus *Instit. Major. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 5. & Pax Jordan. *lib.* 3. *tit.* 7. *de Matrim. num.* 135. & 136. *tom.* 1. *pag.* 243. 244. Et ego scripsi in meis Decisionibus de Matrimon. Anno 1684. mense Majo, ubi DD. ita docentes cumulavi; & de his quatuor impedimentis differui.

2. *Quær.* Quale sit impedimentum insurgens ex ly *Vetitum*? *Resp.* Quòd si fortè ab Episcopo, vel ab alio Superiore prohibeatur ad tempus celebratio matrimonii, ob aliquam justam causam, puta ad cognoscendum super impedimento, vel ad sedandas rixas, durante prohibitione, non est licitum contrahere. Idem est, si unus ex contrahentibus esset excommunicatus tam majori, quàm minori excommunicatione, quia talis est etiam interdictus recipere Sacramenta; ideò, quamvis validè contraheret matrimonium, non tamen licitè contraheret. Tempore verò generalis interdicti solemnitates nuptiarum sunt prohibitæ, non autem celebrationes privatæ, cum Parocho, & testibus, absque pompa. Porrò si in prædictis casibus ad matrimonium procedatur contra prohibitionem Episcopi, ipse poterit procedere ad pœnam contra transgressores. Chartar. *decis.* 23. & est Text. *in cap.* 1. *de Matrimon. contra Interd. Eccles.* Fagnan. *in cap. Litteræ. quas. à num.* 5. & *seqq. eod. tit.* & notat Tamburin. *dict. cap.* 16. *num.* 3. ac meæ Decisiones *Anni* 1684. *de Impedim. non diriment.*

3. *Quær. Sponsalia* quomodo impedimentum non dirimens inducant? *Resp.* Ita inducere impedimentum, ut scilicet, qui contraxit sponsalia per verba de futuro cum una, non possit eam deserere, & contrahere cum altera; nam de jure naturæ bonus vir tenetur servare promissa. Cæterum si de facto contrahat cum secunda, omissa prima, valebit matrimonium, quamvis peccati erit reus, quod demonstrabitur infra in tractatu de Sponsalibus. Tamburin. *ubi supra numer.* 6. & 7.

4. *Quær.* An *Votum* pariat impedimentum, & quale? *Resp.* Votum simplex castitatis reddit matrimonium non invalidum, sed illicitum. Hoc autem votum fit quadrupliciter. Primò, vovendo castitatem perpetuam. Secundò, vitam cœlibem agendi, & non ducendi uxorem. Tertiò, ingrediendi Religionem; & Quartò, suscipiendi ordinem sacrum; in his enim quatuor modis inest votum simplex castitatis, quod impedit, sed non dirimit matrimonium; & quidem Jure naturæ; nam quilibet obligatur adimplere vota facta Deo. Tamburin. *ubi supra num.* 8.

5. *Quær.* An inter impedimenta non dirimentia sit connumerandus Catechismus: & Crimen? *Resp.* Olim quidem hæc fuisse duo impedimenta impedientia non dirimentia; at jam in desuetudinem abiisse, & nunc non obligare. Propterea, quòd Catechismus nullum

lum ampliùs pariat impedimentum, respondisse Sac. Congregationem *die* 13. *Julii* 1624. testatur Nicol. *lib.* 1. *tit.* 10. *de Nuptiis num.* 37. *vers. Respondetur multas requiri. pag.* 50. *& num.* 76. *pag.* 67. ubi admonet, non esse credendum Barbosæ contrarium responsum Sacræ Congregationis alleganti in Collect. Bullar. *verb. Cognatio in fine*, quia, ait ipse Nicolius, se vidisse Decretum Sac. Congregationis supradictum *diei* 13. *Julii* 1624. registratum in libris originalibus Secretariæ, ad quos colligandos fuit deputatus, ut mihi significavit Illustriss. & Reverendiss. Episcopus de Vecchiis, Secretarius Sac. Congreg. Concilii *anno* 1670. dum Romæ essem cum Eminentissimo Domino meo Cardinali Episcopo Patavino. Qua occasione ipse Nicolius reportavit notitiam tantorum decretorum, & declarationum Sacræ Congregationis, quibus suas Lucubrationes utriusque juris, & flosculos exornavit. Crimina verò impedientia, & non dirimentia matrimonium olim erant septem, nempè: *Incestus*, *Uxoricidium*, *Raptus alienæ sponsæ*, *Susceptio proprii filii ex fonte*, *Presbytericidium*, *Matrimonium cum Moniali*, *& Publica Pœnitentia*; de quibus Pax Jord. *dict. lib.* 3. *tit.* 7. *num.* 219. qui *num.* 238. testatur, ea omnia recessisse ab aula; ita, ut ex universali consuetudine non ampliùs attendantur, & nemo sit, qui dispensationem petat super illis, quod confirmant Doctores ibidem per eum allegati, inter quos Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 17. *num.* 8. Quamvis ea adhuc esse attendenda, tanquam à Sacris Canonibus constituta, ostendat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Impedim. Matrimon. disp.* 36. *num.* 80. & Cardin. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 19. Porrò crimina tam immania rarò accidunt.

6. *Quær.* Quodnam peccatum committant, qui contrahunt matrimonium cum uno ex quatuor prædictis impedimentis non dirimentibus? *Resp.* Eos peccare mortaliter. Jordan. *dict. lib.* 3. *tit.* 7. *num.* 137. an autem peccato sacrilegii, vel inobedientiæ tantùm? disputant Doctores, & Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 297. Quorum utramque opinionem censet probabilem Tamburin. *dict. lib.* 8. *de Matrim. cap.* 17. *quæst.* 1. *num.* 9. quod intelligi vult multò magis de impedimentis dirimentibus.

7. *Quær.* An peccet mortaliter, qui contrahit matrimonium cum impedimento dirimente, sed non sponte, at per vim, & metum? *Resp.* Cum distinctione; si impedimentum est juris Ecclesiastici tantùm, non peccat, dummodò non habeat animum utendi eo invalido conjugio. Tamburin. alios citans *dict. lib.* 8. *cap.* 17. *quæst.* 2. *num.* 4. Si verò impedimentum sit de Jure naturæ, ut si Pater compelleretur ducere filiam, & in hoc alii tenent, esse peccatum mortale, quia est intrinsecè malum; alii defendunt, neque veniale esse, quia metus excusat, & facit involuntarium, & reddit factum nullum. Ita Sanchez *dict. lib.* 7. *disput.* 5. & Tamburin. *d. quæst.* 2. *num.* 5. *& seqq.*

8. *Quær.* Quam pœnam incurrant, qui contrahunt sponte matrimonia cum impedimentis dirimentibus? *Resp.* Si impedimenta insurgant vel ex consanguinitate, vel ex affinitate, vel ex ordine Sacro, aut ex voto solemni, contrahentes incurrunt ipso facto excommunicationem latam in *Clement. Unica de Consanguinit.* Quæ tamen non est reservata. Qui verò contraherent cum cæteris impedimentis, nullam aliam pœnam incurrerent in foro Poli, nisi peccatum mortale. Pontius *de Matrimon. lib.* 7. *cap.* 41. *num.* 9. & Tambur. *ubi supra d. cap.* 17. §. 4. (Excepto tamen crimine Raptus, ob quod Concilium Tridentinum inflixit excommunicationem in Raptores, ac eis consilium, auxilium, vel favorem præbentes *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reformat. Matrim.*) At in foro fori essent puniendi graviter ad arbitrium Episcopi.

CAPUT CXXXV.

De Dispensatione super Impedimentis Matrimonii.

1. *Quær.* Quid sit Dispensatio? *Resp.* Est juris relaxatio facta cum cognitione causæ ab eo, qui potest relaxare. Gloss. *in cap. Requisitis verb. Ut plerisque* 1. *quæst.* 7. Tamburin. *lib.* 8. *de Matrim. tractat.* 2. *cap.* 1. ubi notat, eam esse strictè interpretandam, salva semper proprietate verborum, quia est odiosa juri, & contra illud, quantò minùs potest, debet extendi. *cap.* 1. *De Filiis Presbyter. in* 6. Ideòque ridicula est opinio, & doctrina Merollæ *tract.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *num.* 28. docentis, dispensationes matrimoniales esse latè interpretandas, quia per eas redimus ad libertatem naturæ. Quapropter commissio, seu mandatum dispensandi super impedimento matrimoniali, directum Executori, est ab eo strictè interpretandum; ita, ut si concessum sit super quarto Consanguinitatis gradu, & Oratores reperiantur conjuncti duplici quarto, non poterit Executor dispensare, quia commissio intelligitur strictè, & sic de simplici quarto, non de duplici. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 2. *num.* 6 & Pyrrh. Corrad. quem allegat, & sequitur Tambur. *ubi supra cap.* 2. Justus *de Dispensat. Matrim. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 2.

2. *Quær.* Apud quos resideat Potestas dispensandi super impedimentis matrimonii? *Resp.* Apud Summum Pontificem in omnibus impedimentis præter ea, quæ sunt de jure naturæ. Apud Episcopos in suis Diœcesibus in impedimentis impedientibus tantùm. In Vicariis Episcopalibus, seu Capitularibus Sede Vacante ex speciali commissione. In Delegatis Apostolicis per Rescriptum particulare, quales sunt Commissarii Executores Bullæ Cruciatæ, Vicarii Episcoporum, quibus dirigitur Breve Pontificium ad petitionem Oratorum pro foro externo; & Confessarii Doctores, quibus præsentatur Breve Sacræ Pœnitentiariæ pro foro interno. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 7. & Tamburin. *dict. lib.* 8. *de Matrimon. tract.* 2. *cap.* 3. 4. *& seqq.* & meæ Decisiones de Pœnitentia, ubi *Decis.* 48. latè docui de dispensationibus Sacræ Pœnitentiariæ, & de executione Litterarum ejus.

3. *Quær.* An Papa possit dispensare in radi-

ce matrimonii, id est, facere, ut matrimonium nulliter, & de facto contractum, in quo filii naturales, & spurii nati sunt, censeatur validum in sua radice, hoc est, ab initio, ita, ut filii reputentur legitimi? *Resp.* Affirmativè, ut doctè probat Sanchez *de Matrim. dict. lib. 8. disp. 7. num. 4.* Qui numerus quartus cum doctrina sub eo inserta ablatus est versutia hæreticorum in pluribus codicibus prædicti Auctoris; ideòque est inserendus, aliàs ille tomus retineri non potest, & est prohibitus, ut legitur in Indice librorum prohibitorum impresso Romæ anno 1670. *in verb. Thomæ Sanchez pag.* 310. Hinc notare licet, quòd in antiquis Scriptoribus multa desunt Ecclesiæ Romanæ favorabilia; e. g. donatio Urbis Romanæ facta per Constantinum Imperatorem, ac ejus Baptismus receptus à S. Sylvestro, & similia, quia scilicet antiquitùs ab Hæreticis fuerunt ablata, & abolita.

4. *Quær.* Quæ sint impedimenta, super quibus neque Papa potest dispensare? *Resp.* Ea esse, quæ de jure naturali constituta sunt, nempè Error personæ, Ligamen, Impotentia coëundi, & Consanguinitas in primo gradu rectæ lineæ inter patrem, & filiam, seu inter matrem, & filium; nam inter hos commixtionem carnalem dari, natura non sinit; ideò narrat P. Causinus, Regem Theodoricum ad convincendam mulierem, quæ, ut amasio nuberet, negabat, filium suum jam adultum esse suum filium, ei præcepisse, ut eundem filium in maritum duceret, & quia se excusabat ob ejus inopiam, obtulisse 20. millia ducatorum eidem, unde horrore perterrita, fassa est suum mendacium, & recognovit suum filium. Ita P. Causinus *tom. 2. nell' Huomo di Stato pag.* 135. Prædictis addenda sunt sponsalia, priùs cum alio inita, nisi Pontifex ob legitimam causam declaret, ea non esse servanda Tamburin. *dict. lib. 8. tract. 2. cap. 3.*

5. *Quær.* An Episcopus possit absolutè dispensare circa omnia impedimenta non dirimentia, sed impedientia tantùm? *Resp.* Negativè, quia dispensat absolutè circa Tempus Sacratum, & circa Vetitum, ob justam causam. At circa sponsalia non dispensat, sed agit ut Judex. Circa votum nullatenùs dispensat, quando est absolutè factum de castitate perpetua. Tamburin. *ubi supra cap. 4.* & dictum est supra *cap. 46. num. 68.*

6. *Quær.* An in aliquo casu Episcopus possit dispensare circa vota simplicia castitatis, ut contrahatur matrimonium? *Resp.* Affirmativè, videlicet, si votum non fuerit perpetuum, sed ad tempus: vel si fuerit factum in pœnam, aut ob aliquem metum, vel si insit grave periculum incontinentiæ, vel scandali. Barbos. *de Jure Ecclesiastico Univers. lib. 1. cap. 11. num. 202. & 203.* & Pax Jordan. *lib. 9. tit. 1. de dispensat. num. 274. & num. 299. & 300.* Prout etiam, si fuisset votum alternativum vel castitatis servandæ, vel Sacros ordines suscipiendi, antequam vovens eligat, quid facere velit. Jordan. *ibidem num. 283.* Tandem, si quis, facto voto simplici castitatis perpetuæ, contrahat matrimonium, poterit Episcopus cum eo dispensare ad petendum debitum, & hoc ex generali consuetudine. Tambur. *in Decal lib. 3. cap. 16. §. 4. num. 42. & num. 54.*

7. *Quær.* An Episcopus possit dispensare super simplici voto castitatis, quod quis promisisset servare per centum annos? *Resp.* Negativè, quia hujusmodi votum censetur perpetuum. Jord. *ibidem num.* 174. Sed hic est casus Metaphysicus.

8. *Quær.* An liceat Episcopo aliquando dispensare super impedimento dirimente matrimonium? *Resp.* Distinguendi sunt quatuor casus. Primus est de impedimento occulto, apparente post contractum matrimonium; & in hoc Episcopus potest dispensare, si urgeat necessitas gravis; & non sit facilis accessus ad Pontificem, ac matrimonium contractum fuerit bona fide, saltem à parte unius conjugis. Sanchez *lib. 2. disp. 30. num. 3. & 10.* Pax Jordan. *dict. lib. 9. tit. 1. num. 253.* Nicol. *dict. lib. 1. tit. 10. num. 79.* & Tamburin. *dict. cap. 4. § 4.* Secundus casus est de impedimento occulto, apparente ante contractum matrimonium; & in hoc pariter concedunt Doctores, si urgeat gravissima causa, & timor sit magni scandali in dilatione, & proficere non possit remedium de confugiendo ad simplex votum castitatis pro cohonestanda mora, Episcopum posse dispensare. Nicol. *ubi supra d. num. 79. vers. Denique.* Jordan. *ibidem num. 261.* & Tamburin. *dict. §. 4. num. 9. & 10.* Tertius casus est de impedimento publico, apparente post contractum matrimonium, ut si post diuturnam cohabitationem conjugalem, bona fide habitam, & filios susceptos, appareat impedimentum publicum consanguinitatis, & in hoc casu, si urgeat gravissima necessitas, & separatio fieri non possit absque summo incommodo, poterit Episcopus dispensare. Perez *de Matrimon. disp. 43. sect. 6. num. 6.* & Tamb. *ubi supra num. 11. & seqq.* qui dat exemplum de conjugibus pauperrimis. Quartus tandem casus est, si impedimentum appareat publicè ante contractum matrimonium, & in hoc quidem poterit aliquando Episcopus dispensare urgentissima causa existente, puta si vir sit morti proximus, & velit reintegrare honorem puellæ corruptæ, vel legitimare prolem, aut de gravissimis rixis sedandis ageretur. Tamburin. *ibidem num. 21. & 22.* & Diana *part. 11. tractat. 8. resol. 3. vers. Sed observa.* Porrò hæc in praxi nunquam vidi servari; sed semper ab Episcopis fit recursus per Litteras vel ad Datariam, vel ad S. Pœnitentiariam Papæ.

9. *Quær.* An super impedimento dubio possit Episcopus dispensare? *Resp.* Vel impedimentum est incertum; & potest Episcopus declarare, non esse opus dispensatione, quia præsumptio stat pro libertate; vel dubium cadit super justa causa dispensandi, & tunc Episcopus non poterit dispensare. Tamburin. alios allegans *ibidem num. 23.*

10. *Quær.* An Regulares virtute Privilegiorum possint dispensare super impedimentis matrimonii saltem in foro conscientiæ? *Resp.* Negativè, nisi eis sit expressè à S. Sede concessum.

cessum, quando properant ad convertendos infideles. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 6. *num* 28. Absolvere tamen, ut conjuges possint petere debitum, post contractam affinitatem ex copula illicita, constante matrimonio, permissum est Regularibus ex Privilegio. Tamburin. *dict. lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. Et ego quoque docui in Decisionibus de Pœnitentia *Decis.* 46. *num.* 19.

11. *Quær.* An Commissarius Bullæ Cruciatæ dispenset in aliquo impedimento? *Resp.* Eum dispensare in impedimento affinitatis ex illicita copula contracto ante matrimonium, si sit occultum, & alter conjux sit in bona fide; & hoc pro foro conscientiæ tantùm. Tambur. *dict. lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 5. *à num.* 6. *& seqq.* ubi docet, dictum Commissarium morari in Hispania, & substituere per Regna, & Provincias Regis Catholici alios Commissarios particulares cum eadem facultate. Nos in hac regione tales Commissarios ignoramus.

12. *Quær.* Quid agendum, ubi data est dispensatio ob occultum impedimentum in foro conscientiæ, si impedimentum fiat publicum? *Resp.* Conjuges illos esse separandos, donec à Summo Pontifice dispensatio obtineatur. Tamburin. *dict. cap.* 5. *num.* 23. *&* 24. ubi advertit, quòd si conjuges prædicti secretò copulam habeant, non peccant; & docet, quomodo discatur occultum ad obtinendam dispensationem, & ponit differentiam inter clausulam *Occultum* simpliciter, & aliam *Omninò occultum*; concludens *num.* 33. quòd delictum deductum ad forum contentiosum, de quo reus nec fuit absolutus, neque condemnatus ob defectum probationum, anno transacto, reputari occultum; juxta doctrinam Glossæ *in cap. Omnipotens. verb. Denuncientur. De Accusationibus.*

13. *Quær.* Ad quem spectet dispensare pro petendo debito, si affinitas superveniat conjugatis, post contractum matrimonium ob illicitam copulam? *Resp.* Jure ordinario spectare ad Episcopum ex generali consuetudine. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 9. Vicarium verò Episcopi dispensare non posse in hoc, nisi habeat specialem commissionem, quia Auctoritas Vicarialis comprehendit solùm ea, quæ sunt jurisdictionis necessariæ, non autem ea, quæ voluntariæ, prout est dispensare. Tamburin. *dict. libr.* 8. *tract.* 2. *cap.* 6.

CAPUT CXXXVI.

De Causis dispensandi in Impedimentis Matrimonii.

1. *Quær.* An liceat dispensare in impedimentis matrimonii sine causa? *Resp.* Negativè, quia debet intervenire causa rationabilis, qua deficiente dispensatio data à Superiore est quidem valida, sed illicita; sed data ab inferiore in lege Superioris est etiam invalida, quamvis in utroque casu dispensantes peccare venialiter tantùm opinentur moderni relati per Dianam *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 6. contra antiquos Theologos tenentes, prædictos peccare mortaliter, ut notat Sanchez *de Matrimon. lib.* 8. *disp.* 18. *num.* 7.

2. *Quær.* Quæ, & quot sint causæ, ob quas Summus Pontifex solet concedere dispensationem in impedimentis matrimonialibus? *Resp.* Eas esse præcipuè septem. *Prima*, Angustiam loci. *Secunda*, Paupertatem, seu incompetentiam dotis. *Tertia*, Grave periculum litis, seu inimicitiæ. *Quarta*, Ætatem fœminæ excedentem. *Quinta*, Conservationem familiæ illustris, & bene meritæ in Ecclesia. *Sexta*, Timorem scandali, seu periculum infamiæ. Et *Septima*, Largam eleemosynam. Pyrrh. Corrad. *in Praxi dispensat. Matrimonial. lib.* 7. *cap.* 2. Bardos. in Tridentino Concilio *sess.* 14. *de Ref. Matrimon. cap.* 5. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 93.

3. *Quær.* Quomodo verificetur prima causa videlicet, *Angustia loci*? *Resp.* Eam tunc verificari, si in loco, in quo mulier habitat, sint tantummodo trecenti focularii, id est, habitationes, seu familiæ. Pyrrh. Corrad. *ubi supra lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 44. licèt aliàs Sacra Congregatio senserit, si numerus focalariorum non excedat 230. ut observat Nicolius *in Flosc. Verb. Dispensatio num.* 3. ubi subdit, dispensationem esse exequendam, licèt testes deponant, quòd habitantes in eo loco sunt omnes pares; nam dispensatio conceditur, non ex eo, quòd non adsint pares, sed quòd mulier non inveniat sibi parem. Propterea Sanchez *De Matrim. lib.* 8. *disput.* 19. *num.* 14. docet, causam hanc non esse strictè, sed morali modo verificandam; & cum eo concordat Tamburin. *dict. lib.* 8. *de Matrimon. tractat.* 2. *cap.* 7. §. 2. *numer.* 2. 3. *& seqq.*

4. *Quær.* Secunda causa *Paupertatis, seu incompetentiæ dotis*, quomodo justificetur? *Resp.* Quòd in Brevi Apostolico dicatur: *Mulierem esse indotatam*, probandum sit, eam nullam dotem habere. Si verò exprimatur, *Mulierem carere dote competente*, sustinetur dispensatio, etsi habeat aliquam portionem dotis. Pyrrh. Corrad. *dict. lib* 7. *cap.* 2. *à num.* 21. *& seqq.* Generaliter autem in hac causa sciendum est, quòd si mulier habeat parentes divites, qui cogi possunt ad eam dotandam, non sustineri dispensationem; Secùs autem, si tantùm spes extet futuræ successionis ab intestato, donationis, vel legati. Sanchez *lib.* 8. *disput.* 19. *num.* 26. *&* 27. & Tambur. *d. cap* 7. §. 2. *num.* 8. *&* 9.

5. *Quær.* Quid juris, si expedita dispensatione ob paupertatem, mulier obtineat hæreditatem, vel legatum, quo efficiatur dives? *Resp.* Si jam contractum est matrimonium, non est ambigendum, quia ritè, & rectè fuit contractum. Si nondum contractum est matrimonium, subdistingue: vel executor expediverat dispensationem, & probabile est, eam sustineri; vel nondum expediverat, & ampliùs non valet. Tamburin. *dict. cap.* 7. §. 2. *num.* 11. *& cap.* 12. *à num.* 6. *& seqq.*

6. *Quær.* Tertia causa *litium, vel inimicitiæ sedationis* quomodo probetur? *Resp.* Si constet, futuras esse lites, vel inimicitias cum muliere, & super ejus bonis, nisi matrimo-

nium hoc initietur cum consanguineo. Tamburin. *d. cap.* 7. §. 2. *num.* 20. & 21.

7. *Quær.* Quarta causa *de ætate excedente*, quomodo probetur? *Resp.* Si mulier excedat annum 24. nam tunc pia mater Ecclesia, ne mulier innupta remaneat, concedit, ut contrahat cum consanguineo, quamvis non in gradibus propinquis, sed remotioribus. Tamburin. *ibidem num.* 22.

8. *Quær.* Quomodo quinta causa justificetur? *Resp.* Quòd ad probandam familiam illustrem, nobilitas est deducenda à Patre, non à matre tantùm, ut notat Sanchez *lib.* 8. *disp.* 35. *num.* 25. & Pyrrh. Corrad. *dict. lib.* 7. *cap.* 2. *à num.* 115. *& seqq.*

9. *Quær.* Sexta, & septima causa quomodo justificentur? *Resp.* Servando ea, quæ circa ipsas in Brevi Apostolico exprimuntur, de quibus agit Sanchez *dict. lib.* 8. *disp.* 19. & Tamburin. *ubi supra num.* 24. *&* 25. Vincentius de Justis *de Dispensat. Matrimonial.* ac Thomas de Rosa *de Executoribus Litterarum Apostolicar*, qui sunt recentes, sed doctissimi Tractatus.

CAPUT CXXXVII.

De Dispensatione subreptitia, seu obreptitia, & invalida.

1. *Quær.* Quot modis Dispensatio evadat subreptitia, seu obreptitia, & invalida? *Resp.* Duobus modis. Primò, si verum taceatur. Secundò, si falsum exprimatur. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 2. & Tamburin. *dict. lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. 2. & 3. Ubi advertit, duplicem esse causam, ob quam Pontifex concedit dispensationem; unam, quæ appellatur finalis, sine qua non concederetur dispensatio; & alteram, quæ dicitur impulsiva, qua deficiente, concederetur quidem dispensatio, sed non tam facilè, vel promptè. Igitur subreptio resultat, si verum taceatur, vel falsum exprimatur circa causam finalem, non etiam si circa causam impulsivam, quod latiùs docet idem Sanchez *dict. lib.* 8. *disp.* 21.

2. *Quær.* An nulla sit gratia, si Orator taceat repulsam antea sibi datam super eadem supplicatione? *Resp.* Negativè. Sanchez *dict. lib.* 8. *disp.* 22. *num.* 14. & Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 54. cum Tamburin. *d. lib.* 8. *de Matrim. tract.* 2. *cap.* 9. ubi id procedere docet, etiamsi data repulsa à Superiore, fiat recursus ad inferiorem habentem facultatem dispensandi, & nihil ei notificetur de prædicta repulsa.

3. *Quær.* Si Antonius obtinuerit à Pontifice dispensationem ducendi Bertam consanguineam, & postea eum pœniteat, & velit ducere Catharinam, aliam suam consanguineam, & petat novam dispensationem, teneturne narrare primam dispensationem obtentam? *Resp.* Cum distinctione; si prima dispensatio sit inutilis ex sola mutatione animi ipsius Antonii, tenetur narrare illam Pontifici, aliàs secunda erit subreptitia; quia non videtur Pontifex dispositus ad concedendas multiplices dispensationes arbitrarias ipsi Antonio. At si Bertam duxisset, & postea mortua esset, vel Religionem ingressa, quia per eum non stetit, quin prima dispensatio inutilis fieret, petendo alteram dispensationem, non tenetur narrare primam. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 55. Tambur. *d. cap.* 9. §. 2.

4. *Quær.* Si Titius impetraverit dispensationem de impedimento Criminis ob uxoricidium; deinde occidat secundam uxorem, ut tertiam ducat, & petat similem dispensationem de secundo uxoricidio, obligaturne mentionem facere prioris dispensationis? *Resp.* Affirmativè, quia difficilius est concedere gratiam secundo delicto, quàm primo; & ita tenent Sanchez, Pontius, & alii, quos citat Tamburin *dict. cap.* 9. §. 2. *num.* 12. quamvis contrarium innuat Filliuccius, cui ipse non adhæret.

5. *Quær.* An teneatur exprimere primam dispentationem Titius, qui eam obtinuit super Voto castitatis ad contrahendum matrimonium; si mortua uxore, iterùm petat dispensationem à voto? *Resp.* Non teneri, quia in hoc non est delictum, & prima dispensatio suum habuit effectum. Tamburin. *ibidem num.* 15.

6. *Quær.* Si Orator dubitet de validitate primæ dispensationis, & pro quiete suæ conscientiæ velit impetrare consimilem secundam dispensationem, teneturne narrare primam? *Resp.* Negativè, quia cùm eadem sit, si prima erat invalida, non nocet; si valida, hæc secunda est superflua. Tamburin. *ibidem num.* 16. *&* 17.

7. *Quær.* Si quis habeat simul plura impedimenta ad contrahendum matrimonium, teneturne ea omnia simul exponere Pontifici, ut super eis dispenset; vel poterit super unoquoque petere separatim dispensationem? *Resp.* Utrumque licitè, & validè fieri posse secundùm Doctores: at tutius esse ea omnia impedimenta simul proponere, ut Pontifex cognoscat qualitatem, & quantitatem gratiæ, quam concedit. Suarez *De Legib. lib.* 6. *cap.* 24. Pontius *De Matrimon. lib.* 8. *cap.* 17. §. 4. Tamburin. *dict. cap.* 19. §. 3. ubi id limitat, si alterum impedimentum possit tolli sine dispensatione, ut in voto, quod est irritabile; vel si unum impedimentum sit occultum, puta affinitas ex copula illicita, nam hoc poterit tacere in Dataria, & recurrere ad Sacram Pœnitentiariam, cui tamen erunt significanda impedimenta, super quibus Dataria est dispensatura, vel dispensaverit. Ita etiam Aversa *quæst.* 19. *sect.* 5. *vers. Juxta has rationes.*

8. *Quær.* Si quis nulliter, & de facto contraxisset matrimoniũ cum sua consanguinea, vèlit deindè obtinere dispensationem Pontificiam ad idem validè contrahendum, obligaturne exponere, se jam de facto contraxisse? *Resp.* Cum distinctione. Vel primò contraxerat cum mala fide, id est, sciens, extare illud impedimentum, & tenetur exponere, aliàs nulla erit dispensatio; vel cum bona fide, ignorans illud impedimentum, & non tenetur exponere. Sanch. *d. lib.* 8 *disp.* 25. *n.* 24. Quamvis contrarium conetur docere Dian. *p.* 10. *tr.* 11. *res.* 44.

cui

cui non adhæret Tamburin. *dict. cap.* 9. §. 4. ubi subdit, melius esse exponere etiam, ubi cum bona fide fuisset contractum, quia ipsa juvaret dispensationem, dummodo tamen factæ fuissent denunciationes.

9. *Quær.* An necesse sit exponere qualitates extrinsecas sponsorum, puta nobilitatem, divitias &c. *Resp.* Negativè, nisi fortè de eis fuerint interrogati à Dataria. Tamburin. *dict. cap.* 9. §. 5.

10. *Quær.* In dispensatione super Affinitate ex copula illicita, an sit explicandum, quòd copula habita sit cum matre sponsæ, seu cum sorore? *Resp.* Necessarium videri explicare. Tamburin. *ibidem* §. 6. *ubi num.* 2. advertit, quòd si quis plures consanguineas sponsæ suæ carnaliter cognovisset, de singulis teneretur mentionem facere. Quicquid dicat Texeda apud Dianam *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 60.

11. *Quær.* An sufficiat dispensatio obtenta super affinitate ex copula illicita cum consanguinea sponsæ, si antequàm matrimonium fiat, iterùm sponsus carnaliter cognoscat eandem consanguineam sponsæ? *Resp.* Cum distinctione. Si nova commixtio carnalis sequatur, antequàm Delegatus exequatur dispensationem, ea sufficiet; at si illa expedita, iterùm carnaliter copulentur, opus erit nova impetratione, quia dispensatio data non tollit supervenientem affinitatem ex nova copula. Sanchez *dict. lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 7. & 8. Diana *dict. part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 65. *vers. Sed quia.* Sed hic advertendum est, quòd Rustici post habitam copulam cum consanguinea impetrant dispensationem in forma pauperum, in qua committitur separatio: facta separatione ex decreto Executoris Apostolici, iterùm copulam carnalem habent; Quid agendum in hoc casu? *Resp.* Si copula est publica, iterùm separandi; & obtinendum est aliud Breve dictum *Perinde valere.* Si est occulta, impetratur Breve à Pœnitentiaria, ut docet Corrad. *de Dispensat. libr.* 8. *cap.* 5. *à num.* 37. Rosa *de Executor. Litt. Apost. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 227.

12. *Quær.* Si sponsi conjuncti sint inter se duplici differenti gradu; videlicet Antonius sit in tertio, Berta sit in quarto; eritne necesse exprimere Pontifici utrumque gradum? *Resp.* Affirmativè, in impedimentis consanguinitatis, & affinitatis ex copula licita, ob motum proprium S. Pii Quinti. *Attendens &c.* 20. *Augusti.* 1566. Negativè autem in cæteris impedimentis, ac in affinitate ex copula illicita in foro conscientiæ tantùm, nisi sit primus gradus. Tambur. *d. cap.* 9. §. 7. ubi *num.* 5. reddit rationem de hac necessaria explicatione gradus proximioris, & remotioris; quia scilicet, quamvis solus remotior attendatur, tamen ad tollenda scandala voluit Pontifex, ut unico, & eodem contextu declaretur, proximiorem gradum non obstare, dum remotior dispensatur.

13. *Quær.* An tacere proximiorem gradum in dispensatione inferat aliquam pœnam? *Resp.* Si gradus proximior tacitus non sit primus, nulla alia pœna incurritur, nisi peccatum mortale, tam ab Executore Delegato, quàm ab Oratoribus scienter tacentibus. Pyrrh. Corrad. *dict. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 59 ubi advertit procedere, cessante scandalo; aliàs esset impetranda declaratoria, quamvis dispensatio adhuc remaneat valida. Pontius *De Matrim. lib.* 8. *cap.* 27. *num.* 27.

14. *Quær.* Si consanguinei habuerint inter se incestuosam copulam carnalem, an teneantur eam exprimere Papæ petentes dispensationem super consanguinitate? *Resp.* Alios negare, & alios affirmare, sed affirmantium sententiam esse tutiorem, & praxi, ac stylo Cancellariæ conformem. Pont. Sanchez, & alii, quos allegat Tamburin. *dict. cap.* 9. §. 8. *ubi num.* 4. limitat, quando copula esset occulta, nam tunc satis est recurrere ad Pœnitentiariam; & *num.* 6. nisi in Breve Apostolico adsit hæc clausula, *Dummodò copula non intercesserit.* Vel, *Dummodò non intercesserit sub spe facilioris Dispensationis*; tunc enim Executor tenetur, Oratores interrogare, qui si verum occultaverint, nulla erit Dispensatio. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 135. & in Coordinato *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 113 ubi tenet, valere dispensationem, tacita copula, quando ea est occulta; & ad contrarias rationes, quas allegat Corrad. *de Dispensat. lib.* 8. *cap.* 1. *num.* 33. respondet, ea procedere, ubi copula sit publica, & manifesta.

15. *Quær.* Quando dispensatio sit nulla ob expressionem falsi? *Resp.* Quando falsitas expressa tangit causam finalem, secùs si impulsivam dispensationis; ut dictum est supra *quæst.* 1. & docet Tamburin. *dict. lib.* 8. *de Matrimon. tract.* 2. *cap.* 10.

16. *Quær.* An sustineri possit Dispensatio, si fuit expositum falsò unum impedimentum pro altero, v. g. quòd oratores sint in quarto gradu consanguinitatis, cùm sint in quarto Affinitatis? *Resp.* Negativè, Pyrrh. Corrad. *d. lib.* 7. *cap.* 5. *à num.* 71. & Tamburin. *d. cap.* 10. §. 1. qui refutat Dianam *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 37. & *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 64. ac Portellum contrarium opinantes.

17. *Quær.* Quid dicendum, si conjuncti in remotiori gradu dixissent se conjunctos in proximiori? *Resp.* Pyrrhum Corradum docere, dispensationem esse invalidam; & multò magis, si conjuncti in proximiori expressissent remotiorem. Pyrrh. *d. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 94. At in primo casu sustineri posse dispensationem, putat Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 17. & Tambur. *d. cap.* 10. §. 2. Sed in praxi litteræ remittuntur Romam pro correctione.

18. *Quær.* An valeat dispensatio, si falsa sit causa expressa, non autem effectus causæ, v. g. dictum est, Antoniam carere dote, & nisi dispensetur, remanere innuptam; cæterùm dotem habet; at remaneret innupta, nisi dispensetur, quia deformis est, vel diffamata, vel grandæva? *Resp.* Non valere, quia debet exprimi causa vera, ad quam Papa respicit, non autem ad effectum. Tambur. *d. cap.* 10. §. 3. ubi respuit Dianam, & ab eo adductos *DD. part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 42.

19. *Resp.* Quid juris, si duæ sint expositæ causæ, quarum una est vera, & altera est falsa? *Resp.* Si causa falsa potiùs reputetur im-

pulsiva, quàm finalis, videtur sustentanda dispensatio; nam Papa creditur dispensare ob aliam causam veram. Porrò, si talis casus in facto contingat, tutius foret, ad Papam recurrere denuò, & de falsa causa eum certum reddere, quia periculosum est, & timendum de nullitate dispensationis. Castropal. *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 16. §. 5. *num.* 2. & Tambur. *ubi supra* §. 4.

20. *Quær.* An vitietur dispensatio, si error sit in nomine supplicantium, vel in eorum cognomine? *Resp.* Secundùm Theologos in puncto juris dispensationem non vitiari, quando constat de corpore personarum supplicantium. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 37. & Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 63. At de stylo Curiæ, & in foro externo eam vitiari, Pyrrh. Corrad. *dict. lib.* 7. *cap.* 5. *à num.* 2. *& seqq.* ubi docet, in tali casu esse recurrendum per novam supplicationem ad Papam; quia neque Regens Cancellariæ potest mutare nomina oratorum post signaturam ad fraudes evitandas; & notat Tamburin. *ibid.* §. 4.

21. *Quær.* Quid faciendum, si error contingat in expressione Diœcesis? *Resp.* Nullam remanere dispensationem, donec per novas litteras, dictas *Perinde Valere*, convalidetur; quod faciliter obtinetur in Curia. Pyrrh. Corrad. *d. lib.* 7. *cap.* 5. *à num.* 24. & Tamburin. *d. cap.* 10. §. 6. ubi *num.* 3. non laudat Pontium, & Dianam *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 64. contrarium asserentes.

22. *Quær.* An sit subreptitia dispensatio, si quis exprimat sub dubio impedimentum, quo certus est detineri? *Resp.* Subreptitiam esse. Tamburin. *d. lib.* 8. *de Matrimon. tract.* 2. *cap.* 11.

CAPUT CXXXVIII.

De Clausulis principalibus, quæ inseruntur in Dispensationibus Matrimonialibus pro foro externo.

1. *Quær.* A quo sit exequenda Matrimonialis dispensatio? *Resp.* Ab eo tantùm, cui est directa. Idcircò, si directa sit Vicario, non potest Episcopus eam exequi, neque Vicarius, si fuisset Episcopo directa. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 27. Pyrrh. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 37. & Tamburin. *ubi supra cap.* 12. §. 1. *num.* 2.

2. *Quær.* An Vicarius, relicto officio Vicariatus, possit expedire dispensationem jam incœptam? *Resp.* Cum distinctione: si Commissio Apostolica erat Personalis, videlicet directa ei per nominationem suæ personæ, poterit expedire; si verò commissio erat realis, id est, directa Vicario tanquam Vicario, & tunc non poterit expedire, quia spectat hoc munus ad Vicarium successorem. Pyrrh. Corrad. *ubi supra num.* 36. Sperell. *decis.* 31. & Tamburin. *d. cap.* 12. §. 1. *num.* 5. qui notat, quòd si in Commissione dicatur *Tibi Joanni Vicario &c.* censetur commissio personalis.

3. *Quær.* Si Sede Vacante commissa sit dispensatio Episcopo viciniori, an poterit expedire, si ante expeditionem Sedes facta sit plena per adventum novi Episcopi? *Resp.* Negativè, si res jam integra est, videlicet, si litteræ dispensationis nondum fuissent viciniori præsentatæ; secùs autem, si jam adortus esset executionem; & hoc servari de stylo, qui vult, ut in primo casu recurratur ad petendam novam commissionem. Pyrrh. Corrad. *d. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 25. & Tambur. *dict. cap.* 12. §. 1. *num.* 8. *&* 9.

4. *Quær.* An Vicarius Capituli Sede Vacante possit expedire dispensationes Matrimoniales, quas inexpeditas reliquit Vicarius Episcopalis? *Resp.* Negativè, etsi Vicarius Capitularis foret eadem persona, quæ Vicariatum Episcopi gerebat; ea ratione, quia Papa nunquam vult dirigere hisce Vicariis Capitularibus dispensationes; nam parùm fidit de eorum scientia, & sufficientia, ut notat Pyrrhus Corradus *d. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 11. Anconell. *in Praxi Episcop. lib.* 4. *cap. ult.* Et ita docent omnes Canonistæ, quos allegat, & sequitur Tambur. *d.* §. 1. *num.* 11. *&* 12. respuendo nonnullos modernos Theologos in contrarium scribentes absque legali fundamento.

5. *Quær.* An Executor Delegatus in dispensatione Matrimoniali possit executionem alteri subdelegare? *Resp.* Vel vult subdelegare examen testium, vel aliquam informationem capiendam? & potest. Vel ipsam actualem dispensationem, id est, nudum ministerium? & non potest, quia requirit factum ipsiusmet Delegati. Barbos. *Vot. decis.* 17. *num.* 184. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 27. *num.* 43. & Tambur. *dict.* §. 1. *num.* 16. *&* 17.

6. *Quær.* Quid juris, si post expeditam dispensationem Executor compererit, se errasse? *Resp.* Si erravit in faciendo, poterit tanquam Ordinarius remedium quærere, & interim separationem conjugum mandare. Si verò in negando; & post pronunciatam dispensationem invalidam, cùm jam functus sit officio suo, opus erit oratoribus recurrere Romam. Tamburin. *ibid. num.* 19. 20. *&* 21.

7. *Quær.* Cùm in Commissione Apostolica mandetur executori, ut de veritate se informet, an informationes sint per eum sumendæ judicialiter, vel extrajudicialiter? *Resp.* Utroque modo ad sui beneplacitum. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 35. *num.* 15. Quòd si extrajudicialiter agat, poterit eas etiam in aliena Diœcesi sumere; prout etiam in omni casu dispensare, quia dispensatio non est actus contentiosæ, sed voluntariæ jurisdictionis. Tamburin. *dict. cap.* 12. §. 2. *num.* 2. *&* 3.

8. *Quær.* De quo tempore sit causa narrata ob dispensationem verificanda? *Resp.* Plura de hoc esse Doctorum dicta; sed communem, & magis tutam resolutionem esse, quòd causa prædicta verificetur tempore, quo Executor est dispensaturus; adeò, ut si antea causa fuisset vera, & tempore dispensationis complendæ per Executorem non sit ampliùs vera, dispensatio remaneat invalida. Et è contra licèt causa non fuisset vera ab initio, si tempore expediendæ commissionis verificetur, valeret dispensatio. Sanchez *dict lib.* 8. *disp.* 30. Pyrrh. Corrad. *dict. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 32. *&* 33. & Tamburin. *dict. cap.* 12. §. 2. *num.* 8. *&* 9. ubi cum Suarez *de Legibus lib.* 8. *disp.*

disp. 30. notat, nihil referre, si post expeditam ab Executore dispensationem, causa desinat esse vera, videlicèt, quòd mulier eòusque inops, dives evadat ante initum matrimonium cum consanguineo, cum quo jam extat dispensatum; quod tenet Diana, & per eum citati *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 77.

9. *Quær.* An subsistat dispensatio, si falsa causa sit, sed tanquàm vera probata appareat per falsos testes? *Resp.* Non subsistere in foro conscientiæ. Secùs autem, si vera sit, sed probata per falsos testes. Tambur. *dict.* §. 2. *num.* 11.

10. *Quær.* Cùm Pontifex in Brevi Apostolico dicere soleat: *Propter has, & similes alias causas rationabiliter nostrum animum moventes &c.* An executor præter causas præcisè positas dispensandi, teneatur se informare etiam de aliis generalibus? *Resp.* Negativè, nisi aliæ positæ sint sub conditione. Sanchez *d. lib.* 8. *disp.* 35. *num.* 24. & Pyrrhus Corrad. *dict. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 113.

11. *Quær.* An delegatus in Dispensationibus in forma pauperum possit aliquando mutare pœnitentiam, vel pia opera in Brevi præscripta, & priùs ab Orationibus facienda, vel saltem ea mitigare, vel ad brevius tempus restringere, aut in parte post matrimonium differre? *Resp.* Dicendum videtur, quòd possit, gravissima necessitatis causa subsistente, ut si oratores sint pauperrimi, mulier sit vicina partui, vel filiolos tenellos habeat, quibus victus quotidianis laboribus sit comparandus; seu vir sit infirmus, ut sæpè contingit in hac Diœcesi Patavina: ratio est, quia Judex de jure potest minuere pœnam. Cevallus *com. contra com. conclus.* 549. *numer.* 19. Farinac. *de Delict. & pœn. tit.* 3. *qu.* 17. *num.* 7. *& num.* 62. *& seqq.* & ita sentire videntur Suarez *de Sacrament. Pœnit. tom.* 4. *disp.* 31. *sect.* 10. *num.* 15. Sanchez *in Opuscul. Moral. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 21. *num.* 10. Diana *part.* 7. *tract.* 10 *resol.* 9 *& par.* 9. *tract.* 9. *resol.* 11. Pax Jordan. *tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 1. *num.* 125. Menoch. *cas.* 391. *num.* 7. & in puncto Genuens. *in Praxi Curiæ Archiepisc. Neapol. cap.* 25. *num.* 2. & Gavant. *in Manual. verb.* Dispensatio *num.* 38. Porrò in contrarium scribit Pyrrh. Corrad. *lib.* 8. *cap.* 6. *à num.* 16. *& seqq.* Rubeus *in Aphorism. Verb. Pœnitentia*, & alii, quos citat, & sequitur Tamburin. *dict. lib.* 8. *de Matrim. tract.* 2. *cap.* 13. § 3. per totum, in quo censetur nimis rigidè loqui; nam aliquando in facto comperi, impossibile esse, oratorem dispensandum ob paupertatem, vel infirmitatem nimiam, posse totam implere pœnitentiam, adeò, ut menti piæ Pontificis non videatur indignum, si rarò, at quoquomodo arctetur tempus pœnitentiæ juxta doctrinam Genuensis, & Gavanti ubi supra. Porrò tutius erit in his casibus scribere ad Datarium, & ab eo impetrare facultatem vel differendi, vel minuendi Pœnitentiam, ut sæpè practicatum est in hac Curia Patavina, Auditoratus, & Vicariatus munere me fungente.

12. *Quær.* An Executor possit recipere aliquod munus pro labore dispensationis? *Resp.* Negativè juxta expressam prohibitionem, quam ibi ponit Pontifex in fine Brevis, & notant omnes Doctores, inter quos Pyrrh. Corrad. *dict. lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 14. Quamvis nonnulli apud Dianam *par.* 8. *tract.* 3. *resol. ult.* doceant, esculenta, & poculenta non prohiberi, quod non damnat Tambur. *ubi supra cap.* 12. §. 6. & Genuens. *dict. cap.* 25. *num.* 13. qui licèt omne munus prohibitum censeat etiam esculentum, & poculentum, tamen expensas pro accessu ad examinandos testes non valentes ad eum venire, in vecturiis, & victu concedit; prout mercedem Notarii, ac pro copiis processus post expeditam dispensationem. Cæterùm ab omni acceptione est abstinendum ob inflictam excommunicationis pœnam, quam reservatam esse, tanquàm latam ab homine, notat Nicol. *in Lucubrat. Canon. lib.* 5, *tit.* 39. *sub num.* 203. §. 7. & hìc Patavii ego semper abstinui, & alios Vicarios Prædecessores meos, Viros honestissimos, vidi abstinere. Hæc dicta sint non solùm pro instructione Confessariorum, sed etiam pro advertentia Ministrorum Episcopalium, qui non rarò has difficultates resolvere nesciunt.

CAPUT CXXXIX.

De Clausulis, quæ inseruntur in Dispensationibus S. Pœnitentiariæ pro foro interno.

1. *Quær.* Quæ sit prima clausula Brevis, quod à Pœnitentiaria conceditur pro dispensationibus fori interni? *Resp.* Quòd Executor, ab impetrante eligendus, sit *Confessarius Magister in Theologia, vel Doctor Decretorum, ex approbatis ab Ordinario*; ideò, si hæ duæ qualitates non sint in illo, id est, Doctoratus, & approbatio, dispensatio sit nulla. Tamburin. *dict. lib.* 8. *de Matrimon. tract.* 2. *cap.* 13. §. 1. *num.* 1.

2. *Quær.* Cur requiratur, ut Delegatus sit Confessarius approbatus ab Ordinario? *Resp.* Ut sciamus, illum non posse dispensare, nisi in ipso actu Sacramentalis Confessionis. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 106. Tambur. *ubi supra num* 3. ubi contra Marcum Leonem tenet, invalidam esse dispensationem, si confessio sit sacrilega, sive invalida.

3. *Quær.* An Confessarius approbatus pro audiendis tantùm confessionibus virorum, possit expedire dispensationem impetratam, seu præsentatam à muliere? *Resp.* Affirmativam tenere opinionem Sanchez *de Matrimon. lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 16. Negativam Dianam *d. resol.* 103. Utramque probabilem dicere Tamburin. *ubi supra num.* 4. Sed ego tenendum censeo cum Diana, quia, qui limitatam habet approbationem, non potest ultra ejus tenorem operari circa audiendas Confessiones, ut præcipit Constitutio Clementis X. quam retuli *de Pœnitentia. Decis.* 38. *in fine.*

4. *Quær.* An simpliciter Licentiati, vel Magistri facti à Religione possint exequi Brevia S. Pœnitentiariæ? *Resp.* Negativè, quia debent esse ad gradum Doctoratus in aliqua Universitate promoti, vel ad hoc deputati ab aliquo Prælato habente speciale privilegium à Sede Apostolica; prout illud habet Generalis Jesuitarum. Sanchez *d. lib.* 8. *disp.* 34.

num. 11. Pyrrh. Corrad. *d. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 70. & Tambur. *d. cap.* 13. §. 1. *num.* 6. Vide meam *Dec.* 48. *de Pœnitent. num.* 14.

5. *Quær.* An Confessario, qui Breve, seu litteras S. Pœnitentiariæ aperuit, negante dare dispensationem, possit pœnitens præsentare easdem litteras, seu Breve alteri Confessario, & ab eo dispensari? *Resp.* Affirmativè, quia apertio Litterarum non destruit facultatem in illis concessam; adeò ut si primus vel nolit dispensare, vel moriatur, antequam dispenset, potest pœnitens eas ad alium Confessarium deferre, sive etiam ad eundem primum, si mutata opinione paratus sit dispensare. Sanchez *d. lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 11. & Tambur. *ubi supra num.* 7. 8. 9. 10. *&* 11.

6. *Quær.* Quæ sit secunda Clausula litterarum S. Pœnitentiariæ? *Resp.* Ut Confessarius se diligenter informet de veritate causæ propositæ; quæ quidem informatio sine testibus, & sine Notario sumenda est, ac proindè à sola assertione ejusdem Pœnitentis. Tamburin. *d. cap.* 13. §. 2.

7. *Quær.* An Confessarius debeat exigere juramentum à pœnitente super veritate facti propositi? *Resp.* Affirmare Pontium *de Matrimon. lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 16. Negare Perez *eod. tract. disp.* 48. *sect.* 5. *num.* 8. Cui adhæret Tambur. *d. cap.* 13. §. 2. *num.* 2.

8. *Quær.* Quid faciendum, si pœnitens asserat, rem ita esse, prout in litteris continetur, ipse verò Confessarius aliundè sciat, rem ita non se habere? *Resp.* Non posse exequi litteras, neque dispensare, quia secundùm scientiam suam Confessarius debet operari. Sanchez *dict. lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 21. & Tamburin. *dict.* §. 2. *num.* 3. Ubi tamen advertit, debere Confessarium semper sigillum Confessionis sartum, tectumque custodire.

9. *Quær.* Quæ sit Tertia clausula litterarum S. Pœnitentiariæ? *Resp.* Ut Confessarius debitam pœnitentiam injungat petenti dispensationem, & sic eum dispenset. Tambur. *dict. cap.* 3. §. 3.

10. *Quær.* Quomodo se debeat gerere Confessarius circa impositionem pœnitentiæ? *Resp.* Ita se gerere debere, ut si Pontifex, seu S. Pœnitentiaria, determinaverit opera pœnitentialia, debeat Confessarius ea ad amussim injungere; si verò ad ejus prudentiam, & arbitrium se remiserit, pro suo libito possit ea determinare. Tamburin. *dict.* §. 3. *num.* 2. ubi ex Sanchez *d. libr.* 8. *disput.* 34. *num.* 16. advertit, non esse opus pœnitentia, neque absolutione, si jam culpa fuit in præcedentibus Confessionibus absoluta; quod tamen est intelligendum de necessitate, nam ex congruentia potest, stante nova accusatione cum debito dolore, iterùm impendi absolutio, & injungi pœnitentia, quod quidem est laudabile, & ego semper in praxi servavi.

11. *Quær.* Quænam sit quarta Clausula solita poni in litteris S. Pœnitentiariæ? *Resp.* Quòd impedimentum sit occultum.

12. *Quær.* Quando impedimentum, seu delictum censeatur occultum? *Resp.* Super hoc quæsito latissimè scribere Fagnan. *in cap. Ultra. De cohabitat. Cleric. & mulier. à numer.* 106. *& seqq. tom.* 4 *pag.* 17. & Garziam *de Benefic. part.* 7. *cap.* 11. *à num.* 46. *& seqq.* ubi post plurima videntur concludere, illud censeri occultum, quod probari non potest; & ideò, si duobus, vel tribus testibus delictum, seu impedimentum innotescat, non posse dispensari, quia non reputatur occultum. Porrò hæc doctrina principalem locum obtinet in dispensationibus dandis ab Episcopo super irregularitatibus, & aliis delictis occultis, vigore Concilii Tridentini *sess.* 24. *de Reformat. cap.* 6. At in dispensationibus super impedimentis occultis, vigore litterarum S. Pœnitentiariæ, Theologi ferè omnes mitiùs loquuntur; tenentes, tunc occultum censeri, quando non est publicum, seu famosum, nec manifestum, aut notorium, & per consequens licèt sciatur à nonnullis personis, nihilominùs si à majori parte vicinæ, seu universitatis non sciatur, posse dispensari tanquàm occultum; quia finis S. Pœnitentiariæ est, ut obvietur scandalo publico, quod quidem cessat, quando à paucis habetur notitia impedimenti. Sanchez *dict. lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 55. cum ibi allegatis, quibus non dissentit Garzias *dict. part.* 7. *cap.* 11. *num.* 45. *&* 46. imò adhæret Tamburin. *dict. lib.* 8. *tractat.* 2. *cap.* 5. *num.* 25. *& seqq.* ubi ampliat, quamvis alibi esset publicum, dummodo in loco, ubi est dispensandum, sit occultum; vel si deductum foret ad judicium, & ob probationes impeditas reus neque esset absolutus, neque condemnatus, sed pro nunc licentiatus, & expeditus; nam transacto anno ejus delictum reputatur occultum. Gloss. *in cap. Omnipotens. Verb. Denuncientur. de Accusat.* Excipit tamen unum casum, nempè, si Breve diceret, *dummodo impedimentum, seu delictum sit omninò occultum*; tunc enim, si aliquo modo sit probabile, non poterit Executor dispensare, quod docet Vericellus *in Quæst Moral. tractat.* 3. *quæst.* 51. *num.* 8.

13. *Quær.* Quænam sit quinta Clausula Brevis Pœnitentiariæ? *Resp.* Ut revalidetur matrimonium inter ipsos conjuges, eos admonendo de nullitate prioris contractus, seu prioris consensus. Tamburin. *dict. cap.* 13. §. 5.

14. *Quær.* Quomodo sit certiorandus conjux, qui notitiam non habet impedimenti, & nullitatis matrimonii, de ejusdem impedimento, & nullitate? *Resp.* In praxi hanc rem esse difficilem, & opus esse maxima prudentia, & dexteritate. Nam hæ dispensationes per litteras S. Pœnitentiariæ plerumque dantur ad revalidanda matrimonia, quæ sunt nulla ob impedimentum affinitatis ex copula illicita, habita ante matrimonium ab altero ex conjugibus cum affine in primo, vel secundo gradu alterius conjugis, propterea, si delictum patratum sit ab uxore, quæ ante matrimonium passa sit, se carnaliter cognosci à fratre, vel nepote mariti sui; si maritus certus fiat à Confessario de nullitate matrimonii, periculum

est,

est, ut ampliùs nolit eam mulierem in uxorem habere; quæ sic remaneret infamata, & scandala orirentur, potissimùm si filii, & filiæ essent genitæ; & idem esse posset, licèt non tam facilè, si delictum sit à parte viri, & mulier, quæ forsan solita sit tractari à viro cum asperitate, certificata de nullitate matrimonii, vellet alii nubere. Itaque Confessarii executuri litteras S. Pœnitentiariæ, vident se in angustiam positos, dum ad hoc punctum, seu ad hanc clausulam perveniunt, certiorandi scilicet conjugem inscium impedimenti, de nullitate prioris consensus, & de invaliditate matrimonii, & de novo necessario consensu pro eo revalidando. In hoc negotio tres habentur Doctorum sententiæ. Una, quòd satis sit præstari novum consensum a solo conjuge conscio impedimenti. Ita Ledesma, & alii, quos allegat Sanchez *lib. 2. disp. 36. numer. 2.* & Bossius *de Matrimon. cap. 2. num. 72.* Altera, quòd sit requirendus novus consensus à conjuge, nullam scientiam nullitatis matrimonii habente, sine certificatione de eadem nullitate, sed solùm generalibus verbis, ob consolationem alterius conjugis, & pro quiete conscientiarum. Ita Sotus, & alii apud Castropal. *disput. 2. de Sponsa. punct. 7. §. 2. num. 3.* & apud Bossium *dict. cap. 2. à num. 74.* Tertia, ut de novo exigatur expressus consensus ab utroque conjuge; & conjux ignarus impedimenti, de eo expresse certioretur, (tacita tamen causa impedimenti.) Ita Aversa *quæst. 11. de Matrimon. sect. 4. Vers. Quantum ad tertium.* Sanchez *dict. libr. 2. disput. 36. num. 3.* & Tamburin. *dict. libr. 8. de Matrimon. tractat. 4. cap. 7. §. 2. num. 1. & seqq.* Et ego in praxi coactus fui ferè semper adhibere secundam opinionem; & magna cum suavitate conjugem ignarum impedimenti hortatus fui ad præstandum novum consensum, dicendo id fieri, quia cùm plura requirantur ad validitatem matrimonii, suberat magnum periculum nullitatis prioris consensus; & idcò ad tollendam Dei offensam optimum esse remedium, præstare novum consensum, & supponere, nunc initiari matrimonium validum, habentes pro invalido primum contractum; quibus verbis animus conjugis nescientis impedimentum disponebatur ad novum consensum præstandum; & tali dispositione cognita, obtinui ratificationem matrimonii per novum consensum conjugis utriusque.

15. *Quær.* Quid contineat sexta Clausula? *Resp.* Quòd dispensatio per litteras S. Pœnitentiariæ concessa suffragetur tantùm in foro conscientiæ; undè si impedimentum ad aures Episcopi pertingat, poterit procedere ad separationem; quamvis Filliuccius *de Matrimon. tract. 10. part. 2. cap. 10. num. 358.* doceat, posse Confessarium de licentia pœnitentis certiorem facere Episcopum de dispensatione secreta; qua intellecta poterit Episcopus non ultra procedere contra conjuges prædictos. Tamburin. *dict. tract. 2. cap. 13. §. 6.*

16. *Quær.* Quid præcipiatur in septima Clausula? *Resp.* Præcipi lacerationem Litterarum, seu Brevis, & quidem sub pœna excommunicationis; & hoc ne aliquando pœnitentes præsumerent eo uti in foro externo; Undè fit, quòd si Confessarius retineret eas, vel ipsum apud se cum aliqua scissura, seu fractura, non incurreret excommunicationem; ac etiam, quòd si illud, vel eas redderet pœnitenti, dispensatio tamen valeret. Sanchez *dict. libr. 8. disp. 34. num. 42.* & Tambur. *ubi supra §. 7.*

17. *Quær.* An Breve sit subreptitium, quando quis habuit copulam incestuosam spe facilioris dispensationis, vel præcedente tractatu Matrimonii; & id non expressit in supplicatione Sacræ Pœnitentiariæ? *Resp.* Negativè in duobus casibus. Primò, quando spes vel fuit retenta in animo, vel habita fuit ab uno tantùm. Secundò, quando in Breve non dicatur, dummodo spe facilioris &c copula non sit habita. DD. quos citat Diana Coord. *tom. 3. tractat. 2. resol. 115. & resol. 116.*

CAPUT CXL.

Quibus modis cesset dispensatio Matrimonialis?

1. *Quær.* An cesset, & invalida fiat Dispensatio, à Summo Pontifice obtenta, si oratores, seu pœnitentes per octo, aut decem annos ea usi non fuerint? *Resp.* Negativè, quia semel obtenta semper durat, nisi oratores ei renunciaverint, & renunciatio fuerit à Summo Pontifice acceptata. Undè fit, ut nullo tractu temporis infirmetur; & licèt quis millies dixisset, se nolle gratam habere dispensationem, neque ea uti; tamen si mutata opinione voluerit eam adhibere, hoc facere poterit. Pontius *de Matrimon. lib. 8. cap. 18. §. 3. num. 20.* Sanchez *dict. lib. 8. disp. 32. num. 7.* & Tamburin. *d. cap. 14. §. 2.*

2. *Quær.* An dispensationes matrimoniales obtentæ possint revocari à concedente? *Resp.* Doctores distinguere illas pro foro externo ab illis fori interni. Primas, ajunt, non posse revocari sine justa causa, & cum restitutione pecuniæ solutæ in Dataria, quia sunt adinstar privilegii onerosi, vel remuneratorii, quod revocari non potest à Superiore absque causa legitima, & cum restitutione rei contributæ. Castropal. *tom. 1. tract. 3. d. 4. p. 21. §. 2.* Sanchez *dict. lib. 8. disp. 33. num. 1.* Illas verò fori interni revocabiles esse concedunt etiam absque ulla causa (sed venialis culpa reputaretur) quia sunt adinstar privilegii gratiosi, quod à Principe potest ad libitum revocari. DD. supracit. & Tamburin. *dict. cap. 14. §. 3.* in cujus fine notat, communem opinionem esse, summum Pœnitentiarium habere quidem auctoritatem dispensationes pro foro interno concedendi, sed non revocandi concessas.

3. *Quær.* An dispensatio Matrimonialis, seu potestas dispensandi concessa, & delegata per Pontificem, cesset per mortem ipsius Pontificis? *Resp.* Si res non est integra, id est,

est, si delegatus cœpit progredi in dispensatione, potestatem dispensandi non expirare; quia Regula juris est in omnibus rescriptis, & delegationibus, potestatem non cessare in delegato, ubi res non est integra, & negotium jam est cœptum. *cap. Gratum. cap. Relatum. de Offic. deleg.* Sanchez *de Matrimon. libr.* 8. *disp.* 28. *num.* 91. *& seqq.* Si verò res est integra, vel potestas, seu gratia dispensandi sic commissa est, ut delegatus teneatur veris existentibus narratis, dispensare; & neque in hoc casu expirat, quia jus est acquisitum dispensando, ut gratia ad executionem deducatur. At si gratia, seu facultas dispensandi ita esset elargita, ut penderet à voluntate delegati dispensare, vel non dispensare; si delegans moreretur re integra, non posset delegatus ampliùs procedere; & facultas diceretur cessare. Sanchez. *ubi supra*, quem allegat Tamburin. *dict. libr.* 8. *tract.* 2. *cap.* 15. §. 4. ubi concludit, dispensationes matrimoniales, quæ solent juxta stylum dirigi per Datariam Ordinariis locorum, non cessare per mortem Pontificis etiam re integra; quia duo tantùm casus excipiuntur in jure, videlicet, in materia beneficiali, & in rescriptis justitiæ, in quibus re integra moriente delegante, delegatus non potest procedere. *cap. Si cui de Præbend. in* 6. *dict. cap. Gratum. & cap. Relatum. De Offic. delegat.* & tradit Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 19. §. 1. *n.* 5.

4. *Quær.* Quid agendum, si delegatus moriatur, antequàm perficiat expeditionem Dispensationis? *Resp.* Si gratia erat realis, & commissa non personæ, sed officio, id est, Vicario Generali, poterit expediri à successore in officio: at si commissio fuisset personalis, esset petenda nova commissio; cum hac tamen observatione; quòd si delegatus ante mortem compleviset actum dispensationis, sed non dedisset testimoniales litteras complementi prædicti, oratores possent in foro interno potiri dispensatione. Sperell. *dict. decis.* 31. *tom.* 1. & Tamburin. *dict. libr.* 8. *tractat.* 2. *cap.* 12. §. 1. *numer.* 6. *& cap.* 14. §. 5.

CAPUT CXLI.

De Sponsalibus, & quæ requirantur ad hoc, ut obligent.

1. *Quær.* Quæ sint Sponsalia? *Resp.* Sponsalia propriè sumpta significant mutuam promissionem sponsi, & sponsæ de futuro matrimonio. Impropriè autem sumpta denotant matrimonium ratum, non consummatum. Tamburin. *dict. lib.* 8. *de Matrimon. tract.* 3. *cap.* 1. §. 1.

2. *Quær.* An omnis promissio de futuro matrimonio faciat Sponsalia? *Resp.* Negativè; sed illa tantùm promissio, quæ priùs ab uno sponso est alteri insinuata, ab eodem acceptata, & per ejus repromissionem confirmata. Idcò promissio solùm interna, vel insinuata, sed non acceptata; vel etiam acceptata, sed non mutua repromissione corroborata, non facit sponsalia, quia hæc requirunt mutuum consensum utriusque contrahentis. Sanchez *de Matrim. lib.* 1, *disp.* 3. 6. *& 7.* Tamburin. *dict. cap.* 3. §. 1. *numer.* 2. *& 3.*

3. *Quær.* Quam obligationem pariant Sponsalia? *Resp.* Contrahendi matrimonium, & quidem sub pœna peccati mortalis in foro interno; & sub pœna censurarum, & aliarum ad arbitrium Judicis in foro externo, Tamburin. *ubi supra num.* 4. *& seqq.*

4. *Quær.* An Judex possit cogere Sponsum retinentem ad contrahendum matrimonium juxta Sponsalia sua? *Resp.* Plura esse de hac re Doctorum sententias, quas refert Aversa *de Matrimon. quæst.* 8. *sect.* 8. *Vers. Quinto dubitatur.* At omnes convenire in hoc, quòd Judex debet cum magna cautela procedere circa inflictionem pœnarum, & ubi potest prævidere malos exitus, debet potiùs abstinere à pœnis, & solas exhortationes adhibere; quia nemo invitus cogendus est ad matrimonium. Tamburin. *d. lib.* 8. *de Matrimon. tract.* 3. *cap.* 1. §. 1. *num.* 9. 10. *&* 11. Menoch. *cons.* 21. *num.* 69. Guttierez *Can. QQ. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 23.

5. *Quær.* An in causa Sponsalium Laicus sit Judex competens? *Resp.* Affirmativè, si de executione tractatur. Negativè, si de eorum validitate, vel invaliditate disputatur. Sanchez *de Matrimon. lib.* 1. *disp.* 29. *num.* 9.

6. *Quær.* An possint contrahi Sponsalia sub obligatione, ut qui promissis non stat, solvat pœnam aliquam; puta centum aureos, torquem aureum, vel quid simile? *Resp.* Negativè, quia ad servandam libertatem contrahentium matrimonia, jura irritaverunt has pœnas, formidine quarum posset quis invitus contrahere. *cap. Gemma de Sponsalib.* Aversa *d. quæst.* 8. *de Matrimon. sect.* 8. *Vers. Et quidem*, ubi docet, irrita etiam esse sponsalia contracta sub conditione pœnæ, porrò Arrhæ in sponsalibus non sunt prohibitæ, si contrahentes excedant vigesimum quintum annum. Arrhæ autem sunt sponsalitiæ largitates, quæ actu traduntur in sponsalibus ad securitatem matrimonii, & possunt dari Arrhæ ab uno sponso tantùm cum obligatione, ut si alter recusat adimplere sponsalia, restituat easdem Arrhas, & ulteriùs valorem earundem, vel etiam duplum, triplum, vel quadruplum, & non ultra. *l. Fin. C. de Sponsal.* Ideòque differentia magna est in contrahendis sponsalibus cum Arrharum traditione, & cum obligatione sub pœna; quia illæ sunt licitæ, ista nequaquam; prout etiam neque pignus simplex. Sanch. *d. lib.* 1. *disp.* 35. Tamb. *d. cap.* 1. §. 3. *per tot.*

7. *Quær.* An restitutio Arrhæ cum duplo, vel triplo debeatur in conscientia? *Resp.* Arrham, & ejus valorem in conscientia esse restituendam à recusante absque legitima causa adimplere matrimonium. At duplum, vel triplum valoris Arrharum non deberi ante judicis sententiam. Tamburin. *dict.* §. 3. *num.* 7. ubi idem docet etiam de solutione pœnæ, si fortè fuisset apposita.

8. *Quær.* An pœnam solutam à frangente fidem possit alter sponsus retinere tuta conscientia, sine judicis decreto? *Resp.* Affirmare Sanchez *de Matrimon. lib.* 1. *disput.* 30. *numer.* 2. Negare Hurtadum *de Matrimon. disput.* 1. *d. ff.* 18. *numer.* 77. cui adhæret Tamburin. *dict.* §. 3. *in fine*, quia cùm dicta

pœna sit reprobata à jure, nullus adest titulus, quo transferri possit dominium illius rei in recipientem.

9. *Quær.* Quid dicendum de illis, qui contrahunt Sponsalia animo ficto, idest sine intentione se obligandi, imò cum mente, & proposito ea non exequendi? *Resp.* Tali modo contrahentes peccare mortaliter, quia decipiunt proximum in re gravi, & obnoxios esse restitutioni damnorum, si quæ altera pars patiatur ex prædicta sponsione ficta. Aversa *quæst. 6. de Matrim. sect. 1. Vers. Quare.* Tambur. *d. tract. 3. cap. 1. §. 4. num. 2. & seqq.* ubi *num. 11.* subdit eum, qui promisit animo se obligandi, sed animo non exequendi, ultra peccatum, teneri ad contrahendum matrimonium; quod docet etiam Sanchez *lib. 4. disp. 9. num. 2.*

10. *Quær.* Quibus ex causis Sponsalia sint invalida? *Resp.* Si contracta sint ex errore, vel circa personam, vel circa qualitates contrahentium, prout etiam si inita sint per vim, aut metum, & non voluntariè. Tambur. alios allegans *d. lib. 8. de Matrim. tract. 3. cap. 2.*

11. *Quær.* Si pars decepta, vel vim in Sponsalibus passa, velit ea exequi, & matrimonium contrahere, an pars decipiens, vel quæ metum incussit, teneatur ad standum sponsalibus, & ad ea exequenda? *Resp.* Varias esse DD. sententias, sed negativam reputari magis probabilem, quia in contractu oneroso, ex sui natura ex utraque parte obligatorio, ad æqualitatem servandam, cùm pars decepta non sit obligata contrahere, neque pars decipiens debet habere hanc obligationem. Castropal. *d. 2. de Sponsal. p. 12. num. 2.* Sanchez *disput. 15. num. 5. lib. 4.* & Tambur. *d. tract. 3. §. 3. n. 11. 12. & 13.*

12. *Quær.* Quænam sit differentia inter sponsalia ab initio irrita, vel nulla ob aliquam legitimam causam, & sponsalia, quæ mutuo dissensu sponsorum solvuntur? *Resp.* Hanc esse differentiam, quòd ea, quæ ab initio sunt invalida, non pariunt impedimentum publicæ honestatis; quæ verò dissolvuntur mutuo dissensu, sed ab initio valida erant, pariunt dictum impedimentum. Tambur. *d. tract. 3. §. 1. num. 9. & 10.* ubi notat aliam differentiam, scilicet ex sponsalibus ab initio invalidis non resultare jus ad amplexus, & oscula.

13. *Quær.* An personæ suppositæ interdicto, nec non excommunicatione majore ligatæ validè contrahant sponsalia? *Resp.* Affirmativè circa suppositas interdicto; Negativè verò circa ligatas majori excommunicatione, quia excommunicati nulliter agunt quodcunque negotium. Jordan. *lib. 3. tit. 7. num. 146. & 147.* quamvis matrimonium validè contrahatur etiam ab excommunicatis, etsi non absque peccato. Barbos. *de Pot. Episcop. alleg. 32. num. 203.*

14. *Quær.* An sit necessaria aliqua forma ad contrahenda sponsalia. *Resp.* Negativè, sed sufficere consensum expressum vel verbis, vel signis juxta morem Patriæ. Tamburin. *dict. tract. 3. cap. 2. §. 3.* ubi *num. 1.* notat, apud Indos sponsalia fieri per hæc verba, *Sepeliam te, quando morieris.*

15. *Quær.* An matrimonium clandestinum, quod tanquam matrimonium est invalidum, inducat saltem valida sponsalia; ita ut qui contraxerunt sine Parocho, & testibus, obligentur iterum contrahere, quasi jure sponsalium obligati? *Resp.* Cum distinctione. Vel contrahentes prædicti sunt impuberes, & eorum matrimonium clandestinum, & nullum resolvitur in sponsalia, & ex sponsalibus sunt alligati. *cap. fin. de Desponsat. Impub. cap. Unico, §. Idem quoque, eodem tit. in 6.* At si contrahentes sunt puberes; non concordant Doctores in resolutione. Bossius *de Matrimon. cap. 1. §. 7.* cumulat pro se triginta quinque Auctores tenentes opinionem negativam, & dicentes matrimonium clandestinum nequaquam parere sponsalia valida, etsi interveniret in matrimonio illo Juramentum, ac etiam copula. E contra Aversa *de Matrimon. quæst. 8. sect. 3. Vers. Videtur.* allegans plurimos, ac declarationem Sac. Congregationis, tenet, ex dicto clandestino matrimonio resultare sponsalia valida; quia, inquiunt, Clandestinum non valet, eò quia à Sac. Tridentino Concilio irritum factum est, at non etiam irritavit sponsalia. Utramque opinionem nominat probabilem Tamburin. *dict. cap. 2. §. 4. num. 8. & 9.* quamvis videatur adhærere negativæ ob verba Sac. Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 1. de Matrimon.* quæ declarant contrahentes clandestinè omninò inhabiles ad contrahendum.

16. *Quær.* Quæ ætas requiratur ad contrahenda sponsalia? *Resp.* Requiri septennium; nisi ante ipsum sponsi pollerent usu rationis, nam etiam antea validè sponsalia contraherent. Pontius *de Matrimon. lib. 12. cap. 5.* Sanchez *lib. 7. disp. 104. num. 5. & 15.* Tambur. *d. tract. 3. cap. 3. §. 1. num. 3.*

17. *Quær.* An habentes inter se impedimenta dirimentia, vel non dirimentia matrimonium, possint validè sponsalia inter se inire? *Resp.* Negativè, tam si affecti sint impedimentis dirimentibus, quàm non dirimentibus, quia omnia impedimenta sunt dirimentia quo ad sponsalia. Nisi fortè ea contraherent sub conditione de futuro, post scilicet obtentam dispensationem, quo casu sponsalia inciperent valere habita dispensatione. Porrò antequam dispensatio obtineatur, nullius valoris dicerentur illa sponsalia; adeò ut ex eis non resultaret impedimentum publicæ honestatis, neque Jus ad amplexus, & oscula. *cap. 1. de Sponsi. in 6.* Sanchez *de Matrimon. lib. 5. disp. 5. num. 22.* Diana *par. 12. tract. 2. resol. 68.* & Tambur. *dict. tract. 3. cap. 3. §. 2.* Ex quibus sequitur post obtentam dispensationem opus esse novo consensu ad ineunda sponsalia, si illa erant priùs absolutè contracta. Rot. *dec. 2.* apud Dianam *par. 6. in fine.*

18. *Quær.* An licitum si apponere pacta, & conditiones in sponsalibus ineundis? *Resp.* Affirmativè, dummodo honesta sint, & non repugnent libertati matrimonii; & talia censentur, quæ de jure insunt in contractu, & à lege non sunt prohibita. *cap. De illis. De*

Condit. oppositi. l. Si ita stipulatus fuero, ff. de Verb. oblig.

19. *Quær.* Quot sint causæ, quibus sponsalia dissolvantur? *Resp.* Esse octo præcipuas, videlicet. *Primò*, Mutuum consensum sponsorum, si sint puberes, secùs si sint impuberes. *cap. De illis, & cap. A nobis. de Desp. impub. Secundò* Religionis ingressum. *Tertiò*, Sumptionem Ordinis Sacri. *Quartò*. Votum simplex castitatis, quamvis moderni Doctores contrarium dicant. Tamburin. *dict. tract. 3. c. 4. §. 4. num. 5. Quintò*, Matrimonium cum alia contractum. *Sextò*, Fornicationem alterius exsponsi. *Septimò*, Impedimentum superveniens tam dirimens, quam non dirimens matrimonium; quia, ut supra dictum est, quodlibet impedimentum matrimonii dirimit sponsalia. Et *Octavò*, notabilem mutationem supervenientem in sponsis, vel circa sanitatem corporis, vel bona animi, aut statum conditionis, & fortunarum. Latè Tambur. *dict. lib. 8. De Matrim. tract. 3. cap. 5. per totum.* Et generaliter justa causa dissolvendi sponsalia reputatur timor exhæredationis paternæ, odium capitale, timor scandali, inimicitiarum, & homicidiorum. Rota coram Sanctissimo Gregorio XV. *decis. 376. num. 9.* Vel si alter ex sponsis intelligat sponsum suum esse asperum nimis, Nicolius *Lucubrat. civil. lib. 1. tit. 10. num. 27. pag. 46. col. 1.* Et Judicis arbitrio remissum est à jure decernere, an legitimæ sint causæ recedendi à sponsalibus, & tales dicuntur, ubi de malo exitu timetur. *cap. Ex his. 10. De Sponsalib. cap. Quemadmodum 25. ubi* Gloss. & DD. *in verb. oculos. De jure jurand.* latè Rota *part. 14. recent. decis. 185.*

20. *Quær.* Si Antonia contractis sponsalibus cum Petro, nubat Paulo, ac non multò post remaneat vidua, & requiratur à Petro, ut exequatur secum sponsalia, tenebiturne ad ea exequenda? *Resp.* Discordes esse Doctores. Negat Sanchez *de Matrimon. lib. 1. disp. 48. num. 3.* ea ratione, quia sponsalia illa censentur extincta per matrimonium habitum cum Paulo. Affirmat Castropalaus *de Sponsal. decis. 1. punct. 21.* Ob eam rationem, quòd antedicta sponsalia non remanserunt extincta, sed suspensa. Hanc ultimam opinionem amplectitur Tamburin. quamvis & aliam dicat probabilem. *d. tract. 3. cap. 4. §. 5. num. 6.*

21. *Quær.* Si quis contractis sponsalibus cum una, contrahat iterùm sponsalia cum altera, eamque carnaliter cognoscat, quam tenebitur ducere in uxorem? *Resp.* Secundùm Castropal. & Pontium *de Matrimon. lib. 12. cap. 14.* tenebitur ducere secundam, quam carnaliter cgnovit, si ipsa inscia erat priorum sponsalium; ob nimium damnum, quod pateretur, si duceret primam. At secundùm Sanchez *de Matrimon. lib. 8. disp. 49.* tenetur omninò ducere primam, cui se adstrinxit per priora sponsalia, & dotare secundam; nisi fortè ipsa prima ex charitate concederet, matrimonium fieri cum secunda. Diana *part. 11. tractat. 2. resol. 70.*

22. *Quær.* Si Franciscus contrahat sponsalia cum Berta, deinde etiam cum Antonia (invalidè, & cum peccato:) At subindè moriatur Berta, eritne obligatus servare sponsalia & ea adimplere cum Antonia? *Resp.* Multi multa dicunt, sed negativa opinio præ valet; videlicet, non teneri, & ratio est, quia hæc secunda sponsalia ab initio fuerunt invalida; & quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit. *cap. Placet. De Conver. Conjug.* Tambur. *d. tract. 3. cap. 5. §. 5. num. 17. 18. & 19.*

23. *Quær.* Si quis desponsasset suam consanguineam sub conditione, si Papa dispensaverit, & deindè contraxisset sponsalia cum altera non consanguinea: Obtenta dispensatione Pontificia, tenebiturne matrimonium contrahere cum prima consanguinea, vel cum secunda? *Resp.* Teneri contrahere cum secunda; quia, ut supra dictum est, sponsalia cum consanguineis non valent, & opus est novo consensu post obtentam dispensationem. Tambur. *d. cap. 5. §. 5. num. 26.* Dian. *part. 11. tract. 1. resol. 70.*

24. *Quær.* An copula carnalis illata sponsæ per vim ab aliquo rumpat sponsalia, adeò ut sponsus possit ab eis resilire? *Resp.* Affirmativè, quia licèt sponsa non peccaverit, tamen vilis nimis efficitur, & videretur afferre dedecus sponso, si ei nuberet. Tambur. *d. tract. 3. cap. 5. §. 6. num. 2.*

25. *Quær.* An oris graveolentia, vulgò *Puzza del fiato* sit causa sufficiens ad tollenda sponsalia? *Resp.* Affirmativè. Sanchez *d. lib. 1. disp. 57. num. 2.*

26. *Quær.* Si Petrus pauper desponset Antoniam pauperem; & deinde ipse Petrus obtineat magnam hæreditatem, & efficiatur dives, poteritne deserere sponsam pauperem, & ditiorem fœminam sibi desponsare? *Resp.* Gasp. Hurtad. *disput. 2. de Matrimon. diff. 14. n. 5.* affirmare; sed contrariam sententiam esse magis receptam à Doctoribus, quos allegat, & sequitur Tamburin. *dict. tract 3. cap. 5. §. 8. n. 13. 14. & 15.* ubi ex Leandro asserit utramque probabilem. Qui plura desiderat scire de sponsalibus legat meas Decisiones *de Matrimonio de Anno 1684. Mensibus Augusti, Septembris, & Octobris.*

CAPUT CXLII.

De his, quæ spectant ad Matrimonium tanquàm contractum.

1. *Quær.* Quæ sint essentialia matrimonii tanquàm contractus? *Resp.* Ut fiat per liberum consensum inter personas habiles ad contrahendum, ad hoc ut possint usq; ad mortem simul vivere. Ideò causa *efficiens* matrimonii est consensus contrahentium, causa *formalis* est expressio dicti consensus, causa *materialis* corpora ipsorum contrahentium, & *finalis* est procreatio prolis, & prædictorum omnium respectu definitur Matrimonium, quòd sit *Viri, & fœminæ habilium ad prolem generandam consensus mutuus, quo scilicet ii dant invicem, acceptantque jus, & dominium corporum ad finem prædictæ prolis generandæ, quique ad rationem Sacramenti est à Christo Domino elevatus.*

Ita

Ita Tamburin, *d. lib. 8. de Matrimon. tract. 4. cap. 1. §. 1. num. 3.*

2. *Quær.* Quot sint species, seu subalterna genera matrimoniorum? *Resp.* Tria; nempè *Legitimum, Ratum, & Consummatum.* Matrimonium *Legitimum* est, quod consideratur in solo contractu naturali. *Ratum* est, quod à fidelibus est initum, & habet rationem Sacramenti. *Consummatum*, quod completum est copula carnali. Differunt inter se hæc genera matrimoniorum, quòd legitimum est dissolubile favore fidei, quando alter ex conjugibus convertitur ad fidem. Ratum dissolvitur favore Religionis, quando unus ex sponsis vult in Monasterio profiteri. Consummatum est penitùs indissolubile, nisi morte intercedente. *cap. Debitum. De Bigam.* Ex præmissis colligitur sequens mystica significatio, nempè ex Matrimonio Legitimo significari conjunctionem Dei per gratiam cum anima fideli. Ex Rato conjunctionem Christi per baptismum cum tota Ecclesia. Ex consummato conjunctionem Verbi Divini cum natura humana per conjunctionem hypostaticam. Tambur. *ubi supra §. 2. num. 3.* ubi notat matrimonium ratum esse propriissimè matrimonium, ut de conjugio Deiparæ cum S. Josepho docet S. Thom. *in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 1. q. 1. ad 3.* & Suarez *3. p. tract. 2. dist. 7.*

3. *Quær.* Ad quæ se debeat extendere consensus contrahentium matrimonium? *Resp.* Ad tria bona ejusdem matrimonii, videlicet ad bonum Sacramenti, ad bonum Prolis, & ad bonum Fidei. Bonum Sacramenti consistit in indissolubilitate. Bonum Prolis in procreatione filiorum. Bonum Fidei in servanda fidelitate, & evitanda quacunque adulterina copula; & sub hoc bono complectitur obligatio cohabitandi cum conjuge, reddendique debitum. Tamburin. *dict. tract. 4. cap. 2. §. 3.*

4. *Quær.* An sit validum matrimonium, si contrahens intendat in corde suo se obligare tantummodo ad unum dictorum bonorum, vel ad duo solùm, vel ad neutrum? *Resp.* Theologos esse inter se discordes, prout refert Sanchez *de Matrimon. lib. 2. disp. 29. à num. 8. & seqq.* Porrò germana responsio est, quòd si contrahens excludat in sua intentione Bonum Sacramenti, idest vitæ indissolubilitatem, matrimonium non esse validum. Si verò hoc bonum intendat, sed alia duo bona excludat in sola intentione, referendo se ad executionem, ad quam proponat non devenire, matrimonium erit validum; secùs si intenderet, se non obligare ad illa; & multò minùs si hanc pravam intentionem deduceret in pactum, latè Sanchez *ubi supra*, & Perez *de Matrimon. disp. 13. sect. 5.*

5. *Quær.* An peccet, qui contrahit matrimonium non ob finem dictorum trium bonorum, sed intuitu lucrandæ dotis, vel nobilitatis acquirendæ? *Resp.* Non peccare, si finem dictorum trium bonorum positivè non excludat; nam licet primariò videatur intendere tantùm fines illos, tamen in consequentiam intendere censetur etiam tria bona prædicta Sacramenti, Prolis, & Fidei. Sanch. *d. lib. 2. disput. 29. num. 25.* & Tambur. *d. cap. 2. §. 3. à num. 5. & seqq.*

6. *Quær.* An sit de necessitate exprimere consensum verbi in contrahendo matrimonio? *Resp.* Negativè, quia sufficit, consensum exprimere signis, & nutibus, (certis tamen; & non dubiis) non solùm si sponsi careant loquela. *cap. Cum. apud Sedem, & cap. Tua. De Sponsal.* Sed etiam si loqui valeant. Sanchez *lib. 2. disp. 31. num. 5.* ubi plurimos cumulat Doctores sic sentientes; & Tambur. *d. tract. 4. cap. 3. num. 3. & 4.*

7. *Quær.* An sit necesse, ut vir, & mulier simul uno, & eodem tempore proferant suum consensum? *Resp.* Negativè, nam satis est, si unus post alterum proferat, etiam post diuturnum tempus, dummodo consensus alterius non fuerit revocatus, quia nec ratio contractus, nec ratio Sacramenti requirit simultatem in dando consensu. Aversa *de Matrimon. quæst. 3. sect. 6.* Sanchez *d. lib. 2. disp. 32.* & Tambur. *dict. cap. 3. num. 7.* ubi notat, Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrimon.* requirere quidem præsentiam Parochi, & testium, non etiam simultatem consensus contrahentium.

8. *Quær.* An matrimonium possit contrahi ab absente per Procuratorem? *Resp.* Affirmativè; *cap. fin. de Procurat. in 6.* Sed Procurator ille debet adamussim servare tenorem mandati, cujus limites excedere non potest, aliàs matrimonium erit invalidum. Pontius *de Matrim. lib. 2. cap. 15.* Sanch. *d. lib. 2. disp. 11. num. 13.* & Tambur. *d. tract. 4. cap. 4. §. 1. num. 2.* ubi advertit, in hujusmodi Procuratoribus non esse necessariam sexuum diversitatem, & sic posse esse duas mulieres, vel duos viros, quia non contrahunt nomine proprio, sed nomine alieno. Prout etiam posse fieri Procuratorem cujuslibet ætatis, & qualitatis ad effectum præmissum, dummodo sit compos mentis; & ulteriùs posse dari mandatum, idest consentiendo in eam, quam elegerit Procurator in uxorem mandantis; ut concedit Diana *par. 11. tract. 3. res. 33.*

9. *Quær.* Quid dicendum, si expedito mandato procurationis, mandans revocet consensum, sed Procurator inscius revocationis prædictæ, contrahat matrimonium nomine ejusdem mandantis? *Resp.* Matrimonium esse nullum; quia, in negotiis civilibus valent gesta per Procuratorem revocatum, quando revocatio nec Procuratori, nec parti nota est. *l. si Mandatum, ff. Mandati.* Tamen secùs est in matrimonio; & ratio diversitatis est, quia in temporalibus, & merè politicis Respublica supplere potest consensum contrahentium, non autem in Sacramento matrimonii, de cujus essentia est, ut interveniat verus, & realis consensus conjugis. Tamburin. *d. cap. 4. §. 1. num. 5. 6. & 7.*

10. *Quær.* An validum sit Matrimonium contractum per Procuratorem deputatum absque consensu vero deputantis, (puta quia per vim, & metum deputavit) si tamen ante contractum matrimonii, deputans incipiat in suo corde consentire, & verè consentiat? *Resp.* Affirmare Sanchez *d. lib.*

d. lib. 2. disp. 11. num. 13. Sed negare Coninch. *disp. 24. dub. 9. n. 72.* cui adhæret Tamburin. *ubi supra num. 10.* ea ratione quia, cùm prima constitutio Procuratoris fuerit nulla, ipse nulliter contraxit; & nihil relevat consensus constituentis, donec constituat novum Procuratorem validè.

11. *Quær.* An subsistat Matrimonium per Procuratorem contractum, si antequam contraheretur, constituens factus sit Amens? *Resp.* Esse hinc indè opiniones; sed tutiorem reputari negativam, eò quia per Amentiam constituens redditur omninò inhabilis ad contrahendum; & nullum effectum potest operari mandatum, maximè quia alter conjux consentiendo supponit, mandantem esse habilem ad suum quoque consensum dandum. Pon. *lib. 2. cap. 15. num. 14.* Diana *par. 3. tract. 4. resp. 40.* Tambur. *ubi supra num. 11. 12. & 13.* declarando, se intelligere de vera amentia, non autem de phrænesi ad aliquod tempus; hæc enim æquiparatur ebrietati, & non amovet hominem à statu humano.

12. *Quær.* An possit quis contrahere Matrimonium per Epistolam; scribendo scilicet sponsæ, se eam ducere in uxorem? *Resp.* Castropal. quem allegat, & sequitur Tamburin. *ubi supra §. 2.* affirmare; idemque teneri à Nicolao Genua J. U. D. Patavino *in suo tract. de Script. Privat. lib. 3. quæst. 31.* sed quidquid sit in abstracto, certum est, quòd in praxi difficillimum, ne dicam impossibile, videtur; quia cùm utriusque contrahentis consensus præstandus sit coram Parocho, & testibus, non videtur sufficere Epistola; tantò magis quia potest subjacere fraudibus, & falsitati; ideòque talis forma contractus non est practicanda, ut advertit Coninch. *de Matrimon. disp. 24. num. 80.* in fine. Et monet Parochos Tamburin. *d. lib. 8. tract. 4. cap. 5. §. 10.*

13. *Quær.* An licitum sit contrahere matrimonium sub conditione? *Resp.* Distinguendum est; nam conditio est vel de præterito, vel de præsenti, vel de futuro. Si conditio est de præterito, aut de præsenti; e. g. Duco te, si es soror Reverendi Parochi; vel nubo tibi, si assecutus es nobilitatem Venetam; & in hoc, vel in his casibus matrimonium statim valet, si conditio est vera, & è contra remanet nullum, & invalidum, si conditio est falsa. Vel conditio est de futuro, ut duco te, si pater meus consenserit, vel nubo tibi, si Lauream Doctoratus assequeris; & in his casibus matrimonium non valet, nisi adveniente conditione, & ea verè completa. Tambur. pluribus citatis Doctoribus, & pluribus eorum recensitis dictis *lib. 8. de Matrim. tract. 4. cap. 5. §. 1. 2. & 3.* per totum. Illud autem non est ignorandum, quod ubicunque conditio est contra substantiam matrimonii; matrimonium vitiatur, & non valet; si verò conditio non est contra matrimonii substantiam, matrimonium valet; quamvis conditio sit turpis, vel impossibilis, quia ipsa conditio pro non apposita habetur. *cap. Si conditiones 7. de Condit. appos.* ubi in textu, & in Glossa dantur exempla. Quæ tamen conditiones impossibiles si apponerentur expresso animo impediendi matrimonium, nunquam valerent. Tambur. *ubi supra §. 5. num. 8.*

14. *Quær.* An conditione de futuro adveniente, sub qua fuerat Matrimonium contractum, opus sit novo consensu cum præsentia Parochi, & testium? *Resp.* Duas esse Theologorum sententias. Prima est negativa, videlicet non esse opus novo consensu, quia matrimonium contractum fuit validè ab initio, quamvis sub conditione de futuro, (supposito tamen, quòd tunc interfuerit Parochus, & testes) & ita tenent Sanchez *de Matrim. lib. 5. disp. 8. num. 5.* Card. de Lugo *de Just. disp. 22. §. 14. num. 386.* & alii, quos citat Tamburin. *ubi supra §. 4. num. 3.* Secunda est affirmativa; quæ vult, opus esse novo consensu, cum nova præsentia Parochi, & testium; ea ratione, quia primus consensus non potest habere aliam vim quàm sponsalium, & sic matrimonii de futuro, non autem matrimonii de præsenti; quod expresè patet, quia antequam conditio de futuro adimpleatur, possunt contrahentes revocare consensum, & à contractu recedere. Hanc sustinet Pontius, alios allegans *de Matrimon. lib. 3. cap. 14.* & amplexa est *Rota Romana*, quam transcribit Dian. *in fine par. 6. decis. 6.* & ab hac secunda non esse recedendum sentit Tamburin. *d. §. 4. num. 11.* quamvis primam quoque probabilem putet, ob auctoritatem gravissimorum virorum. Idem docet Fagnan. *in cap. Super eo. De Condit. appos. ubi num. 4. & seqq.* ostendit, Emin. Cardinales, qui de hoc quæsito tractarunt in S. Congregatione Concilii, fuisse valdè perplexos, & in utramque sententiam iisse.

15. *Quær.* An Matrimonium coram Parocho, & testibus contractum à viro sub conditione, *si mulier est legitima*, ac deinde consummatum; validum sit, nec nè, si postea constiterit mulierem illegitimam esse? *Resp.* Non esse validum, quia etsi error in qualitate non vitiet matrimonium, tamen ubi illa ponitur sub conditione, utique vitiat, nam impedit consensum, sine quo, neque deveniendo ad copulam, conjugium valet, ut eruditè disputat, & concludit D. Fagnan. *in d. cap. Si conditiones, à num. 13. & seqq. De Condit. appositis.* quod studioli notare debent.

16. *Quær.* Quæ sint conditiones contra substantiam Matrimonii? *Resp.* Esse illas, quæ destruunt tria bona matrimonii, nempe Sacramenti, Fidei, & Prolis. Exempli gratia. *Contraho tecum, donec aliam pulchriorem inveniam;* hæc est conditio contra bonum Sacramenti, quod est indissolubile. Vel *Concraho tecum, si te adulterandam tradideris;* hæc est contra bonum fidei, quæ inviolabilis inter conjuges esse debet; Vel *Contraho tecum, si vitabis generare, vel educare prolem.* Et hæc est contra bonum prolis; ideò hæ conditiones dicuntur contra substantiam matrimonii, quia sunt contra ejus tria bona, & irritant matrimonium, quod substistere non potest sine substantia. Reliquæ conditiones, quamvis turpes, ut *duco te, si homicidium feceris;*

vis; vel impossibiles, ut *si volaveris*, *vel regnum mihi dederis*, non irritant matrimonium, sed ipsæ irritantur; nam præsumuntur positæ ex joco, & cum consensu, & propterea ubicumque contraret, eas fuisse appositas ad impediendum consensum, matrimonium non valeret. *DD. in d. cap. fin. de Condit. appos.* & Tambur. *d. lib. 8. de Matrim. tract. 4. §. 5. num. 8. & §. 8. per totum.*

17. *Quær.* Quomodo verum sit, conditionem contra bonum prolis irritare Matrimonium; nam certum est, valere Matrimonium, etsi conjuges voveant servare castitatem, ut de Deipara, & S. Josepho docent S. Patres, & Doctores? *Resp.* Conditionem contra bonum prolis irritare matrimonium, si per media illicita prolis generatio impediatur, nempè per potiones ad sterilitatem inducendam, vel fœtum necandum. Secùs verò si ob bonum finem, & medium licitum; quale est votum ex utriusque conjugis consensu; nam de essentia matrimonii est obligatio transferendi corpus ad generationem, non autem ipsa actualis generatio. Hurtad. *de Matrim. disp. 7. diff. 9.* & Tamburin. *ubi supra §. 8. num. 4. & 5.*

18. *Quær.* Quotiescumque Matrimonium non tenet ex aliquo impedimento, quo ab initio viget, si postea cesset, an opus sit, ut iterùm per novum consensum coram Parocho, & testibus præstandum contrahatur? vel sufficiat, ut conjuges inter se Matrimonium revalident, & confirment? *Resp.* Opus esse, ut iterùm contrahant, & novum consensum præstent coram Parocho, & testibus, quia id est de forma matrimonii; & non sufficere, si inter se tantùm velint matrimonium revalidare; ut docet Guttierez *in Canon. Quæst. cap. 18. num. 4. & seqq.* Navarr. *cons. 14. de Sponsal.* & tenuit Rota coram SS. Gregorio XV. *decis. 395. per totam*, quæ est Magistralis in hac materia, & ad quam in praxi tam Judices, quàm Advocati debent recurrere.

CAPUT CXLIII.

De his, quæ pertinent ad Matrimonium tanquàm Sacramentum.

1. *Quær.* An fidelis possit contrahere Matrimonium ut solùm contractum, non verò ut Sacramentum? *Resp.* Theologos de hoc inter se discrepare. Nam affirmant multi, quos allegat, & sequitur Pontius *de Matrimon. lib. 1. cap. 9. num. 3.* exemplo Baptismi, in quo quis potest abluere, & verba proferre, sed sine intentione conficiendi Sacramentum, quo casu non efficitur Sacramentum. E contra negat Suarez, Sanchez, & alii citati ab Aversa *qu. 1. de Matrim. sect. 5. Vers. Constans.* & Castropal. *d. 2. de Sponsal. par. 2. num. 5.*

2. *Quær.* Quænam sit materia, & forma Sacramenti Matrimonii? *Resp.* Etiam in hoc diversas, & quidem plures esse sententias Theologorum, & Canonistarum; sed tres esse probabiliores, & à doctissimis viris amplexas, quas studiosus debet bene memoriæ suæ mandare. *Prima*, quòd materia Sacramenti Matrimonii sint corpora conjugum, forma verò sint verba eorumdem, dum consentiunt in matrimonium. Ita Layman pluribus citatis *lib. 5. Theol. mor. tract. 10. part. 2. cap. 2. num. 3.* *Secunda*, sententia Cardinalis Toleti in *Sum. lib. 7. cap. 6. num. 2.* quòd Materia sit consensus interior utriusque conjugis; forma verò signa exteriora, quibus consensus exprimitur, sivè sint verba, sivè nutus; sivè per se, sivè per Procuratores. *Tertia*, sententia Thomæ Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 5. num. 6.* quòd materia sit expressio consensus utriusque conjugis per verba, sed nutus facta; forma autem sit acceptatio ejusdem consensus reciprocè ab iisdem congibus per verba, aut nutus completa; & huic ultimæ sententiæ adhæret Tambur. *d. lib. 8. de Matrim. tract. 5. cap. 1. num. 4.*

3. *Quær.* Quis sit Minister in hoc Sacramento Matrimonii? *Resp.* Rejecta antiquorum opinione, communem esse sententiam Theologorum, & Canonistarum, Ministros esse ipsos contrahentes; ideòque Parochum non esse Ministrum; quia, ante Concilium Tridentinum, valebat Matrimonium contractum sine præsentia Parochi; ex quo deducitur, Parochum non peccare, si assistat matrimonio in peccato mortali, quia nec Sacramentum ministrat, nec suscipit. Conjuges verò peccare mortaliter, contrahendo in peccato mortali, quia suscipiunt Sacramentum absque gratia, quæ requiritur in susceptione Sacramentorum. An autem peccent etiam tanquam ministri conferentes sibi hoc Sacramentum in statu peccati mortalis? Affirmant Navarrus *in cap. 1. §. Sacerdos n. 10. de Pœnit. dist. 6.* eò quia sunt ministri ex officio ad hoc deputati. Negat Sanchez *d. lib. 2. disp. 6. num. 4.* ea ratione, quia licet sint ministri deputati, non tamen sunt consecrati; & ad hoc ut minister peccet ministrando in peccato, necessaria est consecratio. Tamburin. *ubi supra cap. 2. num. 4. & de Sacram. in genere, lib. 1. cap. 2. § 3. num. 4.*

4. *Quær.* An Matrimonium contractum inter absentes per Procutatorem sit Sacramentum? *Resp.* Affirmativè, quia ratio matrimonii tanquam contractus naturalis elevata est à Christo Domino ad rationem Sacramenti, & sicut matrimonium contractum per Procuratorem est verè, & propriè contractus, sic etiam univocè est Sacramentum. Castropal. *de Sponsal. d. 2. p. 2. num. 26.* Hinc Procuratores non peccant, licet contrahendo matrimonium non sint in gratia; quia ipsi non sunt ministri suscipientes, vel conferentes Sacramentum, sed ipsimet conjuges, quamvis absentes; qui propterea debent esse in gratia tempore, quo verisimiliter putant, eorum Procuratores nomine ipsorum contrahere; & ideò etiamsi eo tempore dormirent, reciperent augmentum gratiæ, prout fit in eo, qui vigilans, vel sanus petit Baptismum, & dum dormit, vel dum phræneticus est, baptizatur. Tamburin. *dict. tract. 5. cap. 3. num. 3.*

5. *Quær.* An Matrimonium Infidelium ante conversionem initum sit indissolubile?

Resp. Esse omninò indissolubile, sivè consideremus illud ratum, & consummatum, sivè tantummodò ratum, quia de jure naturæ illicitus est concubitus vagus, & indifferens communicatio virorum, & uxorum; ne proles sint incertæ, & ne deserantur in educatione; præterquàm quod Deus statuit à principio hanc indissolubilitatem, cùm dixit *Gen. 2. Quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: undè subdit Christus Dominus: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Ita Tambur. *dict. lib. 8. de Matrim. tract. 5. cap. 5. §. 1. Qui §. 2.* duo deducit: Unum, quòd si convertatur ad fidem infidelis habens plures uxores, debet primam tantummodò retinere, licèt nunquàm consummasset cum illa matrimonium, sed utique cum reliquis; nam reliquæ sunt adulteræ, prima verò est sola vera uxor. *cap. Gaudemus. De Divortiis.* Alterum, Pontificem non posse dissolvere matrimonium duorum infidelium, etsi ratum, non consummatum, quia nullam habet auctoritatem in eos, qui sunt extra Ecclesiam.

6. *Quær.* An dissolvi possit Matrimonium infidelium consummatum tantummodò ante conversionem, sed non consummatum post eorum conversionem ad fidem? *Resp.* Affirmare Sanchez, & Navarrum ab eo citatum, *lib. 2. disput. 17. num. 2.* quia censetur in hoc casu esse matrimonium ratum. At negant communiter omnes Doctores alligati à Tamburin. *d. cap. 5. §. 2.* quia cùm fuerit consummatum ante Baptismum etiam post Baptismum retinet qualitatem matrimoniorum consummatorum, quæ sunt omninò indissolubilia.

7. *Quær.* An dissolvatur Matrimonium Infidelium, si unus tantùm ex ipsis convertatur ad fidem? *Resp.* Cum distinctione: vel infidelis vult perseverare in conjugio cum fideli, & in hoc casu matrimonium non dissolvitur, vel infidelis non vult habitare, vel si habitat, id facere intendit cum injuria Creatoris, & Baptismi, tentando scilicet subvertere baptizatum, vel eum provocando ad peccatum, & in his casibus matrimonium dissolvitur, *cap. Quanto, & cap. Gaudemus. De Divortiis.* Hæc autem dissolutio fit ex speciali mandato Christi Domini, in favorem fidei ab Apostolo Paulo promulgato, dum dixit: *Quòd si infidelis discedit, discedat, non enim servituti* (idest ligamini conjugali) *subjectus est frater, aut soror in hujusmodi. 1. Cor. 7.* Ideò si Infidelis vult habitare cum fideli absque injuria Creatoris, vel fidei, non potest fidelis alias nuptias contrahere, nam ex eodem Apostolo: *Mulier infidelis sanctificata est per virum fidelem*, idest de facili obtinetur conversio ejusdem infidelis, & sic hodie servari in India, & Japonia testatur Hurtad. apud Tamburin. *dict. lib. 8. tract. 5. cap. 5. §. 3. num. 6.*

8. *Quær.* An infideles conjuncti Matrimonio in gradibus prohibitis, si veniant ad fidem, sint separandi? *Resp.* Negativè. *cap. Gaudemus. De Divortiis.* Ricciul. *de Jure Person. extr. grem. Eccl. existen. lib. 2. cap. 3. num. 9.*

9. *Quær.* An dissolvatur Matrimonium, si unus ex conjugibus fiat Apostata à fide, vel in hæresim incidat. *Resp.* Negativè, non solùm in Matrimonio consummato, sed neque in Rato tantùm. Tambur. *ubi supra num. 7.*

10. *Quær.* An suscepto Baptismo possit conjux conversus ad fidem statim cum alia fideli Matromonium inire, vel opus sit sententia Judicis pro novo ineundo Matrimonio? *Resp.* In puncto juris non esse opus sententia, quia illicò conjux conversus ad fidem potest novum matrimonium inire, quando manifesta est obstinatio alterius conjugis infidelis, & ejus recusatio circa habitationem cum fideli. Porrò ad evitandas lites super validitate futuri matrimonii, utile erit, si præcedat monitio judicialis, cum termino competenti, in quo infidelis possit deliberare vel de fide amplectenda, vel de cohabitando cum fideli absque injuria Creatoris, & Fidei; & interim fidelis non poterit contrahere novum matrimonium, prout neque ipse infidelis. Sanchez *lib. 7. disp. 74. à num. 11. disp. 76. num. 2.*

11. *Quær.* Si uxoratus infidelis veniat ad fidem, & subindè vel suscipiat ordines Sacros, vel emittat Professionem Religiosam, an dissolutum remaneat Matrimonium antea contractum, & consummatum cum infideli? *Resp.* Discordes esse Theologos in opinione, & negativam videri probabiliorem; quia dissolutio ad hunc solum finem concessa est à Christo Domino, ut fidelis conversus non subeat periculum incontinentiæ, & possit, si velit, ducere uxorem. Ideò per professionem Religiosam converso ad fidem, non dissolvitur vinculum matrimonii quo ad infidelem, si jam fuerat consummatum. Sanchez *lib. 7. disp. 76.* & Tamburin. *ubi supra num. 10. & seqq.*

12. *Quær.* An matrimonium fidelium Ratum, non consummatum possit dissolvi auctoritate Pontificis quacunque ex causa? *Resp.* Affirmativè, si causa sit gravis, & justa; non obstante plurimorum Theologorum opinione contraria, ut tenet Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 16. num. 6.* & à Sac. Congregatione decisum esse *die 20. Aprilis 1613.* testatur Fagnan. *in cap. Perniciosam. num. 61. de Offic. Ordinarii.* & Tambur. *dict. tract 4. cap. 6. §. 1.* ubi id concedit etiam altero conjuge invito, urgente gravi causa, quæ talis reputatur, si subsint pericula gravium rixarum, vel scandalorum; si mutua cohabitatio esse non possit, vel ob lepram, vel ob infirmitatem contagiosam, seu sterilitatem; si sit magna inæqualitas inter conjuges; prout etiam si vir assumeretur ad Episcopatum tanquàm valdè necessarius ad bonum commune. Novissimè hanc affirmativam opinionem tuetur Jacobus Pignatellus *tom. 1. Consult. 147. à num. 4. & seqq.* ubi plurimos concordantes allegat, & Rotæ sententiam, ac Sacr. Congregationis plura decreta adducit.

13. *Quær.* An matrimonium Ratum, dissolutum per Professionem Religiosam revalidetur, si sponsus Religiosus obtineat dispensationem Pontificiam à votis, & egrediatur è Religione? *Resp.* Negativè, quia semel solutum,

tum, semper remanet solutum; ideò iste dispensatus poterit uxorem ducere quamcunque voluerit, nec tenetur primam accipere. Leander *de Matrim. decis. 5. qu.* 10. Tambur. *d. cap. 6. §. 2. num. 2.*

14. *Quær.* An matrimonium Ratum non consummatum dissolvatur per sumptionem ordinis Sacri? *Resp.* Negativè, quamvis in eo insit votum solemne castitatis. *Extravag. Antiquæ de Voto.* Tamburin. *d. tract. 5. cap. 6. §. 2. num.* 13. ubi id procedere dicit, etiamsi uxoratus sumeret Sacerdotium, ac etiam Episcopatum, quia solutio hæc solus professionis religiosæ propria est, nisi intercedat Auctoritas, & dispensatio Summi Pontificis ob aliquam urgentem causam, ut dictum est *dict. num.* 12.

15. *Quær.* Intra quantum tempus sit deliberandum ab illo, qui matrimonium ratum consummare non vult, prætextu futuræ Religionis? *Resp.* Regulariter intra bimestre, quod tamen à Judice poterit vel prorogari, vel coarctari; & interim licite potest negare debitum; etiamsi verè non haberet animum ingrediendi Religionem; nam forsan potest acquirere intra bimestre animum, quem tunc non habet. Sanchez, Castropal. & alii, quos citat, & sequitur Tamburin. *d. cap. 6. §. 3.*

16. *Quær.* An dissolvi possit matrimonium, si intra bimestre conjux cogitans de Religione ingredienda cognoscatur carnaliter per vim à suo conjuge, & copula non obstante coactus velit Religionem ingredi? *Resp.* Matrimonium non dissolvi, sed coactum ad copulam posse Religionem ingredi, si intra bimestre fuerit coactus; & sic qui vim intulit, in pœnam suæ violentiæ carebit facultate ducendi aliam uxorem. Sanchez *lib. 2. disp. 22. num.* 15. & Tambur. *dict. §. 3. num. 5. 6. & 7.*

17. *Quær.* Si sponsi antequam contrahant matrimonium per verba de præsenti, se carnaliter cognoverint, possint intra bimestre post contractum Matrimonium per verba de præsenti, non renovata copula, matrimonium dissolvere, convolando ad Religionem? *Resp.* Posse, quia indissolubile non fit matrimonium per copulam habitam post contractum matrimonium per verba de præsenti; secùs autem si per verba de futuro, quia tunc non est matrimonium. Tamburin. *d. §. 3. num. 8.*

18. *Quær.* An dari possit casus, in quo matrimonium ratum, & consummatum dissolvi possit? *Resp.* Negativè, quia indissolubile est usque ad mortem quoad vinculum, licèt secùs sit quo ad divortium, & simplicem cohabitationem. Tamburin. *dict. lib. 8. de Matrim. tract. 5. cap. 6.* ubi notat, tunc matrimonium dici consummatum, quando semen virile receptum est intra vas mulieris; quod quamvis regulariter requirat penetrationem vasis, nihilominus si receptio etiam sine penetratione fieret, matrice attrahente (quod fieri posse docet Zacchias *in qq. Medico-leg. lib. 3. tit. 2. q. 8. num. 7. & 8.* & ego dixi de Pœnitentia *Decis. 27. num.* 19.) adhuc censetur matrimonium consummatum, & per consequens indissolubile.

CAPUT CXLIV.

De Solemnitatibus necessariis in contrahendo Matrimonio.

1. *Quær.* Quæ, & quot sint solemnitates necessariæ in matrimonio contrahendo? *Resp.* Tres, nempè *Primò*, Præsentiam Parochi, & saltem duorum testium, sub pœna nullitatis ex Concil. Trident. *sess. 24. de Ref. Matrimon. cap.* 1. de qua dictum est supra. *Secundò*, Denunciationes faciendæ per Parochum ante matrimonii celebrationem. Et *Tertiò* Benedictionem dandam ab eodem Parocho post contractum matrimonium. Tambur. *d. lib. 8. tract. 6. cap.* 1.

2. *Quær.* Quænam culpa sit omittere denunciationes ante contractionem matrimonii? *Resp.* Esse culpam mortalem, nisi fortè omitteretur tantùm tertia denunciatio in casu nulli periculo subjecto, vel nisi dispensatio concedatur à Superiore. Sanchez *de Matrim. lib. 3. disput. 5. num. 7.* & Tamburin. *dict. tract. 6. cap. 3. §. 1.*

3. *Quær.* Cui competat dispensare, ne denunciationes fiant? *Resp.* Competere Episcopis, ac aliis Prælatis jurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus; nec non eorum Vicariis Generalibus. Tamburin. *dict. §. 1.* Barbos. *de Offic. & Potest. Episc. alleg. 32. num. 28.* & Genuens. *in Praxi Curiæ Archiepiscop. cap. 26. num.* 1.

4. *Quær.* Quænam sint causæ, ob quas Ordinarii possunt dispensare, ne fiant denunciationes ante matrimonium? *Resp.* Eas reduci ad duo genera causarum. Primum est, si probabilis sit suspicio, ne matrimonium malitiosè impediatur. Concil. Trident. *dict. sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* Alterum, si immineat grave periculum animæ, corporis, vel famæ ipsorum contrahentium. Sanchez *lib. 3. disp. 9. de Matrimon.* In specie autem à Canonistis solent notari sequentes causæ; videlicet, *Primò*, Inæqualitas contrahentium, ubi nobilis ducit ignobilem, dives pauperem, senex juvenem. *Secundò*, Si concubinarius in articulo mortis velit in uxorem ducere concubinam ad legitimandam Prolem, quo casu solus Parochus dispensare potest, si tempus non permittat accessum ad Episcopum, vel Vicarium. *Tertiò*, Si puella sit sub tutore, qui malitiosè differat ejus matrimonium. *Quarto*, Si puella defiorata fuerit à sponso, quem timor sit, si differatur, eam ampliùs non esse ducturum. *Quintò*, Si immineat tempus Adventus, vel Quadragesimæ, dummodo malitiosè ei approximatum non extiterit. *Sextò*, si matrimonium contrahendum sit inter Magnates, de quorum nullo impedimento satis manifestè constat. Jordan. *lib. 3. tit. 7. num. 54.* ubi de Patritiis Venetis loquitur. Genuens. *in Praxi Curiæ Archiepiscop. cap. 26. à num. 2. & seqq.* Barbosa *de Offic. & Potest. Episcop. alleg. 32. n. 40. & seqq. qui n. 52.* notat, dari appellationem à denegata per Ordinarium dispensatione denunciationum in casibus prædictis. At in praxi servatur, ubi petatur dispensatio denuncia-

ciationum, ut per testes probetur libertas sponsorum.

4. *Quær.* An sufficiens sit causa ad dispensandas denunciationes, quando filius vult matrimonium contrahere contra voluntatem Patris sui? *Resp.* Intrare in hoc casu arbitrium Episcopi, seu ejus Vicarii, à quibus considerandum prudenter est, an rationabiliter Pater possit se opponere matrimonio filii; nam si absque ratione Pater resistat, poterit concedi dispensatio; & è contra non erit concedenda, si cum ratione Pater se opponat, puta quia filius nobilis vult ducere meretricem, vel vilem fœminam, irrogando injuriam parentibus; latè Menoch. *consil. 69. tom.* 1. & Genuen. *ubi supra dicto cap. 26. num. 2. & 3.* Ego in praxi volui semper priùs audire Patrem, & supersedere in dispensando.

6. *Quær.* Quid servandum ab Episcopis, vel eorum Vicariis, quando cognoscunt, causam subesse sufficientem ad dispensandas denunciationes? *Resp.* Esse extrajudicialiter sumendum examen duorum testium, quod nullum extet impedimentum inter contrahentes. Genuens. *ubi supra num. 4. 5. & 6.* & Tamburin. *dict. cap. 3. §. 1.* Et ita servatur Pataviі, ut dixi *supra num. 4.*

7. *Quær.* Quot testes necessarii sint ad impediendum matrimonium ob suspicionem, vel delationem impedimenti? *Resp.* Unum solum testem sufficere, si sit de visu; licèt detegeret turpitudinem suam, & esset socius criminis. Imò etiam si sit testis de auditu, vel solam famam alleget de existentia impedimenti; in quibus casibus Ordinarius debet supersedere, & interim veritatem indagare, antequam matrimonium celebretur. Genuens. *cap. 26. d. num. 6.* ubi notat, quòd si testis adducens impedimenti notitiam instet, ne nomen suum pandatur, debet Ordinarius ipsum secretum tenere, recepto priùs juramento ab eodem super veritate, quòd si falsum juraret, poterit ab ipso Ordinario graviter puniri.

8. *Quær.* An detur casus, in quo denunciationes jam factæ sint iterùm faciendæ? *Resp.* Affirmativè, videlicet, quando matrimonium non fuit contractum intra duos menses à factis denunciationibus. Genuens. *d. cap. 26. num. 8.* nisi aliud dispositum sit in Synodalibus Constitutionibus, quæ hìc Pataviі idem, quod dictum est, præfigunt.

9. *Quær.* In qua Parochia sint faciendæ denunciationes? *Resp.* In ea Parochia, ubi sponsi habitant; & si ex brevi tempore discessissent ab una, vel diversis aliis Parochiis, in omnibus Parochiis ipsis denunciationes faciendæ sunt. Tamburin. *d. cap. 3. §. 2. num. 2.* Jordan. *lib. 3. tit. 7. num. 34.* Antonell. *de loco legali lib. 1. cap. 7. num. 5.* & Genuens. *dict. cap. 26. num. 8. & 9.* Ubi addit, quod si alter sponsorum sit ex aliena Diœcesi, non solum debet exhibere fidem denunciationum factarum à suo Parocho; sed etiam attestationem sui Ordinarii super ejus libertate prævio examine testium dignorum fide; in forma probanti, cum subscriptione, & sigillo ipsius Ordinarii: & examen prædictum debet esse factum vel coram Vicario Generali, vel Persona insigni, ab Episcopo specialiter deputanda, ac juxta interrogationes, & instructionem Almæ Urbis, singulis Ordinariis jam transmissam, & pluries à Sacra Congregatione commendatam; quæ videri potest apud Nicolium *tom. 1, Lucubrat. Civilium libr. primo tit. 10. sub impedimento Ligaminis num. 53. pag. 58.*

10. *Quær.* An possit Ordinarius loci, in quo contrahendum est matrimonium, examinare testes super libertate sponsi, qui sit oriundus alienæ Diœcesis. *Resp.* Regulariter dictum examen esse faciendum in loco, & ab Ordinario loci, in quo sponsus alienigena natus est. Porrò in praxi vidi in hoc Episcopatu Patavino fieri examina libertatis exterorum in tribus casibus. *Primò*, Si sponsus exter venerit in Diœcesim (in qua vult contrahere) ante pubertatem. *Secundò*, Si ultra decennium moratus semper sit in eadem Diœcesi. *Tertiò*, Si nimis ei difficile sit libertatem suam probare facere in Diœcesi, à qua discessit, puta quia nimis distet, & habeat apud se testes omni exceptione dignos, qui possint deponere de ejus libertate; quod docet Zerola *in Praxi Episcop. part. 1. verb. Matrimonium vers. Sextò quid agendum.*

11. *Quær.* Quibus diebus sint denunciationes faciendæ? *Resp.* Esse faciendas tribus festivis diebus, ut loquitur Concil. Trident. *dict. sess. 24. de Reform. Matrim. c. 1.* Porrò licet dies non sit festivus de præcepto, si tamen detur concursus populi ad eam Ecclesiam, vel ob festivitatem Sancti Titularis illius Ecclesiæ, vel ob Prædicationem alicujus insignis Concionatoris, posse denunciationes fieri, docet Sanchez *de Matrimon. lib. 3. disp. 6. num. 9.* Guttier. *cap. 56. num. 8.* & Barbos. *ad dictum locum Concilii num. 23. & de Offic. & Potest. Episcopi alleg. 32. num. 15. & de Parocho cap. 21. num. 20.* Sed hoc Pataviі non est in usu; quia attenditur dies festiva de Præcepto.

12. *Quær.* An dicti dies festivi possint esse successivi, vel debeant esse interpolati? *Resp.* Pro utraque opinione esse scribentes, sed praxis adhæret illis, qui etiam successivos admittunt; & sic in die Paschatis, & duobus sequentibus diebus possunt denunciationes expediri. Pontius *de Matrim. cap. 26. §. 4. in princip.* Barbos. *ad dict. cap. 1. sess. 24.* Concil. Tridentin. *num. 19.* & Tambur. *d. lib. 8. tract. 6. c. 3. §. 2. num. 5.*

13. *Quær.* An necesse sit, ut denunciationes prædictæ fiant intra Missarum solemnia, & ab ipsomet Parocho? *Resp.* Negativè, quia sufficit, eas fieri vel tempore concionis, vel alio tempore, etiam extra Ecclesiam, si magnus habeatur ibi Parochianorum concursus, & per quamcunque personam, de commissione Parochi. Tambur. *d. §. 2. num. 7.* Barbos. ad Concil. *dict. cap. 1. num. 24. & 25. & de Potestate Episcopi alleg. 32. num. 16.* & Antonell. *de Loco legali lib. 1. cap. 7. num. 4.*

14. *Quær.* Quam obligationem producant hæ denuntiationes in populo, illas audiente? *Resp.* Ut qui norit impedimentum, teneatur illud revelare sub pœna peccati mortalis.

DD. quos allegat, & sequitur Tamburin. *dict. §. 2. num. 8.*

15. *Quær.* An teneatur revelare impedimentum ille, qui haberet notitiam ejus sub sigillo? *Resp.* Affirmativè, excepto quod si esset Sigillum Sacramentale, ut scripsi de Pœnitentia *Decis. 49. num. 2.* At sigillum, seu secretum naturale, etiam cum juramento, non tollit obligationem revelandi impedimentum, occultè tamen, quia non agitur de puniendis sponsis, sed de removendo peccato, Sanchez *d. lib. 3. disp.* 13. Tambur. *dict. §. 2. n. 9. &* 10. ubi id locum habere asserit, etiamsi denunciator non posset probare impedimentum, nam saltem dabit ansam Episcopo inquirendi super eodem. Excipit tamen *num.* 13. quando sciens occultum impedimentum timeret ex revelatione sibi magnum damnum, vel scandalum secuturum, nam in tali casu cessat obligatio revelandi. Navar. in Sum. *cap. 22. num. 83.*

16. *Quær.* An sponsi interrogati à Superiore de impedimento occulto, teneantur illud manifestare? *Resp.* Affirmativè. Sanchez *d. lib. 3. disp.* 14. Nisi fortè habuissent dispensationem, etiam pro solo foro conscientiæ, quia si impedimentum est omninò occultum, non tenentur illud fateri. Tambur. alios cumulans *dict. §. 2. num.* 11.

17. *Quær.* Quænam sit pœna imposita contra eos, qui consultò omittunt trinas denunciationes? *Resp.* Eos incurrere pœnas de jure inflictas contra contrahentes clandestinas nuptias *in cap. Cum inhibitio. De Clandest. Desponſ.* Videlicet pœnam suspensionis per triennium in Parochum (quam alii comminatoriam, alii ipso jure intelligunt;) pœnam corporalem, seu pœnitentiam, arbitrio Episcopi, in eosdem sponsos; illegitimitatem prolis, si matrimonium fuerit cum impedimento dirimente; & quòd difficiliùs in hoc casu super impedimento concedatur dispensatio. Sanch. Coninch. Castropal. & alii allegati ab eodem Tambur. *d. §. 2. à num.* 14. *usque in finem.*

18. *Quær.* Quænam obligatio incumbat contrahentibus circa susceptionem Sacerdotalis Benedictionis? *Resp.* Hanc eis obligationem incumbere, ut si alias matrimonium non contraxerint, benedictionem suscipiant Sactamentalem, antequam matrimonium consumment. An autem peccatum sit, illam negligere? sunt pro utraque opinione Doctores, quos allegat Tambur. *d. lib. 8. de Matrimon. tract. 6. cap. 4. §.* 1. Sed negativa opinio, nempè peccatum mortale non esse, (quando cessat contemptus) videtur communior, nam Concil. Tridentin. hortatur, & non præcipit, circa ejusdem Benedictionis susceptionem, & sic Episcopum non posse ad eam recipiendam urgere conjuges sub pœna excommunicationis, sed alia mitiori docet Sanchez *d. lib. 3. de Matrim. disp.* 12. *num.* 10.

19. *Quær.* Quando omittenda sit præfata Sacerdotalis Benedictio? *Resp.* Quando conjuges contrahunt secundas nuptias; & in primis ambo, vel unus eorum benedictionem susceperat; nisi contraria exstet consuetudo, quæ circa hoc servanda venit. Tamburin. *d. cap. 4. §. 2.* Parochum verò contra consuetudinem se gerentem posse pœna arbitraria ab Episcopo puniri, tradit Bossius *de Matrim. cap. 9. num. 43.*

20. *Quær.* Quam pœnam incurrat Parochus, seu Sacerdos benedicens sponsos alienæ Parochiæ? *Resp.* Eum incurrere pœnam suspensionis à Divinis ipso facto inflictam à Concil. Trident. *d. sess. 24. de Reform. Matrim. cap.* 1. tamdiù duraturam, quamdiu ab Episcopo absolvatur. Utrùm autem incurrat etiam culpam mortalem? Videtur negativè respondendum, quia agitur de modico præjudicio alterius Parochi, neque hæc culpa infertur ex suspensione, prout ex excommunicatione; quæ notabilis est differentia inter has censuras, ut docet Tamburin. *ubi supra §. 3. num. 4. & de Sacrific. Missæ lib. 3. cap.* 1. *§. 8. num. 8.*

21. *Quær.* An detur tempus, in quo conjuges contrahentes Matrimonium non sint benedicendi? *Resp.* Affirmativè, videlicet Tempus Adventus, Quadragesimæ, & Interdicti localis generalis. Sanchez *de Matrimon. lib. 7. disp. 7. & 8.* Bossius *cap. 9. §.* 19. *& seqq.* Tamburin. *d. cap.* 4. §. 4. & notat Rituale Romanum in Rubrica *de Sacram. Matrimonii.*

22. *Quær.* An sint alia prohibita in dictis temporibus? *Resp.* Prohibitam esse solemnem sponsæ traductionem ad domum viri, videlicet cum musicis concentibus, choreis, & conviviis; quæ tamen si moderata omninò sint, nullam culpam causant; si excessus sit aliquis, faciunt peccare venialiter; si verò sit nimius etiam culpam lethalem inducunt, ut fusiùs disputando docet Sanch. *d. lib. 7. disp. 7. à num.* 15. *& seqq.*

CAPUT CXLV.

De Obligationibus ex Matrimonio insurgentibus, & iisdem conjugatis imminentibus.

1. *Quær.* Quæ, & quot obligationes insurgant ex Matrimonio, & incumbant conjugibus? *Resp.* Insurgere duo genera obligationum. Unum continens obligationes affirmativas, quæ scilicet consistunt in faciendo; & aliud comprehendens obligationes negativas, quæ in non faciendo, ipsos conjuges arctant. Tambur. *d. lib. 8. de Matrimon. tractat. 7,*

2. *Quær.* Quæ sint Obligationes affirmativæ, quæ arctant conjuges faciendo? *Resp.* Eas esse quatuor; Videlicet. 1. Ut simul cohabitent. 2. Ut sibi mutuò alimenta præstent. 3. Ut filios educent. 4. Ut conjugali affectu se invicem corrigant. Tambur. *ubi supra §.* 1. 2. *& seqq.*

3. *Quær.* Quæ sint obligationes negativæ, quibus afficiuntur iidem conjuges? *Resp.* Duas esse. Unam, ut à donationibus mutuis inter vivos abstineant. Alteram, ut à carnalibus culpis in usu matrimonii caveant. Tambur. *ibid. d. tract. 7. cap.* 1. *&* 2.

4. *Quær.* Quid importet prima Obligatio affirmativa, quæ consistit in cohabitando? *Resp.* Quòd ipsi conjuges debent individuam

vitam agere sub eodem tecto, in eadem mensa, & in eodem thoro; juxta præceptum Divinum: *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Gen. 2.* Nisi fortè gravi causa excusentur. Tambur. *d. lib. 8. tract. 8. de Matrim. cap. 1. §. 1.* Ubi causam gravem dicit, si conjux timeret grave damnum corporis vel animæ.

5. *Quær.* An conjux teneatur sequi alium conjugem volentem extra suam Patriam commorari, & ponere domicilium? *Resp.* Affirmativè, quando ex justa causa id vult facere, & alteri conjugi nullum imminet ex hac transmigratione periculum grave, seu detrimentum. Secùs verò si de gravi periculo ageretur, vel conjux factus esset vagabundus, incertam tenens sedem; tunc enim minimè est sequendus ab altero invito. Sanchez *lib. 9. disp. 4. num. 15.* Castropal. & alii citati à Tambur. *d. cap. 1. §. 1. à num. 7. & seqq.*

6. *Quær.* An conjux teneatur cohabitare cum altero conjuge excommunicato? *Resp.* Affirmativè. Tambur. *ibid. num. 14.*

7. *Quær.* An conjux invito altero conjuge possit se vendere, & in servitutem tradere? *Resp.* Affirmativè de marito. Negativè de uxore juxta sententiam Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 23. num. 2.* Quamvis negativè respondeat etiam de marito Pontius *de Matrim. lib. 7. cap. 44.*

8. *Quær.* Quid importet secunda conjugum Obligatio? *Resp.* Ut sibi invicem alimenta præstent. Et quidem maritus tenetur alimenta pro viribus, & juxta conditionem suam præstare uxori, duobus casibus exceptis. *Primò*, si ipsa uxor absque causa nolit cohabitare cum ipso viro. *Secundò*, si ipse vir non possit consequi dotem sibi promissam. Tambur. *lib. 5. in Decalog. cap. 3. §. 3.* & Sperell. *tom. 2. decis. 138. num. 34. & seqq.* Uxor verò tenetur alere maritum inopem effectum, vel etiam ad carceres, vel ad triremes damnatum, dummodo ipsa habeat possibilitatem, vel ex bonis dotalibus, aut paraphernalibus, aut aliundè conquisitis. Tambur. *in Decalog. ubi supra lib. 5. cap. 3. §. 4.*

9. *Quær.* Qualis sit tertia eorundem conjugum obligatio? *Resp.* Alere, & educare filios. Idcircò pater tenetur præstare alimenta filio suo legitimo; nisi fortè filius habeat unde alibi honestè vivat. Sùrd. *de Aliment. tit. 1. q. 28.* Azor. *par. 2. lib. 2. cap. 4. q. 7.* & idem dicendum est de filio illegitimo, quem etiam ex bonis Ecclesiasticis pater tenetur alere, si alia bona non habeat. Azor. *d. lib. 2. cap. 12. quæst. 4.*

10. *Quær.* Quid intelligendum sit nomine alimentorum? *Resp.* Victus, vestitus, domus, lectus, medicinæ, impensæ funeris, sustentatio uxoris, & filiorum ejusdem filii; & si ejus conditio nobilis sit, debentur ei etiam famuli, pædagogus, libri, & expensæ necessariæ ad studendum, & tandem equus ad iter, vel solatium. Sanch. *in Consil. Moral. tom. 2. lib. 4. cap. 3. dub. 34.* & Tambur. *d. lib. 5. in Decalog. cap. 3. §. 11.*

11. *Quær.* A quo sit alendus filius habens patrem divitem, sed & filios suos (respectivè nepotes) locupletes? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, ut disputat Diana *part. 10. tract. 13. resol. 3.* Porrò juxta æquitatem videtur alendus pro medietate à patre, & pro alia medietate à filiis. Tambur. *d. lib. 5. cap. 3. §. 1. num. 11. in Decalogum.*

12. *Quær.* Quæ, & quot sint causæ excusantes Patrem à præstatione alimentorum filiis suis? *Resp.* De jure esse quatuordecim; videlicet si patrem percutiant; Si gravi contumelia afficiant; si criminaliter accusent; (excepto crimine hæresis, & læsæ Majestatis;) si maleficiis utantur; si patris vitæ insidientur; si patris uxorem carnaliter cognoscant; si patrem carceratum, vel in judicio vocatum non adjuvent; si histrionicam, vel gladiatoriam vitam faciant; si filia meretriciam; si parentes in gravi infirmitate deserant; si à fide Catholica deficiant; si bona paterna dilapidaverint; vel (ut dictum est alibi) divitias acquisiverint. Authen. *Ut cum de appellat. cognosc. §. causas autem.* Sanch. Molin. & alii allegati à Tambur. *d. lib. 5. in Decalog. §. 1. num. 8.* Ubi subdit, propter easdem causas filios à patre posse exhæredari.

13. *Quær.* Quænam Obligatio incumbat matri circa alimenta filiorum? *Resp.* Eis lac præbere; quia non potest absque peccato, saltem veniali, illos dare nutricibus lactandos, nisi rationabilis causa subsistat. Navar. *in Summa cap. 14. num. 17.* Tambur. *in Decalog. d. lib. 5. cap. 3. §. 2.* Qui de culpa mortali damnat matrem, si gravi morbo filius afficiatur ob malum sanguinem nutricis, vel pravis moribus imbuatur ob malas qualitates ejusdem. Et de obligatione matris lactandi proprium filium videatur Narbona *de Ætate Anno tertio quæst. 1.* Et quæ continent *supra cap. 49. num. 16.* hæc Erotemata.

14. *Quær.* Usque ad quem annum mater teneatur alere filium? *Resp.* Usque ad triennium. Quod si ulteriùs aluerit, & ejus pater sit dives, poterit ab eo expensas repetere; nisi fortè animo donandi voluerit ipsa pro filio expendere. *l. Nesennius. ff. de Negot. gestis. l. Si quis à liberis. l. Si mater. ff. De liber. agnoscen.* Sanch. & Azor. quos allegat Tambur. *d. cap. 3. §. 2. lib. 5. in Decalog.*

15. *Quær.* Quæ, & qualis sit quarta conjugum Obligatio? *Resp.* Ut conjugali affectu, & charitate se invicem corrigant; quod quidem duobus modis facere possunt, adhortatione scilicet, & punitione. Adhortatio reciproca esse potest inter maritum, & uxorem. Punitio verò licita est soli marito erga uxorem, sed levis; & talis, ut per eam pax, & amor conjugalis non destruatur. Tambur. *lib. 8. de Matrim. tract. 7. cap. 1. §. 3.*

16. *Quær.* Quæ dicatur punitio levis, concessa marito in uxorem? *Resp.* Eam esse dignoscendam ex conditione uxoris, & ex consuetudine regionis. Porrò difficulter licita esse potest percussio, quamvis manu sola, vel pede; nisi fœmina esset vilis, & ignobilis. Multò minùs Verberatio, mutilatio, Carceratio &c. Castropal. citat. à Tamburin. *d. §. 3.* ubi

levem

levem punitionem dicit, aliqua cibi subtractio; vel reclusio in cubili per aliquot dies. Cæterùm Canonistæ concedunt marito, ut possit etiam verberare uxorem cum causa, sed moderatè. Bald. *consil. 176. num. 1. & 3. lib. 1.* Tiraquell. *de Leg. Connub. Gloss. 1. part. 1. num. 22. & 24.* & alii plurimi congesti ab Illustrissimo & Reverendissimo Episcopo Sperello *decis. 139. num. 6. & seqq.* Qui tamen *num. 13.* concludit ex Thesaur. *decis. 130. sub num. 3.* nullam pestem domui esse perniciosiorem, quàm, cùm iram mulieris verberatæ in se excitat maritus, quod latè, & graviter ostendit S. Joannes Chrysostomus *in 1. ad Cor. homil. 26.* ubi à verberanda uxore omninò abstinendum esse suadet, de quo argumento sæpe Parochi agere deberent, legendo P. Segneri *in Christiano Instructo part. 3. Reg. 25.*

17. *Quær.* Quænam sit prima obligatio conjugum negativa? *Resp.* Ut à donationibus mutuis abstineant; *tot. tit. ff. Et Cod. De Donationibus inter virum, & uxorem.* Matth. Wesembecius *in Paratitlis Digestor. lib. 24. tit. 1.* ubi prohibitionis causam dicit: *Ut appareat, amorem conjugalem sine pretio stare.* Porrò hæc prohitio tangit donationes inter vivos, nam causa mortis conjuges possunt sibi invicem donare, & legare. Sanch. *consil. lib. 4. cap. 1. dub. 13.* & Tambur. *d. lib. 8. de Matrimon. tract. 7. cap. 2. §. 5.*

18. *Quær.* An sint casus, in quibus conjuges possint sibi viventes donare? *Resp.* Esse quinque casus. *Primò*, si maritus remittat, vel condonet dotem uxori. *Secundò*, si faciat contradotem, ideòt augeat dotem uxoris ob aliquam justam causam. *Tertiò*, si modicè donat, cùm sit dives. *Quartò*, si uxor donet marito occasione dignitatis adipiscendæ, vel publici muneris exercendi. *Quintò*, si maritus aliquid menstruum, vel annuum donet uxori pro vestimentis, vel aliis humanis necessitatibus. Diana *part. 8. tract. 6. resol. 26. & 29.* Tambur. *d. cap. 2. §. 1. à num. 5. & seqq.*

19. *Quær.* Cùm mulier constante Matrimonio non possit marito donare, an saltem possit pro ipso se obligare, ac promittere? *Resp.* Negativè. Auth. *Si qua mulier.* ubi Bartol. & DD. *C. Ad S. C. Vellejan.* latè Marescott. *var. resol. libr. 2. cap. 5.* Ubi quòd non potest uxor pro marito fidejubere; neque se obligare contrahendo una cum ipso marito principaliter & insolidum; neque si maritus pro ea contrahente fidejubeat; prout neque si ipsa mulier se obliget cum socero, vel privigno, aut fratre mariti; nam præsumitur se obligare ad instantiam mariti, quamvis se obligaret apud alios de dote danda, (quod facere potest ex sua mera voluntate, vel ad instantiam aliorum. *l. Si dotare. 12. & l. Fin. C. eod. §.* non autem ad preces mariti.) Etiamsi se obligasset cum juramento, quando remaneret ex læsione ob suam obligationem penitùs indotata; quæ omnia prosequitur ibi Marescot. & tradit etiam Nicol. *in Lucubrat. civil. lib. 3. tit. 21. De Fidejussor. §. Fin. à num. 14. & seqq.*

20. *Quær.* Quid sit Sponsalitia largitas, & an etiam hæc censeatur prohibita? *Resp.* Sponsalitiam largitatem esse donationem cujuscunque rei factam inter sponsos intuitu futuri matrimonii, quæ quidem prohibita non est. Diana *part. 8. tract. 6. resol. 25.* & Tamburin. *d. lib. 8. de Matrim. tract. 7. cap. 2. §. 2.*

21. *Quær.* An uxor, quæ filios suscepit, si transeat ad secundas Nuptias, debeat reservare pro filiis, quidquid habuit à primo marito eorum patre per sponsalitiam largitatem, vel possit sibi retinere, vel aliis donare? *Resp.* Communem opinionem esse, quòd debeat reservare ipsis filiis ob *l. Fœminæ. C. de secund. Nuptiis.* Bonacin. *disp. 3. de Contractib. q. 13. punct. 3. num. 32.* Sed contrarium probabile dicit Tamburin. *d. cap. 2. §. 2. num. 17.* eò quia pœnæ contra mulieres ad secundas Nuptias properantes, de Jure civili inflictæ, per jus Canonicum sublatæ sunt *in cap. penult. & cap. ult. de secundis Nupt.*

22. *Quær.* An Sponsalitia largitas sit restituenda, quando absque culpa alterius conjugis matrimonium non sequatur? *Resp.* Affirmativè, nisi fortè sponsus deosculatus fuisset sponsam, vel eam carnaliter cognovisset; tunc enim sponsa retineret sibi medietatem largitatis sponsalitiæ. Porrò si matrimonium non effectuetur ob culpam alicujus ex sponsis, alter sponsus totam sponsalitiam largitatem acquirit. Sanchez *de Matrimon. lib. 6. disp. 21. num. 6.* Tamburin. *d. cap. 2. §. 3. num. 5. & 6.*

23. *Quær.* Tandem quænam sit secunda Obligatio conjugum Negativa? *Resp.* Ut in usu matrimonii abstineant à peccatis, quæ quidem possunt reduci ad tria genera, videlicet ad pollutionem, ad copulam, & ad impudicos tactus. Tamburin. *lib. 7. in Decal. cap. 3. §. 5.*

24. *Quær.* Quomodo conjuges peccent ratione pollutionis? *Resp.* Eos mortaliter peccare contra naturam, si seipsos manibus polluant, vel mutuò emissionem seminis sibi ipsis procurent, quia sic faciendo dividunt suam carnem, contra fidem promissam in matrimonio, & ideò hanc circumstantiam debet confiteri. Navar. *in Sum. cap. 16. num. 42.* Tambur. *d. §. 5. num. 2. & 3.* ubi tamen *num. 4.* subdit, non esse prohibitum uxori petere debitum à viro, qui in fine copulæ vult semen extra vas effundere; nam ipsa licitè agit, quamvis maritus peccet; qui nihilominus non peccaret, si absque culpa ob festinationem naturæ seminaret extra vas, quod nimis arctum ad ingrediendum reperiret.

25. *Quær.* An mulier soluta, vi cognita carnaliter ab aliquo, possit statim effundere semen è vase, ne concipiat? *Resp.* Asserere Sanchez *de Matrimon. lib. 2. disp. 22. num. 17.* negare Tamburin. *dict. §. 5. num. 14.*

26. *Quær.* Qualiter peccent conjuges in copula? *Resp.* Eos peccare, quando non servant debitum finem, vel modum, vel tempus, vel locum. Tamburin. *d. §. 5. & seqq.* Et meæ decisiones *de Pœnitentia Decis. 27. num. 18. 19. & 20.*

27. *Quær.* Quæ sint peccata ob non rectum finem in copula maritali? *Resp.* Rectus finis est in usu matrimonii quadruplex, videlicet prolis procreandæ, carnis concupiscentiæ sedandæ, sanitatis tuendæ, & muneri suo satisfaciendi. Ideò qui ad copulam accedit, excludendo expresè hos omnes fines, peccat mortaliter, si eorum aliquem venialiter; quòd

ſi neque excludat, neque rectè cogitet de illis, nihil peccat; nam virtualiter eenſetur eorum cauſa ad copulam devenire, cùm eos in ſuſceptione Sacramenti intenderit, velle habere. Tamburin. ubi ante *num. 5. 6. & 7.*

28. *Quær.* An petens copulam conjugalem ob ſolam dilectationem peccet? prout etiam alter conjux, qui ſic petenti reddit? *Reſp.* Petentem peccare ſaltem venialiter, & contrarium aſſerere eſt opinio damnata ab Innocentio Papa XI. *die 2. Martii 1679. Prop. 9.* quæ ſic aſſerebat: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.* Rationes, & motiva prædictæ damnationis referuntur à Cardena *in Criſi Diſſertat. 7. cap. 2.* ibi à ſtudioſo videnda. Porrò petens, aut reddens ob voluptatem ſuo muneri ſatisfacere intendens, nihil peccabit; etiamſi reddens obſtrictus eſſet ſimplici voto caſtitatis, vel impedimento non dirimente affinitatis, docet Pontius *de Matrimon. lib. 1. cap. 21. num. 6.*

29. *Quær.* An conjuges copulam habentes cogitando ad aliam perſonam, vel ſeipſos tanquam ſolutos reputando, peccent? *Reſp.* Peccare mortaliter, niſi fortè cogitarent ad ſolam pulchritudinem alterius perſonæ, præſcindendo deſiderium illius perſonæ, quod tamen in praxi valdè periculoſum reputatur. Sanchez *de Matrimon. lib. 6. diſp. 17. num. 6.* & Tamburin. *d. §. 5. num. 13.*

30. *Quær.* An peccet mulier, quæ ſuſcepto ſemine ſe erigit, vel mingit, vel ſe invertit, undè ſemen foras ejiciatur? *Reſp.* Mortaliter peccare, ſi hoc animo faciat, ut conceptionem impediat; ſecùs ſi ex accidenti, vel ex neceſſitate; quia in matrice ſemper retinetur multum ſeminis, propter vim retentivam, qua pollet; ita ut nunquam totum excidat, niſi coactè emittatur. Belloc. *de Caſibus reſervat. part. 2. quæſt. 4. num. 365.* & Sanchez *lib. 9. de Matrimon. diſput. 20. num. 3.*

31. *Quær.* An peccet maritus, qui copula incepta deſiſtit à ſeminando? *Reſp.* Peccare mortaliter, ſi jam uxor ſeminaverat. Non peccare, ſi ante ejus ſeminationem, ex ejusdem conſenſu deſiſtat, absque tamen periculo pollutionis extra vas, quod difficile eſt ſervare, ob irritatam naturam; ideòque hic caſus absque aliqua urgenti cauſa non eſt in praxi deducendus. Leander *de Sacram. tom. 2. tract. 9. diſp. 26. quæſt. 15.* Sanch. *lib. 9. diſp. 19. num. 7.* & Tambur. *lib. 7. in Decal. cap. 3. §. 5. num. 15.* Vide de hoc caſu opinionem Medicorum à me relatam *de Pœnitentia Deciſ. 27. num. 18.*

32. *Quær.* An mulier teneatur ſeminare, viro ſeminante? *Reſp.* Negativè ſecundum magis communem opinionem, quæ docet, ſemen mulieris non eſſe neceſſarium ad generationem; & ideo mulier ſatisfacit ſuo muneri, præſtando uſum ſui corporis marito. Dian. *part. 10. tractat. 13. reſol. 42.* Sed an dari poſſit, ut mulier concipiat, & non ſeminet? videndus Zacchias *QQ. Medico-leg. lib. 3. tit. 1. quæſt. 7. num. 12.* ubi doctè diſſerit; nec non Gobat. *in Theol. experim. tract. 9. num. 390.*

33. *Quær.* Ubi maritus ſeminavit, & à copula ſe retraxit, an poſſit mulier ad ſeminandum ſeipſam manibus adjuvare? *Reſp.* Eſſe quæſitum ſatis agitatum inter Caſiſtas. Cæterùm prævalet opinio affirmativa, quòd poſſit, tum quia ejus ſemen, licèt non neceſſarium, eſt tamen valdè proficuum ad generationem, & ei nimis durum eſſet compeſcere naturam jam irritatam: tum quia illa mulieris ſeminatio in eo caſu eſt complementum præcedentis actus maritalis. Leſſius *lib. 4. cap. 3. dub. 77. num. 55. & dub. 14. num. 94.* Tamburin. *dict. §. 5. num. 18.* qui ſubdit à quibusdam DD. teneri, quod etiam vir poſſit ſuis manibus pudenda uxoris contrectare, donec ipſa ſeminet, quod non placet Dianæ *part. 10. tract. 18. reſol. 42.*

34. *Quær.* An poſſit mulier, ſeipſam contrectando ſeminare, quando maritus copulam incœpit, ſed receſſit ſine ſeminatione? *Reſp.* Negativè, quia non ſuſcepit in ſe virile ſemen, cujus intuitu diximus, poſſe ſuum quoque effundere. At, quia videtur nimis paſſura ob irritatam libidinem; cauta ſit in hoc caſu, quando prævidere poteſt malitiam viri, ut neque petat, neque reddat. Tambur. *dict. §. 5. num. 19.*

35. *Quær.* An conjuges negando ſibi debitum culpam committant? *Reſp.* Eos mortaliter peccare, ſi petens graviter offendatur, vel periculum ſubſit incontinentiæ. Caſtropal. *de Matrimon. diſput. 3. punct. 4. §. 10. num. 10.* Porrò non peccant, negando debitum in caſibus ſequentibus, ceſſante periculo pollutionis. *Primò*, Si conjux remiſſe petat. *Secundò*, Si conjux rarò neget, vel non multùm differat reddere, nempè à manè ad Veſperas. *Tertiò*, Si petitio ſit nimis frequens, & ſuperflua. *Quartò*, Si adſit multitudo prolis, ad quam ſuſtentandam conjux alter ſciat ſe inhabilem. *Quintò*, ſi conjux nimium habeat in ore fœtorem, ab altero intolerabilem, vel morbo horribili ſit affectus, qualis eſt lepra. *Sextò*, Si timeat periculum vitæ, vel ob febrem ſuam, vel ob morbum gallicum ipſius petentis; & in his duobus ultimis caſibus non eſt obligatio reddendi debitum, quamvis petenti immineniat periculum pollutionis. *Septimò*, Si velit deliberare de Religione nondum primo bimeſtri transacto. *Octavò*, Si nondum ſuſceptæ ſint Benedictiones matrimoniales in Eccleſia, vel factæ ſint denunciationes. *Nonò*, Si ſciat, petentem habere ſimplex votum caſtitatis, vel inceſtum cum affine commiſiſſe. *Decimò*, Si mulier ſit in ſuis menſtruis. *Undecimò*, Si unus, vel uterque conjux ſit amens cum furore. *Duodecimò*, Si probabile dubium inſurgat de nullitate matrimonii. Et demum *Decimotertiò*, Si vir velit inchoare copulam modis illicitis, & peccaminoſis; nam, licèt ſit eam terminaturus in vaſe debito, poteſt mulier reſiſtere eius voluntati, quæ ſemper eſt peccaminoſa. Tamburin. ubi plurimos pro prædictis omnibus caſibus allegat *d. lib. 7. in Decal. cap. 3. §. 5. in num. 20. usque 33.*

36. *Quær.* Quomodo peccent conjuges circa modum in congreſſu carnali? *Reſp.* Eos peccare venialiter, ſi alio, quàm recto modo, uniantur; videlicet ſi vel à latere, vel à tergo, vel alio modo etiamſi in vaſe naturali copula agatur, id facientes ſine cauſa. Quòd ſi cum aliqua cauſa id agant, puta

quia

quia uxor sit gravida, vel vir nimis pinguis, nullam culpam committunt. Tamburin. *ubi supra num. 34.* At circa rectum modum exercendi debitum conjugale videndus Zacchias *dd. qq. Medico-leg. lib. 7. tit. 3. quæst. 1. num. 38. & seqq.* de quo verba feci in tractatu *de Pœnitentia d. Decis. 27. num. 13.* quo loci retuli diversas opiniones Medicorum circa modum magis proficuum, ac naturæ consonum conjugalis debiti exercendi. Et de eo etiam differit Gobatus *tract. 10. num. 584.*

37. *Quær.* Quando conjuges peccent in copula ratione temporis? *Resp.* Communem esse opinionem, eos venialiter peccare, si copulam carnalem exerceant, dum mulier est gravida, vel in menstruis, vel in Adventu, seu Quadragesima, vel in die Communionis, vel ita senex sit vir, ut extra vas sæpè semen effundat. Porrò non desunt Doctores, qui etiam in his casibus conjuges ab omni culpa excusant, & eos refert Tamburin. *dict. §. 5. num. 35. & seqq.*

38. *Quær.* Circa locum, in quo copulam sunt conjuges acturi, quando peccent? *Resp.* Eos peccare mortaliter, si copulentur vel in loco publico ob inhonestatem; vel in loco Sacro ob irreverentiam; nisi longo tempore essent in eo inclusi, videlicet per mensem, secundùm Sanchez, per dies quindecim secundùm Lessium, vel per dies quatuor, vel quinque ex Suario, quem citat Diana *par. 1. tract. 7. resol. 19.* & Tamburin. *dict. §. 5. num. 40.*

39. *Quær.* Quid contineat tertium genus peccatorum, quæ committuntur à conjugatis ob tactus impudicos? *Resp.* Circa tactus impudicos conjugatorum sunt distinguendi duo casus. Primus est, quando eos perpetrant cum evidenti periculo pollutionis, & tunc peccant mortaliter. Alter casus est, quando cessat dictum pollutionis periculum, & tunc si tactus, vel aspectus impudici habeantur vel ad se præparandos ad copulam, vel ad ostendenda amoris signa, nullum est peccatum; si verò ob solam voluptatem, erit peccatum veniale, & hoc sive tactus, & aspectus partium inhonestarum sint reciproci inter ipsos conjuges; sive fiant ab ipsomet conjuge in se ipso; tam in absentia alterius conjugis, quàm in præsentia; cessante semper periculo pollutionis, quia cum conjugatis licita sit copula, non videtur iisdem sub mortali prohibita delectatio ex iis, quæ ordinata sunt ad copulam. Tamburin. pluribus citatis. *dict. lib. 7. in Decalog. cap. 3. §. 5. à num. 41. & seqq.* & Gobatus *d. tract. 10. num. 655.*

40. *Quær.* Quinam tactus liceant sponsis de futuro? *Resp.* Sponsis de futuro licere oscula, & tactus pudicos tantùm, non autem impudicos, & inhonestos; & dummodò sponsalia legitimè sint contracta. Tamburin. *d. §. 5. num. 61. & 62.* ubi DD. quæ concessio procedit, si absit periculum voluntariæ pollutionis.

41. *Quær.* An sponsi de futuro possint delectari cogitando ad copulam futuram? *Resp.* Negative, quia solùm delectari possunt de osculis, & tactibus honestis, non autem de inhonestis, & subindè neque de copula, quæ adhuc eis non est concessa. Tamburin, *lib. 10. in Decalog. cap. 4 num. 4.* ubi subdit, posse quidem eos desiderare copulam futuram; prout etiam qui vidui, vel soluti sunt; non autem de ea sensibiliter delectari.

CAPUT CXLVI.

De Divortio.

1. *Quær.* Quid sit Divortium? *Resp.* Est *legitima separatio viri, & uxoris à competente Judice Ecclesiastico cum causa cognitione facta, utroque in vita alterius, absque omnimoda spe conjugii, remanente. l. 2. ff. de Divortio.* Dicitur *legitima separatio*, quoad thorum, & cohabitationem, non quoad vinculum. Dicitur *à competente Judice Ecclesiastico*: nempè Episcopo, vel ejus Vicario habente speciale mandatum; quia Judex sæcularis non potest se intromittere in causis matrimonialibus. Concil. Tridentin. *sess. 24. can. 12.* etiam mulierum hebræarum à viris fugientium, ex Decreto Sac. Congrationis citato per Nicolium *Lucubrat. civil. lib. 1. tit. 10. de Divortio num 89.* Sperell. *decis. 9.* Neque alii Judices Ecclesiastici inferiores Episcopo, nisi consuetudine immemorabili juventur, vel habeant territorium separatum, & populum subjectum. Sac. Congregatio apud Nicol. *ubi supra.* Dicitur *Cum causæ cognitione facta*, quia sine legitima causa, eaque cognita, sicque per solùm assensum utriusque conjugis non est permittendum divortium. *cap. Porrò. De Divort.* Jo. Baptista Ferret. *tom. 1. cons. 164.* Dicitur, *Utroque in vita alterius, absque omnimoda spe conjugii, remanente.* Quia semper manet vinculum matrimonii, adeò ut (si fuerit consummatum per carnalem copulam) nec ex Papæ dispensatione possint ad secunda vota transire. *cap. 2. de Divort.*

2. *Quær.* Quotuplex sit Divortium? *Resp.* Est duplex. Unum perpetuum, quod fit causa Adulterii patrati. *cap. Gaudemus, & cap. Ex litteris de Divort.* Alterum ad tempus, quod conceditur ex aliis causis, donec ipsæ cessare possint, & conjuges reconcilientur. Tamburin. *lib. 8. de Matrimon. tract. 7. cap. 3. §. 1.*

3. *Quær.* Quæ, & quot sint causæ divortii ad tempus? *Resp.* Eas esse triplicis generis, prout respiciunt vel periculum animæ, ut sodomia, vel sollicitatio ad peccatum. Vel periculum fidei, ut si conjux factus sit hæreticus, vel apostata; aut periculum corporis, ut si conjux affectus sit morbo contagioso, vel lepra. *toto tit. de Conjug. leprof.* vel unus conjux insidietur vitæ alterius. Glossa *in cap. 2. de Divort.* Sive maritus sævitiam exerceat in ipsam uxorem. Nicol. *ubi supra num. 95.*

4. *Quær.* Quænam differentia sit inter divortium perpetuum, & divortium ad tempus? *Resp.* Quòd in divortio perpetuo conjux innocens potest, si velit, ordines sacros suscipere, vel in Religione profiteri, aut in sæculo castitatis votum emittere; Quæ omnia nequaquam licent in divortio ad tempus. Tambur. *d. cap. 3. §. 1. num. 5.*

5. *Quær.* Quo jure sit permissum divortium perpetuum ob Adulterium? *Resp.* Jure Divino juxta Verba Christi Domini Matth. 5.

Quicumque dimiſerit uxorem, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Et ratio naturalis eſt, quia frangenti fidem, non eſt ſervanda fides in eodem contractu. Tamburin. *dict. §. primo num. 5.* Sperell. *deciſ. 140. num. 3.*

6. *Quær.* Quid in hac materia intelligatur nomine Adulterii? *Reſp.* Nomine Adulterii pro faciendo divortio, intelligi quamcunque copulam carnalem conſummatam, ſive naturalem, ſive ſodomiticam activam, & paſſivam, ſive etiam beſtialem. Sanchez *de Matrimon. lib. 10. diſp. 3. num. 3. & 4.* S. Thomas, Sà, & alii, quos allegat, & ſequitur Tambur. *d. cap. 3. §. 2.* ubi confutat Pontium, & Averſam contrarium ſentientes circa ſodomiticam, & beſtialem copulam. Ratio autem Tamburini eſt, quia per quamlibet ex prædictis copulis conſummatis conjux delinquens dividit ſuam carnem contra fidem ſuo conjugi datam in Sacramento, unde fit, ut tactus impudici, oſcula, & ſola pollutio, quam vis alienis manibus, vel inſtrumentis à conjuge vitioſo procurata, non ſint ſatis ad divortium perpetuum faciendum; prout neque copula cum fœmina mortua; nam reputatur tanquam ſtatua lapidea. Sanchez, Leander, & alii apud Tamburin. *dict. §. 2. num. 8.* Et de ſodomia tenet Sperell. *d. deciſ. 140. num. 40.*

7. *Quær.* An dentur caſus, in quibus etſi patratum fuerit Adulterium, non poſſit ad divortium deveniri? *Reſp.* Dari quinque caſus. Primus eſt, quando ab utroque conjuge committitur adulterium, nam delicta adinvicem compenſantur, & hoc procedit, etiamſi poſt factum divortium conjux innocens adulteretur. Sanchez *lib. 10. diſp. 9. num. 30.* Tamburin. *d. lib. 8. de Matrimon. tract. 7. cap. 3. §. 3. num. 3. & 4.* Secundus eſt, ſi unus conjux committat adulterium alio conſentiente directè, vel indirectè, ut uxorem malè tractando, & à ſe expellendo. Tertius eſt, ſi adulterium ſi materiale tantùm, videlicet commiſſum vel per ignorantiam invincibilem, ſeu per vim, & metum cadentem in conſtantem virum. Quartus caſus eſt, ſi conjux innocens remittat culpam adulterii commiſſi, vel expreſsè, vel tacitè, ideſt recipiendo ad oſcula, ſeu ad copulam ipſum reum. Et Quintus eſt, quando conjux innocens ſcit, ſe continere non poſſe, nam ad effugiendum ſuæ ſalutis ſpiritualis detrimentum non poterit à reo conjuge divertere. Ita Pontius *de Matrim. lib. 9. cap. 17. num. 4.* & alii plurimi Theologi, & Canoniſtæ, quos ad præfatos omnes caſus allegat Tambur. *d. §. 3. per totum.*

8. *Quær.* An conjux innocens obligatus ſit divertere à ſuo conjuge, adulterium committente? *Reſp.* Negativè, quia quilibet poteſt renunciare favori pro ſe introducto; niſi ageretur de ſcandalo vitando, vel de emendatione adulteri, per viam divortii obtinenda. Tamburin. *dict. cap. 3. §. 4. num. 1. & 2.*

9. *Quær.* Quomodo conſtare debeat de adulterio ad obtinendum divortium? *Reſp.* Conſtare debere per concludentes probationes, vel violentas præſumptiones, nempè ſi repertus eſt nudus cum nuda in cubili, vel ſi adulter moretur in domo adulteræ, vel ſuſcepti ſint filii, vel teſtes extent de viſu, aut alia legitima probatio habeatur juxta Legiſtarum doctrinam, quos refert Maſcard. *de Probat. concluſ. 58. & 64.* Sanch. *lib. 10. diſput. 12.* & latè Sperell. *d. deciſ. 140. num. 8. & 9.* ac Farinac. *de Delictis carnis q. 136. num. 158.* Porrò oſcula ſimplicia, amplexus, aut litteræ amatoriæ non ſufficiunt ad divortium faciendum. Tambur. *dict. cap. 3. §. 5.*

10. *Quær.* An ſtante adulterio poſſit conjux innocens propria auctoritate divortium facere, & ſeparare ſe ab adultero? *Reſp.* Plures affirmare, quos allegat Pontius *de Matrim. lib. 9. cap. 18.* Plures itidem negare, quos congerit Sanch. *lib. 10. de Matrim. diſp. 12.* Pro concordia dicendum eſt, affirmantes eſſe intelligendos de foro interno; negantes verò de foro exteriori; in quo certè non eſt licitum divertere, niſi probata cauſa, & obtenta ſententia, alias, qui divertit propria auctoritate eſt per excommunicationem revocandus ad ſuum conjugem. Sperell. *d. deciſ. 9. num. 11. & 12.*

11. *Quær.* An conjux adulter teneatur adhærere conjugi innocenti, quando iſte contentus eſt remittere ei culpam, & ſecum cohabitare? *Reſp.* Eſſe pro utraque opinione Doctores, ſed magis vera concluſio videtur, teneri adhærere, dummodo certus ſit, nullum ſibi periculum imminere. Tambur. *d. cap. 3. §. 6.*

12. *Quær.* Quænam ſit præcipua cauſa divortii ad tempus? *Reſp.* Eſſe Adulterium ſpirituale, videlicet Hæreſim, vel Apoſtaſiam à fide. *cap. De illa. & cap. Quando. De Divortiis.* Ideò cùm conjux labitur in hæreſim, vel in Apoſtaſiam poteſt fidelis, & catholicus conjux divertere propria auctoritate ad evitandum periculum infectionis. Sanch. *de Matrim. lib. 10. diſp. 15. num. 6.*

13. *Quær.* An conjux Catholicus facto divortio teneatur iterùm adhærere ſuo conjugi hæretico, ſi ipſe emendetur, & reſipiſcens revertatur ad gremium Sanctæ Eccleſiæ? *Reſp.* Alios Doctores aſſerere, & alios negare, quos cumulat Sanch. *dict. lib. 10. diſp. 15. num. 18.* & Tambur. *dict. lib. 8. de Matrim. tract. 7. cap. 3. §. 7. num. 6.* Conciliatio eorumdem hæc eſt, quòd conjux Catholicus hortandus ſit, non cogendus, ut adhæreat conjugi emendato.

14. *Quær.* Quænam alia cauſa habeatur de divortio faciendo ad tempus? *Reſp.* Cauſam eſſe quamcunque ſollicitationem mariti erga uxorem ad peccandum, ut ſi ipſe maritus lenocinium agat, vel tentet ad ſodomiæ vitium; ex quo etiam apud Turcas licitum eſt mulieribus divertere à ſuis viris, prout ex Augerio Cislenio Busbequio *legationis Turcicæ Epiſtola 3.* notat Nicolius *de lib. 1. tit. 10. ſub num. 93.* Seraphin. Maſſinus *de Conſiſcat. quæſt. 9. num. 23. & 24.* & Sperell. *d. deciſ. 140. num. 38.*

15. *Quær.* Quomodo probetur crimen ſodomiæ ad effectum, ut concedatur Uxori divortium à viro? *Reſp.* Hoc crimen eſſe difficillimæ probationis, cùm non adhibeantur teſti-

teſtimonia in eo patrando ; & ipſa uxor tentata, vel paſſa tale facinus non poſſit eſſe teſtis, quamvis præſtaret juramentum, ut firmat Riccius *deciſ. 145. num. 18. part. 1.* & Cavalcan. *De Brachio regio parte 1. ſub num. 282. verſ. In Summa.* Hinc Sperellus *dict. deciſ. 140. num. 42.* monet Judices Eccleſiaſticos, ut mulieres querelantes de hoc crimine maritos ſuos ſtatim interrogent, an probationes habeant? & negativè reſpondentibus ſuadeant, ut proprio pudori, ac virorum ſuorum exiſtimationi parcant, & ſic eas dimittant. Porrò ibidem *num. 43.* ſubdit, ſollicitationem ad Sodomiam ad effectum divortii faciendi probari poſſe per teſtes, qui deponerent, ſe interjecto pariete audiviſſe tergiverſationes, & negationes mulieris, & poſtulationes, ac preces, vel minas viri ; ex Cavalcan. *conſ. 110.* & ex Farinac. *de Delict. carn. quæſt. 148. num. 67. & de Teſtibus quæſt. 69. num. 197. & ſeqq.* ubi requirit ulteriùs famam, & adminicula ; quorum duo præcipua ſunt ; Unum, ſi vir de hoc vitio cum aliis perperrato diffamatus ſit ; Alterum, ſi mulier eſſet timoratæ conſcientiæ, prudens, & pudica, quæ non præſumeretur talia confinxiſſe, & juraret ; ut voluit Rota *part. 6. recen. 155. num. 15.* & notat idem Sperell. *d. deciſ. 140. num. 43.*

16. *Quær.* An ob morbum gallicum in marito, uxor poſſit petere, & obtinere divortium ? *Reſp.* Ex ſententia Rotæ apud Buratum *tom. 3. deciſ. 815.* ob morbum gallicum in viro non dari ſeparationem quo ad cohabitationem, & quo ad thorum ; ſed ſolùm negationem debiti, niſi tanta eſſet infectio, ut ex conſilio Medicorum uxor notabile detrimentum ſanitatis eſſet paſſura. Rota *deciſ. 49. par. 4. recent.* Natta *conſ. 24. per totum lib. 1.* & Sperell. *d. deciſ. 140. num. 26. & ſeqq.*

17. *Quær.* Quomodo probetur, virum morbo gallico laborare ? *Reſp.* Indicium grave reputari capillorum defluvium ex Mercuriali *in Opuſcul. de morb. cutaneis cap. 3.* ſed non eſſe probationem ſufficientem ex plurium Medicorum ſententia docet Sperell. *d. deciſ. 140. à num. 27.* Undè Medicorum opiniones pro arbitrio Judicis erunt in caſu particulari ponderandæ. Zacchias *in QQ. Medico-leg. lib. 3. tit. 3. q. 4. num. 26.*

18. *Quær.* Quæ, & qualis ſævitia viri in uxorem ſit cauſa ſufficiens ad faciendum divortium ? *Reſp.* Ex doctrina Baldi *in Conſil. 176. vol. 1.* Tres caſus eſſe diſtinguendos. *Primus* eſt, quando maritus moderatè, & ex cauſa uxorem verberavit ; & in hoc caſu non dicitur eſſe ſævitia, neque datur divortium. Farinac. *conſ. 158. num. 5. lib. 1.* Burat. *deciſ. 815. num. 4* late Sperell. *deciſ. 139. num. 4. 5. 6. 7. & 8.* ubi quòd vir neque cogi poteſt ad dandam cautionem de non percutiendo moderatè uxorem. *Secundus* caſus eſt, quando maritus atrociter, & immoderatè percuſſit, ſed remedio cautionis poteſt indemnitati conjugis in poſterum conſuli ; & in hoc caſu divortium non datur, ſed uxor reſtituitur viro cum dicta cautione. *cap. Ex tranſmiſſa. De Reſtit. ſpoliat. cap. Litteras. 13. eod.* Sperell. *d. deciſ. 139. num. 24.* ubi plures cumulat ; & *num. 21.* ſubdit, cautionem ſufficientem intelligi de pignoratitia, vel fidejuſſoria, non autem de ſola juratoria, quod docet Cevall. *com. contr. com. quæſt. 66. num. 9. & 10.* Niſi vir eſſet bonæ vitæ ; vel fidejuſſores non reperiret ; quamvis hoc ab arbitrio Judicis pendeat. Sperell. *ibid. num. 37. Tertius* eſt caſus, quando concurrit atrox ſævitia cum timore futuræ offenſionis, & in hoc caſu datur divortium. *d. cap. Litteras. de Reſtit. ſpoliat.* Sperell. *ibid. num. 38.* plurimos allegans.

19. *Quær.* Quando ſævitia dicatur Atrox? *Reſp.* Id pendere ab arbitrio prudentis Judicis penſata qualitate perſonarum, & percuſſionum ; nec non circumſtantiarum loci, temporis, & modi. Sperell. *d. deciſ. 139. num. 21. 28. & num. 47.* Cæterùm hæc, quæ ſequuntur, ſunt præcipua ſigna ſævitiæ atrocis, & cauſæ legitimæ faciendi divortium, videlicet : 1. Si maritus ſolitus ſit in uxorem ſævire. Rota *par. 6. rec. deciſ. 155. & deciſ. 239.* Solitum autem conſiſtit in duabus vicibus. Rota *d. par. 6. rec. deciſ. 191. num. 6.* 2. Si vir minatus ſit ipſam uxorem occidere ; & talis ſit, qui ſoleat minas exequi ; aut habeat ſeveram, & crudelem naturam. Card. Zabarell. *conſ. 9. num. 6.* 3. Si capitale odium, & inimicitia exardeſcat inter ipſum virum, & uxorem. *dict. cap. Ex tranſmiſſa. De Reſt. ſpol.* vel quia unus necare alterum veneno tentavit ; vel inſidiatus eſt vitæ conjugis, vel eam criminaliter de adulterio accuſavit, vel de alio arduo crimine, procurando ejus carcerationem ; ac etiam ſi civilem limitem agant ſuper magna bonorum quantitate. Sperell. *d. deciſ. 139. num. 50. & ſeqq.* 4. Si vir flagellavit uxorem, vel vulneribus, etiam cum cicatricibus, eam dehoneſtavit. Ancharan. *conſ. 480. num. 1. 5.* Si vir infantem præ ſævitia in utero uxoris necavit, vel pluries ad parietem caput conjugis percuſſit. Gratian. *Diſcept. forenſ. cap. 238. num. 47. 6.* In eandem cultrum ſi ad vulnerandam jeciſſet. Monald. *conſ. 44. lib. 1. 7.* Si eam in cubiculo detruderet, cum denegatione alimentorum. Rota *par. 6. rec. deciſ. 339. num. 12. & 13.* Sperell. *ubi ſupra à num. 51. & ſeqq. uſque ad num. 70.* ubi in prædictis omnibus caſibus dari divortium demonſtrat, etiamſi mulier propria culpa in vitæ periculum incidiſſet.

20. *Quær.* An ad probandam viri ſævitiam in uxorem pro faciendo divortio requirantur teſtes omni exceptione majores? *Reſp.* Negativè, quia admittuntur conſanguinei, affines, domeſtici, familiares, famuli, & alii, qui ſcire præſumuntur ea, quæ facta ſint inter domeſticos parietes. Rota *d. deciſ. 155. num. 49. part. 6. rec.* & apud Greg. XV. *deciſ. 351. num. 6.* Sperell. *dict. deciſ. 139. num. 87. & ſeqq.* ubi tamen notat, quòd teſtes ſingulares probant quidem ſævitiam in genere, ſi plures actus ſævitiæ vidiſſe deponant ; At ſi de uno tantùm actu ſævitiæ probando agatur, teſtes ſingulares nihil probant ; quod etiam in omni alio delicto attenditur.

21. *Quær.* An mulier, quæ paſſa eſt ſævitiam mariti, & diſſimulavit, poſſit quando-

cun-

cunque divortium petere? *Resp.* Negativè, quia per taciturnitatem, & cohabitationem præsumitur remisisse injuriam. Sperell. *d. decis. 139. num. 93.*

22. *Quær.* An divortio locus esse possit, si vir sævitiam exercuerit non in uxorem, sed in consanguineos, & conjunctos ipsius uxoris? *Resp.* Affirmativè. Aversa *de Matrimon. quæst. 23. sect. 10.* Tambur. *d. lib. 8. de Matrim. tract. 7. cap. 3. §. 7. num. 13.*

23. *Quær.* An ob dotem non solutam possit maritus devenire ad divortium? *Resp.* Affirmativè de Jure Civili, sed Negativè de Jure Canonico; ut pluribus allegatis demonstrat. Sperell. *decis. 138. num. 10.* ubi sententiam negativam in praxi esse servandam docet, & tenet Tamburin. *in Decalog. lib. 5. cap. 3. §. 3. num. 4.* quamvis id nimis laboriosum proclamet.

24. *Quær.* Quinam sint effectus divortii? *Resp.* Eos esse sequentes. Primò ut conjux innocens, habita divortii sententia, possit vel ordines sacros suscipere, vel in Religione profiteri, vel votum simplex emittere castitatis. Sanchez *de Matrimon. lib. 10. disp. 11. num. 12.* Tamburin. *d. lib. 8. de Matrimon. tract. 6. cap. 3. §. 7. num. 4. & 5.* ubi secùs esse, ait, si sententia lata non sit. Secundò, si divortium factum est ob culpam uxoris, maritus retinet dotem; si ob delictum, vel sævitiam mariti, dos est uxori restituenda. Tamburin. *dict. §. 8. num. 14.* Imò maritus delinquens debet præstare uxori innocenti alimenta, & expensas litis. Sanchez *dict. lib. 10. disp. 8. à num. 25.* Et Tertiò filii sunt educandi ex bonis ejus, qui dedit causam divortio. Sanchez *dict. lib. 10. disp. 20.* ubi advertit, quòd si divortium factum sit ob hæresim, filii sunt educandi apud parentem catholicum, favore fidei.

25. *Quær.* An conjuges, nulla intercedente causa divortii, possint ex mutuo consensu separari? *Resp.* Affirmativè, si intuitu vitæ sanctioris id faciant; sed si juvenes sint, debent ex consilio prudentum virorum procedere, & cum cautela, ne incidant in tentationem, prout admonet Sanch. *lib. 7. de Matrim. disp. 34.* & Pontius *lib. 9. cap. 11.*

26. *Quær.* Quid juris, si uxoratus absque licentia conjugis ingrediatur Monasterium, & in eo faciat Professionem Religiosam? *Resp.* Professionem esse nullam, & altero conjuge instante teneri ad illum accedere. Layman. *lib. 5. tract. 10. par. 3. cap. 7. num. 4.* Quamvis Pontius *d. lib. 9. de Matrimon. cap. 11. num. 8.* teneat, esse necessariam Judicis sententiam, quod non placet Tamburin. *d. lib. 8. tract. 7. cap. 4. §. 1. de Matrim. num. 1. & 2.* ubi quòd professio esset valida, si de licentia alterius conjugis fieret.

27. *Quær.* Si uxoratus, qui, ut supra, fecerat Professionem Religiosam absque sui conjugis licentia, revertatur ad conjugem, teneatur servare castitatem, quantum potest, id est non petendo debitum, sed solùm reddendo? aut si viduus remaneat, debeat à secundis nuptiis abstinere, & ad Religionem reverti? *Resp.* Negativè, nisi expressè vovisset castitatem, & Religionem, etiam in præ-dictis casibus, reditus scilicet ad conjugem, & viduitatis. *cap. Quid. cap. Placet. de Convers. conjug. & cap. Veniens. eod.* Pontius *d. lib. 9. de Matrimon. cap. 11. num. 4.*

28. *Quær.* Quæ, & quot sint necessaria, ad hoc ut uxoratus de licentia sui conjugis possit licitè ingredi Religionem, & in ea profiteri? *Resp.* Quatuor requiri. *Primum*, ut conjux relictis in sæculo sit senex, videlicet, si sit vir, habeat annos sexaginta; si mulier, annos quinquaginta. *Secundum*, ut iste conjux relinquendus in sæculo non sit suspectus de incontinentia. *Tertium*, ut emittat etiam simplex votum castitatis; & *Quartum*, ut hæc omnia fiant de licentia Episcopi. *cap. cum sis, cap. Uxoratus. De Convers. conjug.* Tamburin. *d. cap. 4. §. 1. num. 8. & seqq.* Ubi advertit, quòd si relinquendus conjux in sæculo esset juvenis, deberet & ipse ingredi Religionem.

29. *Quær.* Quid juris, si unus conjux dedisset alteri licentiam profitendi, promittens & ipse profiteri, vel continentiam vovere, at suo conjuge professo, nolit adimplere promissionem, sed instet sibi suum conjugem professum restitui? *Resp.* Esse suadendum ad promissionem complendam, quam si nolit facere, & sit in periculo animæ ob incontinentiam, est ei restituendus conjux professus, quamvis valida sit professio, ut ei debitum reddat; at eo mortuo tenebitur reverti in Religionem. Sanchez *lib. 7. de Matrimon. disp. 33. num. 14. & 15.* Tamburin. *d. cap. 4. §. 1. num. 13. & 14.* ubi tamen dicit, quòd sic revocando conjugem professum peccabit.

30. *Quær.* Quid juris, si uxoratus suscipiat Ordinem Sacrum? *Resp.* Valide quidem ordinari, sed semper illicitè, tam si cum licentia uxoris, quàm si ea invita, vel ignorante; tam post consummatum matrimonium, quàm si sit tantummodo ratum. Insuper incurrit ipso jure in suspensionem, & irregularitatem, ita ut neque in suscepto ordine ministrare, neque ad alios promoveri, neque beneficium obtinere possit. *Extrav. Antiqua. De Voto.* Verum tamen est, quòd si uxor velit castitatem vovere, & Episcopi accedat consensus, poterit vir licitè in Sacris ordinari, sed non poterit cohabitare cum ipsa uxore. Tambur. *d. cap. 4. §. 2. à num. 5. & seqq.*

31. *Quær.* An uxor ejus, qui sacros ordines suscepit, & ad hunc effectum fecit simplex votum castitatis, possit viro suo Presbytero mortuo ad secundas nuptias validè convolare? *Resp.* Negare communiter Doctores, quos refert Sanchez *d. lib. 7. disp. 40. num. 2.* ob reverentiam Ordinis Sacri à suo viro suscepti: sed affirmare Pontium *d. lib. 7. cap. 15. num. 10.* eò quia contraria sententia nullum habet canonicum fundamentum, & de jure votum simplex non irritat futurum matrimonium. Ideò Petrus Arcudius *lib. 6. de Matrimon. cap. 4.* relatus per Tamburin. *d. cap. 4. §. 2. sub num. 9.* docet, validum, & licitum esse matrimonium viduæ relictæ à Presbytero Græco.

32. *Quær.*

32. *Quær.* An Presbyter Græcus, ſi ejus prima uxor moriatur, validè contrahat ſecundum matrimonium cum alia? *Reſp.* Validè contrahere, quia Presbyteri Græci non fovent continentiam: At quia bigamus evadit, eſſe ſuſpenſum ab officio. Ita Arcudius ubi ſupra penes Tamburin. *d.* §. 2. *num.* 9. ubi advertit, eundem graviter peccare; quia prohibitum eſt Græcis ad ſecundas nuptias tranſire, ut doctè probat Abbas Papadopoli in *Prænotion. Myſtagogic. Reſp.* 2. *ſect.* 2.

33. *Quær.* Quid faciendum, ſi mulier det licentiam viro ſuo ſuſcipiendi Sacros Ordines; ſed illis ſuſceptis, repetat ipſum ad periculum incontinentiæ effugiendum? *Reſp.* Eſſe tandem illi reſtituendum, ſed remanebit ſuſpenſus ab altare; quia uxor non voverat caſtitatem; Idcircò uxorati nunquam ſunt ordinandi, niſi priùs uxores profiteantur in Religione, vel votum emittant caſtitatis. *dict. Extrav. Antiquæ, de Voto.* Tambur. *d.* §. 2. *num.* 11. & 12. Idemque eſt, ſi vir promovendus ſit ad Cardinalatum; at ſi de Epiſcopatu conferendo agatur, debet omninò uxor in Religione profiteri.

34. *Quær.* Si quis creditus impotens ad matrimonium fuerit ab uxore ſegregatus, & in Religione profeſſus, at deinde cognoſcat ſe potentem ad matrimonium conſummandum, poteritne ad uxorem redire? *Reſp.* Affirmativè ſecundùm ea, quæ latè proſequitur Diana *part.* 11. *tract.* 5. *reſ.* 9.

35. *Quær.* An Epiſcopus poſſit prohibere, ne matrimonium contrahatur domi? Negativè reſpondit Barboſ. *alleg.* 32. *num.* 18. Reginald. *tom.* 3 *lib.* 31. *cap.* 33. *num.* 242. & ita reſpondiſſe S. Congreg. teſtatur Rebellius *part* 2. *lib.* 2. *qu.* 7. *ſect.* 2. *num.* 11. quem refert Summa Diana. *Verb. Matrimonium quo ad alia num.* 42. ubi tamen advertit, plures Synodales Conſtitutiones prohibere celebrationem Matrimonii in domibus privatis abſque urgenti cauſa ob reverentiam Sacramenti, & ita ſervatur hìc Patavii; & ita ſtatuit S. Carolus Borrom. *Eccl. Mediolan. part.* 1. *Concil. Prov.* 2. *tit.* 1. *Decr.* 28.

CAPUT CXLVII.

De Cenſuris.

1. *Quær.* Quid ſignificet hoc vocabulum *Cenſura*? *Reſp.* Generaliter ſumptum hoc vocabulum ſignificare judicium de aliqua re, an ſit digna laude, vel vituperatione, & hoc pacto reviſores librorum appellantur Cenſores; & apud Romanos conſtituti erant Cenſores, quorum munus erat indagare de moribus populi, ne indigni admitterentur ad honores; & in Republica Veneta Cenſores creantur, qui obſervent, utrùm Leges, quibus ipſa regitur, ab aliquo offendantur. Specialiter autem ſumpta hæc vox *Cenſura* indicat aliquam pœnam correctivam, & medicinalem pro aliqua gravi transgreſſione. Navar. *in Summ. cap.* 27.

2. *Quær.* Quid ſit Cenſura Eccleſiaſtica? *Reſp.* Quòd *eſt pœna ſpiritualis, & medicinalis, privans uſu aliquorum ſpiritualium bonorum, impoſita per Eccleſiæ poteſtatem, ut fidelis baptizatus à contumacia diſcedat, & à culpa, propter quam infligitur, emendetur.* Dicitur *Pœna*, id eſt punitio *Spiritualis*, ad differentiam punitionum corporalium. *Medicinalis*, quia mens Eccleſiæ eſt mederi animabus per cenſuras. *cap.* 1. *de Sent. Excom. in* 6. Dicitur *Privans uſu aliquorum ſpiritualium bonorum*, qualia ſunt Sacramenta, Sacrificia, Orationes; non autem ſupernaturalium; qualia ſunt Fides, Spes, Charitas, Character. Dicitur, *Per Eccleſiæ poteſtatem impoſita*: quia hæc poteſtas relicta eſt à Chriſto Eccleſiæ ſuæ ad bonum regimen animarum eminenter in Papa in univerſo Orbe, & adverſus quoscunque: dependenter autem à Papa in Epiſcopis, ac aliis inferioribus Prælatis, ut probavi de *Pœnitentia Deciſ.* 19. *à n.* 22. *& ſeqq* ubi diſſerui de Clavibus Eccleſiæ pro foro externo. Dicitur *ut fidelis baptizatus à contumacia diſcedat.* Quia non baptizati minimè poſſunt cenſuris puniri, ſed tantùm fideles: & ad hunc finem, ut emendentur. Dicitur *à culpa, propter quam infligitur.* Quia cenſura non eſt ferenda niſi ob culpam, & culpam gravem, *cap. Nullus.* 15. *qu.* 3. *cap. Sacro. De Sent. Excom.*

3. *Quær.* Quomodo probetur, eſſe in Eccleſia poteſtatem ferendi Cenſuras? *Reſp.* Ex verbis Chriſti *Matth.* 18. dicentis Petro: *Si peccaverit in te frater tuus &c. Et ſi non audierit, dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. Amen dico vobis: Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo*, quæ verba intelliguntur non de foro interiori, ſed externo per cenſuras. *cap. Solita, de Major. & Obed.* S. Thom. 3 *p. q.* 1. *art.* 2. Scot. *in* 4. *diſt.* 19. §. *De quinto.* Et ideò auctoritas pro foro pœnitentiali vocatur Clavis, quia cœlum aperit, vel claudit; ſed pro foro exteriori dicitur gladius, quia corrigit. Maſtrius *in Theol. Mor. diſp.* 13. *n.* 4. & 5. ubi probat, etiam ab Apoſtolis fulminatas eſſe cenſuras, easque fulminandi auctoritatem eſſe de jure divino, *cap.* 31. 11. *q.* 3. Extravag. *Unam Sanctam. De Major. & Obed.* & dict. mea *Deciſ.* 19. *de Pœnit.*

4. *Quær.* Quotuplex ſit Eccleſiaſtica Cenſura? *Reſp.* Eſt triplex. *Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum*, & hoc habetur *in cap. Quærenti, de Verbor. ſignificat & cap.* 1. *cap. Statutum, de Sentent. Excomm. in* 6.

5. *Quær.* An ſit alia diviſio Cenſuræ? *Reſp.* Affirmativè, nam cenſura alia eſt à jure, & alia ab homine. Alia eſt comminatoria, & alia latæ ſententiæ: prima non incurritur, niſi lata ſententia: hæc autem ipſo jure, vel ipſo facto. Rurſus cenſura alia eſt juſta, alia eſt injuſta; & talis dicitur, ſi judex non ſit competens, vel non procedat ſervato juris ordine. Item cenſura alia eſt valida, alia eſt invalida; & hæc illa eſt, quæ fertur vel à non habente legitimam auctoritatem, vel abſque juſta cauſa, vel nulla præmiſſa monitione. DD. quos citat Maſtrius *in citat. Diſput.* 13. *num.* 8. *in fine.*

6. *Quær.* Quis poſſit fulminare cenſuras? *Reſp.* Ille, qui habet Eccleſiaſticam poteſtatem Ordinariam, vel Delegatam. Maſtrius *d. diſp.* 13. *num.* 9.

7. *Quær.* Qui sint illi, in quibus est potestas Ecclesiastica Ordinaria? *Resp.* Papa in universo Orbe. Deinde Concilia generalia, & Provincialia. *cap. Grave nimis. de Præbend.* Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum. *cap. unic. de Majorit. in 6.* Legatus à latere Summi Pontificis. *cap. Legatus de Offic. Leg. in 6.* Archiepiscopi, Patriarchæ, & Episcopi, ac alii Prælati territorium cum jurisdictione quasi Episcopali habentes respectu suorum subditorum. *cap. Ad reprimendam, cap. cum Episcopus, de Offic. Ordin. in 6.* Concil. Trident. *sess. 6. cap. 3. & sess. 14. cap. 4. de Ref.* Vicarius Episcopi vel Archiepiscopi. *cap. Licet. de Offic. Vicar.* Capitulum Sede Episcopali vacante, sive Vicarius Capitularis. *d. cap. Unico. de Majorit. in 6.* Concil. Trid. *sess. 24. de Ref. cap. 16.* & tandem Superiores Religionum. *cap. Cum in ecclesiis. eod. tit. de Præbend.*

8. *Quær.* An Parochi possint ferre censuras in suos Parochianos? *Resp.* Negativè, quia non habent jurisdictionem in foro exteriori, sed tantùm in foro Pœnitentiali. Glossa *in cap. Nemo. 2. q. 1.* Nisi consuetudo hanc jurisdictionem ipsis concessisset. Abb. *in cap. 3. num. 10. de Offic. Ordin.* Mastrius *in dict. disp. 13. num. 11.*

9. *Quær.* Quibus possit delegari facultas ferendi censuras? *Resp.* Homini Christiano baptizato, & Clerico. Hinc incapaces sunt hujus facultatis Angeli, & Beati, quia Ecclesia militans regi debet à ministris visibilibus. Item non baptizati. *cap. 1. & cap. 3. de Presbytero non baptiz. ministrante.* Neque fœminæ. *cap. Dilecta 12. de Major. & obed. cap. de Monialibus. De Sent. excommunic.* Neque Laici, qui non habeant saltem primam Tonsuram, *cap. in nona 16. q. 7.* & sint cœlibes; nam Clerici conjugati non sunt capaces hujus facultatis. *cap. Sanè. de Clericis conjug.* Et hi omnes casus intelligendi sunt stante prohibitione juris communis canonici. Ideò si Papa suprema sua auctoritate delegaret dictam facultatem cuivis ex supradictis personis, idest fœminæ, laico, clerito conjugato, & viro non baptizato, posset ferre censuras. Mastrius DD. allegans *d. disp. 13. num. 12.*

10. *Quær.* An habens facultatem delegatam ferendi censuras, possit eam alii subdelegare? *Resp.* Negativè, *cap. ult. de Offic. Legati.*

11. *Quær.* An si moriatur delegans, possit delegatus ferre censuras? *Resp.* Negativè, si causa nondum sit inchoata. *cap. Licet, cap. Relatum, & cap. ult. de Offic. deleg.* Secùs si causa fuit inchoata, quia tunc fuit firmata jurisdictio.

12. *Quær.* An Superiores excommunicati, vel suspensi possint ferre censuras in subditos? *Resp.* Negativè, maximè si non sint tolerati; qui neque delegare aliis possunt. *cap. Ad probandum. de Sent. & re jud.* Mastrius *dict. disput. 13. num. 13.*

13. *Quær.* An valeat censura vi, metuve extorta. *Resp.* Affirmativè. Abb. *in cap. 2. De iis, quæ vi, metusve causa fiunt.* Etsi absolutionem à censura vi extortam non valere decisum sit *in cap. Unico. De his, quæ vi,* &c. quia ille est casus specialis, & exceptio in uno casu firmat Regulam in contrario.

14. *Quær.* Quæ sint necessaria ad validitatem censuræ? *Resp.* Quòd præcedat trina monitio, nisi urgens necessitas aliud suadeat. *cap. Sacro. de Sent. excommun. cap. Statutum. eod. tit. in 6.* intelligendo de censura ferenda ab homine; quia illa, quæ est à jure, non requirit monitionem. Item quod feratur in scriptis cum expressione nominis illius, qui censuram fert; & nominis illius, contra quem fertur, & expressione causæ, ob quam fertur. Ideò qui omissis his duobus requisitis fulminat censuram, peccat mortaliter, & censura est invalida. *cap. in causis. De Sent. & Re judic.* Mastrius *dict disp. 13. num. 15.*

15. *Quær.* Qui possint ligari censuris? *Resp.* Soli homines vivi baptizati, rationis, & doli capaces, & subditi illius, à quo censuræ feruntur. Mastrius *ibidem num. 16.* Hinc bruta, homines mortui, non baptizati, pueri, amentes, & non subditi non possunt censuris feriri. Et licet locutæ aliquando dicantur excommunicari, intelligendum est, maledici, ut dixi *de Sacrific. Missæ, Decis. 42. num. 39.* & homines mortuos declarari incurrisse in censuram ante mortem; quemadmodum si ante mortem dederint signa pœnitentiæ, post mortem possunt absolvi, id est, absolutos declarari, ut sepulturæ Ecclesiasticæ tradantur. *cap. A nobis, 2. & cap. Sacris,* & ibi Covarruvias. *De Sentent. Excommunicat.*

16. *Quær.* An Communitas, vel Collegium possit censura ligari? *Resp.* Cum distinctione. Interdicto, & suspensione potest. *cap. de Sede vacante. de Sent. Excom. in 6.* Secùs autem excommunicatione. *cap. Romana eod. tit. in 6.* Mastrius *dict. disp. 13. num. 18.* ubi DD.

17. *Quær.* An Episcopus possit censuris punire suum subditum delinquentem in alieno territorio? & non subditum delinquentem in territorio sui Episcopi? *Resp.* Quoad primum negativè. Quoad secundum affirmativè. *cap. 2. §. Statuto Episcoporum. De Constitut. in 6. cap. ult. De foro compet.* Quòd si subditus deliquisset in territorio proprii Episcopi, & postea fugisset, poterit à suo Episcopo censuris puniri. *dict. cap. ult. De foro competenti.* DD. apud Mastrium *d. disp. 13. num. 19.*

18. *Quær.* An censura lata contra facientes comprehendat etiam mandantes, & consulentes? *Resp.* Negativè, nisi proferatur verbis generalibus includentibus quoscunque cooperantes. Mastrius *ibidem num. 20.*

19. *Quær.* An revocato mandato, vel consilio, qui mandavit, vel consuluit opus sub censura prohibitum, incurrat censuram, si mandatarius, vel consultus opus illud committat? *Resp.* Negativè secundùm probabiliorem opinionem, de qua Diana *par. 5. tract. 9. ref. 58.* ea ratione, quia cùm pœniteant, censentur non concurrere ad opus prohibitum. Secùs tamen est quoad damna, & restitutionem, ut diximus supra *cap. 131. quæst. 48.*

20. *Quær.*

20. *Quær.* An quis possit pluribus censuris irretiri? *Resp.* Affirmativè, quando reiterat actus prohibitos sub pœna censuræ; & ideò eget pluribus absolutionibus. Mastrius *d. disp. 13. num. 22.*

21. *Quær.* Ob quam causam infligenda sit censura? *Resp.* Ob peccatum mortale; & idcircò ubi non est mortale peccatum, ibi censura infligi non potest. *cap. Nemo Episcoporum. cap. Nullus Sacerdotum. 11. q. 3.* Concil. Trid. *sess. 25. cap. 3. de Ref.* Mastrius *ibidem num. 23.* subdens, quòd dictum peccatum debet esse exterius; nam propter internum ferri non potest, quia Ecclesia non judicat de occultis. *cap. Erubescat. cap. Sicut tuis. De Simonia. cap. Christiana. 32. q. 5.* Minor tamen excommunicatio, & levis suspensio potest infligi ob culpam venialem. Bonacina, Toletus, & alii apud Mastrium *d. disp. 13. num. 23.* At excommunicatio major solummodò ob peccatum mortale, & ob contumaciam. Mastrius *num. 67.*

22. *Quær.* An quis possit censura percuti pro delicto præterito, vel ob delictum non completum? *Resp.* Negativè, quia cùm requiratur præcedens monitio, vel opus completum, in neutro casu intrat causa censuræ. Mastrius *ibidem num. 24.*

23. *Quær.* Quæ causæ excusent ab incurrendis censuris? *Resp.* Quatuor sunt causæ principales excusantes à censuris. *Prima* est ignorantia invincibilis, tum juris tum facti habentis annexam censuram. *cap. Si verò. De Sent. Excommunic. cap. Secundo. eod. tit. in 6.* Bonacina. *De Censur. disp. 1 qu. 2. punct 1 Secunda* est impotentia faciendi id, quod sub pœna censuræ faciendum præcipitur; sive illa sit physica, sive moralis tantùm. Undè qui non potest restituere rem alienam, non incurrit censuram latam contra detentores rei alienæ. Et qui ob metum gravem cogitur facere aliquod prohibitum sub censura, non incurrit censuram. Bonacina *d. q. 2. punct. 3.* Mastrius *d. disp. 13. num. 27. Tertia* est appellatio legitimè interposita ad Superiorem à comminatione censuræ indictæ per inferiorem, antequam tamen ea incurratur. *cap. Si à Judice 10. De Apellat. in 6.* Mastrius *ubi supra num. 28. Quarta* est voluntas ejus, in cujus favorem lata est censura. Idcircò si creditor faciat suspendere à divinis Clericum debitorem, nisi intra sex menses debitum solvat, si creditor prorogaverit dictum terminum, Clericus non erit suspensus. Mastrius *d. disp. 13. num. 29.*

24. *Quær.* Quis possit absolvere à censuris? *Resp.* Cum distinctione. Vel censura est à jure, & nemini reservata? & ab hac absolvere potest in foro exteriori Superior censurati; in foro interiori omnis Confessarius. *cap. Nuper. De Sentent. Excommunic.* Vel est ab homine? & hæc absolvi non potest nisi ab eo, qui eam tulit, vel ab ejus Superiore, aut Successore, vel Delegato: excepto articulo mortis, in quo omnis Confessarius potest absolvere à quibuscunque censuris. Concil. Tridentin. *sess. 14. cap. 7.* sub conditione tamen, ut sic absolutus, si periculum mortis evadat, debeat comparere coram Superiore, & facere, quod sibi præscripserit. *cap. Eos. De Sentent. Excommunic. in 6.*

25. *Quær.* An Episcopi possint absolvere ab omnibus censuris etiam reservatis Papæ? *Resp.* Affirmativè, si sint contractæ ex delicto occulto. Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6.* Exceptis tamen Censuris fulminatis in Bulla Cœnæ Domini, & illatis ob hæresim, Duellum, Simoniam realem, Violatam Clausuram Monialium ad malum finem; ac violatam Immunitatem Ecclesiasticam, quia etsi hæc delicta sint occulta, Episcopi non possunt ab eis absolvere, ut probavi *de Pœnitentia decis. 45. à num. 5.* Nisi irretitus censura ob senium, morbum, vel paupertatem non possit accedere ad Papam. Mastrius *dict. disp. 13. num. 30.* ubi alii DD. & ego dixi in *d. decis. 45. num. 8.*

26. *Quær.* An qui est censura ligatus possit absolvi à peccatis? *Resp.* Negative loquendo de excommunicatione, quia ab ea priùs debet absolvi. S. Thom. *3. part. q 24. art. 2.*

27. *Quær.* An quis habens super se plures censuras possit absolvi ab una, & non ab alia? *Resp.* Affirmativè, ad differentiam peccatorum, quæ non possunt remitti dimidiatè, sed omnia simul. Mastrius *ibid. num. 31.*

28. *Quær.* Quæ sit forma absolvendi à censuris? *Resp.* Absolutio potest dari quibuscunque verbis denotantibus absolutionem: etsi in foro exteriori adhibenda sit forma præscripta in Rituali Romano. Mastrius *d. num. 31.*

29. *Quær.* Quæ requirantur in eo, qui debet assolvi à censura? *Resp.* Quòd humiliter petat absolutionem, præstet debitam satisfactionem; & aliquando juret de non ampliùs committendo illo delicto. *cap. Ex tenore. 10. De Sent. Excom.* Mastrius *d. num. 31.*

CAPUT CXLVIII.

De Excommunicatione.

1. *Quær.* Quid sit Excommunicatio? *Resp. Est Ecclesiastica Censura, qua homo Christianus bonis fidelium communibus privatur.* Toletus *in Sum. lib. 1. cap. 4. num. 1.* ubi declarat, tria esse bona communia fidelium, quibus per Ecclesiæ potestatem Christianus privari potest, nempè exterior conversatio, Sacramentorum participatio, & orationes, suffragiaque Ecclesiæ. Vel secundùm Scotum *in 4. dist. 19. §. De quinto;* definitur, quod sit *Censura, qua quis ab Ecclesiastica communione fidelium separatur.* Et habetur *in c. Omnis Christianus 11. q. 3.* Dicitur *Censura* tanquàm genus, continet enim sub se etiam Suspensionem, & Interdictum; quæ sunt aliæ duæ censuræ; & tales dicuntur tanquàm pœnæ medicinales; dicitur *Qua quis separatur ab Ecclesiastica communione fidelium;* ad differentiam suspensionis, & interdicti, quæ privant hominem exercitio activo, vel passivo divinorum officiorum, non autem conversatione exteriori. Dicitur *Ecclesiastica*, quia non privat bonis omnibus spiritualibus, nempe gratia, charitate, & aliis virtutibus; sed tribus bonis prædictis, quæ subjacent directè potestati Ecclesiæ. Mastrius *d. disp. 13. in Theologia Morali num. 33.*

2. *Quær.* Quotuplex sit Excommunicatio? *Resp.* Est duplex, Major, & Minor. Illa est major, quæ privat omnibus illis tribus bonis, quæ hoc versiculo continentur: *Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.* Minor est illa, quæ privat sola passiva participatione Sacramentorum. *cap. penult. de Sent. Excommun.*

3. *Quær.* In quotuplici differentia sint excommunicati excommunicatione majori? *Resp.* Quòd in duplici, alii enim sunt excommunicati tolerati; alii non tolerati. Hi sunt duo; notorii percussores clericorum; & illi qui nominatim sunt à Superiore denunciati excommunicati. Ideò ex Decreto Concilii Constantiensis, prædicti duo sunt vitandi; non autem alii, etsi sciamus, eos incurrisse in aliquam majorem excommunicationem. Mastrius *dict. disp. 13. num. 34.* Quamvis contrarium scribat Fagnanus *in cap. Quod à Prædecessore. num. 55. De Schismatic. tom. 6. pag. 233.* idest omnes notorios esse vitandos.

4. *Quær.* An excommunicatus minori excommunicatione peccet, si Sacramenta aliis administret? *Resp.* Peccare tantùm venialiter, nisi faciat ex contemptu. *cap. ult. de Cleric. Excomm. Ministr.* Mastrius *ubi supra num. 35.* advertens, quòd audiendo Missam, & alia divina officia, non peccat, neque conversando civiliter.

5. *Quær.* An laicus minori excommunicatione detentus validè recipiat Sacramenta? *Resp.* Affirmativè, excepto Sacramento Pœnitentiæ; cùm enim in tali receptione mortaliter peccet, nisi ignorantia, vel alia causa excuset, validè non potest recipere. Mastrius *ibid. num. 36.* Quod ego dixi *de Pœnitentia decis. 31. num. 9. & 10.*

6. *Quær.* An Sacerdos celebrans cum minori excommunicatione fiat irregularis? *Resp.* Negativè, quamvis graviter peccet. Hinc si eligatur ad beneficia, vel dignitates, electio est valida; quamvis possit irritari per sententiam Judicis. Mastrius *eod. loco num. 36.*

7. *Quær.* Quis possit absolvere à minori excommunicatione? *Resp.* Omnis Confessarius approbatus. DD. apud Mastrium *d. num. 36.*

8. *Quær.* An sit alia divisio excommunicationis? *Resp.* Affirmativè, nam alia excommunicatio est à jure, & alia ab homine. Illa est à jure, quæ infligitur per Canonem, aut Constitutionem Ecclesiasticam, & durat etiam post mortem legislatoris, Illa verò est ab homine, quæ per Judicem in aliquo particulari negotio promulgatur; & hæc expirat per mortem Judicis, aut ejus remotionem ab officio. Mastrius alios cumulans DD. *d. disp. 13. num. 37.*

9. *Quær.* Quæ, & quot requirantur pro justa, & valida excommunicatione? *Resp.* Tria, Auctoritas in Superiore excommunicante; Grave, & enorme peccatum cum contumacia in excommunicando; & solemnitates à jure præscriptæ in ferenda excommunicatione; quòd si deficiat unum ex his requisitis, excommunicatio erit invalida. Mastrius *ubi ante num. 38. & num. 67.*

10. *Quær.* An aliquando possit ferri excommunicatio major pro culpa levi? *Resp.* Affirmativè, si illa levis culpa possit causare scandalum, vel impedire finem honestum intentum à Superiore. Volpi *in Resolut. Moral. resol. 14. num. 4. & 5.* Hinc Episcopi solent prohibere Clericis deferre comam, vel arma sub pœna excommunicationis; & Innocentius Papa XI. sub eadem pœna prohibuit mulieribus Romanis deferre nuda brachia, & pectora; quia poterant causare scandala, & impediebant finem honestum, intentum ab eodem Sanctissimo Pontifice; licèt illa nuditas in se videatur sola culpa venialis. Tamburin. *in Decal. lib. 7. cap. 8. §. 8. num. 6. & 7.*

11. *Quær.* Appellatione excommunicationis; an major, vel minor sit intelligenda? *Resp.* Quòd intelligitur major. *cap. Penult. de Sent. excom.*

12. *Quær.* Qui, & quot sint effectus majoris excommunicationis? *Resp.* Esse sequentes. 1. Quòd Clericus excommunicatus exercens aliquem ordinem fit irregularis. 2. Quòd si per annum in excommunicatione inforderescat, sit suspectus de hæresi. Glossa *in cap. Contingit. De Dolo, & Contumacia.* Concil. Trident. *sess. 25. cap. 3. de Reform.* 3. & privandus veniat beneficiis. *cap. Rursus* 11. *quæst. 3. cap. Cum Bonæ. De Ætate, & qualit.* 4. Non participat excommunicatus de suffragiis Ecclesiæ; puta Sacrificiis, orationibusque publicis, & indulgentiis. *cap. A nobis. 28. & cap. Sacris. 38. De Sent. Excom.* excepta sexta feria in Parasceve ob mortem Domini, & nimiam pietatem Ecclesiæ, quæ eo die sacro orat pro Infidelibus, Hæreticis, & Schismaticis; undè qui alio die dictas publicas orationes faceret, mortaliter peccaret. Mastrius *d. disp. 11. num. 41.*

13. *Quær.* An privatio suffragiorum Ecclesiæ sit intelligenda de Excommunicatis non toleratis tantùm, vel de omnibus? *Resp.* Altercare inter se Doctores, sed communiorem esse opinionem, quòd de omnibus sit intelligenda; quia Concil. Constantiæ permisit fidelibus conversari cum excommunicatis toleratis; ne ipsi fideles illaqueentur minori excommunicatione, at ipsis excommunicatis declaravit nullum beneficium concedere. Mastrius *d. disp. 13. num. 42.*

14. *Quær.* An licitum sit orare pro Excommunicatis pœnitentibus, sed nondum absolutis? *Resp.* Plures negant per *cap. A nobis 18. & cap. Sacris. 38. De Sent. Excom.* sed alii plurimi affirmant; quia cessante causa, cessat effectus; at causa excommunicationis est contumacia, delictum, & inobedientia. Igitur his cessantibus per pœnitentiam, debet cessare effectus. Mastrius *d. disp. 13. num. 43.* ubi DD. sic sentientes in *cap. Alma Mater De Sent. Excom. in 6.* Concordantur autem hæ opiniones, ut affirmativa procedat de orationibus privatis; negativa autem de publicis. Mastrius *ibid. num. 44.* ubi advertit, quòd pro excommunicatis contumacibus non toleratis non est licitum orare neque privatim; scilicet in suffragiis, & sacrificiis communibus Ecclesiæ; secùs autem in orationibus particularium personarum.

15. *Quær.*

15. *Quær.* Quale peccatum committat Excommunicatus toleratus, si Sacramenta recipiat, vel aliis administret? *Resp.* 1. Peccare mortaliter. *cap. Cum illorum. cap. Si quem. De Sent. Excom. cap. Si celebrat. De Clerico excom. ministr. cap. Engeltruda. 3. quæst. 4.* 2. Incurrere irregularitatem, non recipiendo, sed administrando Sacramenta. *cap. Licet. & cap. ult. De Clerico excom. ministr. cap. Si quis 11. quæst. 3. cap. Is, qui, & cap. Is, cui. De Sent. excom. in 6.* Nisi tamen excusaretur vel ob ignorantiam invincibilem, vel ob metum mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, aut ob similia damna. *cap. Apostolicæ. De Clerico excom. ministr.* ubi DD. & Mastrius *d. disp. 13. num. 45. & 46.*

16. *Quær.* An Excommunicatus majori Excommunicatione, si Sacramenta recipiat, ea valide recipiat? *Resp.* Affirmativè de omnibus Sacramentis, excepto Pœnitentiæ Sacramento; quòd valide recipere non potest, nisi bona fide, vel ignorantia invincibili excusetur. Mastrius *d. disp. 13. num. 48.* Et ego in *d. Decis. 31. num. 9. & 10. De Pœnitentia.*

17. *Quær.* An Sacramenta administrata per supradictum Excommunicatum sint valida? *Resp.* Circa Baptismum, & alia Sacramenta, præter Pœnitentiam, quamvis illicitè sumantur, tamen valide conferri ab excommunicato. At circa Pœnitentiæ Sacramentum, dicendum est, invalidè administrari ab eodem, quia caret jurisdictione, sine qua nemo potest absolvere pœnitentes. *cap Ad probandum. De Sent. & re judic. cap. Romana. De Offic. Vic. in 6. & cap. Audivimus. 24. q. 1.* Hoc tamen est intelligendum de excommunicato non tolerato, vel publico Clerici percussore; in aliis autem ob *Extravag. Ad evitanda. Concil. Constant.* dicendum est validè recipi à fidelibus, etsi administretur Pœnitentiæ Sacramentum ab excommunicato. Mastrius *ibid. num. 50. & 51.* Egomet *de Pœnit. Decis. 45. num. 2.*

18. *Quær.* Quid agendum, si Excommunicatus se immisceat de facto cum aliis fidelibus in audiendo sacro; in recitandis horis Canonicis, in Processione, & aliis publicis Divinis Officiis? *Resp.* Si excommunicatus sit non toleratus, vel publicus Clerici percussor, fideles tenentur eum expellere; vel si non possunt, ab eodem discedere, secùs autem si sit toleratus. In concionibus verò tolerari potest etiam non toleratus. *cap. Si quis Episcopus 4. qu. 3. cap. Is, qui. De Sent. excom. in 6. cap. 1. de Sent. & re judic. in 6.*

19. *Quær.* An moriens Excommunicatus non toleratus sit tradendus Ecclesiasticæ sepulturæ? *Resp.* Negativè. *cap. Sacris. De Sepultur. & Clem. 1. eod. tit.*

20. *Quær.* An Excommunicatus majori excommunicatione possit ad beneficia & dignitates promoveri? *Resp.* Negativè, quòd si de facto promoveatur, actus erit nullus; etiamsi per ignorantiam fiat. *cap. Pastoralis. ubi* DD. *de Clerico excommunicato.* Mastrius *d. disp. 13. num. 53.*

21. *Quær.* Quid dicendum de beneficiis obtentis ante Excommunicationem? *Resp.* His excommunicatum non privari ante Judicis sententiam; etsi canon diceret, quòd excommunicatus ipso jure esset privatus. *cap. Pastoralis. §. Verum. De Appellat.* Mastrius *ibid. d. num. 53.* ubi tamen advertit, quòd circa fructus beneficiorum, an sint restituendi necne ab excommunicato etiam ante sententiam judicis? est dissensio inter DD. & opinio affirmans videtur verior. *d. cap. Pastoralis. §. Fin. de Appellat. cap. Quod autem. 23 q. 7. & cap. Præter 22. dist.*

22. *Quær.* Quid sentiendum de beneficiis collatis ab Excommunicato? *Resp.* Si est toleratus, collatio est valida, etsi non licita. Quòd si non sit toleratus collatio est invalida, & provisus dicitur intrusus, & ideò absque alia declaratione tenetur dimittere beneficium, & restituere fructus. *cap. Quia diversitatem. De Concess. Præb. cap. Tanta. De Excessib. Prælator. & cap. 1. Ne Sede Vacante in 6.*

23. *Quær.* An Excommunicatus possit stare in judicio? *Resp.* Negativè neque tanquam judex, ne tanquam Actor, vel Procurator, vel Testis, vel Notarius. *cap. Præsidentes. De Hæretic. cap. Decernimus. 8. de Sent. Excommun. cap. 1. De Except. in 6. cap. Veniens. 38. De Testib. cap. Intelleximus. De Judiciis.* Si tamen non sit toleratus: secùs si toleratus sit. Mastrius *d. disp. 13. num. 55.*

24. *Quær.* An valeant contractus facti ab Excommunicato non tolerato? *Resp.* Affirmativè, si tanquam persona privata contrahat; secùs si ex aliquo publico officio. *cap. Cum inter. De Exceptionib. in 6. cap. Si verò. De Sent. Excom.*

25. *Quær.* An Excommunicatus non toleratus validè contrahat matrimonium; vel faciat Professionem Regularem? *Resp.* Affirmativè. *cap. Significasti. & cap. Cum illorum. De Sent. Excom.* Et ratio est, quia nullo canone matrimonium, vel professio irritatur. Mastrius *ubi supra num. 56.* ubi id etiam procedere notat in factione testamenti activa, & passiva, nisi excommunicationem incurrisset, insequendo hostiliter Cardinales; aut protegendo Hæreticos. *cap. Felicis. De Pœnis in 6. cap. Excommunicamus. De Hæreticis in 6.*

26. *Quær.* Quam culpam, & quam pœnam incurrat, qui communicat cum Excommunicatis non toleratis? *Resp.* Si communicat in rebus Divinis, peccat mortaliter. Si in humanis tantùm, peccat venialiter, nisi id faciat ex contemptu Clavium Ecclesiæ. At in utroque casu incurrit minorem excommunicationem. *cap. Si celebrat. de Clerico excomm. ministr.* Mastrius *ubi ante num. 58.*

27. *Quær.* An in aliquo casu licitum sit communicare cum Excommunicato etiam non tolerato? *Resp.* Affirmativè in casibus contentis in hoc versiculo, nempè

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

quorum verborum hìc est sensus. *Utile* idest corrigendo, & monendo ipsum excommunicatum ad pœnitendum. *Lex*, ut in uxore, vel in debitore aliquid solvente eidem excommunicato. *Humile* in filiis, & servis ipsimet obedientibus. *Res ignorata*, quando quis nesciret illum esse excommunicatum, & hoc

nvincibiliter. *Necesse*, videlicet si urgeat necessitas vel spiritualis, vel temporalis, tam in eodem excommunicato, quàm in alio fideli; idcircò in articulo mortis quilibet potest absolvere excommunicatum; vel eidem in gravi necessitate constituto ministrare panem, hospitalitatem, & alia necessaria ad vitam; prout etiam secum agere, si immineret aliquod grave periculum vitæ, vel jacturæ bonorum. *cap. Quoniam multos. 11. q. 3. cap. Inter alia, §. Illud. De Sent. Excommun.* Mastrius *d. disp. 13. num. 60.*

28. *Quær.* Quis possit absolvere ab Excommunicatione? *Resp.* Si est reservata Papæ? solus Papa. Si est reservata solis Episcopis? ipsi Episcopi. Quòd si nulli sit reservata, quilibet Confessarius poterit absolvere. Quæ autem excommunicationes sint reservatæ vel Papæ, vel Episcopis, vel aliis? videndi sunt Toletus *lib. 1. cap. 18. & seqq.* Busenbaum *lib. 7. cap. 2.* Abellius *cap. 6. de Censuris sect. 2.* & Mastrius *eadem disput. 13. à num. 69. & seqq.*

29. *Quær.* Quis possit absolvere ab Excommunicatione publicum percussorem Clerici? *Resp.* Solus Papa, exceptis casibus infrascriptis, in quibus etiam Episcopus potest illum absolvere. 1. Si percussor sit impubes, pauper, æger, senex, mulier, cœcus, claudus, servus, filiusfamilias. *cap. De Cætero. De Sent. Excommunic.* 2. Si inimicitias capitales habeat, ex quibus ei immineat periculum vitæ. 3. Si percussio sit occulta, vel fuerit levis. 4. Si Regularis Regularem percussisset; secùs si Clericum sæcularem cum percussione enormi. *cap. Monachi. De Sentent. Excom.* 5. In articulo mortis; tunc enim etiam simplex Sacerdos potest absolvere. Mastrius *dict. disput. 13. à num. 61. usque ad num. 64.*

30. *Quær.* Quomodo incurratur Excommunicatio lata à judice contra non revelantes delictum commissum? *Resp.* Incurri à scientibus; nisi aliqua legitima causa eos excuset. Causæ autem excusantes sunt. 1. Si scientes non sint subditi illius Judicis. 2. Si damnum, aut delictum sit in bonis ipsius scientis; nam potest reo parcere, si vult, & tacere; nisi agatur de alia publica causa. 3. Si quis sciverit delictum sub secreto naturali, ut Advocatus, Medicus, Amicus; hi enim non tenentur revelare. 4. Si ex revelatione resultaret aliquod grave damnum in vita, vel in bonis revelantis. 5. Si delictum fuisset commissum à consanguineo, vel affine usque ad quartum gradum, nisi essemus in casu de evitando aliquo publico detrimento, vel damno Reipublicæ. 6. Quando deficerent probationes ad probandum delictum; ut si quis solus vidisset furem furantem; & desint alii testes, vel indicia. *cap. Qualiter, & quanto. De Accusationib.* Excepto tamen casu hæresis, vel damni Reipublicæ, semper enim tunc est revelandum; & excepto casu impedimenti matrimonii. *cap. Postea. De Sponsal.* 7. Quando quis non habet certitudinem de delicto, sed tantùm ex aliquo rumore scit ejus auctorem; non enim tenetur se exponere cum tali incertitudine ad aliquod periculum, vel damnum in judicio. Ita Mastrius *d. disp. 13. num. 65. & 66.* ubi alios DD. citat.

31. *Quær.* An aliæ sint causæ excusantes ab incursu Excommunicationis in quocunque casu fulminatæ? *Resp.* Præter supradictas quatuor causas relatas supra de Censuris *cap. 147. quæst. 23.* nempè Ignorantiam invincibilem; Impotentiam faciendi id, quod præcipitur; Legitimam appellationem; & Condonationem factam ob eo, in cujus gratia fulminata est excommunicatio; excusare ulteriùs ab ejus incursu omnes illas causas, ob quas quis excusatur saltem in foro interno ab incursu in peccatum; quia ubi non est peccatum, ibi excommunicatio major esse non potest. Mastrius *d. disp. 13. num. 68.*

32. *Quær.* An Excommunicatus non toleratus possit in articulo mortis absolvere moribundum ab Excommunicatione majori? *Resp.* Affirmativè secundùm Moralistas, quando nullus alius Sacerdos reperitur. Mastrius *ib. num. 75.* ubi advertit, quòd debet exigere juramentum, si convalescat, se præsentandi coram Superiore, & ejus mandata exequendi. *cap. Ea noscitur. De Sentent. Excommunicat.* Sed negativè secundùm Canonistas, ut demonstravi in meis Decisionibus *de Pœnitentia dec. 45. num. 2.*

33. *Quær.* An Laicus possit absolvere moribundum ab Excommunicatione? *Resp.* Negativè, quia Clavium potestatem non habet in spiritualibus. *cap. Verbum. De Pœnitent. dist. 1.* Mastrius *ubi supra num. 76.* addens, quòd neque simplex Clericus potest absolvere in prædicto casu; nisi esset Judex, à quo fulminata esset ipsa excommunicatio. Et quòd Laicus non possit absolvere à peccatis, dixi plenè de *Pœnitentia dec. 18. num. 12. & dec. 31. num. 12. & 13.*

34. *Quær.* An quis invitus, & reluctans possit absolvi ab Excommunicatione? *Resp.* Cum distinctione. Si facultas absolvendi provenit à privilegio, vel Bulla concessa in favorem excommunicati, non potest absolvi, nisi eo volente, & petente. At si facultas procedat ex auctoritate Judicis ordinarii, potest absolvi etiam invitus; & licitè, & validè, Mastrius *d. disp. 13. num. 77.*

35. *Quær.* An sit reservanda aliqua forma in danda absolutione ab Excommunicatione? *Resp.* Quòd detur vel verbis eam expresè denotantibus, vel scripto. *Clem. ult. de Sent. Excommunic.*

36. *Quær.* An valeat absolutio ab Excommunicatione data sub conditione de futuro? *Resp.* Affirmativè, etsi DD. sint discordes super hoc quæsito, sed hæc opinio affirmativa est magis communis: est enim differentia ab absolutione à peccatis; quia hæc pendet à verbis absolutionis Sacramentalis, & ideò dari non potest sub conditione de futuro, secùs autem in absolutione à censuris. Mastrius *d. disp. 13. num. 79.*

37. *Quær.* Quomodo intelligenda sit clausula *Satisfacta parte*, quæ solet inseri in facul-

tate

tate absolvendi Excommunicatum ? *Resp.* Si posita sit sub conditione, sine qua non ? Debet priùs satisfieri parti, aliàs absolutio est nulla. Si posita sit tanquam monitio ? Absolutio est illicita, sed valida. Quo verò ad satisfactionem, satis est, si excommunicatus faciat, quidquid facere potest ; nam ad impossibile non tenetur. Mastrius *ibid. num. 80.* Qui tamen *num. 81.* addit, quòd absolutus sub conditione faciendi aliquid, aliàs reincidat in excommunicationem ; si non fecerit, dicitur intrare reincidentia non obstante impotentia faciendi, quia mens Judicis absolventis est attendenda ; & ad eum in tali casu recurrere oporteret pro novo termino obtinendo.

38. *Quær.* An sit opus absolutione, si quis sit Excommunicatus, donec restituat, quando fecerit restitutionem ? Vel si sit Excommunicatus per sex menses, cùm fuerint sex menses transacti ? *Resp.* Negativè ; quia implicitè censetur Judex voluisse eum absolutum esse, facta restitutione ; vel tempore transacto. Mastrius *ubi ante num.* 82.

39. *Quær.* An absolutus ab Excommunicatione in foro conscientiæ tantùm possit communicare cum aliis ? *Resp.* Affirmativè, si illi sciant, eum fuisse absolutum, & cesset periculum scandali. Mastrius *ibid. num. 83.* At esset observanda Bulla Clementis X. *Incipien. Superna &c.* Quæ §. 7. vult, quòd in foro externo se gerant tanquam excommunicatos.

40. *Quær.* An Excommunicatus ab Episcopo, si mutet Diœcesim, & domicilium, possit ab alio Episcopo absolvi ? *Resp.* Alii DD. negant ; alii affirmant ; sed distinguendum est ita. Si fuit à primo Episcopo excommunicatus per statutum generale ; & in hoc casu potest absolvi ab alio Episcopo sui domicilii, ut dixi *de Pœnitentia dec. 45. num. 16.* Vel fuit excommunicatus per sententiam particularem ; & absolvi non poterit nisi à primo Episcopo, quia in eo firmata est jurisdictio. *cap. Proposuisti. De Foro compet.* Mastr. *d. disp. 13. num. 84.* ubi alii Doctores.

CAPUT CXLIX.

De Excommunicatione ob Duellum.

Quia inter alias excommunicationes Summo Pontifici reservatas, illa recensetur, quæ incurritur ob Duellum.

1. *Quær.* Quid sit Duellum ? *Resp.* Quòd duellum est duorum, vel etiam plurium singulare certamen, quod ex condicto, uno indicente, & altero acceptante suscipitur ; prævia designatione loci, temporis, & armorum. Mastrius *in Theol. Moral. disp. 10. num. 12.* Bonacina *tom. 1. De Censur. disp. 2. quæst. 6. punct. 1. & tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 48.*

2. *Quær.* Quotuplex sit duellum ? *Resp.* Est duplex. Unum *solemne*, quod etiam dicitur *formatum*, factum scilicet ex publica auctoritate, & Principe permittente, & dante campum francum, cum armis, patrinis, loco, tempore, & spectatoribus. Alterum *minùs solemne*, seu *privatum* ; in quo devenitur ad singulare certamen, condicto solùm tempore, & loco. Thesaurus *De Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Duellum cap. 1. Vers. Dicitur autem.* & ibi Salzedo ad Diaz *in Praxi cap. 103. §. Circa.* & Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 39. num. 22.*

3. *Quær.* Quo jure sit prohibitum duellum ? *Resp.* Esse prohibitum primò jure Divino, quo prohibentur homines exponere vitam manifesto periculo mortis absque urgentissima causa. Mastrius *d. disp. 10. num. 112.* Secundò jure civili per Tex. *in l. Unica. Cod. De Gladiat.* Tertiò jure Canonico *in cap. Monomachiam. 2. q. 5. cap. 1. & 2. De Clericis Pugnant. in duell.* Ex Bulla Pii IV. incipien. *Ea, quæ à prædecessorib.* quæ est XXI. in Bullario. Ex Concilio Tridentino *sess 25. de Reform. cap. 19.* Ex Bulla Gregorii XIII. incipit, *Ad tollendum 78.* Et ex Bulla Clementis VIII. incipit, *Illius Vices* 11. De quibus latè agunt Thesaurus *d. part. 2. Verb. Duellum à cap. 1. usque ad cap. 5.* & Novarius *in Summ. Bullar. part. 1. commentar. 51. & part. 2. commentar. 62.* ubi plures DD. allegantur.

4. *Quær.* Quæ pœnæ sint statutæ contra pugnantes in duello ? *Resp.* Ex supradictis juribus, & Pontificiis Constitutionibus præter infamiam, proscriptionem bonorum, & alias pœnas in homicidas statutas, ipsi pugnantes in duello, eorum fautores, consultores, Patrini, atque spectatores incurrunt in excommunicationem latæ sententiæ, Summo Pontifici reservatam, & morientes ex vulnere in duello inflicto carent Ecclesiastica sepultura. Quòd si pugnantes, vel consulentes, aut coadjuvantes duellum sint Clerici, remanent infames, irregulares, & privati beneficiis, ac pensionibus ultra pœnas suprascriptas. Novarius, & Thesaurus *ubi supra.* Antonell. *De Regimine Milit. Eccles. lib. 6. cap. 16.* & Mastrius *d. disp. 10. num. 114.*

5. *Quær.* An qui habent Privilegium absolvendi à casibus Papæ reservatis, possint absolvere à prædicta Excommunicatione tum pugnantes in duello, tum cooperantes, vel spectantes ipsum duellum ? *Resp.* Negativè in Italia, ut fuit decisum à Sacra Congregatione Episcop. & Regular. quam decisionem confirmavit Paulus V. *anno 1617. die 17. Januarii*, ut testantur Barbos. *de Episc. alleg. 50. à num. 186. & seqq.* Thesaurus *de Pœnis d. part. 2. Verb. Absolutio cap. 3. §. 4. & dict. Verb. Duellum. cap. 5.* ubi Moralistæ allegantur. Et ego docui *de Pœnit. Decis. 46. num. 9.* ubi Decretum probibitivum Clementis VIII.

6. *Quær.* An supradictas pœnas incurrat, qui in rixa, & calore iracundiæ invitat inimicum ad duellum, & statim hi accedentes ad aliquem locum aptum, ibi simul pugnant ? *Resp.* Negativè ; quia tunc pugnant non præmeditatè, nec prævia conventione sed ex calore iracundiæ. Antonellus *de Regimine Eccles. Milit. dict. lib. 6. cap. 16. num. 4.* Marcell. Vulp.

in

in Praxi cap. 1. num. 49. Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 39. num. 28.* ubi notant, aliquid factum esse calore iracundiæ, quando partes non devenerunt ad aliquem actum intermedium; etsi decurrisset notabile tempus, puta una dies, ut opinatur Diana *part. 6. tract. 6. resol. 21.* sed ejus opinio est nimis laxa.

7. *Quær.* An sit duellum, si invitatio ad pugnandum sit in aliquo loco absque præfinitione temporis? Vel cum præfinitione temporis absque determinatione loci? *Resp.* Negativè, nam oportet ad duellum, ut locus, & tempus determinetur; ideò, qui diceret, pugnabo tecum hoc Vespere, ubi te invenero. Vel pugnabis mecum in tali platea, quando ibi te invenero, non censetur duellum. Antonell. *dict. cap. 16. n. 5.* Lezana *in Summa tom. 3. Verb. Duellum. num. 3.* Collegium Salmanticen. *tom. 12. tract. 10. de Censur. cap. 4. num. 33.*

8. *Quær.* An sit duellum, si qui se provocent ex condicto in tempore, & loco ad pugnandum non armis, sed pugnis? *Resp.* Negativè, quando moraliter non est periculum mortis, vel gravis percussionis. Hinc qui certi sunt, esse ab amicis separandos in duello, neque fore, ut se percutiant, non videntur incurrere pœnas in duellantes inflictas. Nald. *Verb. Duellum. num. 2.* Summa Diana *Verb. Duellum. num. 4.* & Salmanticen. *d. cap. 4. num. 34* At hoc mihi non placet; quia ubi fit accessus ad verum duellum, ibi fit incursus pœnarum.

9. *Quær.* An licitum sit pugnare in duello ad ostentationem virium, vel ad causandam voluptatem spectantibus, vel ad defendendam justitiam alicujus causæ, seu innocentiam alicujus personæ? *Resp.* Negative. *cap. Monomachiam. 2. quæst. 5.* S. Thomas *2. 2. quæst 95. art. 8.* Salmanticen. *d. cap. 4. num. 36. & 37.*

10. *Quær.* An saltem ad evitandam infamiam, & ruborem, liceat viro nobili provocato ad duellum, illud acceptare, & in eo pugnare? *Resp.* Negativè, stante re prohibita ab Ecclesia, & deberet respondere: *Te non formido, & quandocunque me invaseris, me defendam; sed duellum lege divina, & humana prohibitum, ob DEI timorem non accepto.* Salmanticen. qui DD. cumulat, *d. cap. 4. num. 38.* Ideò notanda hic est Propositio damnata ab Alex. VII. *lata Anno 1665.* quæ asserebat ita: *Vir Equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

11. *Quær.* An dentur aliqui casus, in quibus licitum sit duellum acceptare? *Resp.* Tres casus à Moralistis assignari. *Unum*, si quis ab inimico provocetur ad duellum associato à sicariis, à quibus sit statim confodiendus, si duellum recuset. *Secundum*, si quis innocens condemnaretur à Judice ad duellum, aliàs sententiaretur ad mortem. *Tertium*, si ad finiendum bellum, & ad parcendum toti exercitui proponatur duellum inter duos, vel aliquos milites habendum. Diana *part. 3. tract. 6. resol. 1.* Salmanticen. *d. tom. 12. tract. 10. De Censuris cap. 4. num. 39 & seqq.*

12. *Quær.* An incidat in pœnas contra duellistas, qui provocavit ad duellum, & ivit ad locum, si provocatus non vadat? *Resp.* Negativè. Novarius *in Summa Bullar. dict § 1. Commentar. 51. n. 9.*

13. *Quær.* An Episcopus in aliquo casu possit absolvere duellantes ab excommunicatione? *Resp.* Posse secundum Moralistas in duobus casibus tantùm; scilicet, si duellum sit occultum, & hoc vigore Concil. Trident *sess. 24. de Reform. cap. 6.* & si duellista ex legitimo impedimento non possit recurrere ad Papam. Ita Lezana *dict. tom. 3. Verb. Duellum num. 13.* & Pellegrinus *de Duello quæst. 37.* At licet Duellum sit occultum, Episcopus non potest absolvere, ut probavi *de Pœnitentia Decis. 45. num. 6.* Ideò hic Patavii servatur in Praxi, & duellistæ recurrant vel ad Nunciaturam Apostolicam Venetiarum, vel ad Sacram Pœnitentiariam Romæ.

CAPUT CL.

De Suspensione.

1. QUær. Quid sit Suspensio? *Resp.* Quòd *Suspensio est Ecclesiastica Censura, qua prohibetur, vel arcetur Minister Ecclesiæ ab aliquo actu Ecclesiastico, aliàs sibi conveniente: & hoc ad tempus.* Ita Scotus *in 4. dist. 25. quæst. 1. H.* Vel dici potest; quòd *est Censura, qua Clericus impeditur, ne functiones exerceat sui officii, vel beneficii.* Mastrius *in Theolog. Moral. dict. disp. 13. num 86.*

2. *Quær.* Quotuplex sit Suspensio? *Resp.* Duas dari divisiones; Unam, quòd suspensio alia est à jure; alia ab homine. Alteram, quòd alia est ab officio, alia à beneficio; & alia ab officio, & beneficio simul. Mastrius *ibidem num. 87.* Illa est à jure, quæ per Canones, vel Constitutiones Synodales infligitur. Illa verò est ab homine, quæ per Judicis sententiam fulminatur. Illa pariter est ab officio, per quam quis prohibetur vel celebrare, vel administrare Sacramenta, aut omnia, aut aliqua tantùm. A beneficio autem est suspensio, dum beneficiatus prohibetur se ingerere in fructibus sui tituli. Ab officio, & beneficio, cùm ei interdicitur facultas administrandi tam spiritualia, quàm temporalia ratione tituli sui sibi competentia. Mastrius *ubi supra num. 87.*

3. *Quær.* In quo differat Suspensio ab aliis censuris? *Resp.* Differre primò in hoc, quòd aliæ censuræ possunt ferri tam contra Clericos, quàm contra laicos; hæc autem tantùm contra Clericos. Secundò differre; quia aliæ censuræ, nempè excommunicatio, & interdictum sunt merè medicinales, inventæ donec peccatores resipiscant; at suspensio non solùm est medicinalis, sed etiam pœnalis; siquidem etiam post resipiscentiam imponitur pro pœna. Mastrius *dict. disp. 13. num. 89. & 90.*

4. *Quær.* A quo possit Suspensio infligi? *Resp.* A Superiore Ecclesiastico in proprium subditum delinquentem. Mastrius *ibid. num. 90. & 100.*

5. *Quær.*

5. *Quær.* Quæ culpa requiratur pro plectendo Clerico hac censura suspensionis? *Resp.* Quòd quatenus suspensio est medicinalis, requiritur culpa gravis; quatenus verò est pœnalis, potest infligi etiam pro culpa levi; imò aliquando infligitur sine aliqua culpa; prout in eo, qui ignoranter ordinatus est ante legitimam ætatem. *cap. Vel non est Compos. De tempore Ordin.* Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 90. & 100.

6. *Quær.* An totum Capitulum, vel Universitas possit suspendi à divinis? *Resp.* Affirmativè; in hoc enim differt suspensio ab excommunicatione; quæ infligi non potest nisi in personis particularibus, ut supra dictum est. Mastrius *ubi ante num.* 91. advertens, quòd multi DD. docent, tunc illos de Capitulo esse suspensos tantùm in iis, quæ spectant ad Capitulum in commune; secus in illis, quæ propria sunt uniuscujusque particularis; nisi fortè essent omnes in culpa.

7. *Quær.* Quot sint suspensiones de jure impositæ contra clericos suscipientes ordines non servatis de jure servandis? *Resp.* Esse duodecim. *Primò*, Si recipiant ordines ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui. *Secundò*, si ab alieno sine licentia proprii Ordinarii. *Tertiò*, Si ipsos ordines recipiant à proprio Episcopo, sed in aliena Diœcesi sine licentia Diœcesani. *Quartò*, Si illos recipiant ab Episcopo excommunicato, vel suspenso. *Quinto*, Si non habeant legitimam ætatem. *Sextò*, Si ordinentur extra tempora sine dispensatione. *Septimò*, Vel non servatis interstitiis. *Octavò*, Vel sine titulo in Sacris. *Nonò*, Si promoveantur per saltum. *Decimò*, Si ordinentur post contractum matrimonium etiamsi non consummatum. *Undecimò*, Si ipsi clerici sint excommunicati, vel suspensi, vel interdicti. *Duodecimò*, Si ordinentur cum litteris Vicarii Capitularis intra annum à Sede Vacante. Ita Filliuccius *tract.* 17. *cap.* 7. & Mastrius *dict. disp.* 13. *num.* 92.

8. *Quær.* An Clericus Concubinarius sit suspensus ipso jure? *Resp.* Asserere Toletum *lib.* 1. *cap.* 47. Sed requiri Judicis sententiam ait Hurtadus *in tract. de Suspens. diffic.* 13. *ex cap. Quæsitum. De Cohabit. Cleric. & Mulier.*

9. *Quær.* An Sacerdos suspensus à Divinis possit saltem cantare Evangelium, vel Epistolam in Missa Solemni? *Resp.* Si suspensio sit totalis, & non restringatur ad solam celebrationem, non posse cantare Evangelium, vel Epistolam; quia privat usu cujuscunque ordinis. Mastrius *dict. disput.* 13. *num.* 93. & 94. ubi quòd suspensus in uno loco intelligitur suspensus in quocunque alio loco. Secùs si suspensio esset restricta alicui particulari loco.

10. *Quær.* An suspensus per sex menses, iis transactis, egeat absolutione? *Resp.* Negativè, quia post sex menses potest statim exercere officium sui ordinis. Glos. *in cap. Sacro. De Sentent. Excommunicat.* Mastrius *ubi ante num.* 94. & *num.* 101.

11. *Quær.* In quam culpam, & pœnam incurrat suspensus, si actus ordinis, vel jurisdictionis exerceat? *Resp.* Peccare mortaliter, incurrere irregularitatem, & quamvis actus ordinis sint validi, ut consecrare, actus jurisdictionis sunt invalidi, ut absolvere à peccatis, nisi excusetur ob aliquam justam causam, quæ satis sit excusare à peccato. Mastrius *d. disput.* 13. *num.* 94. ubi notat, irregularitatem incurri exercitio ordinis, non autem solius jurisdictionis.

12. *Quær.* An Clericus suspensus ab officio, vel beneficio possit eligi ad aliud beneficium? *Resp.* Negativè, quia ipso jure illa electio est irrita, ut contra plures probant Avila, Suarez, Vasquez, & alii apud Mastrium *ibidem num.* 95. & *num.* 97.

13. *Quær.* An suspensus ab officio possit exercere actus jurisdictionis? *Resp.* Affirmativè, quia hi actus non dependent ab officio; & ideò taliter suspensus poterit in Capitulo eligere alios ad beneficia vacantia, vel dare suffragium in rebus capitularibus. Mastrius *ubi ante num.* 96. & ibi DD.

14. *Quær.* An Episcopus suspensus à Pontificalibus possit celebrare Missam privatam? *Resp.* Affirmativè, quia in ea non utitur Pontificalibus vestimentis. Mastrius *d. num.* 96.

15. *Quær.* An suspensus à beneficio, si de facto exigat fructus beneficii incurrat irregularitatem? *Resp.* Negativè, quia nullus canon reperitur, qui inducat hanc irregularitatem. Peccat tamen mortaliter, & tenetur restituere illos fructus. Scotus *in 4. dist* 13. *qu.* 2. §. *Videndum primò, & dist.* 15. *quæst.* 2. §. *De quinto.* Mastrius *dict. disp.* 13. *num.* 98.

16. *Quær.* An Canonicus suspensus à beneficio possit stare in Capitulo, in quo agitur de eligendis aliis Canonicis, & dare votum suum? *Resp.* Affirmativè, ut habetur *in cap. cum Vintomienſis, 25. De Electione.* Coninch. *disp.* 15. *De Suspens. dub.* 2. & Mastrius *eadem disput.* 13. *num.* 98. *in fine.*

17. *Quær.* An Clericus suspensus à divinis, seu ab officio, & beneficio sit à nobis vitandus? *Resp.* Negativè, sed tantùm non admittendus ab aliis clericis in celebratione divinorum officiorum. Coninch. *ubi supra.* Et Mastrius *num.* 99.

18. *Quær.* Quæ sint causæ excusantes ab incursu suspensionis latæ à jure? *Resp.* Ignorantia invincibilis, sivè juris, sivè facti; metus gravis mali, sivè in corpore, sivè in fama, & honore; ac etiam in bonis fortunæ, quando opus, cui est annexa suspensio, non est aliàs prohibitum jure naturali. Mastrius *dict. disput.* 13. *num.* 101.

19. *Quær.* Quis possit absolvere ab hac censura suspensionis? *Resp.* Si est ab homine lata per sententiam, ipse solus absolvit, nisi lata sit ad præfinitum tempus. Si est à jure, vel est Papæ aut Episcopo reservata? & tunc ipsi tantùm possunt ab ea absolvere. Quòd si nulli sit reservata? Quæstio est inter Canonistas, & Theologos. Illi dicunt, quemlibet Confessarium posse ab ea absolvere. Isti tenent, absolutionem à solo Episcopo esse elargiendam. Mastrius *ibid. num.* 102. & idem sentit de Superioribus Regularibus erga suos subditos.

20. *Quær.* An suspensus à divinis cum conditione *donec satisfeceris*, egeat absolutione post

præstitam satisfactionem? *Resp.* Esse hinc indè opiniones; & communior est, quòd non egeat alia absolutione. Mastrius *ubi supra num. 103. & num. 104. in fine.*

21. *Quær.* An sit servanda aliqua solemnitas, vel formula in absolvendo Clerico à suspensione. *Resp.* Negativè; sed sufficere quæcunque verba importantia ipsam absolutionem; qualia sunt *Ego absolvo te à vinculo suspensionis, quam incurristi.* Ut doctè scribit idem Mastrius *d. 13. num. 104.* & Summa Diana *V. Suspensio* cum duob. Verb. seqq.

CAPUT CLI.

De Interdicto.

1. *Quær.* Quid sit Interdictum. *Resp. Est Ecclesiastica Censura, per quam fidelibus prohibetur participatio Sacramentorum, divinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ.* Ut colligitur *ex cap. Non est nobis, de Sponsalib. & cap. Quod in te, de Pœnitent. & Remiss.* Vel ut illud definitur à Scoto *in 4. dist. 25. q. 1. G. Interdictum est prohibitio, vel arctatio à quibusdam actibus Ecclesiasticis exercendis, vel ab assistendo quibusdam talibus.* Mastrius qui alias definitiones refert, & explicat *d. disp. 13. in Theol. Mor. num. 106.*

2. *Quær.* Quotuplex sit Interdictum? *Resp.* Quod est triplex, Locale, Personale, & Mixtum. Interdictum locale est, quando prohibetur, ne in tali loco celebrentur divina officia. Personale, quando prohibetur aliquibus personis assistere activè, vel passivè divinis officiis in quocunque loco. Mixtum Interdictum est; quando locus simul, & personæ interdicuntur. *cap. Præsenti, de Sent. Excomm. in 6. cap. Sententia, eodem tit.* Mastrius *ubi supra num. 107. & 108.* subdens, quòd etiam interdictum dividitur in *Generale*, quando totum Regnum, vel Provincia subjicitur interdicto; & in *Particulare*, quando aliquod Templum tantùm, vel Ecclesia interdicitur. Item quòd aliud Interdictum est à jure, & aliud ab homine.

3. *Quær.* An ex interdicto generali locali resultet etiam interdictum generale personale, & è contra ex generali personali resultet interdictum locale? *Resp.* Negativè, ideò interdictis omnibus Ecclesiis unius Regni, poterit populus illarum Ecclesiarum audire Divina in Ecclesiis extra illud Regnum. Et interdictis personis unius civitatis, poterunt personæ alterius urbis audire divina in illa civitate. *cap. si Sententia, de Sent. Excom.* Mastrius *d. disp. 13. num. 109.*

4. *Quær.* An interdicto toto populo unius civitatis intelligantur Interdicti tam nocentes, quàm innocentes? nec non tam præsentes, quàm absentes? *Resp.* Affirmativè *ex cap. Si sententia.* Et ibi Glossa, *de Sent. Excom. in 6.* sed cum hac distinctione, quòd nocentes, & culpabiles, quamvis discedant ab ea civitate remanent interdicti: at innocentes, & inculpabiles, si alibi suum domicilium deferant, sunt statim liberi ab interdicto. Mastrius *dict. disp. 13. num. 110.* ubi advertit, quòd hospites, & scholares reperti in civitate, quando in ea infligitur interdictum, non ligantur ab eo; & quòd illi, qui habent diversa domicilia tam in loco interdicto, quàm in aliis locis non interdictis, non sunt ligati prædicta censura; si soliti sint habitare per æqualem partem anni in locis non interdictis.

5. *Quær.* An interdicto populo intelligatur interdictus etiam Clerus? & è contra, interdicto Clero sit populus interdictus? *Resp.* Negativè in utroque casu; quia unus est distinctus ab altero. *cap. Quia periculosum, de Sentent. Excom. in 6.* Mastrius *ibidem num. 111.*

6. *Quær.* An interdicto Clero censeantur interdicti etiam Regulares? *Resp.* Negativè, etsi aliqui DD. contrarium sentiant, ea ratione, quia appellatione Cleri veniunt etiam Religiosi, & Moniales; sed hoc procedit in favorabilibus, non in odiosis. Mastr. alios DD. allegans *d. disp. 13. num. 111.*

7. *Quær.* Qui sint effectus Interdicti? *Resp.* Effectus interdicti esse desumendos ab intentione Superioris expressa in verbis, quibus infligit interdictum. Quòd si sit generaliter latum, ejus effectus generales sunt tres. 1. Privatio aliquorum Sacramentorum. 2. Privatio divinorum officiorum. 3. Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Bonacina *disp. 5. de Interdicto punct. 3.* & Mastr. *ubi supra num. 112.*

8. *Quær.* Quæ Sacramenta prohibeantur tempore Interdicti? *Resp.* Prohiberi Eucharistiam, nisi in articulo mortis per Viaticum, *cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss. cap. Permittimus, de Sentent. Excom.* Item extremam Unctionem, Ordines, ac Matrimonium; intelligendo cum solemnibus benedictionibus sponsorum; quia sine illis, & privatim ajunt DD. posse contrahi ab interdictis. Ideò Baptismus, Confirmatio, & Pœnitentia possunt administrari interdictis, *cap. Quoniam, & cap. Alma Mater, de Sentent. Excom. in 6.* Mastr. *loc. cit. num. 113.*

9. *Quær.* Quæ Divina officia vetita sint durante Interdicto? *Resp.* Sacrificium Missæ, recitatio horarum Canonicarum, benedictiones solemnes, & aliæ functiones, quæ à ministris Ecclesiæ fieri solent; ipsi tamen poterunt januis clausis prædicta peragere, sine sonitu Campanarum, & expulsis populis interdictis. Porrò in interdicto generali locali, concessum est publicè celebrare in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, assumptionis, & Conceptionis B. Mariæ Virginis. Mastrius *d. disp. 13. num. 115.* ubi advertit, quòd si interdictum sit locale particulare, tunc in dicta Ecclesia interdicta neque in prædictis festis licitum est celebrare; quia hoc fieri potest in aliis Ecclesiis ejusdem civitatis non interdictis. Quòd si interdictum sit personale sivè in genere, sivè in specie, nulla die possunt sic interdicti interesse Missis, vel horis Canonicis, *cap. si Civitas, & cap. si Sententia, de Sentent. Excommunicat. in sexto.*

10. *Quær.*

10. *Quær.* Quibus interdicta ſit Eccleſiaſtica ſepultura tempore Interdicti? *Reſp.* Si interdictum eſt generale, locale, & perſonale, nullus poteſt ſepeliri in loco ſacro, niſi habeat ſpeciale privilegium. *cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiſſ. & d. cap. ſi Civitas.* Quòd ſi locus particularis tantùm ſit interdictus, extra illum poterit quilibet Eccleſiaſticam ſepulturam habere, niſi cauſam dederit interdicto. Illi autem, qui perſonaliter ſunt interdicti, non poſſunt in loco ſacro ſepeliri. *dict. cap. ſi Civitas.* Maſtrius *ubi ſupra num.* 116.

11. *Quær.* Quæ licita ſint tempore Interdicti? *Reſp.* Licitum eſſe pulſare, & recitare Salutationem Angelicam, benedicere Menſam, adorare Crucem in Paraſceve, commendare animam moribundis, prædicare, & docere doctrinam Chriſtianam; actus juriſdictionis tam ſpirituales, quàm temporales exercere; & alia conſimilia, de quibus Hurtadus *in tract. de Interdicto, diffic.* 11. & Maſtrius *ead. diſp.* 13. *num.* 117.

12. *Quær.* Quas pœnas incurrant violantes Interdictum? *Reſp.* Multas eſſe pœnas; nam *Primò*, miniſtrantes, & ſuſcipientes Sacramenta prohibita peccant mortaliter. *Secundò*, committunt ſacrilegium. *Tertiò*, Clerici miniſtrantes illa, vel celebrantes incurrunt in irregularitatem. *ex cap. Is cui, de Sent. Excommunicat. in 6.* Item peccant mortaliter recitantes publicè, & audientes Divina officia. Et laici cogentes clericos ad celebrandum in loco, vel tempore interdicto incurrunt in excommunicationem. *Clement. 2. de Sentent. Excommunic.* Sepelientes autem defunctos in loco ſacro interdicto, pariter ſunt excommunicati. *Clement. 1. de Sepultur.* Maſtrius *num.* 118.

13. *Quær.* Quis poſſit infligere Interdictum? *Reſp.* Omnis Superior Eccleſiaſticus reſpectu ſuorum ſubditorum. *cap. Epiſcoporum, de Priv. in 6.* ſivè Ordinarius, ſivè Delegatus. *cap. Sanè. 2. de Offic. deleg.* intra tamen limites ſuæ Diœceſis. *cap. Cum inter, de Conſuetud.*

14. *Quær.* Ob quas cauſas ſolitum ſit infligere interdicta? *Reſp.* Ob peccata gravia, quæ annexam habent contumaciam in delinquentibus, vel omnibus de communitate, vel principalibus ejuſdem; licèt reliqui culpa careant. *cap. ſi Sententia, de ſentent. Excommunicat. in 6.*

15. *Quær.* Quæ forma ſit ſervanda in fulminando Interdicto? *Reſp.* Quòd priùs præcedat monitio; deindè ſi illa nihil proficiat, interdictum promulgetur verbis claris in Scriptura redactis, ut certum ſit ad quos, & ad quæ ſe extendat. Tandem notificetur, & intimetur, ut homines non poſſint de eo ignorantiam allegare. Maſtrius *dict. diſp. 13. num. 120.*

16. *Quær.* Quis poſſit tollere Interdictum? *Reſp.* Si eſt ab homine, & abſque præfinitione temporis, debet ab eodem tolli, vel per relaxationem, vel per abſolutionem. Si eſt à jure, vel eſt locale reſervatum Papæ, & ab ipſo tantùm poteſt tolli. Vel non eſt reſervatum, & à ſolo Epiſcopo poteſt relaxari. Vel eſt interdictum perſonale nulli reſervatum, & in hoc caſu quilibet confeſſarius poteſt ab ipſo abſolvere, data ſatisfactione, vel præſtita cautione, de ſatisfaciendo. Maſtrius *ibid. num.* 121.

17. *Quær.* An lato Interdicto cum hac clauſula, *donec ſatisfaciat*, opus ſit abſolutione poſt præſtitam ſatisfactionem? *Reſp.* Eſſe hinc indè opiniones; ſed communior eſt, non eſſe opus alia abſolutione. Maſtrius *ubi ante d. num.* 121.

18. *Quær.* Quæ ſit forma abſolutionis ab Interdicto? *Reſp.* Nullam eſſe præſcriptam formam; ſed per quæcunque verba denotantia abſolutionem abſolvi poſſe. Maſtrius *d. diſp.* 13. *num.* 123.

19. *Quær.* Quid ſit ceſſatio à Divinis? *Reſp.* Eſt quædam prohibitio ob mœrorem facta, ne in aliquo loco Divina officia celebrentur, & habet analogiam cum ſuſpenſione, & cum interdicto, ſed non eſt verè cenſura Eccleſiaſtica, eò quia inobedientes non incurrunt irregularitatem, ſed excommunicationem. *Clem. 1. de Sentent. Excommunic.* Maſtrius *ibid. num.* 124. & 125. ubi advertit, per ceſſationem à Divinis non eſſe prohibitum ſepelire fideles in loco ſacro, dummodo fiat ſine recitatione Divinorum officiorum.

20. *Quær.* An Interdictum impediatur per appellationem? *Reſp.* Negativè quoad effectum ſuſpenſivum, quia debet ſtatim obſervari; ſecùs quo ad effectum devolutivum; quia de ejus juſtitia, vel injuſtitia poterit coram Superiore diſputari. *cap. Ad hæc quoniam, de Appellat.* Maſtrius *d. num.* 125. *in fine.*

CAPUT CLII.

De Irregularitate ſecundùm Doctrinam Maſtrii.

1. *Quær.* Quid ſit Irregularitas? *Reſp. Eſt impedimentum Canonicum impediens ordinum ſuſceptionem, vel eorum adminiſtrationem.* Hinc patet, eam non eſſe cenſuram, ſed inhabilitatem, ob decentiam ſervandam in promotione ad ordines, vel in eorum exercitio. Maſtrius *d. diſp.* 13. *num.* 127.

2. *Quær.* Quotuplex ſit Irregularitas? *Reſp.* Eſt duplex; alia ex defectu, & alia ex delicto. Maſtrius *ubi ante num.* 130.

3. *Quær.* Quæ, & quot ſint irregularitates ex delicto? *Reſp.* Eſſe decem. *Prima* eſt, ob iteratum baptiſmum ſeriò, & ſcienter; & hæc afficit tam rebaptizantem, quàm rebaptizatum. *cap. Ex litterarum. De Apoſtatis, & reiter. baptiſ.* Et procedit in ſola reiterata ſuſceptione baptiſmi, non autem confirmationis; quia de confirmatione nullus canon loquitur; & nulla irregularitas incurritur, quæ non ſit in jure expreſſa. *Secunda* eſt, ob violatam cenſuram in ſuſceptione, vel in exercitio ordinum; ideò Clericus excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel interdictus, ſi ordines exerceat, fit irregularis. *cap. Si quis Epiſcopatus 11. quæſt. 3. cap. Is, qui. De Sentent. Excommunic.*

nic. cap. Illorum. De Sentent. Excommunic. in 6. prout etiam si eos suscipiat cùm sit excommunicatus; nam qui est suspensus, vel interdictus, & suscipit ordines etiam sacros non incurrit irregularitatem, ut ex Bonacina, & aliis DD. docet Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 146. in fine; eò quia non reperitur expressa in jure in hoc casu susceptionis ordinum, nisi si ordinetur excommunicatus. *Tertia* est, si quis ordinetur ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, vel hæretico denunciato. *Quarta*, si ordinetur per simoniam. *Quinta*, si recipiat ordines furtivè, *c.* 1. *& 2. ubi Gloss. de Eo, qui furtivè ordin. susc.* ideò se intrudendo inter ordinandos, licet non fuerit ab Episcopo examinatus, vel approbatus. *Sexta*, si Clericus exerceat solemniter actum ordinis, quem non habet. *cap.* 1. *& 2. de Cleric. non ordinan.* ut si Diaconus Missam celebret, vel Sacerdos ordines conferat; & multò magis si Laicus hæc facere præsumat. Quod autem hic dicitur de exercitio ordinum, non procedit in exercitio jurisdictionis, quam non habet; ideò Sacerdos audiens confessiones sine jurisdictione, & absolvens, peccat quidem mortaliter, sed non incurrit irregularitatem. Mastrius *ubi supra num.* 150. in fine. *Septima* irregularitas est ex delicto hæresis; quia omnes Hæretici, & Apostatæ à fide sunt irregulares. *cap. Qui in aliquod, cap. Presbyteros, dist.* 5. sive sint Clerici, sive sint Laici, quibus addendi sunt fautores, receptatores, consilium, aut favorem dantes. *cap. Statutum. 2. de Hæret.* nec non hæreticorum filii, & descendentes usque ad secundam generationem; quamvis hi veram fidem sint amplexi, & ab errore parentum recesserint, nisi ipsi parentes ante mortem fuerint cum Ecclesia reconciliati; tunc enim parentes remanent quidem irregulares, non autem filii, aut descendentes; & idem est de fautoribus antedictis, & eorum progenie. Si autem sola mater sit hæretica, irregularitas extenditur ad filios tantùm, non autem ad nepotes. Porrò Schismatici sine hæresi non incurrunt irregularitatem, sed alias pœnas. *Octava* est in Apostasia à Religione. *cap. Fin. de Apostat.* ideò Regularis fugitivus non potest promoveri ad ordines. *Nona* est ob infamiam resultantem ex commissione delictorum, quibus de jure ea est annexa. *cap. Infantes.* 16. *quæst.* 1. ubi hæc crimina recensentur, adulterium, incestus, raptus virginis, sodomia, veneficium, duellum, sacrilegium, simonia, perjurium in judicio, & alia. Dummodo tamen delicta sint notoria, vel notorietate juris, cùm quis est condemnatus à Judice, vel notorietate facti, cùm hoc est adeò publicum, ut nulla tergiversatione possit celari. *Decima* est ob homicidium, vel mutilationem membrorum; sive voluntariè factum, sive casualiter, quando debita diligentia non fuit adhibita, præcipuè si dabat operam rei illicitæ. *Clement. si Furiosus, de Homicid. & cap. ult. eod. tit. in 6.* Quòd si homicidium sit omninò involuntarium, & fuit adhibita diligentia, ne fieret, nulla incurritur irregularitas; secùs si diligentia debita adhibita non fuit. *cap. Dilectus. cap. Significasti. & cap. ad Audientiam, & cap. Fin. de Homicid.* At si dabat operam rei illicitæ, quamvis adhibuerit diligentiam, si homicidium sequatur, fit irregularis. *cap. Suscepimus, & cap. de Cætero, de Homic.* Quod multi intelligendum volunt, si opus illicitum aptum erat, de per se causare homicidium, ut verberare aliquem, ludere cum armis bellicis; secùs autem si aliam rem illicitam committeret, ut adulterium; sed horum opinio respuitur à Mastrio *d. disp.* 13. *à num.* 158. ubi fusè de hac materia; & *num.* 159. addens, quòd incurritur hæc irregularitas non solùm ab homicida, sed à cooperantibus quovis modo contentis in his versibus, *Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, Mutus, Non obstans. Non manifestans.* Et fundantur in *cap. Notum sit. 2. q.* 1. ubi dicitur, quòd *facientem, & consentientem par pœna constringit.* Et de supradictis omnibus decem irregularitatibus ex homicidio provenientibus videndus est attentè ipse Mastrius *d. disp.* 13. *q. 5. art. 3. & 4.* videlicet *à num.* 143. *usque ad num.* 167. ubi doctè de eis differit, plurimos casus examinando; qui in praxi solent sæpè occurrere.

4. *Quær.* Quæ, & quot sint Irregularitates provenientes ex defectu; *Resp.* Eas esse decem sequentes. *Prima* ex defectu animæ, & comprehendit Neophitos, in ætate adulta baptizatos. *cap. Neophitus dist.* 61. Lunaticos, Epilepticos, & perpetuò Amentes. Mastrius *dict. disp.* 13. *num.* 168. *Secunda* ex defectu scientiæ; & est in illiteratis. *cap. Illiteratos, dist.* 36. Concil. Trident. *sess.* 25. *de Reform. cap.* 4. *Tertia* est ex defectu corporis, scilicet vel ob deformitatem, ut in nanis, claudis, & gibbosis; vel ob debilitatem in aliquo membro principali. *cap.* 1. *& seqq. dist.* 25. & toto titulo *Extr. de Corpor. vitiatis.* Vel ob infirmitatem, ut est lepra, morbus gallicus, apoplexia, & aliæ ad arbitrium Episcopi. *cap. Tua nos, de Cleric. agrotan.* Vel ob duplicitatem sexus, ut in Hermaphroditis, in quibus tamen, si prævaleat sexus masculinus, multi DD. concedunt, cessare irregularitatem. Mastrius *ubi ante num.* 170. Sed de his, ut dictum est supra, vide meas Decisiones *de Pœnitentia Decis.* 43. *Quarta* est ex defectu natalium; ut in spuriis, & illegitimis extra matrimonium natis, nisi sint dispensati, vel per subsequens matrimonium legitimati. *cap.* 1. *& 2. & cap. Is, qui, de Filiis Presbyter.* Aut in Religione professi; tunc enim possunt ad ordines promoveri, non autem ad Prælaturas. *cap. Ult.* ubi Glossa, & DD. *de Filiis Presbyteror.* Expositi autem infantes, nisi probentur naturales, præsumuntur legitimi. *cap.* 1. *de Infantib. expositis.* Et Bulla Gregorii XIV. apud eundem Mastrium *ibidem num.* 172. probans, quòd in dubio semper quilibet est reputandus legitimus. *Quinta* est ex defectu ætatis. *cap. ult. de Tempor. ordinat. Clem. unic. de ætate, & qual.* Quòd si quis ordinetur ante legitimam ætatem, non incurrit novam irregularitatem, sed tantùm suspensionem, quæ cessat, ætate debita adveniente. Gloss. *in cit. Clement. Sexta* est ex defectu libertatis; servi enim prohibiti sunt ordinari. *cap.* 1. *& 2. de Servis non ordinan.* nisi à Dominis manumittantur. *cap. Servorum; & seqq. dist.* 54. & sub hac irregularitate com-

pre-

prehenduntur etiam obligati ad publica ratiocinia, ut Thesaurarii, & Depositarii æris publici, vel Curatores, & Tutores pupillorum, qui, nisi redditis rationibus, non sunt ordinandi. *cap. Unic. de Oblig. ad ratioc. Septima* est ex defectu lenitatis, amplectens omnes, qui cooperantur ad homicidium justum, nempè Judices, Notarios, Accusatores, & Testes. *cap.* 1. *dist.* 51. *cap.* 3. *Ne Clerici, vel Monachi. cap.* 3. *de Homicid. in* 6. Item omnes pugnantes in bello agressivo, quod sit justum; nam si esset injustum, irregularitas contraheretur non ex defectu lenitatis, sed ex homicidio voluntario, & sic ex delicto. In bello autem defensivo nulla incurritur irregularitas ab occidentibus hostes; est enim homicidium involuntarium, & ad defensionem propriæ vitæ. Mastrius *d. disput.* 13. *num.* 163. *&* 164. Item veniunt sub hac irregularitate Chirurgi, qui abscindunt, vel urunt membra; non autem Medici Physici, qui debita diligentia curant infirmos. *cap. Ad aures, de Ætate, & qualit.* Mastrius ubi ante *num.* 167. *Octava* irregularitas est ex defectu Sacramenti, resultante ex bigamia. *cap.* 1. *& seqq. de Bigam. non ordin.* idest illi, qui vel plures uxores habuerunt, vel unam viduam; ob divisionem enim carnis non potest repræsentare Christum unicum Sponsum unius Ecclesiæ. In primo casu bigamia dicitur vera; in secundo interpretativa. *cap. Si quis Viduam, dist.* 50. Quòd si quis post votum solemne castitatis contraheret matrimonium, etiam obtenta dispensatione, committeret bigamiam similitudinariam, & fieret Irregularis; & impedit ordines, etiamsi bigamia quæcunque contracta sit ante Baptismum, à quo non purgatur, etsi purgetur irregularitas ex homicidio per ipsum, quia supponitur baptizatum ex lupo fieri Agnum; sed bigamus semper portat divisionem carnis suæ. Mastrius *ibid. num.* 179. *Nona* est irregularitas ex defectu bonæ famæ, sub qua inseruntur Histriones, Mimi, Comœdi, & filii publicæ meretricis. Mastrius *eod. loco num.* 180. Et *Decima* est irregularitas ob publicam pœnitentiam. *cap. Placuit, & cap. Quicunque, dist.* 50. *cap. Pœnitentes, dist.* 55. Sed hæc recessit ab Aula, quia publicæ Pœnitentiæ non sunt amplius in usu, de quibus ego differui in meis Decisionibus *de Eucharistia decis.* 62. *ubi num.* 9. probavi, prædictos publicos pœnitentes non potuisse ad ordines promoveri tanquam irregulares. Et horum plures gradus ostendi in meis Decisionibus *de Pœnitentia, decis.* 18. *num.* 32.

5. *Quær.* An fiat irregularis, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit invasorem ob defensionem bonorum temporalium? *Resp.* Negativè: & idem est dicendum, si quis iniquum invasorem occideret pro defensione pudicitiæ, vel famæ, & honoris, quando aliud remedium non reperiret. Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 165. ubi bene advertit, id non esse amplius asserendum in Clericis, & Religiosis ob propositionem 17. inter damnatas ab Alexandro Papa VII. *die* 24. *Septembris* 1665. Neque concedendum, ut laici possint occidere calumniatorem, vel percussorem fugientem, ad evitandam ignominiam, attenta altera Propositione damnata, quæ hoc concedebat; ut in Propositionibus damnatis *ab Innocentio XI. Anno* 1679. *Propos.* 30.

6. *Quær.* An incurrat irregularitatem clericus adulter, si ob suam necessariam defensionem occidat maritum adulteræ? *Resp.* Affirmativè, quia dabat operam rei illicitæ; ideò licèt non intendebat homicidium facere; tamen illud faciendo evadit irregularis. Mastrius *ead. disp.* 13. *num.* 158. *& num.* 166.

7. *Quær.* Quot modis tollatur Irregularitas? *Resp.* Eam tolli quatuor modis. *Primò* per Baptismum, intelligendo de Irregularitatibus ex delicto: nam illæ ex defectu, pr ut etiam illa ex bigamia, durant quousque tollantur ipsi defectus. *Secundò* per Professionem Religiosam; scilicet quò ad ordines, non autem quò ad Dignitates, & Prælaturas. *Tertiò* per remotionem causæ, ut in defectu ætatis adveniente legitima ætate; vel in obligato ad publica ratiocinia post rationes redditas. Et *Quartò* per legitimam dispensationem; cujus forma est, *Ego dispenso tecum in irregularitate; quam, vel quas, ob hanc, vel illam culpam incurristi.* Mastr. *dict. disp.* 13. *num.* 181.

8. *Quær.* Apud quem resideat potestas dispensandi ab Irregularitatibus? *Resp.* Apud Summum Pontificem in quibuscunque casibus; & apud Episcopos in casibus à jure iisdem permissis. *cap. Sunt quidem dist.* 25. *cap. Significasti, De Elect. cap. At si clerici. De Judiciis. & cap. Cum illorum. De Sentent. Excommunicat.*

9. *Quær.* Qui sint casus, in quibus jus Canonicum permittit Episcopis facultatem dispensandi super Irregularitatibus? *Resp.* Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 6 *d. Reform.* concedit Episcopis, ut possint dispensare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto; (ea excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario; ac etiam iis, quæ ad forum contentiosum pervenerunt) cum suis subditis, & in sua Diœcesi. Mastrius *dict. disp.* 13. *num.* 182.

10. *Quær.* An Patriarchæ, vel Archiepiscopi possint dispensare super Irregularitatibus subditorum suorum suffraganeorum? *Resp.* Negativè, nisi in Visitatione, vel in gradu appellationis. Mastrius *num.* 182. & ibi Bonacina, & Suarez.

11. *Quær.* Quando delictum dicatur occultum, ad effectum ut Episcopus possit dispensare ab irregularitate? *Resp.* Quòd delictum dicitur occultum duobus modis. *Uno*, quando nulli sint testes, à quibus possit probari. *Altero*, quando sunt quidem testes, quibus probaretur; sed quia non est deductum, seu denunciatum ad forum contentiosum, remanet sub silentio. In his duobus casibus Episcopus potest dispensare ab irregularitate. Exempli gratia, si Sacerdos sit excommunicatus, & celebret Missam, adstantes autem nihil sciant de excommunicatione, delictum est occultum primo modo; quòd si quatuor, vel quinque sciant excommunicatum esse, sed taceant, est occultum secundo modo, & in utroque irregularitas contracta ab eodem Sacerdote est dispensabilis ab Episcopo; qui è converso dispensare non potest, quando delictum factum

est notorium, manifestum, vel famosum. Mastr. *dict. disp.* 13. *num.* 183.

12. *Quær.* Quando, & quomodo delictum censendum sit notorium, manifestum, & famosum? *Resp. Notorium* censeri illud, quod est notum vel confessione Rei in judicio; vel sententia Judicis lata, vel evidentia facti cogniti à majori parte viciniæ. *Manifestum* dicitur, de quo est fama in majori parte viciniæ orta à scientibus illud. *Famosum* vocatur, quando de eo est fama in majori parte viciniæ, non tamen ex certa scientia; sed ex indiciis, & præsumptionibus. Ita Hurtadus *de Irregul. diff. 20.* & alii apud Mastrium *dict. num. 183.*

13. *Quær.* An Episcopus possit dispensare ab irregularitate contracta ex homicidio occulto, non voluntario, sed casuali? *Resp.* Affirmativè, quia Concilium Tridentinum excipit illam provenientem ex solo homicidio voluntario. Mastrius, alios Theologos allegans *dict. disp. 13. num. 184.* ubi subjungit, quòd poterit etiam dispensare in homicidio, in quo non fuit servatum moderamen inculpatæ tutelæ, quando factum fuit ad defensionem propriæ vitæ, quia non est voluntarium.

14. *Quær.* Quando delictum, ex quo oritur Irregularitas, deductum est ad forum contentiosum, sed reus fuit absolutus ex defectu probationum, an in hoc casu Episcopus possit cum eo dispensare? *Resp.* Affirmativè, quia quando est à Judice dimissus absque condemnatione, idem est, ac si non fuisset vocatus ad judicium. DD. apud Mastrium *ibidem dict. num. 184.* Quòd si fuisset condemnatus, tunc Episcopus non posset ampliùs dispensare; quia delictum factum est publicum. Mastrius *ibidem num. 185.* ubi refutat Sanchez, & alios contrarium opinantes.

15. *Quær.* An Episcopus possit dispensare ab irregularitate proveniente ob mutilationem occultam alicujus membri? *Resp.* Affirmativè; quia Concil. Trident. prohibet tantùm illam, quæ nascitur ex homicidio voluntario etiam occulto. Et ita declarasse Sacram Congregationem Cardinalium, notat Mastrius *ibi num.* 186.

16. *Quær.* An Prælati Regulares possint absolvere suos subditos ab irregularitatibus quibuscunque? *Resp.* Affirmativè, dummodò proveniant ex delictis; & hoc ob Privilegia Clem. IV. Bonifacii IX. & Eugenii IV. Mastrius ubi supra *dict. num.* 186. Sed videtur intelligendus, exceptis irregularitatibus ortis ex homicidio voluntario, ex mutilatione membrorum, & ex Bigamia, ut disputando concludit Lezana *in Summa tom.* 1. *cap.* 18. *num. 4. & tom. 3. verb. Abortus num. 14. & verb. Irregularitas num. 72.* Quamvis contrarium doceat Bordonus *part.* 1. *resol.* 13. *num.* 15. ubi defendit, Prælatos Regulares, virtute Privilegiorum posse absolvere etiam ab irregularitate ob homicidium voluntarium injustum, si sit occultum; & ob casuale, quamvis sit publicum. Sed Bordono non adhæsi in Decisionibus meis de Pœnitentia *Decis. 46. num.* 15. ubi Studiosum remitto.

17. *Quær.* An Episcopus possit dispensare ab irregularitate, orta ex hæresi occulta? *Resp.* Negativè, quia ubi Episcopus non potest absolvere, ibi multò minùs potest dispensare. *cap. Cum illorum. De Sentent. Excommunicat.* Sed per Bullam in Cœna Domini prohibitum est Episcopis absolvere ab hæresi quamvis occulta; ut est securior opinio DD. quo cumulat Barbosa ad Concil. Trident. *sess. 24. de Reform. c. 6. num. 52.* Et ego dixi *de Pœnit. decis. 45. num. 6.*

18. *Quær.* An Episcopus dispensare possit super irregularitatibus provenientibus ex defectu? *Resp.* Quòd Episcopus dispensat tantummodò in irregularitate ob defectum natalium ad ordines minores, & beneficium simplex. *cap.* 1. *De Filiis Presbyter. in 6.* Item in illa ex Bigamia similitudinaria tantùm etiam pro Sacris Ordinibus, *ex cap. Sanè. De Clericis conjug. & cap. 1. Qui Clerici, vel voventes.* At ex Bigamia vera, atque interpretativa solus Papa potest dispensare, prout in omnibus aliis irregularitatibus provenientibus ex defectibus animæ, corporis, ætatis, lenitatis, & infamiæ; ut differit Mastrius *dict. disp.* 13. *à num.* 188. *usque in finem.* Est tamen verum, quòd in defectibus corporis, vel scientiæ Episcopus potest arbitrari; & quando defectus non sit nimius, declarare valet, eum non obstare, & sic tacitè dispensando, habet jus promovendi defectuosum ad ordines, seu beneficia simplicia. Pax Jordanus *tom.* 1. *lib. 3. tit. 6. de Sacrament. Ordinis. num. 228. & tom. 2. lib. 9. tit.* 1. *de Dispensationibus num.* 201.

19. *Quær.* An Confessarii Regulares possint dispensare super Irregularitatibus contractis à suis pœnitentibus? *Resp.* Affirmativè virtute suorum Privilegiorum. DD. à me allegati *de Pœnitentia Decis. 46. num. 20.* dummodo delicta sint occulta, & exceptis homicidio voluntario, mutilatione membrorum, & Bigamia, ut ibi; sed pro foro conscientiæ tantùm.

CAPUT CLIII.

De Depositione, seu Degradatione.

1. *Quær.* Quid sit Depositio, seu Degradatio? *Resp. Est perpetua remotio ab Ordinibus, vel Altaris Ministerio.* Et differt à censuris, & irregularitate; quia sunt omnes temporales, & terminant per absolutionem, vel dispensationem; hæc autem est perpetua. Diaz *in Pract. cap. 43.* Barbosa *de Offic. & Potest. Episcop. allegat.* 110. *num.* 1.

2. *Quær.* Quotuplex sit depositio, seu degradatio? *Resp.* Est duplex, Verbalis, & Actualis. Scaccia *de Judiciis lib.* 1. *cap.* 11. §. 71. Verbalis est illa, quæ oretenus profertur contra Clericum, removendo ipsum ab Altaris ministerio; & hæc propriè dicitur depositio. *cap. Sacerdos. 81. dist. cap. 2. de Pœnis in 6.* Clarus *in §. fin. quæst. 74.* Et per eam non amittitur privilegium canonis, vel fori. Barbo-

sa

ſa *dict. alleg.* 110. *num. 3.* Actualis, ſive realis eſt illa, quando ultra ſententiam depoſitionis ob enormes exceſſus, ſive ob incorrigibilitatem: clericus perſonaliter privatur, exauctoratur, exuitur, & ſpoliatur Ordinibus Eccleſiaſticis per detractationem clericalium inſignium, & abraſo capite, & manibus traditur Judici ſæculari puniendus. *cap. Felix. 5. quæſt. 7. cap. Non poteſt. de re judic. cap. Cum non ab homine. de Judic. cap. Degradatio. de Pœnis lib. 6.* & Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *de Reform. cap. 4.*

3. *Quær.* An Clericus degradatus actualiter amittat characterem, & poteſtatem Ordinis? *Reſp.* Negativè; ideò ſi eſſet Sacerdos, & conſecraret cum debita materia, & intentione validè conſecraret. Barboſ. *dict. allegat.* 110. *num. 5. & ſeqq.*

4. *Quær.* An opus ſit degradatione actuali, ſi Clericus tradendus Curiæ ſæculari puniendus habeat tantùm minores ordines? *Reſp.* Affirmativè. Carolus de Graſſis *De effect. Cleric. effectu* 1. *num. 839.*

5. *Quær.* Appellatione degradationis an ſit intelligendum de verbali, vel de actuali? *Reſp.* De verbali; quia in pœnis minor eſt eligenda. *cap. In pœnis. 49. De Reg. Jur. in 6.*

6. *Quær.* Quæ ſunt crimina, propter quæ infligitur verbalis depoſitio? *Reſp.* Sunt Adulterium, Concubinatus perſeverans poſt monitionem, Simonia notoria, Stuprum, inceſtus, Furtum, Perjurium, Homicidium, & alia, quæ inferunt Irregularitatem. Moneta *De Diſtribut. Quotid. quæſt. 17. num. 6.* & alii apud Barboſam *dict. allegat. 110. num. 10.* Noviſſimè Pignatellus *tom. 8. conſult. 91. num. 8.*

7. *Quær.* Quæ ſint delicta, quæ mereantur realem degradationem? *Reſp.* Sunt tria, Hæreſis, *cap. ad Abolendam. & cap. Excommunicamus. il ſecondo. De Hæretic.* Crimen Falſi in Litteris Apoſtolicis commiſſi. *cap. Ad falſariorum. De Crimine falſi.* Et conſpiratio contra proprium Epiſcopum. *cap. Si quis Sacerdotium. 11. quæſt. prima.* Barboſa *dict. alleg. 110. num. 11. & 12.* ubi notat, præter hæc tria atrocia crimina, non eſſe aliud, ob quod poſſit deveniri ad realem degradationem.

8. *Quær.* An propter crimen læſæ Majeſtatis Clericus ſit actualiter degradandus, & tradendus Curiæ ſæculari, ut puniatur? *Reſp.* Diſſidere inter ſe Doctores, quos cumulat ipſe Barboſa *ubi ſupra num. 13. & num.* 14. ubi pariter ſunt diſcordes circa crimen Aſſaſſinii.

9. *Quær.* An ſint alia crimina enormia, quorum cauſa Clericus ſit realiter degradandus, & tradendus Curiæ ſæculari? *Reſp.* Ex Pontificiis Conſtitutionibus, quas refert Barboſa *dict. allegat.* 110. *num.* 18. *& ſeqq.* numerantur ſequentes enormitates. *Primò*, Si Clericus non Sacerdos Miſſam celebret; vel Confeſſiones audiat, & abſolvat. *Secundò*, Si exerceat crimen nefandum contra naturam. *Tertiò*, Si cauſet abortum fœtus animati. *Quartò*, Si monetas tondeat, vel falſificet. Pignatellus *tom. 7. conſult. 33. num. 33.* *Quintò*, Si Copulam Sacrilegam, & frequentem habeat cum Moniali. Pignatellus *tom. 8. conſult. 91. num. 7.* ubi alios caſus refert ibi videndos. Et *Sextò*, Si ſollicitaverit in Confeſſione mulieres ad turpia, quando gravitas hujus facinoris ſit exceſſiva; idem Barboſa *alleg.* 105. *num. 60.* & Carenas *De S. Inquiſit. part. 1. tit. 2. num.* 13.

10. *Quær.* Quæ, & quot perſonæ intervenire debeant, dum Clericus eſt actualiter degradandus? *Reſp.* De jure antiquo ad degradationem Epiſcopi debebant intervenire duodecim Epiſcopi. In degradatione Sacerdotis tres Epiſcopi; In degradatione Diaconi, aut Subdiaconi tres Epiſcopi. In degradatione Clerici in minoribus conſtituti ſolus unus Epiſcopus. Barboſa, qui Canones allegat *dict. alleg.* 110. *num. 22.* De jure autem novo Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *de Reform. cap. 4.* ſtatuit, quòd pro actuali degradatione facienda, ſi ſupradictus Epiſcoporum numerus facilè haberi non poſſit, Epiſcopo, vel ejus Vicario *etiam abſque illis procedere liceat; adhibitis tamen, & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus uſum mitræ, & baculi ex privilegio Apoſtolico habentibus, ſi in Civitate, aut Diœceſi reperiri, & commodè intereſſe poſſint: alioquin aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graves, ac juris ſcientia commendabiles exiſtant.*

11. *Quær.* An prædicti Epiſcopi, vel Abbates, vel alii Aſſiſtentes præter perſonalem intereſſentiam in actuali degradatione, habeant aliam facultatem? *Reſp.* Eos habere facultatem judicandi cauſam, & delictum Clerici degradandi una cum ejus Epiſcopo, vel Vicario; & ideò interveniunt etiam tanquam Judices, cum voto deciſivo in ea cauſa. Suarez *de Cenſuris diſp. 30. ſect. 1. num. 20.* Genuenſis *in Practicabil. Eccleſ. quæſt. 730.* & Barboſa *d. alleg.* 110. *num. 26.*

12. *Quær.* An concordes debeant eſſe omnes prædicti Aſſiſtentes in judicando? vel ſufficiat eorum major pars in decernenda degradatione? *Reſp.* Hanc eſſe celebrem Canoniſtarum quæſtionem, in qua ſunt hinc indè defenſores pro utraque opinione. Verior tamen cenſetur illa, quæ tenet, requiri unanimem judicantium ſententiam per Tex. *in cap. 3. de Sentent. & re judic.* ut obſervat Barboſa *dict. allegat.* 110. *numer. 28.* Qui *ſub num.* 29. declarat, eam procedere in condemnatione pro degradando Epiſcopo, vel Sacerdote; nam pro degradatione Diaconorum, Subdiaconorum, & aliorum inferiorum ſufficiunt Vota majoris partis. Menochius *De Arbitr. Jud. caſu 222. num.* 10. Barboſa *ubi ſupra num. 29.* ubi alii Doctores.

13. *Quær.* Qua forma, & quibus ſolemnitatibus fiat actualis degradatio Clericorum? *Reſp.* Formam, & ſolemnitatem eſſe expreſſam *in cap. 2. de Pœnis in 6.* & conſiſtit in ſpoliatione omnium veſtium Sacrarum, quibus erat veſtitus Clericus degradandus, cum verbis prolatis ab Epiſcopo denotantibus ablationem Clericalis poteſtatis; quibus omnibus exſpoliatus, ac etiam veſte talari, raditur in capite, & ſi eſt Sacerdos in manibus, ad terrorem tantæ condemnationis; deinde per

ſatel-

satellites conducitur ad carceres Curiæ sæcularis, ut ibi in ultimo supplicio plectatur. Petit tamen Episcopus à Judice sæculari, ut misericorditer agendo, reum degradatum citra mortis, vel mutilationis sententiam puniat, ut exactè scribit Castaldus *in Praxi Cæremoniar. lib. 2. sect. 15. cap. 9. à num. 5. & sequentibus*, ubi describit talamum ligneum eminentem, qui debet construi extra Ecclesiam, super quo Episcopus cum Assistentibus sedet; & ibidem ponitur mensa cum vestibus, & instrumentis ordinum, quibus Reus vestitur, deinde exuitur coram populo; ut supra dictum est.

14. *Quær.* An habeatur in Historiis aliquod exemplum de actuali degradatione Presbyterorum? *Resp.* Affirmativè; & illud præcipuè, quod legitur in vita Sancti Caroli Borromæi, Auctore Joanne Petro Giussano *lib. 7. cap. 4.* ubi narrat degradationem Præpositi Rovereti in Valle Mesolcina (quæ est DD. Grisonum) anno 1583. ubi celeberrimus Jurisconsultus Franciscus Bursatus in Inquisitione generali reperit eundem Præpositum reum execrabilium enormitatum, & quia obdurato corde respuit pœnitentiam, & emendationem, processit Sanctus Archiepiscopus ad illius degradationem, quam jugibus lacrymis executus fuit.

15. *Quær.* An Prælati Regulares possint degradare suos subditos delinquentes? *Resp.* Negativè, nisi obtinerent specialem facultatem ab Apostolica Sede. Sylvester *Verb. Degradatio*, 1. Barbos. *dict. allegat.* 110. *num. 25.* Et hoc est, quod docent Canonistæ; videlicet Episcopum cognoscere in omnibus criminibus actualem degradationem requirentibus etiam contra exemptos. Joan. de Lignano *in cap. Ne in agro. De Statu Monach.* Abb. *in cap. Cum contingat. De foro competen.* & alii, quos refert Cochier. *De Jurisdict. Ordin. in exempt. part. 2. quæst. 45. num. 98.*

16. *Quær.* An Clerici condemnati ad Triremes in Tribunali Sancti Officii sive in perpetuum, sive ad tempus, sint priùs actualiter degradandi? *Resp.* Negativè; & hoc attenta consuetudine, coroborata à pluribus decretis, & declarationibus Congregationis ejusdem Sancti Officii, relatis à Pignatello *dict. tom. 8. consult. 91. num. 4. & 5.* Nili Clericus esset damnatus propter hæresim ex Textu *in cap. 1.* ubi Gloss. & DD. *De Hæret. in 6.*

17. *Quær.* Quis possit restituere in integrum Clericos realiter degradatos? *Resp.* Solum Papam posse. In verbali autem degradatione etiam Episcopum posse restituere, si degradatio fuit ob delicta non graviora Adulterio. *cap. At si Clerici. §. De Adulteriis*, ubi DD. *de Judiciis.* Graviora autem adulterio dicuntur Hæresis, Simonia, & Homicidium. Pignatellus *dict. tom. 8. consul. 91. num. 16.*

PROPOSITIONES DAMNATÆ
AB ALEXANDRO VII.
Pontifice Maxmio,
Feria V. die 24. Septembris Anno 1665.

PRimò. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir Equestris ad Duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est Anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, & proindè non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si Sollicitatus confiteatur cum Sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani Octavi.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem,

tatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsis pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere; quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia, ante sententiam declaratoriam Judicis; eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam, beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideòque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus re maturè considerata statuit, & decrevit prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum, tanquam scandalosas, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet; ita ut quicunque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè publicè, aut privatim, tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ; & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscunque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus S. Rom. & Univers. Inquisit. Not. &c.

Loco † Sigilli.

Sequuntur Propositiones damnatæ ab eodem Alexandro PP. VII. feria 5. die 18. Martii 1666.

29. IN die jejunii, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes officiales, qui pro Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum, suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodiè sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.

29. Illa particula *quamprimùm* intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò, *regalo*, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42. Licitum est Mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum, pro anima relictum, non durat plusquam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis idem Sanctissimus statuit, ac decrevit prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimùm, tanquàm scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam specialis, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant,

Joannes Lupus S. Rom. & Universæ Inquisit. Not. &c.

Loco † Sigilli.

Propositiones damnatæ ab Innoc. XI. Sum. Pont. feria. 5. die 2. Martii 1679.

1. ET primò, non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.

7. Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est Filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.

17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18. Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glo-

gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei, supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similivè motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est, tam hæredi, quàm legatario contrà injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere cùm paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43. Quid ni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere.

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat; & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.

47. Cùm dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo, vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est, undè si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium, adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti; puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, sepposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Aliæ Propositiones duæ de Divino concursu novissimè damnatæ ab Innocentio XI. 23. Novembris 1679.

1. DEus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur sicut aliquis donat alteri villam, vel librum.

2. Deus subjicit nobis suam omnipotentiam.

Quicunque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscunque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seù Scholastici, aut alii quicunque imposterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur idem Sanctissimus in virtute sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, nec non à quibuscunque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ super iisdem propositionibus judicium proferatur.

Franciscus Ricardus S. Rom. & Univers. Inq. Not.

Loco † Sigilli.

Propositiones damnatæ ab Alexandro VIII. feria 5. die 21. Augusti 1690.

1. BOnitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis verò in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS,

2. Peccatum Philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale, est transgressio libera Divinæ Legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum

tum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctissimus omnibus plenè, & maturè consideratis primam Thesem, seù Propositionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis; secundam Thesem, seù propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicut damnat, & prohibet; ita ut quicunque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputaverit publicè, seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam Dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscunque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas Theses, seù Propositiones ad praxim deducant.

Alexander Speronus S. Rom. & Universf. Inq. Not.

Loco † Sigilli.

Propositiones damnatæ ab eodem Alexandro PP. VIII. feria 5. die 8. Decembris 1690.

1. IN statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operante ea ipsa, non excusat à peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis; sed pro omnibus, & solis fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum; adeòque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quàm pernicioſa est, sic ut proindè meritò possimus petere, à gratia sufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel Mundi. Si Dei, Charitas Patris est; si Mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est Infidelem in omni opere peccare,

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & etiamsi videatur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio; quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ; sed ipsa Christi lex, & præscriptio naturæ rei idipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominùs ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui Jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequàm condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt à sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat à B. V. Maria in die Purificationis suæ per duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quòd indiguerit purificatione, & quòd Filius qui offerebatur etiam maculâ Matris maculatus esset, secundùm verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26. Laus quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *In nomine Patris, &c.* prætermissis illis, *Ego te Baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intùs verò in corde suo apud se revolvit, *Non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani Octavi; *In Eminenti*, est subreptitia.

Quibus maturè consideratis idem Sanctissimus statuit, & decrevit 31. supradictas Propositiones tanquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, injuriosas, Hæresi proximas, Hæresim sapientes, erroneas, Schismaticas, & Hæreticas respectivè, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet; ita ut quicunque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (præterquàm in articulo mortis) ab alio quacunque etiam Dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscunque Conditionis, Dignitatis, & Status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propositiones in majori numero ultrà supradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas approbare.

Alexander Speronus S. Rom. & Univers. Inq. Not.

Locus ✝ Sigilli.

Casus reservati in Bulla Cœnæ Domini,

1. HÆretici cujuscunque sectæ, eorundem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & schismatici.

2. Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores.

3. Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores.

4. Naufragorum Christianorum cujuscumque generis bona, etiam in littoribus inventa, surripientes.

5. Imponentes nova pedagia, & gabellas, vel eas augentes.

6. Falsificantes Litteras Apostolicas, aut falsò fabricantes.

7. Deferentes arma, & alia usui bellico idonea, ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos: & ad Reipublicæ Christianæ statum pertinentia iisdem in damnum Christianorum nunciantes.

8. Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt.

9. Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua, aut aliorum opera lædentes, & sine jurisdictione vexantes in Curia commorantes.

10. Romipetas, ac peregrinos etiam in Urbe morantes, vel abeuntes, lædentes.

11. Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.

12. Ad Romanam Curiam pro negotiis suis recurrentes per se, vel per alios lædentes.

13. Appellantes à gravamine, vel futura executione Litterarum Apostolicarum ad Laicam potestatem.

14. Executionem Litter. Apost. aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

16. Judices Sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

16. Impedientes Prælatos, ne sua jurisdictione utantur, quique illorum, & delegatorum judicia eludentes, ad Curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium.

17. Usurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum jurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.

18. Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus.

19. Judices sæculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seù criminalibus contra Ecclesiasticas personas.

20. Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius jurisdictionem usurpantes.

Summa

Summa Decretorum Sacræ Congregationis super Reservatione, & Absolutione casuum Reservatorum.

SAcra Congregatio S. R. E. Cardinalium Negotiis Episc. & Regul. præposita de mandato speciali Clementis Papæ VIII. jubet, & præcipit Sacerdotibus omnibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, ne quis eorum, prætextu privilegiorum quomodolibet concessorum, ab ullo ex casibus in prædicta Bulla contentis vel aliàs à Sede Apostolica, vel per Ordinarios reservatis, aut reservandis absolvere præsumat, sub pœna excommunicationis, &c. ipso facto absque ulla declaratione, incurrenda; &c.

Cùm autem dubia quædam circa intelligentiam præfati Decreti emersissent, eadem Sacra congregatio de mandato ejusdem Sanctissimi declaravit præter casus in Bulla Cœnæ, & per Ordinarios locorum reservatos, comprehendi sub eadem prohibitione, & pœna, Violationem immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitut. Gregor. XIII. quæ incipit: *Cùm aliàs &c.* Violationem clausuræ Monialium ad malum finem. Provocantes, ac pugnantes in duello juxta Decretum Trid. & Constit. Gregorii XIII. incipit: *Ad tollendam.* Injicientes manus violentas in Clericos juxta Canonem: *Si quis suadente.* Simoniam realem scienter contractam, atque etiam confidentiam beneficialem.

Quod Decretum, ejusque declarationem, nec non censuras, & pœnas confirmat, atque innovat Paulus V. ab omnibusque Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, etiam necessariò exprimendis inviolabiliter observari mandat, non obstantibus Privilegiis, &c. Vide meas Decisiones *De Pœnitentia, Decis. 46. num. 9.* ubi sunt dicta Decreta, & illud Urbani VIII. diei 17. Novembris 1628.

Alii Casus Summo Pontifici intra Italiam reservati.

1. VIolatio Clausuræ Monialium ad malum finem.
2. Injicientium violentas manus in Clericos.
3. Simonia realis scienter contracta.
4. Confidentia beneficialis.
5. Provocantium, & pugnantium in Duello juxta Concil. Trid. & Constitutionem Gregorii XIII. cujus tenor habetur supra.
6. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ circa fugientes ad Ecclesias, ut jam dicetur.

De Immunitate circa fugientes ad Ecclesias.

1. GRegorius XIV. in quadam Constitutione, quæ incipit, *Cùm aliàs nonnulli, &c.* statuit, ut omnes delinquentes, qui confugiunt ad Ecclesias, gaudeant immunitate, exceptis casibus expressis paragrapho 3. cujus tenor est hujusmodi.
2. Ut Laicis ad Ecclesias locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur.
3. Aut depopulatores agrorum.
4. Qui vel homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere non verentur.
5. Aut qui proditorie proximum suum occiderint.
6. Aut Assassini.
7. Vel hæresis rei.
8. Aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.
9. In aliis casibus delinquentes, confugientes ad Ecclesias, gaudent Immunitate. Si quis verò contra hanc Constitutionem læserit immunitatem Ecclesiasticam, erit casus reservatus Papæ.

SS. D. N. CLEMENTIS

Divina Providentia Papæ X.

Constitutio, in qua Regularium Privilegia quo ad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ administrationem declarantur.

SUperna &c.

Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere; Prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quòd si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare, eosque contravenientes ab illo tanquam à Sedis Apostolicæ Delegato censuris, aliisq; pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. rec. Gregorii XV. prædecessoris nostri incipientis: *Inscrutabili Dei Providentia*, coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque justa, atque rationabili causa contradicere non debere; & hujusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, vel ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licèt clausis januis, & nullus sæcularis ibi interfit, habere voluerint. Posse autem Episcopum post licentiam concessam Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum

num non sunt, prædicare volentibus, illos quamvis ab Universitatibus, aut à magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad Doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit, & licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas licèt occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere; non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.

Ad hæc Regulares ab Episcopo ad Confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati, & generaliter ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere, quoad hoc speciale Episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidem Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta Deputatione in vim approbationis hujusmodi, illarum Confessiones audire; sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus Deputationis contigerit. Cæterùm in Monasteriis, ac etiam Collegiis ubi juxta Regularia Instituta vivitur, posse tam prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum audire Confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui Commensales, non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt. Illos autem Religiosos, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporum, certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos. Quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint se admitti arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. Semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis, quovis anni tempore etiam Paschali, & quorumcunque etiam infirmorum Confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen Confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere, & hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi Confessiones præcipi? sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad Confessionem dumtaxat satisfeciisse censendos. Regulares verò ad ejusmodi Confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos non posse ab eodem, qui sic approbantur, iterùm examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi; seu licentias ipsis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas Confessiones concernat, de qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare; sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam aperiri postulaverit. Porrò, si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à Confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cùm præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas, utique eam causam ad Confessionis Ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quò minùs ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis. Attamen Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse. Et facultatibus per Mare magnum, aliave Privilegia Regularibus cujuscunque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam Jesu, concessis factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per Confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerant, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis non ideò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere: posse autem Regularem Confessionem in ea Diœcesi, in qua est approbatus confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem Confessor est approbatus, absolvere; nisi eosdem Pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad aliam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum Privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam satisfacta parte absolvere Pœnitentes à censuris, quoad externum, & judiciale forum, & absolutos ab eis in foro Pœnitentiali utique non censeri absolutos in exteriori Judicio, & contentioso. Quinimò censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum Privilegiorum verba obscura sint, &

ambi-

ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cùm ejus sit interpretari, cujus est condere, dictorum Privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, prout aliàs constitutione Prædecessoris nostri &c. fel. rec. Clementis IV. statutum fuit, esse exequendum.

Non obstantibus quibuscunque &c. etiam insolitis casibus.

Dat. Romæ Anno 1670. 11. Kal. Julii Pontif. nostri Anno primo.

Nota: In propositionibus damnatis ab Alexandro Septimo propositio duodecima videbatur limitata ad solos Mendicantes. Ita enim habet propositio. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id ab Episcopo facultate. At Clemens X. magis amplè loquitur, dum absolutè sic pronunciat: Ex facultatibus per Mare magnum, aliave privilegia cujuscunque Ordinis, Instituti, aut Societatis etiam Jesu concessis, facta eis non est potestas absolvendi à casibus ab Episcopo sibi reservatis.

DECRETUM.

De Apocryphis Indulgentiis.

DElatæ sæpiùs fuêre ad Sacram Congregationem, Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositam Indulgentiæ quædam confictæ, & omninò falsæ, quæ per diversas Orbis Christiani partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ; quæ adhibito studio inventæ sunt vel apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quòd datum eis tempus præteriisset; quarum quidem plurimæ, cùm non facilem cognitionem habeant Christi fideles harum rerum minùs peritos fallunt, qui spe Indulgentiæ, remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & in Indicem referri curavit.

Tales in primis sunt illæ, uti asserunt, concessæ à Joanne II. & Sixto IV. recitantibus Orationem charitatis Jesu Christi Domini nostri; Precor te, Piissime Domine &c. ab Urbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, ut vulgò dici solet, Campagnolæ, & S. Victoriæ, ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero Jesu Christi factæ; S. Bernardo, ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis; à Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die festo; à Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis; ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgò dictæ, Laghetti, à Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci primùm in Urbe impressæ, deinde Mediolani anno 1665. (suas tamen habent, & veras confratres Archiconfraternitatis Chordigerorum S. Francisci) recitantibus Salutationem Angelicam ad pulsum horologii, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus Luna subjecta est; à Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum, à Clemente VIII. dicentibus Orationem: O magnum mysterium &c. Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant, Montis Serrati, Avenione impressæ; tum aliæ pro animabus Christi fidelium defunctorum, impressæ Madriti 20. Julii 1606. à Paulo V. cantantibus Hymnum, Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur &c. vel si die Sabbati intererint dum idem canitur, & Coronis, Rosariis, Imaginibus, & Numismatibus, quæ medallias appellant, ab eo benedictis, Feder. Cardinali Bortomæo supplicante anno 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur, & ab eodem Paulo & Gregorio XV. dicentibus: Sia lodato il Santissimo Sacramento, laus Sanctissimo Sacramento: ab Urbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus, celebrata Missa, dicentibus, Ave filia Dei Patris, Ave Mater Dei filii &c. à Clemente X. recitantibus manè, meridiè, ac Vespere consuetam Antiphonam, Angelus Domini &c. & in fine, Deo gratias, & Mariæ; ac demum aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Mysteriorum passionis Domini Nostri Jesu Christi prece magni Ducis Etruriæ.

Talis Indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, quæ repetita quinquies Oratione Dominica, & Salutationem Angelicam, unam liberari animam quolibet die à Purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Perusii Confraternitatis Sanctorum Sebastiani, & Rocchi, & Romæ Societatis S. Bernardi ad columnam Trajani; Tales demùm aliæ Crucesignatorum S. Eustorgii Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Ejus generis sunt & illæ concessæ, ut ajunt, Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rodigii, vel Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni die festo Inventionis Sanctissimæ Crucis, vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula, vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque festivitatum B. V. vel recitantibus Officium S. Franciscæ Romanæ, aut Antiphonam, ò Passio magna &c. In memoriam passionis Jesu, aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut orationem, quæ impressa cum imagine S. Annæ circumferri solet, Ave gratia plena &c. (quæ oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. V. Immaculatæ, quod asserunt à Paulo V. probatum fuisse, aut Orationem, Deus, qui nobis in S. Syndone &c. (Excipitur indulgentia centum dierum anno 1671. concessa precibus Duciss Sabaudiæ ad annos 15. cunctis in illius Ditione degentibus) aut aliam, Ave filia Dei &c. post communionem recitandam, vel aliquo conspicuo signo venerantibus Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti nomen, Indulgentiæ rursus octoginta millium annorum veteri de Tabula rescriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus orationem illam verè piam, Deus qui pro redemptione Mundi &c. tum quæ impressæ fuerunt Papiæ anno 1679. sub hoc titulo, Sommario delle Indulgenze concesse dalla Santità di Nostro Sign. Papa Leone X. all' Immagine della Concezzione

della Gloriosa Vergine Maria; vel Pisauri sub nomine B. Joannæ, anno 1608. evulgatæ; vel Barlettæ, seu Baruli à recitantibus quasdam, non sanè malas orationes, lucrandæ; vel Parmæ à visitantibus per Quadragesimæ dies Ecclesias Tertii Ordinis S. Francisci; vel Pistorii, & Vastallæ à recitantibus orationem, Ave Sanctiss. Maria, Mater Dei, Regina Cœli &c. & aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt Devotos Seraphicos, & Benefactores.

His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur; vel Coronæ, sive Stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat, vel Granis, Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispaniæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel mensuræ altitudinis JEsu Christi Domini nostri, vel Imagini, aut mensuræ vulneris lateri ejus inflicti; vel orationi, ut ajunt, in Sepulchro Domini nostri repertæ, & Indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ Sanctis Birgittæ, Metildis, & Elisabeth, vel B. Joanni de Cruce, & concessæ, ut asserunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerit extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem fratrum Minorum observantiæ S. Francisci.

Omnes verò & singulas jam dictas Indulgentias Sacra Congregatio partim esse confictas, & planè falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas; quæ nemini suffragari possunt, easque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Christi fidelibus proponi vetat. Foliaque, & Libros, ubi sic proponuntur, seu asseruntur, omninò præcipit aboleri, nisi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideò tamen vult, alias, quas hoc Decretum non continet, pro veris, & legitimis, tacitè probatis haberi.

Ac demùm omnes Indulgentias concessas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Januarii 1597. Coronis, Rosariis, Granis, seu Calculis, Crucibus, & Imaginibus sacris, vel ante Breve Pauli V. quod incipit: Romanus Pontifex &c. editum 23. Maij anno 1606. personis Regularibus quarumcunque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. Cujus initium: *Quæcumque &c.* & 68. Pauli V. incipientem: *Quæ salubriter &c.* habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Sotietate etiam JEsu, Capitulo, vel Cætu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis, vel persona, etiamsi earum, vel ejus mentio specialis, & individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius esse roboris, & momenti pariter declarat.

Porrò Summaria Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, & Confraternitatibus Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, cincturæ S. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias verò Stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum, aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantùm Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat; semel autem dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium, ad Sanctissimum, cuncta Sanctitas Sua probavit, & inviolatè servari jussit.

Datum Romæ die 7. Martii 1678.

Aloysius Card. Homodeus.

Locus † Sigilli.

Michael Angelus Riccius Secr.

Die 12. Mensis Martii 1678. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas curiæ; & in acie campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Rochum de Stephanis Sanctiss. Domini Nostri Papæ Curs.

Laurentius Segnus Magister Curs.

DECRETUM

Circa Communionem Quotidianam.

CUm ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ communionis, etiam in feria sexta Parasceve, & simul affirmari eandem quotidianam Communionem præceptam esse à jure divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse; videlicet, quòd aliqui non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota sumant sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares; aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito, ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario: cùm autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit S. Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum, eadem S. Congregatio, prævia matura discussione super prædictis unanimi sententia ita censuit: Et si frequens, quotidianusve sacrosanctæ Eucharistiæ usus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamen, aut sæpiùs illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmita-

mitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicavit, cùm inquit: Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent; Idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, & Conjugatis, quod prospiciente eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In Conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cùm B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos seriò admoneant tantò magis ob sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad Cœlestium Epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; Illudque omninò provideat, ut nemo à Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque dignè pro devotionis, & præparationis modò rariùs, aut crebriùs Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; Si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illi à superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cùm fideles ad Sanctissimi sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos quo ad frequentiorem aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere sive Laici negotiatores sint, sive Conjugati, sive quicunque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri; Et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in sumentibus augeantur. Quod abundè continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præstante gratia tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint: quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porrò Episcopi, & Parochi seu Confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure divino, doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis, ex dispensatione, seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in Crumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; si verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria sexta Parasceve, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur; insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas neque grandiores, sed consuetas; non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi & Confessarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis JEsu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præsens Decretum Typis dari, ac publicari voluerit. In quorum, &c.

Datum Romæ 12. Februarii 1679.

F. Card. Columna Præf.

S. Archiep. Brancatius Episc. Viterb. Secr.

Die 15. Mensis Febr. 1679. supradictum Decr. affixum, & publicatum fuit per Urbem ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Ægidium Felicem SS. D. N. PP. Cursorem. Pro D. Magistro Cursorum Gregorius Staggius Apost. Curs.

CONSTITUTIO

SS. D. N. Innocentii Papæ XII. pro tollendis abusibus, & fraudibus circa ordinationem alienorum subditorum.

INnocentius &c. Speculatores domus Iſrael, quæ eſt Sancta Dei Eccleſia &c.

Hinc eſt, quod Nos ex commiſſæ Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere, abuſus, fraudes, ac Scandala hujusmodi penitus, & omninò è medio tollere, ac irreligioſam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compeſcere, & reprimere volentes, nec non fel. rec. Urbani VIII. contra malè ordinantes, & malè ordinatos, quæ incipit, Secretis &c. aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, ac etiam Conciliaribus hac in re editis Conſtitutionibus, & ordinationibus inhærentes, illasque quo ad ea, quæ præſentibus non adverſantur, quatenus opus ſit, innovantes de Ven. Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini Interpretum, qui quæcumque ante hac ſuper præmiſſis ab ipſorum Cardinalium Congregatione in particularibus caſibus edita decreta, declarationes, ſeu reſponſa ad eorumdem præſentium limites reducenda eſſe cenſuerunt, conſilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæ utilitatem, veteris diſciplinæ inſtaurationem, totiusque Chriſtiani populi ædificationem. Hac generali noſtra, & perpetuò valitura conſtitutione decernimus, & declaramus, nulli Epiſcopo, ſeu cujusvis loci Ordinario, tametſi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac ſibi ratione Originis, ſeu Domicilii, juxta modum inferiùs declarandum, legitimè contracti non ſubditum ad clericalem tonſuram promovere cujusvis beneficii Eccleſiaſtici ei ſtatim, ac tonſura hujusmodi inſignitus fuerit conferendi, ſeu ad quod is à Patronis jam præſentatus, ſeu nominatus fuerit prætextu, etiamſi beneficium prædictum de novo ea expreſſa adjecta lege fundatum fuiſſe conſtiterit, ut quis immediatè poſt clericalem characterem ſuſceptum ad illud inſtituatur; Præterea clericum, qui legitimè jam à proprio Epiſcopo ad eamdem clericalem tonſuram, ſeu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non poſſe ab alio Epiſcopo ratione, ac titulo cujuscunque beneficii in illius Diœceſi obtenti ad ulteriores ordines promoveri, niſi ante eorumdem ſuſceptionem Teſtimoniales litteras proprii Epiſcopi tam Originis, quàm Domicilii ſuper ſuis Natalibus, ætate, moribus, & vita ſibi concedi obtinuerit, easque Epiſcopo ordinanti in actis illius Curiæ conſervandas exhibuerit: Licèt verò clericus ratione cujusvis beneficii in aliena Diœceſi obtenti ſubjici dicatur Jurisdictioni illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi beneficium hujusmodi ſitum eſt, eam tamen de cætero hac in re inconcuſsè ſervari volumus Regulam, ut nemo hujusmodi ſubjectionem ad effectum ſuſcipiendi ordines acquirere cenſeatur, niſi beneficium prædictum ejus ſit redditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem ſive juxta Taxam Synodalem, ſive ea deficiente juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros ordines, detractis oneribus, per ſe ſufficiat; illudque ab ordinando pacificè poſſideatur, ſublata quacunque facultate ſupplendi quod deficeret fructibus ejusdem beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipſe Ordinandus in eadem, ſeu alia quavis Diœceſi obtineret; ac Epiſcopus ſic ordinans, tam de prædictis Teſtimonialibus litteris, quàm de redditu beneficii hujusmodi expreſſam in conſueta collatorum ordinum atteſtatione mentionem facere debebit. Cæterùm ſubditus ratione originis is tantùm ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, in qua ad ordines promoveri deſiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti; occaſione nimirùm itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo caſu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, ſed vera tantùm & naturalis Patris origo erit attendenda. Quod ſi quis tanto temporis ſpatio in eo loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur, natus eſt, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab ordinario ejus loci litteras Teſtimoniales, ut ſupra, obtinere, illasque Epiſcopo ordinanti per eum in Collatorum Ordinum Teſtimonio ſimiliter recenſendas præſentare teneatur.

At ſi Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, tamdiu, ac eo animo permanſerit, ut imbi verè domicilium de jure contraxerit; tunc non origo Patris, ſed Domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur, contractum pro Ordinatione ejusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione domicilii ad effectum ſuſcipiendi ordines is dumtaxat cenſeatur, qui licèt alibi natus fuerit, illud tamen adeò ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem cum inſtructis ædibus in locum hujusmodi transferendo; ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis, ſuperque ſuum perpetuò ibidem permanendi animum demonſtraverit, & nihilominùs ulteriùs utroque caſu ſe verè, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen à propriæ originis loco in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui canonico

im-

impedimento obnoxius effici, etiam Ordinario suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit. Ad hæc nullus Episcopus alienæ Diœcesis subditum Familiarem suum ad aliquos Sacros, seu minores ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat absque ejus proprii, originis scilicet, seu Domicilii Prælati Testimonialibus litteris, ut supra, & nisi ad præscriptum Concilii Tridentini præfati sess. 23. cap. 9. de ref. familiarem prædictum per integrum & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; Beneficium insuper quod ei ad vitam sustentandam juxta modum superiùs præfinitum, sufficiat, quacunque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis à die factæ ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in Ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Porrrò, ut quicunque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus, & Apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione Originis, sive Domicilii subditos Clericos quoscunque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, nedum ad formam Concili Tridentini supradicti sess. 14. cap. 3. de Reform. quoad scientiam examinare valeat, verùm etiam ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quo ad illos præsentis Constitutionis forma, & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de hujusmodi adimplemento; ita ut quos eo termino elapso id minimè præstitisse compererit, à susceptorum ordinum exercitio, si ita, & quamdiu ei expedire videbitur, suspendere; illisque ne in altari, aut in aliquo ordine ministrent, interdicere possit. Ita verò præmissa omnia, & singula perpetuò ac inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, Ordinans quidem à collatione Ordinum per annum, Ordinatus verò à susceptorum ordinum executione, quamdiù proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ Nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subjaceat.

Decernentes pariter easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit in omnibus & per omnia plenissimè, & inviolabiliter observari. Sicque & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & Delegatos &c. sublata &c. ac irritum, & inane, si secus &c. Non obstantibus &c. quibus &c. cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1694 Pridie Nonas Novembris, Pontificatus Nostri Anno quarto.

ACTUS CONTRITIONIS

Ex P. Wilhelmo Nakateno Soc. Jesu in Thesauro Sacræ Supellectilis.

AMo te Deus super omnia, & ex solo amore tui doleo ex intimo corde, quòd te summum bonum meum, summo malo, id est peccato, offenderim, ignosce precor per merita acerbissimæ passionis tuæ, cupio per tuam gratiam emendare, & implere legem tuam.

Brevior.

Deus meus, & omnia, propter te, quem summè diligo, intimè doleo quòd unquam peccavi.

Quia te offendi, emendationemque propono in futurum.

Oportet itaque, ut peccator se pœniteat offendisse Deum non tam ob supplicium, aut damnum, quod incurrit, quando mortaliter peccat, quia esset tantùm attritio, quæ non potest nisi Confessioni conjuncta peccata mortalia delere. Sed necesse est, ut potissimùm doleat de peccatis, quia per ea offenditur Deus Summum Bonum, & in hoc consistit vera, & perfecta contritio.

Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra. Act. 3.

Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Psal. 50. *Docete omnes Gentes.*

Instructio Parochorum, & Confessariorum pro casibus, quorum absolutio, seù dispensatio à Sacra Pœnitentiaria Apostolica impetratur.

CUm sæpè sit experientia compertum plurimos utriusque sexus Christi fideles, & præcipuè in longinquis degentes censurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, nec non Irregularitatum, & casuum, quoquo modo reservatorum, ligaminibus adstrictos, ad Sanctam Sedem, ejusque Sacram Pœnitentiariam spectantibus irretitos, in illis lachrymosè persistere, & continuis conscientiæ agitationibus laboriosè perdurare, cujus mali casus ex similibus provenire innotuit.

Primò eo, quod Parochi, vel alii, ad quos hujusmodi Pœnitentes recurrere contingit, in Pagis aut locis Ruralibus degunt, & viam, modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hic Romæ agnoscunt, ad quem supplicationes dirigant, unde Pœnitentes perplexos dimittunt, qui cum ad Ordinarium accedendi, (præsertim si sint fœminæ) verecundia, aut timore intercluduntur, consilium ulterius requirere

nescientes, remedium desperant, & in prædictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & casibus reservatis, cum periculo damnationis insordescunt.

Secundò evenit, quod Pœnitentes egeni recognitionem pro sollicitatione, & labore Agentium Romæ commorantium, ex solvere non valentes, mærentes, afflicti, ac conscientiæ motibus concussi, in periculoso statu manere coguntur, & forte (quod pejus est) sibi persuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal, aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum revera Sacræ Pœnitentiariæ Ministri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam sponte oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, singulos ad se recurrentes, serena fronte complectantur.

Tertiò accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxta exposita obtentæ, irritæ evadant, eo quia casus, & circumstantias necessarias retineant, undè fit, quod litterarum executores, casu posteà Pœnitentium examinato rem aliter se habere, quàm expressum fuerat, comperiant, & gratias subreptitias, aut obreptitias esse inveniant, quare Pœnitentes confusi remanent, & spe novæ dispensationis se carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus &c. miserabiliter remanent.

Quare gratum Deo, & utile fidelibus futurum esse speratur, si iste modus recurrendi ad ipsam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

Confessores itaque, cum Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad se accedere contigerit, casuum qualitates, & præfatorum casuum circumstantias considerent, causasque dispensationum, aut commutationum exprimant, & caveant, ne quod occultum est, publicum faciant, præsertim impedimenta occulta matrimoniorum, nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et sic præfati Confessores poterunt casus Pœnitentium præfatos cum dictis circumstantiis, & causis exponere, sive latino, sive quocunque alio idiomate propriæ Regionis, nam sacra Pœnitentiaria suos ex quacunque Regione Pœnitentiarios subordinatos habet; & exprimant insuper in fine expositionis casus, nomen, cognomen, cui sit à Sacra Pœnitentiaria rescribendum, etiam si ipsum nomen, & cognomen sit fictitium. Itemque modum, per quem responsio secura dirigi possit, significando scilicet vulgari nomine, Oppidum, seu Civitatem, & Regionem cum data mensis, & anni in hunc modum.

Intus incipiant Epistolam, seu supplicationem sic.

Eminentissime, & Reverendissime Domine,

N. Mulier emisit votum simplex castitatis, manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat; supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminent Epistolam, seu supplicationem sic.

Dignetur Eminentia Vestra rescribere ad N. & N. & exprimant nomen, & cognomen illius, cui est rescribendum, ad Civitatem N. exprimendo nomen Civitatis. Per Oppidum N. exprimendo, vulgari nomine, nomen Oppidi: Et dirigere Breve, seu gratiam simplici Confessario, seù Confessario Magistro in Theologia, sive Decretorum Doctore, sive Parocho, cui Pœnitens aperuit suam conscientiam, ne ipse Pœnitens, & præsertim fœminæ cogantur circumire pro executione gratiæ Sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant Epistolam, seu suplicationem scribendo, extra, seu à foris in hunc modum.

Eminentissimo, & Reverendiss. Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.

Romam.

Et si tardaverit Responsio, Confessarii rescribant, & si opus fuerit, semel, & iterùm, ne forte prior Epistola sit deperdita.

Rogantur insuper Parochi, sive Confessarii, ad quos præsentes litteræ pervenerint, illarum notitiam, quibus poterunt, pro animarum salute communicare.

Ne elaborent nimis Confessarii in dando executionem litteris, seù gratiis Sacræ Pœnitentiariæ, impressus est Romæ in Typgraphia Apostolica liberculus, cujus titulus est: MANUDUCTIO AD EXEQUUTIONEM LITTERARUM SACRÆ POENITENTIARIÆ NECESSARIA CONFESSARIIS, PAROCHIS, EPISCOPIS, ET RELIGIONUM SUPERIORIBUS, in qua non solùm datur modus exequendi litteras Sacræ Pœnitentiariæ, sed etiam modus legendi brevia charactere Gotico scripta.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM, AC VERBORUM
PRÆSENTIS LIBRI.

A.

ABbates an possint conferre ordines. pag. 216. q. 73. & seqq. Cap. 128.
Abortus quid, & quotuplex sit. p. 94. q. 1. Quæ ejus pœnæ. q. 4. cap. 58.
Absolutio sacramentalis quid sit? Quæ ejus forma? Quis possit absolvere à peccatis. c. 123. p. 197. per totum.
Absolvere à casibus reservatis quis possit. cap. 122. p. 194. & seqq.
Actus interni criminosi an possint prohiberi ab Ecclesia sub censuris. p. 149. q. 2. & seqq. cap. 108.
Adjuratio quid sit. p. 74. q. 1. & seqq. Quando sit licita. q. 4. & seqq. c. 44.
Adjuratio Dœmonum à quo facienda. p. 75. c. 45. Quæ petenda per exorcistam à Dœmone, quæ ab eodem Dœmoni concedenda. q. 3. ubi plura circa modum exorcizandi.
Adoratio quid sit, & quotuplex. p. 15. q. 1. & 2. c. 14.
Adoratio quæ facienda Deo? Quæ Cruci? Quæ Deiparæ? Quæ Sanctis? p. 16. q. 3. & seqq. ubi plura. c. 14.
Adulterium quid sit. p. 103. q. 1. c. 70. Quæ pœnæ contra adulteros. p. 104. q. 5. & seqq.
Affinitas, quæ, & quotuplex sit? Et quando dirimat matrimonium. pag. 239. q. 80. & seqq. cap. 133.
Agnorum Dei Cereorum sanctitas, & virtutes. p. 17. q. 1. & 2. c. 15.
Alchimia quid sit. p. 30. q. 1. 2. & 3. An sit licita. q. 4. c. 22.
Alienatio bonorum Ecclesiæ quibus solemnitatibus sit facienda. p. 52. q. 9. & seqq. c. 33.
Alimenta quando sint præstanda à marito uxori; & filiis. p. 266. q. 8. & seqq. Alimentorum nomine quæ veniant. q. 10. cap. 145.
Amphybologia quando licita, & quando non. p. 68. c. 38.
Apostasia, & Schisma quid, & quotuplex sint. pag. 8. q. 1. 2. & seqq. Quæ pœnæ contra schismaticos. q. 8. c. 7.
Assecuratio quid sit? Quæ conditiones requirantur, ut assecuratio sit contractus licitus. p. 124. c. 86. per totum, ubi plura de Assecuratione.

B.

BAptismus quid, & quotuplex sit. c. 115. p. 164. ejus Materia, Forma, Minister, Intentio, & Effectus. p. 165. ubi plura quæsita de Baptismo.
Baptismus an tollat omnes irregularitates p. 230. q. 71. & seqq. c. 131.
Bellum quid sit? quotuplex? & quando licitum. p. 98. q. 1. & seqq. c. 64.
Benedictio Sacerdotalis an possit omitti à Sponsis in Nuptiis. p. 265. q. 18. & seqq. cap. 144.
Bestialitas quæ, & quotuplex. p. 107. q. 14. & seqq. c. 73.
Bigamia quid sit? Quotuplex? Qui effectus bigamiæ. c. 130. p. 220. ubi de ea.
Blasphemia quid, & quotuplex sit. p. 52. q. 1. & seqq. Quale peccatum. p. 53. q. 4. Quæ verba redundent in blasphemiam. q. 7. Quæ pœnæ inflictæ contra blasphemos. pag. 54. q. 27. & seqq. uti plura quæsita. cap. 34.

C.

CAmbium quid sit? & quotuplex. cap. 93. p. 131. ubi plenè de eo.
Canonici an possint abesse à choro. pag. 23. q. 1. & seqq. ubi de eorum obligationibus. cap. 18.
Canonicus Henricus Patavinus anno 1195. legavit libertatem servis suis. p. 233. q. 17. cap. 133.
Casuale homicidium quando committatur. p. 226. q. 39. & seqq. c. 131.
Casus reservati qui, & quod reperiantur. cap. 122. p. 193. & seqq. Qui possint absolvere à reservatis. p. 194.
Causæ, quæ, & quot pro dispensandis impedimentis dirimentibus matrimonium. cap. 136. p. 249. ubi plenè de his causis.
Censura quid sit? Quotuplex? A quo? & in quos ferri possit? Quibus de causis; & quomodo. c. 147. p. 273.
Census, quid sit? Quotuplex? Quæ conditiones in eo servandæ. cap. 92. pag. 129. ubi plura.
Cessatio à Divinis quid sit. p. 283. c. 151. q. 19. In quo differat ab interdicto. *ibid.*
Charitas in Deum quid sit. p. 14. q. 1. Quibus modis exerceatur. q. 2. Quo tempore obliget Præceptum Charitatis. q. 4. Quæ sint peccata contra charitatem Dei. p. 15. q. 5. Quæ signa ad cognoscendum, an quis habeat charitatem Dei. q. 8. c. 12.
Choreæ, ac saltationes an sint peccatum. p. 108. q. 24. c. 73.
Clausulæ quæ inseruntur in dispensationibus matrimonialibus pro foro externo. c. 138. pag. 252.
Clausulæ Brevium Sacræ Pœnitentiariæ pro dispensatione matrimoniali in foro interno. c. 139. pag. 253.
Cognationis impedimentum dirimens Matrimonium quid, & quotuplex sit. pag. 234. q. 27. & seqq. ubi de cognatione naturali, spirituali, & legali, casus plures. c. 133.
Cohabitare simul conjugati quando non teneantur. c. 145. p. 265. & seqq.
Commodatum quid sit. p. 120. c. 81. q. 1. In quibus differat à mutuo. q. 6. An possit stare in re, quæ usu consumitur. q. 7 De qua culpa teneatur Commodatarius? & alia plura. q. 8. & seqq.
Concubinatus quid sit. p. 101. q. 1. Pœnæ concubinariorum Laicorum. q. 8. Clericorum.

rum. q. 9. & seqq. ubi plura de Clericis concubinariis. c. 67.
Conditionis impedimentum quando dirimat matrimonium. pag. 232. q. 4. & seqq. ubi casus. c. 133.
Conditiones contra substantiam matrimonii quæ sint. pag. 260. c. 142. q. 16. & seqq.
Confessionis annuæ, ac Communionis obligatio. p. 155. q. 5. & seqq. ubi de hoc præcepto. c. 111.
Confessio Sacramentalis quid sit? Quot de ejus essentia, pag. 187. cap. 120. ubi plura quæsita.
Confessionis materia quænam sit. *ibid.* q. 3. & seqq. d. cap. 120.
Confessionis Qualitates quæ? p. 188. q. 11. & seqq. d. cap. 120.
Confessarius pro exequendis Brevibus Sacræ Pœnitentiariæ quis esse possit. pag. 253. c. 139. per totum.
Confirmationis Sacramentum quid sit? Quæ de ejus essentia? Qui effectus. p. 169. cap. 116.
Conscientia quid, & quotuplex sit. p. 2. q. 1. & 2. Quam obligationem pariat. q. 3. c. 2.
Contractus quid, & quotuplex sit. pag. 115. cap. 77.
Contritio quid sit. pag. 186. c. 119. In quo differat ab attritione. p. 187.
Contritionis actus. Vide in fine libri. p. 301.
Contumelia quid sit? Quale peccatum. pag. 146. c. 105.
Criminis impedimentum dirimens Matrimonium quid, & quotuplex sit. p. 236. q. 23. & seqq. ubi varii casus. c. 133.
Crimina impedientia Matrimonium, & non dirimentia, quæ? p. 231. c. 132. q. 5.
Cultus disparitas quomodo dirimat Matrimonium. p. 236. q. 46. & seqq. c. 133.

D.

DEcima quid sit. p. 159. c. 113. Quotuplex? & qui eas solvere teneatur? Et de quibus fructibus. *ibid.*
Degradatio Clericorum quid sit? Quomodo fiat? Pro quibus delictis. c. 153. p. 286.
Delectatio morosa quid sit? Quando sit peccatum p. 149. q. 6. & seqq. c. 108.
Denunciationes de futuro Matrimonio sub qua pœna faciendæ? Quibus de causis dispensandæ? A quo. cap. 144. ubi plura de iisdem. p. 263. & seqq.
Depositum quid sit? & Quotuplex. p. 122. c. 83. ubi de materia.
Depositariæ bonorum laicorum an possint esse Moniales? Capuccini. p. 122. q. 11. & 12. cap. 83.
Detractio quid sit? Quotuplex; Quot modis detrahatur famæ aliorum? Quale peccatum; Quæ obligatio restituendi famam. c. 104. per tot. p. 144. & seqq.
Diœcesanorum obligationes erga Prælatos quæ. p. 90. q. 1. & seqq. cap. 54.
Discipulorum obligationes erga magistros quæ. p. 89. q. 1. & seqq. cap. 53.
Dispensare ab irregularitatibus quis possit. p. 230. q. 69. c. 131.
Dispensare in impedimentis Matrimonii quis possit? tam dirimentibus, quàm non dirimentibus. c. 135. per totum. pag. 247. & seqq. ubi plenè.
Dispensatio quando sit subreptitia? Obreptitia? Invalida? c. 137. per totum. p. 250. ubi plures casus.
Dispensatio Matrimonialis quando cesset? Vel reddatur inutilis. c. 140. p. 255.
Distributiones quotidianæ quibus debeantur. p. 23. q. 4. An absentibus, & quibus ex causis. p. 24. q. 5. & seqq. An præsentibus in Choro, sed non psallentibus cum Choro, q. 16. ubi Decreta S. Congregationis de præcisa obligatione psallendi cum Choro. cap. 18.
Divinatio quid sit. p. 31. q. 1. Quale sit peccatum. q. 4. Quando sit licita. q. 5. & 6. cap. 23.
Divortium quid, & quotuplex sit. cap. 146. p. 269. Quibus de causis fieri possit. q. 3. & seqq. ubi plures causæ. Divortii effectus qui sint. p. 272. q. 24.
Dominorum obligationes erga famulos quæ sint. p. 89. q. 11. & seqq. c. 52.
Donatio inter virum, & uxorem quando, & quomodo sit prohibita. p. 267. q. 17. & seqq. cap. 145.
Duellum quid sit? & quotuplex. c. 149. p. 279. Quo Jure sit prohibitum? Quæ pœnæ sint statutæ contra pugnantes in duello? Quomodo, & quando incurrantur? Quis possit absolvere ab eis. q. 3. & seqq. ubi plures casus.
Duellum an aliquando licitè acceptetur. pag. 94. q. 13. cap. 58. & pag. 280. quæst. 9. & seqq. c. 149.

E.

EMphyteusis quid sit? Quæ de ejus substantia. p. 133. c. 95. ubi plenè de ea.
Emptio, & Venditio quot modis contrahatur. c. 90. p. 127. Quot sint de substantia Venditionis. p. 128. q. 5. & seqq. ubi plura de materia.
Episcopus an possit dispensare tam in impedimentis non dirimentibus, quàm in dirimentibus matrimonium. p. 248. q. 5. & seqq. ubi plures casus. c. 135.
Epistolà an possit contrahi Matrimonium. p. 260. q. 12. c. 142.
Erroris impedimentum in Matrimonio quid, & quotuplex sit. p. 232. q. 2. Quando dirimat Matrimonium. q. 3. c. 133.
EUCHARISTIÆ Sacramentum quid sit. cap. 117. p. 172. quæ ejus Materia? Forma? Minister? Effectus, *ibid.* ubi plurimi casus circa ejus sumptionem, & administrationem.
Eunuchi, & Spadones an possint contrahere Matrimonium. p. 240. q. 97. c. 133.
Excommunicatio quid sit? Quotuplex? Quæ requirantur ad eam justè infligendam? Qui sint ejus effectus? Qui ab ea possit absolvere. c. 148. p. 275. & seqq. ubi plenè de materia.
Excommunicatio major an infligi possit pro culpa levi. p. 276. q. 10. c. 148.
Excommunicatio contra illos, qui per vim faciunt contrahere matrimonia, vel ea impediunt. p. 237. q. 58. c. 133.
Excommunicatus an validè administret, vel recipiat Sacramenta p. 277. q. 15. 16. & seqq. cap. 148.
Excommunicati an sint capaces beneficiorum. p. 277. q. 20. & seqq. c. 148.

Exorcista quomodo se gerere debeat in adjuratione Dœmonum. p. 75. q. 2. & seqq. cap. 45.
Extremæ Unctionis Sacramentum quid sit. c. 127. p. 205. Quibus? Quando? Et quomodo administrandum. *ib.* ubi plures casus.

F.

FAmiliares Episcopi quando possint ab eo ordinari. pag. 217. q. 84. & seqq. cap. 128.
Famulorum obligationes erga Dominos quæ sint. pag. 88. q. 1. & seqq. cap. 52.
Festorum dierum sanctificatio in quibus consistat. pag. 82. q. 1. & seqq. ubi de obligatione sanctificandi festa. cap. 47.
Feudum quid sit? Quotuplex? Ad quos Feudum transeat. cap. 97. per totum pag. 135.
Fideiussio quid sit? Quotuplex? Qui possint fidejubere. c. 88. p. 125. Quæ beneficia de jure sint introducta ad favorem fidejubentium. p. 126. q. 6. ubi plura.
Fides quid sit. p. 3. q. 1. Quot ejus præcepta. q. 2. Quam obligationem pariant. q. 3. & seqq. c. 3.
Fidei exterior confessio quando necessaria. p. 3. q. 6. An liceat aliquando Fidem dissimulare, vel negare. p. 4. q. 8. & seqq. Fidei respectu quæ fieri non liceant. q. 13. & seqq. ubi plura.
Fidei professio à beneficiatis quando, & ubi facienda. p. 12. q. 1. & seqq. Sub qua pœna. q. 9. & seqq. An alii teneantur facere professionem Fidei. p. 13. q. 24. & seqq. c. 10.
Filiorum obligatio erga Parentes quæ? & Quotuplex. p. 86. q. 1 & seqq. c. 49.
Fœtus in ventre Matris quando sit animatus. p. 225. q. 28. ubi de Christo Domino, & de Deipara. c. 131.
Fratrum obligationes erga sorores quæ. p. 88. q. 1. c. 51.
Furtum quid sit. p. 108. q. 4 c. 74. Quando sit peccatum mortale. q. 5. & seqq. Quæ furibus per confessarios imponenda. c. 75. per tot. p. 109.

G.

GRæci Catholici an teneantur contrahere matrimonium coram proprio Parocho, & duobus testibus. p. 243. q. 123. c. 133.

H.

HEnricus Canonicus Patavinus anno 1195. manumisit in testamento servum suum. p. 233. q. 17. c. 133.
Hæresis quid, & quotuplex sit, p. 5. q. 1. & seqq. c. 4.
Hæreticorum pœnæ quæ sint. p. 5. q. 3. Quæ eorum fautorum. p. 6. q. 6. c. 4.
Hæretici à quibus absolvantur. p. 7. q. 1. & seqq. c. 6.
Hermaphroditi an possint contrahere matrimonium. p. 241. q. 105. & seqq. c. 133. An possint ad ordines promoveri. p. 210. q. 18. & 19. c. 128.
Homicidium quid, & quotuplex sit. p. 93. q. 1. & seqq. An aliquando licitum. q. 5. c. 58. Quodnam dicatur Casuale. p. 95. q. 1. c. 60. De circumstantiis homicidii, & de restitutione per ipsum. p. 96. c. 61. 62. De irregularitate ex homicidio. p. 97. c. 63. & p. 224. q. 19. & seqq. ubi plenè de eo. c. 131.
Horæ Canonicæ à quibus recitandæ. pag. 19. q. 1. & seqq. c. 17. An à Regularibus professis. p. 20. q. 6. & seqq. An à Monialibus q. 9. & seqq. An à beneficiariis. q. 11. & seqq. Quo ritu sint recitandæ. p. 21 q. 24. & seqq. Sub qua pœna. q. 30. Quâ lingua. p. 22. q. 22. & seqq. Qua forma. p. 25. q. 17. Quâ hora diei. q. 19. Quæ causæ excusent à recitatione horarum Canonicarum. p. 26. q. 27. & seqq. c. 18.

I.

Dololatria quid sit, & quotuplex. p. 28. q. 1. & 2. A quibus introducta q. 4. An detur ignorantia excusans ab Idololatria. p. 29. q. 5. c. 20.
Jejunium quid sit, & quotuplex. p. 152. c. 110. ubi plurimi casus de jejunio, & de his, qui jejunare non tenentur.
Ignorantia quotuplex sit. p. 2. q. 9. Quæ excuset à culpa, & quæ à pœna. q. 10. & seqq. c. 1.
Immunita loci sacri in quibus consistat? p. 47. q. 1. Quæ loca gaudeant immunitate Ecclesiastica. q. 2. Quæ personæ. q. 4. & seqq. In quibus delictis detur, vel non detur immunitas loci sacri. pag. 48. q. 9. & seqq. ubi casus plurimi. Quæ pœnæ contra eam violantes. p. 50. q. 42. c. 32.
Impedimenta Matrimonii quæ? p. 231. q. 4. Quæ sint impedientia tantùm? q. 5. c. 132. Quæ dirimentia. c. 133. per totum. p. 232. Quo jure introducta. ibid. De non dirimentibus. c. 134. p. 246. ubi plenè de ipsis.
Impotentia coeundi quando dirimat Matrimonium. p. 240. q. 91. & seqq. c. 133.
Impuberes an possint contrahere Matrimonium. p. 241. q. 101. & seqq. c. 133.
Incestus quid sit. p. 104. q. 1. c. 71. Quæ pœnæ contra incestuosos. p. 105. q. 4. & seqq.
Indebitum quid sit? Et quot modis contrahatur. p. 122. c. 84. per totum.
Indulgentiæ quæ veræ? quæ Apocryphæ? Vide Decretum S. Congregationis in fine libri. p. 297.
Infidelium, seu Paganorum quot species. p. 8. q. 1. cap. 8. An infideles sint cogendi ad fidem. p. 9. q. 2. An tolerandi. q. 4. & 5. An eorum infantes baptizandi parentibus invitis. q. 6.
Infideles uxorati si baptizentur, an possint aliam uxorem ducere. p. 262. q. 6. & seqq. c. 143.
Interdictum quid, & quotuplex sit? c. 151. p. 282. & seqq. Quæ Sacramenta prohibita sint tempore Interdicti? q. 8 & seqq. ubi plures casus de interdicto. Quæ pœnæ in illos, qui non servant Interdictum? ibid. ubi plura.
Interstitia ad ordines quomodo, & à quibus dispensanda? p. 214. q. 52. & seqq. c. 128.
Irregularitas quid sit? & quotuplex? c. 129. p. 219. ubi plenè de ea. Et iterùm de eadem secundùm doctrinam Maistrii. c. 152. per totum. p. 283. & seqq.
Irregularitates ex delicto quæ sint. c. 131. p. 222. ubi sex numerantur, & explicantur. Item quæ ex defectu. De iisdem plenius c. 152. p. 283. per totum.
Irregularitas ex homicidio quomodo, & quando contrahatur. p. 97. q. 1. & seqq. c. 63.
Judæorum communicatio cum Christianis in

quibus actibus sit prohibita ? p. 9. q. 1. & seqq. c. 9.
Judæi an hoc tempore possint dare libellum repudii suis uxoribus ? vel esse Polygami. p. 9. q. 4. & 5. ac seqq.
Judæi an licitè possint exigere usuras à Christianis. p. 9. q. 8. In quibus casibus puniantur in tribunali Sancti Offici. p. 10. q. 10. & seqq. ubi eorum sectæ antiquæ. c. 9.
Judæi an gaudeant Immunitate Ecclesiæ p. 11. q. 21. & seqq. ubi plura de iisdem. c. 9.
Judices quando incurrant irregularitatem ex delicto. p. 225. q. 30. c. 131.
Judicium temerarium quid sit? Quando peccatum? c. 106. p. 147. ubi plura.
Juramentum, quid, & quotuplex sit? p. 62. q. 1. & seqq. Quæ conditiones ejus? p. 63. q. 8. & seqq. c. 37.
Juramenta quando obligent, & quando non? p. 64. q. 28. & seqq. ubi casus plurimi. c. 37.
Juramenta amphybologica an licita. p. 68. q. 1. & seqq. c. 38. Quæ pœnæ contra pejerantes. p. 69. q. 1. & seqq. c. 39.
Juramenta judicialia quæ sint? Quæ eorum vis, & usus. p. 72. q. 1. & seqq. ubi de illis. c. 43.

L.

LEgatum quid sit; & quotuplex. c. 102. p. 142. ubi plures casus circa legata.
Libellus famosus quid sit ? quale peccatum? Quæ pœnæ contra facientes libellos famosos. c. 107. per totum p. 148. & seqq.
Librorum prohibitiones quot sint. p. 6. q. 1. libri prohibiti an possint legi, vel retineri sine licentia. q. 5. Quis det licentiam eos legendi. q. 7. An excuset à pœna, ignorantia? vel parvitas materiæ? aut temporis? vel ubi non est periculum errandi. p. 7. q. 8. & seqq c. 5.
Ligamen dirimens matrimonium quid sit. p. 238. q. 65. & seqq. c. 133.
Litterarum obligatio quid sit ? Quæ exceptio detur contra illam. c. 89. p. 127.
Livellus quid sit? quotuplex? quæ pacta sint licita? & quæ illicita. c. 96. per totum. p. 134. ubi plenè.
Locatio, & conductio quid sit? & quotuplex. c. 94. per tot. ubi casus multi. p. 131. & seqq.
Ludus quid sit? quando sit licitus? qui possint ludere; & lucrata ex ludo retinere. c. 101. per totum. p. 139. & seqq.
Luxuria quid sit? quotuplex? quot ejus species. p. 100. q. 1. & seqq. c. 66.
Luxuriæ contra naturam quot species. c. 73. p. 106.

M.

MAgia quid, & quotuplex sit. p. 29. q. 1. & seqq. c. 21.
Magiæ quis fuerit auctor. p. 30. q. 15. c. 21.
Magi an possint à quocumque Confessario absolvi. p. 30. q. 16. c. 21.
Magistrorum obligationes erga discipulos quæ sint. p. 90. q. 9. c. 53.
Maleficium quid, & quotuplex sit. p. 32. c. 25. q. 1. & 2. quot modis fiat. q. 5. & seqq.
Maleficia cur à Deo permittantur. p. 33. q. 7. & seqq. quæ observanda à Confessario in confessione maleici, vel strigæ. p. 34. q. 13. Maleficorum pœnæ. q. 21. & seqq. ubi plura dict. c. 25.
Mandans, & Mandatarius quando fiant irregulares ex mutilatione membri, vel ex homicidio. p. 227. q. 47. & seqq. c. 131.
Mandatum quid sit? quibus modis fieri possit. c. 99. ubi de eo plures casus. p. 137. & seqq.
Marcus Marchianus Abbas Vicarius Patavinus, deindè Episcopus Feltrensis laudatus. p. 244. q. 134. c. 133.
Mariti obligatio erga uxorem quæ; & quotuplex. p. 87. q. 1. & seqq. c. 50. Quando possit eam punire; & ei alimenta præstare. p. 266. q. 8. 15. & 16. c. 145.
Mater an teneatur lactare proprium filium. p. 266. q. 13. & 14. d. c. 145.
Matrimonium quando institutum. c. 132. p. 231. & quæ scienda à Confessariis de matrimonii Sacramento. q. 2. Ejus impedimenta quæ, & quot. q. 3. 4. & 5.
Matrimonium contractum sine præsentia Parochi, & testium in locis, ubi non est publicatum Concilium, an sit nullum. p. 243. q. 124. & seqq. ubi plures casus. c. 133.
Matrimonium tanquam contractus quæ, & quot requirat ad sui validitatem. p. 258. c. 142. per totum.
Matrimonium an per Procuratorem contrahi possit? & quomodo. p. 259. q. 8. & seqq. c. 142. nec non p. 261. q. 4. c. 143.
Matrimonium per Epistolam an possit contrahi. p. 260. q. 12. An sub conditione. q. 13. & seqq. c. 142.
Matrimonium an quis possit contrahere ut solum contractum, non ut Sacramentum. p. 261. q. 1. c. 143.
Matrimonii materia, & forma quæ sit? & quis minister. p. 261. q. 2. & 3. c. 143.
Matrimonium infidelium an sit indissolubile. p. 261. q. 5. & seqq. d. c. 143.
Matrimonium ratum, non consummatum an possit dissolvi. p. 262. q. 12. & seqq & quid si fuerit consummatum. p. 263. d. c. 143.
Membrum quid, & quotuplex in casu irregularitatis. p. 224. q. 23. & seqq. c. 131.
Miracula à quo approbanda. p. 16. q. 7. c. 14. Quot sint de essentia miraculi. q. 8. quæ miracula requirantur pro Canonizatione Beati. q. 10.
Missam audire quis teneatur. p. 83. c. 47. q. 11. & seqq. ubi plures casus. Quos urgeat Præceptum de audienda Missa. p. 151. c. 109. q. 2. & seqq.
Missæ sacrificium quid sit. p. 181. c. 118. quæ de essentia Sacrificii. *ibid.* Fructus Sacrificii quotuplex. *ibid.* ubi casus plurimi de celebratione Missæ.
Moderamen inculpatæ tutelæ in quibus consistat. p. 226. q. 38. c. 131.
Monopolium quid sit. p. 129. c. 91.
Mons Pietatis quid sit. p. 119. c. 80. quæ observanda in Monte Pietatis. ibid.
Moniales an possint esse depositariæ bonorum laicorum. p. 122. q. 11. & 12. An Capuccini. ibid. c. 83.
Morbus gallicus in marito an sit causa legitima divortii. p. 271. q. 16. & 17. c. 146.
Mutuum quid sit. p. 115. c. 78. quando peccent mutuò dantes, & quomodo committant usuram. q. 3. ubi plenè de mutuo.

Noto-

N.

Notorium quid, & quotuplex. p. 224. q. 17. c. 131.

Nuptiæ quo tempore vetitæ. p. 158. c. 112. ubi casus plures.

O.

Obligatio Cameralis quid sit? quomodo contrahatur? Qui ejus effectus. c. 87. p. 124. & seqq.

Obligatio ex quasi contractu quæ sit. c. 100. p. 139.

Occultum delictum quando tale esse dicatur, p. 254. q. 12. c. 139.

Odium quid sit, & quale peccatum. p. 99. q. 1. & seq. c. 65.

Opinio probabilis quænam sit. p. 3. q. 4. An liceat eam sequi, relicta probabiliori. q. 5. c. 2.

Oratio quid, & quotuplex sit. pag. 18. q. 1. & 2. An orare sit de præcepto. q. 4. c. 16.

Orationis effectus, qualitates, & alia plura. p. 18. q. 8. & seqq. c. 16.

Ordinis Sacramentum quid sit. c. 128. p. 208. quot sint Ordines? quæ eorum Materia, Forma, Ministri, Subjectum, & alia plurima in eod. c. 128. ubi plenè.

Ordinare alienum subditum quomodo, & quando possit alius Episcopus. p. 211. q. 30. & seqq. ubi de Bulla SS. D. N. Innocentii XII. Vide eam in fine operis. p. 300

Ordinis Sacramentum quando dirimat matrimonium. p. 237. q. 59. & seqq. c. 133.

Oscula, & amplexus quando sint peccata. p. 150. q. 15. & 19. c. 108.

P.

Parentum obligatio erga Filios quæ, & quotuplex. p. 87. q. 11. & seqq. c. 49.

Parochorum obligationes erga Parochianos, & è contra quæ, & quot. p. 92. q. 1. & 2. c. 55.

Parochi, & testium præsentia quomodo necessaria in Matrimonio. p. 242. q. 120. & seqq. quid si sit per vim, & metum, aut per fraudem. p. 243. q. 127. & seqq. ubi plures casus. c. 133.

Parochus prohibitus ab Episcopo an validè assistat Matrimonio. p. 243. q. 132. d. c. 133.

Parochi appellatione qui veniant pro contrahendo Matrimonio. p. 244. q. 139. d. c. 133.

Parochus si sit censuris irretitus, vel irregularis, aut hæreticus, an validè assistat Matrimonio. p. 244. q. 140. & seqq. d. c. 133.

Parochus quos possit subdelegare, ut assistant Matrimonio. p. 244. q. 143. & seqq. ubi plures casus d. c. 133.

Parochia quomodo contrahatur pro celebrando Matrimonio. p. 245. q. 151. c. 133.

Peccatum quid, & quotuplex sit? & quæ regulæ ad illud cognoscendum. p. 1. c. 1. per totum. Mortale quando transeat in Veniale; & è contra. q. 5. quæ actiones non sint peccaminosæ, & excusentur à peccato. p. 2. q. 6. & seqq. ubi plura de hoc.

Peccata in usu Matrimonii quæ sint? & quando conjuges peccent in copula, vel tactibus. p. 267. q. 23. & seqq. ubi observationes, c. 145.

Pignus quid sit? quæ res sint prohibitæ pignorari. c. 82. per totum. p. 121. & seqq. ubi plura.

Pœnæ quæ sint contra celebrantes Matrimonium sine præsentia Parochi. p. 243. q. 134. c. 133.

Pœnitentia quid sit? quo tempore homo obligetur pœnitere. c. 111. p. 155.

Pœnitentiæ Sacramentum quid sit? & quot ejus partes. c. 119. p. 186. quis ejus Minister. c. 121. p. 191. ubi plenè de hoc Sacramento.

Polygamia quid sit? quo jure vetita. p. 238. q. 66. & seqq. c. 133.

Pollutio Ecclesiæ quomodo fiat per effusionem sanguinis in ea. p. 40. q. 1. & seqq. ubi plures casus. c. 29. Quomdo per effusionem seminis humani. p. 44. q. 1. & seqq. c. 30. Quomodo per sepulturam excommunicati, vel infidelis. p. 45. q. 1. & seqq. c. 31

Prælatorum obligationes erga Diœcesanos, & subditos, quæ sint. p. 91. q. 8. per seqq. c. 54.

Principum obligationes erga suos subitos quæ. p. 92. q. 3. c. 56.

Processus pro Canonizatione Servorum Dei quomodo, & à quo faciendus. p. 17. q. 12. & seqq. c. 14.

Procuratores qui possint esse? Quot modis constituantur. c. 99. p. 137.

Procuratorio nomine quomodo possit contrahi Matrimonium. p. 245. q. 155. c. 133. & p. 259. q. 8. & seqq. c. 142.

Professio Religiosa an tollat omnes irregularitates. p. 231. q. 73. c. 131.

Propositiones damnatæ. p. 288.

Publicæ honestatis impedimentum quid sit? & undè oriatur. p. 239. q. 73. & seqq. c. 133.

Q.

Qualitatis error quomodo, & quando dirimat Matrimonium. p. 232. q. 2. & 3. c. 133.

R.

Rapina quid, & quotuplex sit. p. 109. q. 14. & seqq. c. 74.

Raptus mulieris quid sit. p. 103. q. 1. quæ pœnæ contra raptores. q. 3. & seqq. c. 69.

Raptus sponsæ quando impediat, & dirimat Matrimonium. p. 241. q. 107. & seqq. c. 133.

Ratihabitio homicidii an inducat irregularitatem. p. 229. q. 64. c. 131.

Regulares an possint dispensare in impedimentis Matrimonii. p. 248. q. 10. c. 135.

Reliquiæ Sanctorum à quo recognoscendæ. p. 17. q. 16. An fuerint in lege naturæ? An in lege Mosayca. q. 18. c. 14.

Restitutio quid sit. p. 109. c. 75. Quæ considerandæ in restitutione. q. 7. & seqq. ubi casus plurimi de his, qui tenentur restituere. Quæ causæ excusent à restitutione. p. 113. & seqq. c. 76. per totum, ubi plenè de eis.

S.

Sacramentum quid sit? & quot sint Sacramenta. c. 114. p. 161. Quæ de essentia Sacramentorum? Quinam eorum effectus. p. 162. ubi plenè de Sacramentis in genere.

Sacrificium Missæ quid sit. c. 118. p. 181. q. 1. Quot species Sacrificiorum in lege veteri. q. 4. De dubiis in actu sacrificandi. q. 5. & seqq. De Valore Sacrificii Missæ. p. 182. q. 13. &

& seqq. quibus prosit. q. 15. Quo in loco possit offerri Sacrificium Missæ. p. 183. q. 30. & seqq. Quam stipem possit recipere Sacerdos pro Sacrificio. p. 184. q. 41. & seqq. ubi plura scitu necessaria. Quæ servanda pro acceptandis oneribus perpetuis Missarum. p. 185. q. 54. præter alia multa circa Sacrificium Missæ, & Sacerdotes sacrificantes in d. c. 118.

Sacrilegium quid, & quotuplex sit. p. 35. c. 26. q. 1. & 2. In personas sacras quot modis committatur. *ibid.* c. 27. ubi de percussione Clericorum, & de pœnis contra eosdem percussores. p. 36. q. 21. & seqq. c. 27.

Sacrilegium ratione fori quomodo committatur. p. 37. q. 26. & seqq. c. 27.

Sacrilegium ob rem veneream quomodo incurratur. p. 38. q. 37. & seqq. c. 27. & pag. 105. q. 1. & seqq. c. 72.

Sacrilegium respectu loci sacri. p. 39. q. 1. & seqq. c. 28. De effusione sanguinis humani in loco sacro. p. 40. q. 1. & seqq. c. 29.

Sacrilegium ex violata immunitate Ecclesiæ. p. 47. c. 32. per totum.

Sacrilegium in bonis Clericorum. p. 51. c. 33.

Sacrilegium per effusionem seminis humani in loco sacro. p. 44. c. 30. ubi plures casus.

Satisfactio Sacramentalis quid sit. c. 124. p. 198. In quibus operibus imponenda. p. 199. ubi alia dubia.

Scientia in ordinando quæ, & quanta esse debeat. p. 217. q. 87. & seqq. c. 128.

Servitutes hominum quamdiu duraverint Patavii. p. 233. q. 17. c. 133.

Sævitia viri contra uxorem quando sit causa divortii. p. 271. q. 18. & seqq. c. 146.

Sævitia mariti quomodo probetur. pag. 271. q. 20. d. cap. 146.

Sigillum Confessionis quid sit. c. 125. p. 201. Qui teneantur ad ipsum? In quibus rebus. *ibid.* ubi plenè de obligatione Confessarii, & aliorum circa sigillum.

Simonia quid, & quotuplex sit. p. 56. q. 1. & seqq. c. 35. Quæ pœnæ in Simoniacos. p. 57. q. 16. & seqq. Quomodo probetur delictum Simoniæ. p. 60. q. 35. & seqq. ubi plenè de hac materia.

Societas quid sit? & quot modis fieri possit, præcipuè in animalibus. c. 98. per totum. p. 136. & seqq.

Sodomia quid. p. 106. q. 1. & seqq. c. 73.

Solemnitates servandæ in Matrimonio quæ & quot sint. c. 144. p. 263. ubi de præsentia Parochi, & testium; de denunciationibus, & de benedictione sponsorum.

Sollicitantes in confessione ad turpia. p. 105. q. 6. & seqq. c. 72. & p. 203. c. 126. per totum; ubi de pœnis sollicitantium, & de iisdem casus plurimi.

Sororum obligationes erga fratres, & è contra quæ sint. p. 88. q. 1. & seqq. c. 51.

Spes quid sit. p. 13. q. 1. Quæ peccata contra spem. q. 2. Quando obliget præceptum spei. q. 4. c. 11.

Sponsalia quid sint. c. 141. p. 256. quam obligationem pariant? In qua ætate fieri possint? An cum Arrhis? Ex quot causis dissolvantur. *ibid.* ubi plenè de sponsalibus.

Sponsalitia largitas quid sit? Quomodo uxor possit de ea disponere. p. 267. q. 20. & seqq. c. 145.

Stipulatio quid sit? Quot requirantur ad eam. c. 85. in quo plura scitu digna. p. 123. & seqq.

Stuprum quid sit? p. 102. q. 1. Quæ ejus pœnæ de jure civili, & Canonico. p. 103. q. 3. & seqq. c. 68.

Subditorum obligationes erga Principes suos quæ sint. p. 92. q. 1. c. 56.

Suburbia an veniant nomine Civitatis. p. 231. q. 77. c. 131.

Superstitio quid sit, & quotuplex. p. 27. q. 1. & seqq. Quæ actiones sint superstitiosæ. p. 28. q. 5. & seqq. c. 19.

Suspensio à divinis quæ; & quotuplex sit? A quo possit infligi? contra quos? quibus de causis? An cesset absque absolutione? Quis possit ab ea absolvere. cap. 150. per totum. ubi plurima p. 280. & seqq.

Susurratio quid sit? & quale peccatum. p. 147. q. 8. & seqq. c. 105.

T.

TActus sui, vel alterius corporis quando sint peccatum. p. 150. q. 16. & seqq. c. 108.

Tentatio Dei quid sit. p. 14. q. 6. c. 11.

Testamentum quid, & quotuplex sit. c. 102. p. 142. Qui possint testari? Quibus solemnitatibus. ibid. ubi casus plures.

Testes qui possint esse in celebratione Matrimonii. p. 245. q. 156. & 157. c. 133.

Turpiloquium an sit peccatum mortale? p. 151. q. 23. c. 108.

V.

VAna observantia quid sit. p. 31. q. 1. Quale peccatum sit. q. 3. Exempla vanæ observantiæ. q. 5. Quando prohibita, & mala. q. 6. & seqq. c. 24.

Vis, & metus quid, & quotuplex sit? Quomodo probetur? Quando dirimat matrimonium. p. 236. q. 51. & seqq. ubi plures casus. c. 133.

Votum quale dirimat Matrimonium. p. 233. q. 18. & seqq. c. 133.

Votum quid sit? Quotuplex, & de ejus obligatione. p. 76. q. 1. & seqq. ubi plenè de materia votorum. c. 46.

Usura quid sit? & quotuplex. c. 79. p. 115. An aliquando sit licita. p. 116. q. 8. & seqq. ubi casus multi.

Usurariorum pœnæ quæ sint. p. 117. q. 23. & seqq. c. 79.

Uxorum obligationes erga maritos quæ. p. 87. q. 1. & seqq. c. 50.

Uxorati quando possint fieri Religiosi. p. 272. q. 26. & seqq. ubi plura de iisdem. c. 146.

FINIS.

CLERICATI

Tom. II

Th
914a